COLLECTIO PISAURENSIS

OMNIUM POEMATUM, CARMINUM, FRAGMENTORUM LATINORUM,

SIVE AD CHRISTIANOS, SIVE AD ETHNICOS, SIVE AD CERTOS, SIVE AD INCERTOS POETAS,

A PRIMA LATINÆ LINGUÆ ÆTATE

Ad ſextum uſque Chriſtianum Seculum & Longobardorum in Italiam Adventum pertinens,

Ab omnium Poetarum Libris, Collectionibus, Lapidibus, Codicibus exſcripta.

TOMUS QUARTUS

CONTINENS

ETHNICOS POETAS MINORES,
ETHNICA CARMINA MINORA INCERTORUM,
ETHNICOS POETAS MINIMOS,
ETHNICA CARMINA MINIMA INCERTORUM.

PISAURI)(MDCCLXVI.)(

EX AMATINA CHALCOGRAPHIA.

PUBLICA AUCTORITATE.

PA
6121
A7A56
t.4

LIBRARY
DEC 6 1971
UNIVERSITY OF TORONTO

P R O L E G O M E N A

P A R T I S   P R I M Æ

ETHNICOS POETAS MINORES CONTINENTIS.

DE M. TULLIO CICERONE.

M. TULLIUS CICERO, Romanus, ex equeſtri familia, natus eſt in villa Arpinate A. U. C. DCXLVIII. Q. Servilio Cæpione & C. Atilio Serrano CoSS. die [*a*] tertio Januarii. Vitam ipſius e veteribus, ne perditos *Tullii Tironis*, & *Cornelii Nepotis* libros memorem, *Plutarchus* ſcripſit, & brevius *Aurelius Victor* cap. LXXXI. Inter recentiores copioſe eam atque diligenter ſingulari libro tradidit Franciſcus Fabricius (*b*) Marcoduranus, digeſtam per annos ætatis, qua vixit Cicero, quatuor & ſexaginta. In præſenti annotare ſuffecerit, Conſulatum geſſiſſe Anno U. C. DCXCI. & Catilinæ furoribus patriam feliciter liberaſſe. Ab eo tempore miſſum eſſe in exſilium Anno DCXVI. ſed menſe decimo ſexto poſt, omnium conſenſu atque *Italiæ humeris*, ut ait ipſe, in Urbem reportatum, præfuiſſe Ciliciæ cum imperio Anno DCCII. Hinc cum ſemper omni ope Reip. partes quantum poterat in bello civili tutatus eſſet, a Cæſare victore veniam conſecutus, ſed tandem Lepidi, atque Antonii maxime, adverſus quem in Philippicis conſtantiſſime & graviſſime verba fecerat, oppreſſum, Octaviano Auguſto, qui Ciceronis ſuffragio Conſulatum [*c*] acceperat, aliquamdiu fruſtra obnitente, proſcriptum miſereque obtruncatum (*d*) periiſſe VII. Id. Decembris, anno poſt C. Cæſarem in ſenatu tranſfoſſum, qui erat U. C. DCCXI. ante CHRISTUM XLIII.

Tullia gens utrum a Tullo Rege Rom. ducat originem, vide Claud. Dauſquejum & Nic. Heinſium notis ad Silii VIII. 407. Fuit & Tullius Cimber Rhetor, in quem ſcazontes in Catalectis Vett. Poetarum. Ciceronis pater fullo, ſi Dioni fides, cujus inde ſcomma lib. *46.* ubi ait Ciceronem *τοὺς κρείσσονας αὐτοῦ πατεῖν καὶ πλύνειν λοιδορίαις τισὶν ἐξ ἐργαστηρίων καὶ τριόδων*. &c. Mater Ciceronis Helvia, pater equeſtris ordinis ex regio Volſcorum genere. Vide Proſperi Chron. p. *679.* ex Hieronymo. Cicero natus Arpini, Serrano & Cæpione Coſſ. Anno 10*6*. ante Chriſtum natum. Vide Gellium XV. 28. & Pontacum ad Euſebii Chron. p. 481.

a Cice-

(*a*) Conferatur illuſtris Doctrinæ Viri Steph. Baluzii diſſertatio de die natali Ciceronis, & Epiſtola ad Em. Cardinalem Noriſium, quæ exſtat ad calcem notarum in librum Lactantii de mortibus perſecutorum editionis Trajectinæ V. C. Pauli Bauldri 169*3*. 8. p. 118. 119.

(*b*) Prodiit hæc vita primum ſeparatim Colon. A. 1563. 8 ac deinde ſæpius recuſa eſt variis formis locisque ut notatum Tho. Crenio parte 2. animadverſ. p. 193. ſeq. Etiam adjuncta legitur melioribus quibuſdam editionibus Ciceronis, ut Gruterianæ, Hamb. 1618. fol. apud Frobenium. Ante Fabricium hoc argumentum tractaverant *Chriſtoph. Mylæus*, *Henr. Bullingerus* cujus narrationem de vita Ciceronis Romæ repertam A. 1553. edidit Wolffhangus Periſterus Boruſſus. *Jac. Angelus de Scarparia*, *Leonhardus Aretinus*, qui pro Plutarchi interpretatione novam ipſe Ciceronis vitam dedit, inter Plutarchi parallelas latine editas plus ſemel excuſam: *Conſtantius Felix* Durantius libris duobus de exſilio & glorioſo reditu Ciceronis Lipſiæ, 1535. 4. *Chriſtophorus Preyſſius* Pannonius, Baſil. 1535 8. *Sebaſtianus Corradus* vir pereruditus in Egnatio ſive Quæſtura, qua Ciceronis etiam mores adverſus Plutarchum alioſque tuetur, Bononiæ anno eodem: & *Petrus Ramus* in Ciceroniano, Pariſ. 155*6*. Poſt Fabricium memorandus venit *Lambinus* in ſua Cic. editione: *Benedictus Herbeſtus* A. 1568. tum *Jo. Brantius*, qui cum elogiis virorum illuſtrium e Cicerone collectis Tullii vitam Chronologico ordine digeſſit, Antuerp. 1612. 4. *Davidis Chytræi* tabula Chronologica, cum Scarpariæ libello edita Berolin. 1587. 8. *Sim. Vallambertus* in vita Cic. Pariſ. 1587. 8. *Rudolphus Capellus* in Protheoria Ciceroniana, Hamb. *1683*. fol. *Caſp. Sagittarius* libro de vitis Plauti, Terentii, ac Ciceronis Altenburg. 1671. 8. Libro de lectione, & imitatione Ciceronis, ibid. & in Hiſtoria vitæ ac mortis Tulliæ filiæ, Jen. *1669*. 4. Tulliæ vita neſcio quo auctore Pariſiis edita 1681. 8. Vide ſis etiam Petrum Lambecium lib. 2. de Bibl. Vindob. p. 72*6*. ſeq.

(*c*) Plutarchus in Cicerone p. 884.

(*d*) Adi ſi placet Senecam Suaſoria VII. & quæ ad Cornelii Severi fragmentum Theodorus Gorallus ſive Joannes Clericus V. C. De invento Ciceronis ſepulchro in Zacyntho inſula exſtat Epiſtola Deſiderii Lignaminei, Venet. 1547.

Ciceronis effigies extat in nummo Magneſiorum apud Triſtanum Tom. 2. 429. & in alio apud Lambecium Tom. 2. pag. 726. atque in veteri Cyriaci Matthæi marmore ibid. nec non in gemma apud Laur. Begerum pag. 71. theſauri Palatini: & in veteri anaglypho porticus ſereniſſimi Ducis magni Hetruriæ apud Jac. Gronovium Tom. 3. theſauri Græcar. Antiquitatum. De peregrinatione ſua & ſtudiis Cicero ipſe in Bruto cap. 91. ſeq. cui jungendæ C. V. Jo. Georgii Walchii amœnitates hiſtoricæ de Ciceronis peregrinatione, Lipſ. 1715. Quis vero non miretur Ciceronem, hominem novum, primo ſtatim quo petere eum licebat tempore, hoc eſt quadrageſimo anno ætatis Conſulatum Romæ & petiiſſe & impetraſſe & geſſiſſe tanta cum auctoritate. Confer Orat. contra Rullum c. 1. ſeq. & de Catilina a Cicerone Conſule oppreſſo Excerpta Peireſciana pag. 797. & Orationes Catilinarias, Salluſtium &c. Nummus in Ciceronis ex Cilicia triumphum apud Begerum Tom. 2. theſauri Brandenburg. Conſulere etiam juvabit ejuſdem Begeri examen dubiorum quorumdam, ubi Ciceronem Proconſulem non Ciliciæ tantum, ſed Cypri quoque & Aſiæ fuiſſe diſputat, Berolin. 1704. fol. Ex illa præfectura annua ad quingenta millia thalerorum ad eum redierunt, licet ſatis abſtinentem. Unde colligas quantum exigere potuerint iniqui & avari locupletiorum Provinciarum Romanarum præfecti.

De Ciceronis majoribus conſulendæ notæ virorum doctorum ad caput 1. Orationis contra Rullum Tom. 3. edit. Grævianæ p. 339. Uxorem ipſius Terentiam fuiſſe ſororem Fabiæ Terentiæ virginis Veſtalis, notat Plutarchus in Catone minore pag. 768. Filius Ciceronis Marcus Tullius ex paterno ingenio nihil admodum habuit præter affectationem urbanitatis ſive jaciendi joci, cujus exemplum affert Seneca Suaſoria ultima. Non minus tamen ac pater Conſulatum obtinuit, geſſitque eodem quo Auguſtus An. U. C. 723. ſuffectus ex Idibus Sept. & in conſulatu ſuo auctor fuit, ut ſtatuæ, imagines, ornamenta M. Antonii omnia dejicerentur, ſancireturque edicto, ut ex Antoniorum familia nemo Marcus nominaretur. Vide Plinium XXII. 6. & Plutarchum in Ciceronis patris vita pag. 886. Appianum &c. Multi ſunt in hujus Ciceronis filii laudibus efferendis ſcriptores duo recentiores, quorum unus Latine, alter Gallice vitam ejus conſignarunt, & ſimul nonnulla attigerunt de rebus patris, fratriſque ejus Quinti, & quem hic habebat filium cognominem, Quinti Ciceronis. Uterque ad manus mihi eſt, & Latinus quidem, quem ex auctione Kielmannianæ Bibl. locupletiſſimæ nactus ſum, raro obvius, ſcriptus diligenter terſoque ſtilo, nec indignus qui prælo iterum ſubjiciatur. Titulus libri eſt. (e) *M. Tullii Ciceronis Vita continens rerum cum ab aliis tum ab ipſo domi foriſque præclare geſtarum hiſtoriam*, Simone Vallamberto, *Heduo Avalonenſi auctore*, Pariſ. apud Barthol. Macæum 1587. 8. Auctor poſterioris quæ Gallice lucem vidit Hagæ 1715. 12. (f) *Hiſtoire des quatre Cicerons*, ex Vallamberto profecit, licet vix uſquam citet de nomine, niſi pag. 222. vitioſe *Valember* pro Vallamberto.

De Tullia Ciceronis filia & genero Dolabella (g) eruditam obſervationem leges in Acerra Philologica Hallenſi Germanice A. 1715. 8. edita pag. 533. ſeq. De fano, quod Tulliæ filiæ ſuæ defunctæ Cicero monumentum dedicaſſe ſe innuit XII. 25. 27. ad Atticum, Diſſertatio Nicolai Mongalti inſerta Memoriis Academiæ Regiæ inſcriptionum, vulgatis Gallice T. 2. p. 473.

In Academiam & thermas Ciceronis, quæ oculis medebantur, argutum Epigramma Laureæ Tullii ejus liberti ſervatum a Plinio XXXI. 2.

De nece Ciceronis Plutarchus pag. 884. ſeq. Joannes Antiochenus in excerptis Peireſcianis pag. 798. Valerius Max. V. 3. 4. Martialis III. 66., & quæ ex Livio & Seneca Suaſor. VII. E recentioribus Jo. Conradus Dietericus in vita Auguſti Imp. pag. 78. ſeq. & Theodorus Gorallus ſive Jo. Clericus ad fragmentum Cornelii Severi.

Deſiderii Lignaminei Patavini ad Jo. Baptiſtam Privitellium Cenetenſem deſcripta, & Venetiis A. 1557. edita facies monumenti Ciceronis, reperti ut ajunt A. 1544. in Zacyntho inſula cum inſcriptione M. TYLLI CICERO HAVE ET TU TERTIA ANTONIA, cumque urna inſcripta verbis MAR. TUL. AVE, & vaſculo excipiendis lacrimis, recuſa exhibetur in Ampliſſ. Viri Burchardi Got-

(e) Henr. Jo. Butemeiſteri programma Witeb. 1720.

[f] Acta Erud. A. 1715. pag. 155. Journal literaire Tom. V. pag. 118. Neve Bibl. XXXIX. pag. 188.

(g) Duo Dolabellæ, de quibus Grævius ad Svetonii Cæſarem pag. 776.

Gotthelf Struvii Bibliotheca librorum variorum, theca 1. Jen. 1719. 4.

S. Hieronymus, cujus Epiſtolæ ſelectæ ſub Tullii Chriſtiani nomine a Monaco quodam Benedictino vulgatæ ſunt noviſſime Pariſiis A. 1718. 12. Euſtochio ſuæ Epiſt. 22. narrat febricitanti ſibi viſum ſe coram divino tribunali vapulare, quod Ciceronianus magis eſſet quam Chriſtianus. Pro re vere geſta accipiens Petrus Bleſenſis Epiſt. 140. *B. Hieronymus*, inquit, *fere uſque ad internecionem flagellatus eſt ab Angelo, quia rhetorici lepore ſermonis illectus vanitati operam dabat*. In Corpore Canonico Can. *legimus* 7. diſtinct. 37. *Legimus de B. Hieronymo, quod cum libros legeret Ciceronis, ab Angelo eſt correptus, eo quod vir Chriſtianus paganorum figmentis intenderet*.

Vitam Ciceronis ſcriptam a *Plutarcho* præter Hermannum Cruſerium & Guil. Xylandrum Latine vertit Achilles Bochius. Cum *Chriſtophori Preuſſii* Pannonii vita Ciceronis & ſtudiorum rerumque geſtarum hiſtoria ex ejus ipſius libris teſtimoniiſque potiſſimum obſervata, prodiit Oratio de imitatione Ciceroniana, quod illa ſola ad genus quodcumque elocutionis ſufficiat, Baſil. 1555. 8. *Benedictus Herbeſtus* Polonus, verbis Ciceronis vitam ipſius conſignavit A. 1568. de cujus aliis ſcriptis Simon Staravolſcius in Polonorum ſcriptorum hecatontade cap. LIII. De *Seb. Corradi* quæſtura, quo libro vita Ciceronis inſigniter illuſtratur, conferenda Bibl. ſelecta Jo. Clerici Tom. XIV. pag. 143. ſeq.

Vita Ciceronis ſcripta a Franciſco Fabricio occurrit etiam in editione Veneta Manutiorum commentariis illuſtrata in fol. & in Gronoviana, adſperſis quibuſdam Jac. Gronovii notis.

Veriſſime prodidit Vellejus *perfectum proſæ eloquentiæ decus ſub principe operis ſui Tullio erupiſſe:* atque S. Hieronymus, *in arce eum Romanæ ſtetiſſe eloquentiæ*. Quæ enim vis, quæ ſuavitas, quanta copia in ejus oratione, quæ dignitas, quanta rurſus abundantia rerum, honeſtas ſententiarum: cumque familiariter agit cum amicis ac neceſſariis ſuis, quantus in ſimplicitate inimitabili nitor, quantus delectus verborum, ecquod porro doctrinæ genus, quæ pars, quam ille ingenio ſuo non dicam attigit, ſed mirifice illuſtravit & amplificavit: quid tam abſtruſum aut difficile, quod pro illo uſu rerum & doctrinæ, qua abundabat, ubertate non potuerit explicare facillime, atque quam pulcherrimis luminibus exornare. Ex innumerabili autem multitudine eorum, quibus admirabilis ſemper Cicero viſus eſt, unicum dumtaxat adſcribo teſtimonium Plinii VII. 30. Hiſt. *Salve primus omnium parens Patriæ appellate, primus in toga triumphum linguæque lauream merite, & facundiæ latinarumque litterarum parens: atque, ut dictator Cæſar, hoſtis quondam tuus, de te ſcripſit, omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus eſt ingenii Romani termines in tantum promoviſſe, quam Imperii*. Antonii Schultingii erudita Oratio de *juriſprudentia* Ciceronis ſubjuncta eſt viri illius clariſſimi diſſertationibus editis Franequ. Ann. 1708. 4. & recuſa ad calcem diſſertationum ejus de recuſatione judicis Lugd. Batav. 1714. 4 Cornelius van Bynkershoek in opuſculis varii argumenti, de quibus acta Eruditorum Ann. 1720. pag. 111. & 116. ſeq. Nicolai Harſchei diatribe de divinatione Ciceronis (Reip. mutationem præſagientis,) in exemplum divinationis civilis propoſita, Marpurg. 1710. 8. Jac. Perizonii Oratio inauguralis de Ciceronis eruditione & induſtria, propoſita in exemplum juventuti Academicæ, Franequ. 1682. Jo. Sam. Bergeri Cicero *Medicus*, Witeb. 1711. Jo. Caſp. Haferungii Cicero *Teologus*, Witeb. 1701. Jo. Philippi Treuneri diſſ. de Theologia Tullii, Jenæ edita. Ex utroque horum, ſed longe magis ex ipſa Ciceronis lectione conſtare puto, alienum fuiſſe ipſum ab errore Epicuri, quem illi impingit vir doctus Jo. Matthias Geſnerus, qui in Chreſtomathia Ciceroniana, libro utiliſſimo alioqui & commendando adoleſcentibus pag. 277. providentiam Divinam ab Cicerone negatam fuiſſe affirmat.

Vim dictionis Tullianæ innuere videtur Ennodius Epiſt. 5. ſcribens de Avieno: *Aurum Demoſthenis & ferrum Ciceronis expendit*. Idem Epiſtola XVI. *Adhibita, credo, adverſus me fuiſſet Tulliani profunditas gurgitis, Chryſippi proprietas, Varronis elegantia*. Manus Ciceronis ſive chirographa ejus adhuc ſuperabant temporibus Quintiliani, quo judice X. 1. Tullius effinxit vim *Demoſthenis*, *Platonis copiam & Iſocratis jucunditatem:* atque, ut ait Vellejus, effecit *ne quorum arma vicerant Romani, eorum ingenio vincerentur*. Hieronymus Prologo quæſtionum Hebr. *Sed & Tullius, qui in arce eloquentiæ Romanæ ſtetit, rex oratorum & Latinæ Linguæ illuſtrator, repetundarum accuſatur a Græcis*. Similiter *Regem eloquentiæ* appellat Paſchaſius

ſchaſius Ratbertus prologo in Evangelium Matthæi. Et Themiſtio Græco ſcriptori Oratione XIII. ad Gratianum Imp. pag. 173. audit ὁ πάνσοφος Τύλλιος, ὁ τῆς παλαιᾶς Ῥωμαίων σοφίας ἡγεμὼν, *qui nihil ignoraret, dux & auctor veteris Romanorum ſapientiæ.*

Inter ejus Opera Poetica eſt. *Pars Metaphraſeos* Phænomenon ac Dioſemion *Arati*, Heroico Carmine. Nam poetam quoque non omnino malum fuiſſe [*b*] Ciceronem, & quædam illius λείψανα poetica fidem faciunt & contendit Plutarchus in vita pag. 861. Hanc Arati Metaphraſin admodum adoleſcentulum ſe compoſuiſſe teſtatur Cicero II. de natura Deor. cap. 41. & videtur integrum adhuc habuiſſe Lupus Ferrarienſis [*i*] Epiſtola LXIX. Fragmenta quæ ſola hodie ſuperſunt cum Græcis comparavit præter Perionium & H. Stephanum in libris modo laudatis, Carolus Sigonius in ſua fragmentorum Ciceronis collectione, quibus addendæ obſervationes eruditiſſimorum virorum Pauli Leopardi XVI. 14. & XVIII. 16. ſeq. emendationum & Hadr. Turnebi VIII. 17. Adverſar. Petri item Leſcaloperii notæ ad Ciceronem de natura Deor. pag. 408. ſeq. & Hugonis Grotii viri ſummi Aratea, in quibus non modo fragmenta Ciceronis eo ordine quo Arato reſpondent exhibet, ſed & alio litterarum charactere verſus qui deerant ex ſuo ingenio ſuppletos interſerit atque adjungit, Lugdun. Bat. 1600. 4. Johannis denique Cochanovii editio neutiquam prætereunda, qui Aratum Ciceronis recenſuit & illuſtravit Cracov. 1579. 4. & quæ ad Aratea Tullii annotavit Janus Gruterus. Reliquias *Metaphraſeos Arateæ* recenſuit etiam inter fragmenta Ciceronis Andreas Patricius, quas e Gudiana Bibl. accepi emendatas ex MSS. Fragmenta cæterorum ſcriptorum Ciceronis ſubjiciuntur etiam editioni Officiorum Lipſienſi 1611. 8.

Elegia *Tamelaſtis*. Serv. in I. Æneid.

Jocularis quidam libellus, e quo Quintilianus VIII. ult. hoſce duos verſus producit:

Fundum Varro vocat, quem poſſim mittere funda,
Ni tamen exciderit qua cava funda patet.

[*b*] Ciceronem non malum fuiſſe Poetam notavit etiam nuper Regnerius Deſmarais ad Gallicam ſuam librorum de Divinatione verſionem.

(*i*) Lupus Ferrarienſis Epiſtola LXIX. ad Ansbaldum: *Tu autem huic noſtro curſori Tullium in Arato trade, ut ex eo quem me impetraturum credo, quæ deeſſe ille Egil noſter aperuit, ſuppleantur.*

His adde poema Jambicum ab adoleſcentulo compoſitum, quod inſcripſerat *Pontius Glaucus*. Plutarch. Cic. p. 861.

Videtur etiam nonnulla loca inſignia & forte libros integros *Homeri* latinis reddidiſſe verſibus. Vide A. Patricii notas ad lectionem quartam fragmentorum p. 38. ſeq. De *Epigrammate* Ciceronis *in Tironem ſuum* videndus Plinius junior VII. 4. Epiſt.

DE VALERIO CATONE.

Diræ Valerii Catonis (Grammatici, temporibus Sullanis qui Patrimonium amiſit, de quo Svetonius Tranquillus, & Catullus loquuntur) in Battarum fluvium, quas copioſo neque inerudito commentario illuſtratas ſeparatim edidit Chriſtophorus Arnoldus, Lugd. Bat. 1652. 12. Num ob agros ſuos inter creditores diviſos in has exſecrationes ſe effuderit, vide, ſi placet, diſputantem Boxhornium p. 41. ſeq. Epiſt.

DE PEDONE ALBINOVANO.

C. *Pedonis Albinovani elegia in obitum C. Mæcenatis*, quam Pedonis eſſe negat Voſſius p. 32. de Poetis latinis, & II. 27. de arte Grammatica, Pedoni vindicat poſt Scaligerum Henricus Meibomius, qui notis illuſtratam commentario ſuo de vita Mæcenatis inſeruit, Lugd. Bat. 1653. 4. & Theodorus Gorallus, de cujus editione mox dicam. *Elegiam in obitum Mæcenatis* Pedoni Ovidii æquali [*k*] tribuendam negant Caſpar Barthius in Claudianum pag. 163. Jo. Maſſon in vita Horatii pag. 143. ſeq. & Petrus Burmannus præfat. ad Petron. in notis pag. 520. & in libro Gallice adverſus Jo. Clericum edito pag. 212. & pag. 117. *en effet, la latinitè, la verſification, les expreſſions peu poetiques, & tout le ſyſteme de cette elegie font voir clairement, que c' eſt le fade & miſerable production d' un eſprit ſcholaſtique*

(*k*) Ad hunc Pedonem Ovidius IV. 10. e Ponto;
At tu, non dubito, quum carmine Theſea laudes,
Materiæ titulos quin tueare tuæ.

ſtique des derniers ſiecles. Ultima verba Mæcenatis, quæ incipiunt a verſu: *Sic eſt Mæcenas*, atque in anterioribus editionibus cum elegia in obitum Mæcenatis poſt verſum 144. cohærebant, ſed divellenda ex Scaligeri judicio ſtatuit Theod. Gorallus.

Ejuſdem *Pedonis elegia* perquam elegans ad Liviam Auguſtam *de morte Druſi* Neronis, & *de navigatione Druſi Germanici* per Oceanum ſeptentrionalem, A. U. C. 769. CHRISTI 16. ſuſcepta fragmentum ex Senecæ Suaſoria I. Has Pedonis reliquias univerſas recenſuit, ac ſeorſim cum interpretatione notiſque & ſuis & Scaligeri ac Lindenbrogii, atque in Elegiam de morte Druſi annotationibus Nic. Heinſii, & utili indice edidit Theodorus Gorallus, ſive quem ſupra latere ſub hoc nomine dixi, vir doctiſſimus Jo. Clericus, Amſtelod. 1703. 8. In codicibus antiquis Ovidio tribui Elegiam de morte Druſi Nic. Heinſius affirmat, quod tamen ipſi nullo modo videtur veriſimile, licet nec Pedoni eam certo adſcribere velit. Recenſuit tamen illam atque illuſtravit in Ovidio ſuo. Confer T. 1. edit. Cnippingianæ p. 761. ſeq. Vide etiam Lipſium lib. III. Epiſt. quæſt. 3. ac de Pedone ipſo Gaddium T. 1. de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis pag. 253. In *Elegiam de morte Druſi*, haud indignam *Pedone*, commentarium ſuum memorat Barthius pag. 209. ad Claudianum. Janus Paſſeratius in præfationibus pag. 286. veterum editt. & quorundam Codicum fidei obſecutus conſolationem hanc ad Liviam *Ovidium* habere auctorem ſibi perſuaſit, & Senecam in ſuis ad Polybium, Martiam, Elbiamque ſive Helviam conſolationibus ex iſtoc poemate profeciſſe. De Pedone ipſo vide Nic. Fabrum ad Senecæ ſuaſoriam 1. De editione Goralli quæ Amſt. 1715. 8. recuſa eſt, Acta Erud. 1703. p. 494. & Bibl. ſelectam Joannis Clerici, qui ſub Goralli illius nomine latet, T. XIV. pag. 236.

DE AULO SABINO.

Extant Ovidii *Heroides* ſive *Epiſtolæ XXI. elegis verſibus*. 1. *Penelope Uliſſi*. 2. *Phyllis Demophoonti*. 3. Briſeis Achilli. 4. *Phædra Hippolyto*. 5. Oenone Paridi. 6. *Hypſipile Jaſoni*. 7. *Dido Æneæ*. 8. Hermione Oreſtæ. 9. Dejanira Herculi. 10. *Ariadne Theſeo*. 11. *Canace Macareo*. 12. Medea Jaſoni. 13. Laodamia Proteſilao. 14. Hypermneſtra Lynceo. 15. *Sappho Phaoni*. 16. Paris Helenæ. 17. Helena Paridi. 18. Leander Heroni. 19. Hero Leandro. 20. Acontius Cydippæ. 21. Cydippe Acontio. Hoc ſcribendi genus tenerum, ſolers, eruditum primus invenit Ovidius, atque ut ipſe ait III. artis amatoriæ v. 346.

Ignotum hoc aliis ille notavit opus.

Penelopes ad Ulyſſem, reliquaſque, quas ſimili charactere exprimi curavi, ipſe agnoſcit, lib. 2. Amorum elegia 181. Ex ceteris quædam forte Epiſtolæ auctorem habent *Aulum Sabinum*, quem eodem loco Naſo laudat, ſub cujus nomine tres Epiſtolas habemus Ovidianis reſpondentes & inter Ovidii poemata poſt edition. Venet. 1485. & Parmenſem 1489. ſæpius vulgatas. 1. *Ulyſſis ad Penelopen* (*l*). 2. *Demophoontis ad Phyllidem*. 3. *Paridis ad Oenonen*. Non me fugit Voſſium patrem in lib. de Poetis latinis eas Sabino indignas judicare. Sed malo ſententiæ aliorum virorum doctorum ſubſcribere, quibus genuinæ Sabini videntur: in his Nicolai Heinſii, qui etiam notis illuſtravit.

DE GRATIO.

Gratius patria Faliſcus [*m*] Poeta vix cuiquam veterum memoratus niſi uni Ovidio æquali ſuo, qui lib. IV. ex Ponto Epiſt. ult. eum laudat his verbis:

Aptaque venanti Gratius arma (*n*) *daret.*

Utrum Manilius quoque ad eum reſpexerit lib. II. v. 44. ut in notis ad hunc locum conjiciebat Joſephus Scaliger, vide ſis diſputantem Barthium LVII. 17. Adverſar. Certe Nemeſianus

(*l*) Hanc Epiſtolam e MSto, in quo ſine nomine auctoris Ovidianis adjuncta erat, recenſet & illuſtrat Euſtachius Swartius libro primo Analectorum capite undecimo.

(*m*) Gratius v. 40.

At contra noſtris imbellia lina Faliſcis,
Hiſpanique alio ſpectantur Sætabis uſu.

Ad nomen ſuum alludit v. 74. & 216.

(*n*) Gratius v. 23.

Carmine & arma dabo venanti, & perſequar artem
Armorum caſſeſque, plagarumque ordiar aſtus.

Ita enim potius videtur legendus hic locus, pro eo quod Ulitius edidit, *& arma dabo venandi.*

tus præter rem ſe gloriatur primum de venatione latinum poema condidiſſe, quod canit:

Caſtaliuſque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit, -- *ducitque per avia*, *qua ſola numquam*
Trita rotis --- --- ---

Exſtat ejus *Cynegeticon* ſive de Venatione carmen Epicum pure & eleganter ſcriptum, ſed extrema parte mutilum. Prodiit primum cum (*o*) Ovidii Halieutico, Nemeſiano & Calpurnio Venetiis apud Paulum Manutium 1534. 8. quæ editio manu Ulitii notata fuit apud Marquardum Gudium. Eodem anno eademque forma recuſum habeo Auguſtæ Vindelicorum. *Gorgio* autem *Logo* Sileſio Gratium, Ovidii Halieutica & Nemeſianum nos debere, ex præfixa illius ad Antonium Fuggerum Epiſtola apparet, qua edendos refert accepiſſe ſe illos Romæ a Joanne Lucretio Æſiandro Germano, qui illos deſcripſit e vetuſtiſſimo Codice, quem *Sannazarius* Longobardicis ſcriptum litteris e Gallia aliquando in Italiam ſecum attulerat. Ab eo tempore poſt editionem Lugdunenſem 1573. 8. Gratium cum Nemeſiano & Calpurnio notis illuſtratum ediderunt *P. Pithœus* inter poemata vetera Pariſ. 1590. 12. recuſa Genev. 1596. 8. *Robertus Titius* Florent. 1590. 4. *Caſpar Barthius* Hanov. 1613., & *Janus Ulitius* Archigrammateus Bredanus, Lugd. Bat. 1645. 12. qui poſtremus utinam Barthio non ita aſpere inſultaſſet, neque Matthæo Lago anſam dediſſet vindicias nominis Barthiani ſcribendi, in quibus notæ ac præfatio Ulitii ad examen revocantur, Lipſiæ 1659. 4. Ediderat etiam idem Ulitius in ſcriptores Venaticos diligenter a ſe recenſitos, neque indocte illuſtratos curas ſecundas circa A. 1655. excuſas. Gratium e latino Anglum fecit & cum eruditis notis edidit *Chriſtophorus Waſius*, (idem cujus ſenarius ſive liber de legibus & licentia veterum latinorum Poetarum (*p*) exſtat) Lond. 1654. 12. cujus metaphraſin laudat ejus diſcipulus Henricus Newton Epiſt. 53. ad Gisber. Cuperum. Denique Gratium & Nemeſianum ad MSS. Codices recenſuit, & cum variis lect. & notis perpetuis in lucem emiſit Thomas Johnſon. A. M. Lond. 1699. 8. *Gratius* (*q*) cum Nemeſiano, & Calpurnio recuſus Lugd. 1527. 8. apud Sebaſtianum Gryphium. Sed & Tigurinam illius anni a Froſchovero excuſam editionem laudat Barthius, qui juvenis admodum ſcriptoribus illis illuſtrandis animum applicuit. Janus Ulitius in præclaris ſuis curis ſecundis ad Gratium laudat præter Codicem Thuanæum ſchedas vetuſtiſſimi exemplaris Mediolanenſis. Ad nomen ſuum alludit Poeta verſ. 74.

Exige ſi qua meis reſpondet ab artibus ergo
Gratia, *quæ vires fallat collata ferinas*.

Et verſ. 216.

-- -- -- *quem plurima ſemper*
Gratia *per noſtros unum teſtabitur uſus*.

DE CORNELIO SEVERO.

Ætna, quod Poema *Cornelio Severo* tribuendum eſſe obſervavit Joſephus Scaliger ex hoc loco Senecæ Epiſt. LXXIX. ad Lucilium: *donec Ætnam deſcribas tuo carmine*, *&* *hunc ſolennem omnibus Poetis locum attingas*, *quem quo minus Ovidius* (Lib. XV. Metamorph.) *tractaret*, *nihil obſtitit*, *quod jam Virgilius* (lib. III. Æneid.) *impleverat*, *ne Severum quidem Cornelium uterque deterruit*. Quintiliano Varo adſcribit Julius Cæſar Scaliger Pater in Hipercritico pag. 786. Manilio Barthius pag. 1044. ad Claudianum & Statium X. Theb. pag. 911. Eidem plane in mentem venit Chriſtiano ſcriptori vindicare XLIX. 6. Adverſar. Jam olim eſſe de auctore dubitatum ſcribit Tiberius Donatus in Virgilii vita: *Poeticam puer adhuc auſpicatus in Baliſtam ludimagiſtrum ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus diſtichon fecit*. *Deinde Catalecton*, *&* *Priapeja*, *&* *Epigrammata & diras*, *item Cirim & Culicem*, *cum eſſet annorum XVI*. *Scripſit etiam de qua ambigitur Ætnam*. Fulvius Urſinus in Virgilio cum Græcis ſcriptoribus collato pag. 272. memorat Codicem manu Pomponii Læti ſcriptum, quo *Ætnæ* poema *Cornelio Severo* diſerte tribuitur. Præter rem tamen in Diario Veneto Tom. X. pag. 266. traditur illud excuſum eſſe jam ſub Galli, jam ſub Manilii nomine. Theodori Goral-

(*o*) Halieuticon hoc quoque Gratio tribuit Ulitius, ſed perperam omnino, ut e Plinio annotavi.

(*p*) Oxonii 1687. 4. e theatro Sheldoniano.

(*q*) Gratium cum Nemeſiano comparat Julius Cæſar Scaliger VI. 7. Poetices.

Goralli ſive Jo. Clerici editio recuſa Amſtel. 1715. 8. Valde corruptum hoc carmen ad nos perveniſſe queritur Petrus Burmannus V. Cl. (r) qui illud in editione quam parat Catalecton ac poematum Veterum, quamque avide harum literarum ſtudioſi mecum expectant, nova atque inſigni luce perfundet. De Severo videndus Nic. Faber ad Suaſoriam ſecundam Senecæ. Quintilianus X. 1. magno ingenio & facili in verſibus ſcribendis eum fuiſſe profeſſus, addit morte præmatura impeditum non potuiſſe quæ inchoaverat conſummare. Ovidius IV. 16. e Ponto. *Quique dedit Latio carmen regale Severus.*

Cornelii Severi carmen ſive fragmentum *in necem M. Tullii Ciceronis*, ex M. Annæi Senecæ Suaſoria VII. Hoc & ſuperius Severi carmen cum perſpicua interpretatione & eruditis notis Scaligeri, Lindenbrogii, ſuiſque, & indice ſeparatim edidit, & alia quædam Severi fragmenta, Petri item Bembi Ætnam proſa latina ſcriptam adjunxit Theodorus Gorallus, ſive qui hoc ſub nomine latet Jo. Clericus V. C. Amſtelodami 1702. 8.

DE M. MANILIO.

M. (ſ) MANILIUS, gente Romanus, non diverſus forte a Manlio Mathematico, quem Plinius lib. 36. c. 10. ait auratam pilam apici obeliſci addidiſſe in campo Martio ad deprehendendas ſolis umbras inſtituti ab Imp. Auguſto. Scripſit Romæ poſt Varianam cladem ad eumdem Auguſtum Epico carminis genere *Aſtronomicon*, Poema eruditum & jucundum pluribus (t) ut videtur libris, ſed quorum quinque tantum, neque quintus integer ad nos pervenit. Gerbertus ſive Silveſter II. Papa Epiſt. 130. *Noſti quanto ſtudio librorum exemplaria undique conquiram, noſti quot ſcriptores in urbibus aut in agris Italiæ paſſim habeantur. Age ergo & te ſolo conſcio ex tuis ſumtibus fac, ut mihi ſcribantur M. Manilius de Aſtrologia, Victorinus de Rhetorica, & Demoſthenes Ophthalmicus.* Cum Gevartio ad Statii Silvas lib. 3. cap. 8. pag. 186. aliiſque Manilium perperam ad Theodoſiana tempora retulit Voſſius lib. 3. de Analogia ſ. 300. edit. novæ: qui tamen ipſe rectius ſentit alibi, ut lib. de poetis latinis, & de ſcientiis Mathematicis. Rectius etiam Triſtanus, qui ad Auguſti ætatem refert Tom. 1. Imperator. pag. 71. ſeq. & 113. -- 119. Barthius ad Claudian. p. 112. ſeq. Crenius animadverſ. parte 12. cap. 1. &c.

(r) Libro *le Gazettier menteur* pag. 212.

(ſ) Sunt qui MSti auctoritate, quod ab Antonio Panormita accepit Bonincontrius, nummorumque, in quibus C. Manilii effigies habitu peregrino cum ſphæra Aſtronomica cernitur, Manilium prænomine Cajum appellant, non Marcum. Sed vide Scal. ſub initium notarum, & Barthium p. 112. ad Claudian. ubi obſervat Marcum Manilium de Aſtrologia etiam appellari a Gerberto Epiſt. 130. Porro diverſus eſt ab hoc Manilio T. Manilius ſenator, Syllanis temporibus, quem diligentiſſimum togatorum vocat Plinius lib. 10. c. 11. & laudat Cicero Orat. pro Roſcio, Varro lib. 4. de lingua lat. Arnobius lib. 3. Vide Voſſium p. 40. de Hiſt. latinis. Hic Marcus Manilius perperam dicitur a Glandorpio p. 567. Onomaſtici, a P. Victorio Mamilius. Confer Tho. Crenium in limine partis XII. animadverſionum philolog. Eadem quoque Syllæ tempora Manlius Antiochenus attigiſſe videtur, quem Aſtrologiæ conditorem vocat, & cum Plinio mimographo conſobrino ſuo, & Staberio Erote Grammatico eadem navi vectam refert idem Plinius lib. 35. c. 17. quare & hic diverſus a noſtro Manilio, qui ſcripſit poſtremis annis Auguſti Imp. Licet Blancanus in Chronologia Mathematicorum utrumque confundens, noſtrum vocat C. Manilium Antiochenum Aſtrologum, qui primus latinis carminibus quamvis Græcus Aſtronomica cecinerit. Manilium Antiochenum Plinio 35. 17. memoratum cum Manilio poeta confundit Ricciolus in Almageſto. Sed hic non minus ab eo diverſus eſt quam T. Manilius Senator Syllanis temporibus Anno U. C. 656. P. Licinio & Cn. Cornelio COSS. quem diligentiſſimum togatorum vocat, & maximis nobilem doctrinis doctore nullo fuiſſe teſtatur idem Plinius X. 2. Hiſt. Andreas Schottus Manilium appellat indice ſcriptorum a Plinio laudatorum. Alius etiam Manilius Colinus in veteri marmore Patavino apud Urſatum lib. 1. ſect. V. & Camillum Silveſtrum p. 352. ad Juvenalem, a quo Manilia memoratur VI. 242. Fuit & Manilius Chreſtus, quem de Deorum hymnis laudat Fulgentius in *injuges boves*.

[t] Scaliger ad librum V. pag. 348. notat periiſſe librum ſecundum ſphæræ Barbaricæ & ſuffragia Planetarum, h. e. librum ſextum & ſeptimum. Sane de occaſu ſiderum & de planetarum viribus dicturum ſe plus ſimplici vice recipit. Eidem Scaligero in præf. Manilius eſt *Poeta ingenioſiſſimus, nitidiſſimus ſcriptor, qui obſcuras res tam luculento ſermone, materiam moroſiſſimam tam jucundo charactere exornare potuerit, Ovidio ſuavitate par, majeſtate ſuperior. Inprimis omnia ejus proœmia & παρεκβάσεις extra omnem aleam poſita ſunt. Nihil illis divinius, copioſius, gravius & jucundius dici poteſt. Audiamus itaque olorem canentem.* Alibi affirmat Matheſeos non valde conſultum fuiſſe, quod de Arato quoque notatum eſt & Firmico. Fati Aſtrologici aſſertor ſtrenuus fuit Manilius, ita ut etiam fato ſe exiſtimarit impulſum ad hoc componendum poema. *Hoc quoque fatale eſt, ſic ipſum expendere fatum* IV. 118.

Cornelium Severum Manilii imitatorem fuiſſe notat Theodorus Gorallus ſive Jo. Clericus ad Ætnam pag. 90. 91.

Primus Manilium circa A. 1416. reperit Poggius, [*u*] quo jam anno 1459. Florentiæ 30. Octobr. æt. 78. defuncto, lucem demum viderunt Manilii Aſtronomica Bononiæ A. 1474. fol. Deinde Laurentius Bonincontrius Miniatenſis commentarium etiam qualemcumque addidit Florent. 1484. De *Bonincontrii* in Manilium commentario Scaliger ad lib. V. pag. 406. *Quibus Bonincontrius in Manilium poteſt ſatisfacere, illis ego numquam mirabor noſtra diſplicere: quia ab illis neque confeſſionem ab ingenuitate, neque ſenſum literarum a genio eorum exigimus.* Ab eo tempore prodiit Manilius Norimb. ex officina Jo. de Regiomonte ſine anni nota in 4. & apud Aldum 1492. fol. quæ editio collata cum Codice Gemblacenſi fuit in Bibl. Jo. Mori Epiſcopi Elienſis, & in Germania cum Firmico fol. Baſil. 1551. tum Lugduni forma minore A. 1566. Quæ editio lucem vidit apud Jo. Tornæsium, ac debetur *Antonio Molinio* Matiſconenſi, qui ex antiquo Codice Manilium emendaſſe ſe profitetur. Poſtea una cum Joſephi Scaligeri notis, qui primus præ ceteris inſigniter de hoc Poeta meritus eſt Pariſ. 1579. 8. & ap. Commelinum 1590. 8. cum variantibus Lectionibus, notatiſque Franciſci Junii, qui multa itidem præclare obſervavit, *quod cum Scaliger in ſuis in Manilium diſſimulavit, candorem in eo requiro*, inquit Voſſius Epiſt. ad Grotium pag. 24. Editio Commeliniana A. 1590. 8. collata cum MS. Collegii Corporis Chriſti Oxon. fuit apud clariſſ. Virum Jacobum Perizonium, qui eam legavit Bibl. Leidenſi. Cum ſecundis Scaligeri curis Manilius iterum recuſus Lugd. Bat. 1600. 4. cum iiſdem Scaligeri notis ex auctoris MS. tertium auctis & emendatis, adjectiſque etiam Thomæ Reineſii & Iſmaelis Bullialdi ad quædam loca animadverſionibus cura Jo. Henr. Boecleri Argentorat. 1655. 4. Denique in uſum Delphini cum paraphraſi & notis Mich. Fayi & Obſervationibus illuſtris viri Petri Danielis Huetii adjectis imaginibus ære deſcriptis, omniumque vocabulorum indice Pariſ. 1679. 4. Prodiit etiam hic ſcriptor ex officina Sebaſtiani Cramoiſii, Typographi Regii Pariſ. ut ex ejus Catalogo pag. 69. didici. Audio præterea exſtare Sphæram Manilianam Anglico carmine redditam & obſervationibus illuſtratam a Nobiliſſimo viro Eduardo Scherburne. Non alio opere magis ſe jactavit magnus *Scaliger*, quam notis in Manilium, nec in alio ſæpius eſt hallucinatus, judice Huetio, quem vide lib. V. commentariorum de rebus ad ſe pertinentibus pag. 291. Credas notas illas a primo ætatis fervore extruſas, adeo ſcatent caſtigationum facilitate, ut monet Jo. Conradus Dietericus in vita Auguſti Imp. pag. 9. Trajectiones in Manilio & aliis ſcriptoribus antiquis ſine neceſſitate hariolantem perſtringit Salmaſius ad jus Atticum pag. 408. qui ſæpius etiam ab Scaligeri ſententia in interpretando Manilio diſceſſionem facit commentario ad Solinum & libro de annis climactericis. Non raro præterea Scaligerum reprehendit Huetius in ſuis ad Manilium notis pridem editis, quem novas etiam notas & varias lectiones Codici ſuo adſcripſiſſe teſtantur Jeſuitæ Pariſienſes in Memoriis Trevoltinis 1709. menſe Auguſto pag. 1426. Ex iiſdem didici Manilium laudato Huetio videri patria Chartaginenſem. *Scaligeri Manilium Rex Gallorum grate accepit*, inquit in Epiſtola quadam Andreas Schottus, *& annuam penſionem bis mille francorum dedit. Bene res habet* &c. Commentarios in Manilium ſuos memorat *Jo. Crojus* Obſervatt. in Nov. Teſt. cap. 35. p. 273. ſed necdum in lucem prodierunt, uti nec *Gevartiani*, de quibus vide Colomeſii Opuſcula pag. 101. nec quos ab præſtantiſſimo *Bentlejo*, vel noviſſime a clariſſ. *Ruggero Coteſio* juſſi ſumus expectare. Varias Lectiones ex Codice MS. Lipſienſis Paulinæ Bibliothecæ diligenter excerptas ad celeberrimum Bentlejum ante multos annos miſit Nobiliſs. Vir Jo. Fridericus Fellerus: Lectiones libri primi ipſe ſervo adnotatas ad margines editionis Argentoratenſis. Capitum argumenta e MS. edidit Barthius X. 26. Adverſar.

MStum Manilii antiquiſſimum membranaceum vidi Lipſiæ in Bibl. Paulina, ubique fere exhibens lectiones, quas ex Gemblacenſi codice paſſim laudat Scaliger, etſi illud oculis numquam uſurpavit, ſed tantum uſus eſt variis Lect. quas ex eo deſcriptas acceperat. Novam editionem Manilii meditatus pridem eſt apud Anglos

(*u*) Vide elegantiſſimum & eruditiſs. Virum Jo. Baptiſtam Recanatum in Poggii Vita p. X. & Poggiana a viro itidem eruditiſſimo Jacobo Lenfant edita Gallice p. 22. nec non Michaelis Maittaire Annales typographicos pag. 108. qui pag. 176. Manilium cum Bonincontrii commentariis ſcribit prodiiſſe Romæ 1484. fol.

Anglos vir doctiſſimus Rich. Bentlei. Anglicæ Thomæ Creech Metaphraſi fata, triſtia fata interceſſerunt. Loca quædam hujus Poetæ feliciter caſtigavit Salmaſius ad Solin. & de annis Climactericis II. Voſſius ad Catullum: Nonnulla etiam Gevartius in electis, Barthius in Adverſar. &c. Idem Salmaſius affert verſus quoſdam ex apoteleſmaticis *Dorothei Sidonii* Græci Poetæ, quem in ſuis Aſtrologicis ſecutus eſſe fertur Manilius. Legiſſe etiam videtur & in quibuſdam verbotenus pene reddidiſſe *Manethonem*, de cujus Apoteleſmaticis dixi lib. II. I. Bibl. Græcæ c. 20. Firmicus autem latinus ſcriptor non creditur Manilium oculis uſurpaſſe, quod pluribus ſe argumentis docere poſſe ait Salmaſius p. 587. de annis Climactericis, etſi Scaliger contendit multis in locis ipſiſſima verba Manilii exſcripſiſſe. Vide inprimis notas ad librum Poetæ quintum p. 348. & Reineſii Epiſtolas ad Boſium p. 176. ubi non dubitat librum octavum Firmici e quinto Manilii eſſe compilatum, uti alii caput tertium libri primi Firmicum contendunt petiiſſe e Manilii proœmio libri IV. Saltem non per omnia Manilium ſecutum, neque ubi eum ſecutus videri poſſit, in Manilii verba juraſſe, probe obſervat Huetius in notis ad Manil. p. 65. & 68. Et licet multos Græcos laudat Firmicus, innuit tamen excepto Figulo neminem ſe noſſe ex latinis, qui apoteleſmaticen litteris prodiderit. Multo minus autem Firmicum Manilius carmine expreſſit, quod Voſſio Patri aliquando in mentem venit lib. 2. de arte Grammatica c. 26. quodque ipſe retractat libro de Poetis latinis. Nam profecto falluntur, qui Manilium Conſtantini M. ætate tradunt vixiſſe, ut ab eruditis neſcio quibus fieri ſcribit Harduinus ad Plin. vel qui ad Theodoſiana tempora referunt cum Gaſpare Gevartio ad Statii Silvas lib. 3. c. 8. pag. 186. atque Jacobo Gothofredo notis ad veterem expoſitionem mundi p. 25. Paganinoque Gaudentio in diſp. Hetruſco ſermone conſcripta, qua Poetarum a Platone e rep. ejectorum cauſam agit.

IV. Anſa erroris doctiſſimis viris fuit, quod præeunte Gevartio Manilium eumdem eſſe conjicerent cum Manlio Theodoro, quem a ſiderali ſcientia celebrat Claudianus. At quæ Manlius iſte de aſtris ſcripta reliquit, non carmine ſed ſoluto ſermone exarata ſunt, ut ex ipſis Claudiani verbis licet colligere, qui in Panegyrico Manlii v. 251. ipſius *ſermonis mella politi* præfert blandis Orphei cantibus. Clariſſime autem apparet ex Salmaſii præfatione ad Ampelium, in qua de Manlii libro hæc habet: *Non diſſimile genio quo Ampelius etſi diſſimili argumento ſcriptus Theodori Manlii liber* (a) *de rerum natura cauſiſque naturalibus, de aſtris & aliis ejuſmodi qui adhuc in Bibliothecis extat manu exaratus & pedeſtri ſermone compoſitus. Is eſt Theodorus Manlius, cujus conſulatum* (b) *celebravit carmine Claudianus, ut & opus ipſum. Inde occaſionem arripuit vir quidam doctiſſimus tranſcribere illud Manilii, ſive Manlius ſit, cujus hodie Aſtronomicon habemus, ut idem ſit Manlius ille Claudiano laudatus. Nos alibi pluribus pugnavimus rationibus & quidem invictiſſimis, non poſſe, cum tot argumenta ſint, quibus probari poſſit eum Manilium vixiſſe ſub Auguſto.* Hæc Salmaſius dicta præfatione, quibus adde Huetium ad Manil. p. 84. ſeq. Ruperti Epiſtolas ad Reineſ. pag. 660. ſeq. & Albertum Rubenium in diſſertatione de vita Fl. Manlii Theodori, quam a præſtantiſſimo Bentlejo, qui illam a Nobiliſſ. Eduardo Sherburno curandam acceperat, tranſmiſſam Cl. Grævius non ita pridem Ultrajecti in lucem emiſit p. 27. & Jo. Clericum V. C. T. 2. Bibl. ſelectæ p. 240. Idem Bentlejus in litteris ad J. G. 4. Jul. 1692. *Eſt apud nos* Eduardus Shernburnus *eques auratus, qui librum primum Manilii Anglice vertit, & commentario doctiſſimo auxit. Is abhinc annis aliquot apparatum* Gaſp. Gevartii *ad Manilium ab ejus hærede emit Antvverpiæ, mihique non ita pridem, quem novam ejus ſcriptoris editionem parare inaudiverat, ſchedas Gevartianas perlegendi copiam fecit. Comperi autem Virum Clariſſimum omnem operam in eo poſuiſſe, non qui Manilii textûm corrigeret, vel illuſtraret, ſed qui infelicem ſuam* [*mea quidem ſententia*] *conjecturam de Theodoro Mallio Cos. quem Aſtronomici auctorem eſſe voluit, adverſus Barthios & Salmaſios & Triſtanos* (c) *& Poſſinos defenderet. Nihil tamen in medium profert, quod momenti habeat quidquam ad opinionem ſuam ſtabiliendam, præterquam quæ dudum in lucem ediderat in Pampinianis & Variis Lectionibus.*

 Ita-

(a) Hujus libri editionem quondam molitus fuit vir doctus Phil. Jacobus Mauſſacus.

(b) Bis conſul fuit Manlius ſive Mallius iſte A. C. 399. & 405. Priorem conſulatum Claudianus celebrat.

(c) Triſtan. T. 1. Imperator. p. 113. 119.

Itaque cum toties repetita crambe mihi faſtidium moveret, mirifice tamen recreatus ſum aureolis duabus Epiſtolis, quæ in iſto chartarum faſce latitabant, quæque celeberrimum Grævii nomen ferebant inſcriptum. Illud vero me perculiſſe fateor, quod ad Gevarti (*d*) *ſententiam de ætate Manilii videris accedere.*

DE CÆSARE GERMANICO.

Germanici ætas. 1. *Ejus metaphraſis Arati.* 2. *Editiones & antiquus in illam qui fertur ſcholiaſtes.* 3. *Epigrammata Germanico tributa, & ſcripta deperdita.* 4.

CÆſar Germanicus, Auguſti Imp. Nepos, Druſi F. præter alias virtutes, quæ Imperium (*e*) illi, ni ſæpius recuſaſſet, conciliare potuiſſent, ingenium in utroque eloquentiæ (*f*) genere excellens nactus, veneno periit Antiochiæ, quod licet omnia alia præ ſe ferens Tiberius (*g*) qui ex Auguſti voluntate adoptaverat, juſſit illi præberi a Cn. Piſone A. U. C. 772. ætatis 35. Chriſti 19.

II. Extant (*h*) *Aratea Phænomena* latinis verſibus Hexametris non infeliciter etſi liberius paulo expreſſa ad Auguſtum Imperatorem jam ſenem.

Dioſemeion ſive prognoſticorum fragmentum; at quæ non tam ex Arateis petita Dioſemeiis quam ex aliis Græcis Aſtrologis depromta videntur, & ſingulorum ſiderum in quovis dodecatemorio apoteleſmata exponebant.

Equidem Poemata hæc non Germanici Cæſaris, cui Ovidius ingenioſi vatis laudem tribuit Faſtoſque dicavit, ſed *Domitiani* Imp. eſſe, quem Germanici (*i*) nomen velut a victa gente adſciviſſe conſtat, vix dubitant Gerh. Jo. Voſſius de ſcientiis Mathematicis p. 169. de Poetis latinis p. 48. & Janus Rutgerſius lib. 2. c. 9. Var. Lect. quem liquido hoc oſtendiſſe ait Colomeſius ad Gyraldum p. 271. ac demum Nic. Heinſius ad Val. Flaccum pag. 165. Sed non inficiandis argumentis Auguſti nepoti vindicantur a Gaſp. Barthio lib. 10. c. 21. Adverſar.

III. Prodierunt Bononiæ A. 1474. quam editionem innuebat idem Barthius cum Bononienſes Membranas allegaret lib. 47. cap. 18. Inde Venetiis ex Aldi officina, & plus vice ſimplici Baſileæ, & Pariſiis 1559. 4. ap. Guil. Morellum, cum caſtigationibus. Etiam cum Proclo, Leontii ſphæra, Arato ipſo, Metaphraſeos a Cicerone compoſitæ reliquiis, Rufi Feſti Avieni Metaphraſi, & *antiquo* qui vulgo appellatur Germanici *Scholiaſte* (*k*) in Sicilia reperto,

---

(*d*) Alienum ſe a Gevartii ſententia eſſe innuit Grævius in Epiſtola ad Bentlejum vitæ Manilii præmiſſa.

(*e*) Vide Dionem lib. 57. pag. 604. ſeq. & 615. Svetonium in Cajo Caligula c. 3. ſeq.

(*f*) De Poetica Germanici facultate Ovidius I. Faſtor. v. 13.

Scimus & ad noſtras cum ſe tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.
Scilicet & fas eſt. vates rege vatis habenas.

Idem IV. 8. e Ponto v. 67.

Non potes officium vatis contemnere vates,
Judicio pretium res habet iſta tuo.
Quod niſi Te nomen tantum ad majora vocaſſet,
Gloria Pieridum ſumma futurus eras.

(*g*) Tacitus III. Annal. 14.

(*h*) Etiam C. Julium Cæſarem Dictatorem præter libros de ortu & occaſu ſiderum Arati poema latino carmine reddidiſſe Autor eſt Julius Firmicus lib. 2. procem. & lib. 8. cap. 5. Priſcianus & Svidas: Sed forte Germanicum Cæſarem confuderunt cum Julio. Ceterum Metaphraſeos Germanici meminit etiam S. Hieronymus ad T. 1. *In phænomenis Arati legitur quem Cicero in latinum ſermonem tranſtulit, & Germanicus Cæſar, & nuper Avienus & multi, quos enumerare perlongum eſt.* Ante Hieronymum Lactantius V. 5. *Ut Germanicus Cæſar in Arateo loquitur carmine.* Cæſarem in Arato laudat plus ſimplici vice etiam Priſcianus, verſiculos noſtri repetens.

(*i*) Vide quæ viri docti ad Martial. VIII. 65. ad Svetonii Domitianum cap. 13. Barthium ad Statium T. 1. p. 352. Silium lib. 3. 607. *At tu tranſcendens Germanice facta tuorum.*

(*k*) Aldus edidit hoc titulo: *Fragmenta Arati phænomenon per Germanicum in latinum verſi cum commento in Sicilia reperto.* Proprie vero hoc quod vocat commentum non eſt commentarius in Arati Metaphraſin, unde H. Grotius illud tamquam alienum in Arateis ſuis prætermiſit: Sed ut Jo. Fellus Oxonienſis Epiſcopus in ſua Eratoſthenis editione pulchre obſervavit, *latina verſio cataſteriſmorum Eratoſthenis*, additis quibuſdam excerptis e *Nigidii Figuli* ſphæra Græcanica, & recentioribus quibuſdam e Plinio, Fulgentio Planciade, & Iſidoro de natura rerum aſſumens. Perſuaſit ſibi nempe Fellus commentarium iſtum (quidquid Scaliger aliique viri docti aliter ſenſerint) Germanici ipſius eſſe (quod & Politiano c. 38. Miſc. & Barthio pridem viſum) ab eoque non Aratum modo ſed & Eratoſthenem translatum eſſe latine. Neque hanc ſententiam tantum conjecturis niti, quod in veteri MS. exemplari, quod olim in Sicilia traditur repertum, nec non altero veteri exemplo Collegii

Eto-

perto, quem Aldus & Guil. Morellus ante ediderant, lucem adſpexerunt A. 1589. 8. ex officina Sanct. Andreana. Denique elegantiſſime ſed ſcholiaſte illo antiquo omiſſo in Syntagmate Arateorum, quod Joſ. Scaligeri ductu adornavit notiſque illuſtravit Hugo Grotius tum admodum adoleſcens Lugd. Bat. 1600. 4. In hac editione præter verſus aliquos hactenus ineditos Dioſemeion ex veteri MSto codice (*l*) literis Romanis capitalibus exarato, quem a Jac. Suſio Grotius acceperat, quique poſtea in Bibliothecam Iſ. Voſſii pervenit, acceſſerunt formis æneis expreſſæ imagines XLIV. ſignorum cæleſtium, etſi toto cælo eas ſæpius aberrare ipſe, qui vulgandas curavit, Grotius non diffitetur. Has imagines ab inſigni artifice Jacobo de Geyneri luculenter inciſas ſeorſim poſtea luci expoſuiſſe comperi Joh. Janſonium Amſt. 1621. fol. Eaſdem minoribus formis expreſſas in Mythographis ſuis exhibuit, & Poeticon Aſtronomicon Hyginianum exornare juſſit Tho. Munckerus, ibid. 1681. 8. Germanici Aratea cum integris Hugonis Grotii notis, ſuiſque & variorum animadverſionibus, & una cum Epigrammatis Græcis & Latinis Germanico Druſi F. tributis, carminibuſque ſive fragmentis carminum perpaucis Julii Cæſaris Auguſti, & Neronis vulgavit vir egregius *Jo. Conradus Julius Schvvartz*, (*m*) Coburgi 1715. 8. additæ explicatione nummorum, miſcellaneorumque Theologicorum appendice. Non ingratam opinor rem feciſſet eruditis, ſi Germanico veterem etiam quem vocant ſcholiaſtem recenſitum a ſe emendatumque adjunxiſſet. Epigramma in Thracem puerum illuſtrat Angelus Decembrius lib. VI. de politia literaria c. 69. *Scholiaſtes* quem vulgo vocant Germanici, ipſe ille qui Metaphraſin Arati condidit, Germanicus eſt, ſi Barthio credimus T. 1. ad Statium pag. 465. & ad Claudianum p. 123. ubi eum in Grotii Arato prætermiſſum dolet. Aliud videtur Hadriano Junio, quem vide lib. VI. cap. 20. animadverſionum. Sane Barthius ipſe alibi obſervavit verſus, qui ſine nomine p. 143. a ſcholiaſte Germanici afferuntur, eſſe Prudentii, tot ſæculis Germanico junioris. Nonnulla etiam cum iis, quæ ſcholiaſtes Germanici habet pag. 141. 143. eadem leguntur in mythologicis Fulgentii ut lib. 1. pag. 780. & lib. 2. pag. 822. nec non apud Plinium XVIII. 26. Fulvius Urſinus p. 114. Virgilii cum Græcis ſcriptoribus collati, ſcriptorem commentarii illius *Calpurnium Baſſum* vocat. Nonnulla ejus loca tentat aut illuſtrat Meurſius Critici Arnobiani IV. 3.

IV. *Epigrammata* quædam ſub Germanici nomine occurrunt in appendice Virgilii & inter Poemata vetera collecta a P. Pithœo, ut Græca in præſenti prætercam, quæ leguntur in Anthologia Epigrammatum Græcorum. Oravit cauſas Germanicus, etiam triumphalis, atque inter cætera ſtudiorum monumenta reliquerat & Comœdias Græcas teſte Sveton. Calig. cap. III. Sed horum omnium nihil quidquam ad nos pervenit.

DE PHÆDRO FABUL. SCRIPTORE.

Phædri ætas & fabularum libri 1. *Falli eos qui Phædri has eſſe negant.* 2. *De Perotto & Faerno qui ante Pithœi editionem fabulis Phædri dicuntur uſi fuiſſe, ibid. Editiones.* 3. *Obiter de Anonymo latino fabularum ſcriptore & Laur. Abſtemio, ibid. Fabulæ Phædri e Gudiano primum Codice prolatæ in lucem.* 4.

T. Phædrus (*n*) Thrax, Auguſti Imperatoris libertus, ſub Tiberio Imperatore, atque

Etonenſis Regii utrique ſimul compareant, aut quod reſtrictior ſtellarum in ſingulis aſteriſmis numerus ævum profitetur ſaltem Claudio Ptolemæo antiquius: ſed Lactantium Firmianum hoc ſtatuere affirmat lib. I. cap. XI. ubi Cæſaris Aratum laudans illa ipſa refert verba, quæ in commentario iſto pariter & in Græco Eratoſthene reperiuntur. M. Antonio Delrioni auctor commentarii præſentis, vocatur *Calpurnius Baſſus*, aliis *Cæſius Baſſus* incerta plane conjectura. Thomas Munckerus in diſſertatione de auctore Mythologiæ, quæ ſub Hygini nomine ambulat, refert ſe in pervetuſtis Puteaneæ Bibliothecæ membranis Arateorum Germanici ſcholiaſten deprehendiſſe latinum ab edito ſatis diverſum, ſed cum jam deſcribendum eum ſibi propoſuiſſet, deprehendiſſe paulo poſt, eſſe Græca in Aratum ſcholia latinitate donata. Idem Vir Clariſſ. loca complura ſcholiaſtæ quem vocant Germanici ſanavit non infeliciter in notis ad Mythographos latinos. Indicem auctorum in hoc commentario allegatorum dedi in Bibliotheca Græca lib. III. cap. 18.

(*l*) Mentio hujus Codicis apud Joſeph. Scaligerum Epiſt. 25.

(*m*) Acta Eruditor. 1715. pag. 397. Journal des Savans 1717. Auguſt. p. 223.

(*n*) Marquardus Gudius malebat *Phæder*, licet non latebat virum doctiſſ. quod veteres etiam dixere *Teucrus*,

atque ipſo fortaſſis jam defuncto (*o*) verſibus ſenariis ſuaviſſimis expreſſit.

Libros quinque fabularum (*p*) *Æſopiarum*, quorum quatuor priores Eutycho (*q*) poſtremum Phileto Urſo Particuloni inſcripſit, non vane illi ominatus chartis nomen victurum ſuis, latinis dum manebit pretium litteris. Quamquam inter veteres vix quiſquam Phædri meminit præter Martialem III. 20. & Avienum præfat. ad ſuas fabulas. Vincentius Gravina V. C. lib. I. de ratione poetica pag. 92. *picciol ritratto di Terenzio ſon le favole di Fedro per la purità, ſemplicità, e grazia*. *Phædrus* dicas, an quod Gudio magis placet, *Phæder*, circum non interdum: uſus tamen & aurium convicium magis fert, ut Phædrus dicatur: neque id veterum conſuetudini adverſum, ſicut *Periandrus* apud ſcholiaſtem Germanici p. 114. & apud Propertium *docte Menandre*, & *Menandrus* apud Philaſtrium c. 30. ne afferam alia notata Iſaaco Verburgio ad Ovidii 2. Triſt. 369. De aliis Phædris & illo Platonis & altero Athenienſi Epicureo dixi lib. 3. Bibl. Græcæ c. 1. §. 12. & cap. 33. pag. 814. De Thoma Phædro, recentiore ſcriptore, Bælius in Lexico. Thracem fuiſſe Phædrum negat Deniſeus (*r*) qui Gallicis verſibus ejus fabulas reddidit: ſed negat ſine cauſſa, nam Phædrus ipſe diſerte ſcribit in Pierio ſe natum jugo eſſe, & turpe ducit Threiſſæ gentis patriæ decus inerti ſomno deſerere, cum auctores illa numeret Apolline & Muſa parentibus editos, Linum atque Orpheum. Pro Thrace in antiquis inſcriptionibus, & Codicibus quandoque occurrit *Thres*, veluti *Threx* Θρῆξ, ut apud Gruterum p. 955. 4. nec minus *Thræx*. Vide Burmannum ad Petronium pag. 225. Uſu tamen & aurium conſuetudine Thrax magis probatur. Phædrum autem inter captivos Romam fuiſſe adductum (*ſ*) tunc, cum Thraces magno prælio fuſi eſſent, de quibus Sveton. c. 3. Auguſt. non eſt opido veriſimile, quoniam inter Caligulæ imperium & illud tempus, quo non Auguſtus, ſed ante ejus principatum Octavius Auguſti pater Thraces fudit, intercedunt plus quam ſeptuaginta annni. Per hydrum a Phædro notari Cajum Caligulam, de quo Tiberius apud Sveton. c. XI. Calig. prædicavit *ſenatricem populo Romano*, *Phaetontem orbi terrarum educare*, Gudio & Triſtano (*t*) adſentitur idem Burmannus ad Petron. p. 384. Apud hunc Caligulam gratioſus fuit Eutychus, cui libellos ſuos Phædrus inſcripſit, ut notavit etiam Chriſtianus Waſe libro de ſenario p. 32. Nic. Perottum videtur auctorem fabularum Phædri facere Petrus Scriverius. Certe ſcriptori antiquo Tiberiani ævi illas prorſus eripit & abjudicat ad Martialis III. 20. ac Perottum ſane ſi audimus, [*u*] is cum teſtatus eſſet ſe adoleſcentem ex Avieno fabulas jambico carmine tranſtuliſſe, mox iiſdem verbis deinde recitat integram fabulam, qualis de arboribus in Deorum tutela apud Phædrum III. 17. legitur, niſi quod rectius in Phædri hodie extat Codice *pinus Cybelæ*, quam quod Perottus: *pinus Neptuno*, & Faernus: *Pinum humidi tridentifer rector ſali*. Cæterum nec fabulæ cæteræ Perotti editæ uſquam ſunt: neque in Avieno fabula illius argumenti reperitur, quam carmine exprimere Perottus potuerit. Igitur Barthius

---

crus, *Iſtrus*, *Evandrus* & ſexcenta talia, quæ vide ſis apud Claud. Dauſquium T. 1. Ortographiæ pag 72. Tho. Munckerum diſſ. de Hygino p. 31. & Jac. Gronovium pag. 59. ad Arrian. Idem Gudius pag. 257. malit ſcribere *Threx* quam *Thrax*, quod tamen uſus & Græcorum Θραξ mihi ſuaſerunt retinendum eſſe.

(*o*) Ita viſum Rigaltio, & Gudio, qui fab. 2. libri 1. per hydrum putant ferum Caligulæ ingenium denotari.

(*p*) Æſopias vocat non Æſopi, quia ipſe materiam quarumdam reperit. *Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis*, ut ait limine libri V. At mirantur viri docti, quod Æſopios logos intentatum Romanis ingeniis opus vocat Seneca c. 27. conſolat. ad Polybium. *Non audeo te uſque eo producere, ut fabellas quoque, & Æſopios logos intentatum Romanis ingeniis opus ſolita tibi venuſtate connectas*. Num igitur Phædrus Senecæ ignotus erat, aut noluit ille Thracem, ut Lipſio videbatur, ingeniis Romanis annumerare? Vel quæ Bælii eſt conjectura, Phædri libelli adhuc verſabantur in manibus paucorum dumtaxat privatorum, vel certe illorum Seneca cum ſcriberet haud meminit. Poteſt etiam aliter ad illum locum reſponderi. Nam cum trigeſimum caput ejuſdem libri Senecæ conſulo, video eum loqui de Æſopiis logis non verſu latino, ut Phædrus fecerat, ſed latina proſa digerendis, atque, ut ipſe loquitur, connectendis.

(*q*) De hoc Eutycho, qui apud Caligulam Imp. gratioſus fuit, mentio apud Joſephum XIX. 3. Antiq.

(*r*) Memoires de Trevoux 1708. p. 790.

(*ſ*) Placet hoc viro erudito, M. Gabrieli Schumanno, qui diſſertationem de vita & ſcriptis Phædri Germanice edidit in nova acerra Philologica Hallenſi 1715. 8. pag. 170. 171.

(*t*) Hiſtoria Imperatorum e numinis, Gallice expoſita T. 2. p. 303.

(*u*) In Cornu Copiæ pag. 999. Confer Leonhardi Nicodemi additiones ad Bibl. Neapolitanam Nic. Toppi p. 184. & Bernh. Monetam ad Menagiana Tom. IV. p. 118. ſeq.

thius lib. XXXV. Adverſar. c. 35. & p. 827. ad Claudian. Phædrum *citra omnem exceptionem Tiberiani ſcriptorem ævi* profeſſus, Scriverium refellit, Perottum autem imponere lectoribus ſuis voluiſſe non dubitat, ratum apud ſe ſolummodo Phædrum exſtare; itaque verſus illius pro ſuis audacter venditari a ſe poſſe.

II. Lucem debent Phædri libelli viro optimo, & juvandis literis nato *Petro Pithœo*, qui primus e fratris Franc. Pithœi Codice MS. vulgavit Auguſtoduni Tricaſſium Anno 1596. 12. Laudatur eo nomine Pithœus a Thuano ad Annum 1596. libro 117. Hiſt. Ad calcem primæ hujus editionis ſubjectæ ſunt lectiones vetuſtiſſimi, quem conſuluit, Codicis: diligentius hoc deinde fecit Rigaltius in editione Anni 1599. uſus etiam Remenſi Codice, quem a Sirmondo accepit, lectiones tamen nonnullas Pithœo notatas prætermiſiſſe mireris. Habeo primam Pithœi editionem notatam manu Clariſſimi Gudii. Ante Pithœum in illos incidiſſe oportet Nicolaum Perottum, qui ſuppreſſo Phædri nomine nonnullos ejus verſus pro ſuis in copiæ cornu recitat. Etiam *Gabrieli Faerno* hoc datum vitio eſt, quaſi in ſuis Fabulis elegantiſſimis ſane illis Phædrum imitatus vel æmulatus ſcripta ejus, ut ait lib. 28. Thuanus, *quæ legerat & penes ſe habebat ſuppreſſiſſet*. Sed Perraultus, qui Faerni fabulas carmine Gallico reddidit, inficiatur Phædrum Faerno umquam viſum fuiſſe. Fabulas vero a Pithœo editas antiqui illius Phædri eſſe negarunt Voſſius in Ariſtarcho II. 16. & Petrus Scriverius ad Martial. III. 20. Sed negarunt præter rationem, cum nihil illis fabulis ſit terſius, ac venuſtius, & Tiberii ſe temporibus perſpicue vindicet Phædrus ipſe de Sejano actore teſte ac judice ſuo conquerens prologo libri tertii.

III. Prodierunt ab eo tempore cum notis *Conradi Rittershuſii* (*x*) [qui eodem anno 1596. Altdorffii Phædrum recenſuit illuſtravitque] & ſpicilegio *Gaſparis Scioppii* Lugd. Bat. 1598. 8. In hac editione habentur etiam *Cœlii Sympoſii* ænigmata cum notis. Joſephi Caſtalionis, fabulæ Græcæ Babrii & Ænigmata veterum Poetarum Græcorum Latinorumque. Repetita editio eſt Antverp. 1610. 8. additis animadverſionibus *Joannis Meurſii*, parum felicis in hoc ſcriptore, ut jam obſervatum viris doctiſſimis, Ariſtarchi. Eodem anno *Iſaacus Neveletus*, Phædrum cum notis ſuis recudi curavit inter fabulas variorum auctorum Græcas 297. Æſopi, [*y*] 40. Aphthonii, 54. Gabriæ S. Babriæ, & Latinas 60. *Anonymi* veteris (*z*) in Bibl. Palatina reperti, verſibus elegis, tum fabulas 42. *Avieni* (*aa*) eodem carminis genere ſcriptas, denique *Laurentii Abſtemii*, Maceratenſis, [qui circa A. C. 1522. ſcripſit, & cujus annotationes quaſdam in varia auctorum loca Gruterus inſeruit tomo primo Lampadis Artium] fabulas 199. ſermone ſoluto, ap. Commelinum 1610. 8. Repetita hæc editio Francof. 1660. 8.

* Aphthonius, Gabrias, & cum Rigaltii notis Phædrus Hanoviæ apud Wechel. 8. Phædrus ſeparatim cum *Neveleti* notis Lubecæ 1622. 8. apud Samuelem Jauchium. *Anonymi* veteris Chriſtiani fabulæ 60. verſibus elegis non inſcite deſcriptæ, in Ulmenſi editione diſtinguuntur in libros duos, alias in tres. Sed Neveletus illas diſtinctiones, quarum in Palatino MS. & Veneta editione nullum veſtigium reperit, recte prætermiſit conjiciens illam con- fictam

(*x*) Operam a Rittershuſio in Phædri fabulis præſtitam laudat, & a Rigaltio contemptam ægre fert atque indignatur doctiſſimus, & de Phædro ſingillatim præclare promeritus Petrus Burmannus ad Petronium pag. 512.

(*y*) De Æſopo & aliis Græcis fabularum ſcriptoribus dictum a me eſt lib. II. Bibl. Græcæ cap. 9.

(*z*) Nonnullas ex his fabulis Rigaltius e MS. Victoriano inſeruit notis ad Phædrum, & ad lib. 1. Fab. 2 ſcriptorem vocat fabularum ante centum annos Venetiis excuſum, & in Bibl. Pauli Petavii V. C. & in Victoriana Pariſienſi MStum. Editus eſt plus ſimplici vice non tantum Venetiis, ſed Ulmæ quoque in Germania & in Galliis. In Ulmenſi editione diſtinguuntur fabulæ hujus Anonymi in libros *duos* (non *tres*, ut legas in Menagianis p. 72.) ita ut liber ſecundus incipiat a fabula 21. Sed Neveletus illam diſtinctionem, cujus in Palatino MS. & altera editione nullum veſtigium reperit, recte prætermiſit, conjiciens illam confictam eſſe a *Rinuncio* quodam, qui has fabulas ſoluta oratione latina & Germanica convertit. Idem Neveletus notat hunc ſcriptorem paſſim Phædri veſtigiis inſiſtere, ita ut *Phædri ſimia* dici mereatur. Qualis autem fuerit, vel quando vixerit, incertum eſt, etſi conſtat eum jam a ſcriptoribus ſæculi XIV. allegari. Apud Jul. Cæſarem Scaligerum lib. IV. Poetices p. 728. *Accius* vocatur, & laudibus effertur in cælum. Alii *Romulum* appellant vel *Salonem* teſte Daumio. Vide & Barthium III. 22. Adverſar. ubi *Romalii* vel *Bernardi* venit nomine. In Codice Regis Galliæ 893. inſcribuntur hæ fabulæ *liber Hiſopi* (Æſopi) teſte Labbeo Bibl. nova MSS. p. 66.

(*aa*) De hoc infra lib. III.

fictam eſſe a *Rimicio*, qui Æſopi fabulas nonnullas ſoluto ſermone latino, & Germanico circa A. C. 1452. expreſſit, inſcripſitque Antonio tituli S. Chriſogoni presbytero Cardinali A. 1459. defuncto. Prodiere Mediolani 1480. 4. & ſæpius deinde una cum Anonymo illo alibi. Idem Neveletus notat Anonymum paſſim Phædri veſtigiis inſiſtere, ita ut Phædri ſimia dici mereatur. Qualis autem fuerit, vel quando vixerit, incertum eſt, etſi conſtat eum jam ſcriptoribus ſæculi XIV. allegari. Apud Jul. Cæſarem Scaligerum lib. IV. Poetices pag. 728. *Accius* vocatur, & laudibus effertur in cælum. Alii *Romulum* (*bb*) appellant, vel *Salonem* Parmenſem teſte Gyraldo & Daumio. Vide & Barthium III. 22. Adverſar. ubi *Romalii* vel *Bernardi* venit nomine. Diverſæ ſunt tamen licet itidem 60. quæ ſub *Romuli* nomine ad Tibertinum ſive Tiberinum filium a Rimicio & aliis editæ ſunt, proſa non verſu ſcriptæ ante annos circiter quingentos. Ex his fabulæ quinque & quadraginta reſpondent totidem fabulis apud Anonymum. Cæteræ quindecim, extravagantes a Rimicio vocantur, quod nempe Anonymus illas non habet, habet tamen pleraſque Phædrus, cujus etiam verba ipſa ſæpe ſervavit iſte Romulus, perinde ut alter *Auctor antiquus*, cujus fabulas 67. ex Phædro fere deſumtas & ſoluta oratione expreſſas e Codice MS. Iſ. Voſſii, quem ab avunculo ſuo Jacobo Gronovio utendum acceperat, primus edidit notaſque ſuas & Romuli fabulas addidit *Jo. Fridericus Nilant*, Lugdun. Bat. 1709. 8. (*cc*) Ejuſcemodi fabulas in proſam leviter e Phædro ſolutas in codice Divionenſi quoque Gudius reperit, a quo reſtitutas primus Clariſſ. Burmannus dedit quinque, in prioribus Phædri editionibus haud obvias. *Laur. Abſtemii*, Hecatomythium utrumque, (*dd*) quorum prius A. 1498. alterum 1505. primum edidit, prodiit etiam Tiguri in 8. ſine anni nota cum Æſopi fabulis, quas Hermannus Canonicus S. Auguſtini ait ex oratione ligata ſe in ſolutam vertiſſe, nec non fabulis Aniani, quas Hadr. Barlandus & idem Guilelmus in proſam tranſtulit, fabuliſque Æſopi, quas verterunt Laur. Valla & Rimicius: nec non fabulis excerptis e variis ſcriptoribus. Phædrus Pariſ. 1629. apud Sebaſt. Chappeletum, forma minore. Cum *Gallica* verſione proſaria *Albini* (D. de Saint Aubin, ejuſdem qui Terentium quoque Gallice tranſtulit) Pariſ. 1647. 12. Hanc verſionem cum animadverſionibus in eam ſuis Phædro ſecundum a ſe recenſito atque illuſtrato adjunxit *Tan. Faber* Salmur. 1665. 12. quæ editio recuſa Anno 1673. 1689. &c. *Jo. Scheferus* Phædrum primum cum notis ſuis perquam eruditis & *Franciſci Gujeti* Andegavenſis caſtigationibus edidit Upſal. 1663. 8. quam editionem habeo notatam paſſim manu Gudii. Deinde iterum recenſuit Anno 1666. & tertio 1673. Hamburg. 8. in quibus duabus poſterioribus editionibus non raro Tan. Fabrum caſtigat, & in tertia addidit Freinshemii indicem ex editione Argentoratenſi, de qua ſtatim dicam. Recuſus eſt Scheferi Phædrus Hamburg. Anno 1686. 1693. 1706. 8. habetque ſubinde adjunctam Gallicam Albini verſionem; & addita Belgica Jo. Hilaridis Metaphraſi Franequeræ 1694. 8. In editione Ratisbonenſi 1657. 8. quam notis & indice illuſtravit *Jo. Henricus Urſinus*, nonnulla reſciſſa ſunt, quæ adoleſcentum pudori obeſſe vir præſtantiſſimus exiſtimavit. *Jo. Lud. Praſchii* notæ ad Phædrum Gieſſæ 1660. 8. Cum notis *Alexandri Arnoldi Pagenſtecheri* Duisburg. 1662. 8. Cum notis *Nic. Rigaltii* prioribus & poſterioribus, [ex edit. Pariſ. 1599. & altera perquam nitida 1617. tertia (*ee*) Anno 1630.] *Petrique Axenii* in librum I. vulgata Hamburgi eſt 1671. 8. Cum P. Syri mimis, notiſque, & animadverſionibus *Tan. Fabri*, Salmur. 1657. 4. & addita verſione Gallica *Albini*, & in illam animadverſionibus ibid. 1665. 12. Phædrus cum hiſtoria congruente ad ſingulas fabulas ex veterum ſcriptis annotata, poſtumiſque *Jo. Freinshemii* animadverſionibus, quibus inſertæ notæ Rittershuſii, Rigaltii, *Buchneri*, & copioſiſſimo indice

(*bb*) Romulus junior, Petri Moſellani æqualis, vir doctus & Julii Phlugii in Italia præceptor. Vide Petri Albini Chronicon Miſnenſe p. 357.

(*cc*) Memoires de Trevoux A. 1712. Jul. p. 1369.

(*dd*) Vide Menagiana T. 4. p. 203.

(*ee*) Hanc editionem, quam deinde ſecutus eſt T. Faber, tamquam minus accuratam perſtringit Marquardus Gudius Epiſtola 7. ad Nic. Heinſium. Rigaltinæ editiones exſtant: una Pariſ. 1599. 12. altera perquam nitida typis Stephani deſcripta majoribus, literiſque miniatis diſtincta 1617. 4. utramque habeo Salmaſii manu notatam. Tertia ex Cramoiſii officina 1630. 12.

dice, Argentorati 1664. 8. lucem vidit, cura Henrici Holſtii, Dani. Phædrus ex recenſione *Jo. Friderici Keberi* Jen. 1685. 12. cum notis Variorum, & verborum phraſiumque indice, additis iconibus in æs inciſis Phædrus eleganter excuſus eſt Amſt. 1667. 8. cura *Jo. Laurentii* JCti.

In uſum Delphini eundem ſcriptorem paraphraſi notis & indice omnium verborum ornavit *Petrus Danetus* Pariſ. 1675. 4. Londini 8. Cujus Daneti paraphraſin etiam Phædro ſuo notis Hiſtoricis, ritualibus, moralibus, & Philologicis in uſum ſcholarum illuſtrato ſubjunxit *Dan. Hartnaccius*, Rudolphiſtadii Anno 1696. 8. Hic Hartnaccius Anno 1708. defunctus eodem anno 1696. Francof. 8. vulgavit Phædrum cum Germanica ſua expoſitione, & imitationibus ad elaborandum tironi proponendis. Ceterum dolendum eſt inſignibus Petri Axenii nuper A. 1706. apud Sleſvicenſes denati & Marquardi Gudii in Phædrum annotationibus fata præmatura Virorum clariſſ. interceſſiſſe. Licet quod ad Gudium attinet magnam jacturæ partem levavit elegantiſſimi vir ingenii *Petrus Burmannus*, curata præclara Phædri editione, cui præter integros commentarios Ritthershuſii, Rigaltii, Scheferi, Praſchiique, & excerptas aliorum, ineditaſque *Nicolai Heinſii*, *Gudiique* animadverſiones non mediocri ſtudio ex ipſius ſchedis, quas ab hæredibus Clariſſ. Grævius acceperat, collectas adjunxit, Amſtelod. 1698. 8. apud H. Wetſtenium; & rurſum non ſine auctario Amſtel. 1718. 8. Vide Maſſonii Hiſt. Criticam Reip. Litter. t. 15. pag. 398. Phædrus cum P. Syri mimis & Tan. Fabri, Neveleti & Praſchii notis Franeq. 1700. 12. Cum notis eruditis & perſpicuis *Davidis Hoogſtratani*, V. C. & indice omnium verborum accuratiore quam Danetus dederat, & tabulis æneis Amſt. 1701. editio luculenta, in uſum Principis Naſſovii Johannis Guilielmi adornata. Idem Hoogſtratanus Belgicam Phædri Metaphraſin iiſdem typis, & eadem forma excuſam & iconibus illuſtratam edidit, & præterea minorem hujus ſcriptoris editionem in 12. cum notis ſuis in lucem emiſit, recuſam quoque Londini. Cum eruditis notis *Jo. Frid. Gronovii*, Amſtel. 1703. 12. edente Jac. Gronovo fil. qui & ipſe caſtigationes ſuas adjunxit, quibus Gudius paſſim laceſſitur. Commendant hanc editionem quoque collectanea *Nicolai Dilpontini*, quibus indicis more dictionem Phædri egregie illuſtravit.

* In Anglia primus Phædrum recenſuit & Lond. 1668. edidit *Chriſtophorus Waſe*, idem, cujus eximium de ſenario librum habemus. Poſtea Londini 1701. & 1708. 8. *Thomas Johnſon* Phædrum vulgavit notis ſelectis eruditorum illuſtratum, ſubjecto omnium verborum indice & 1714. 8. adjuncta perpetua paraphraſi. Sed & *Samuel Hoadly*, ſcholæ Norvicenſis magiſter jam A. 1703. 8. Londini ſecundum fabulas Phædri notis ſuis illuſtratas emiſit. Et noviſſime ex recenſione *Michaelis Maittaire* non modo in corpore Poetarum Latinorum Lond. 1713. fol. ſed & ſeparatim Phædri & Avieni fabulæ excuſæ Lond. 1713. 12. Elegantiſſimi quoque Viri *Davidis Hoogſtratani* Phædrum minori forma iteratis curis recenſitum & illuſtratum Londinenſes recuderunt, a quo tempore idem vir doctus tertium fabulas Phædri Anno 1706. 12. Amſtelodami edidit cum novis notis, in quibus præcipue, quæ ad leges carminis jambici intelligendas faciunt, erudite obſervavit vulgo neglecta.

Phædrus cum Sympoſii aliorumque ænigmatis, *Chriſtiani Junckeri* notis brevibus & perſpicuis ad modum Minellii illuſtratus Lipſiæ 1700. 12. Cum notis *Jo. Georgii Walchii*, & diſſ. ejus de ſtylo Phædri 1712. 12. additis Græce & Latine Antonio Liberali fabuliſque Gabriæ: Latine vero P. Sympoſii ænigmatis. Ex recenſione *Godfriai Richteri* cum præfatione de locis quibuſdam Phædri per criticos ſollicitatis, locuplete indice, judiciis de Phædro & editionum ſillabo Jen. 1718. 12. Phædri editio ſine notis ex *Petri Burmanni* recenſione, cum locuplete indice Hagæ Com. 1719. Verſiculos, quos hinc inde excidiſſe, lectores aſteriſcis appoſitis monentur, Chriſtophorus Hauptius, Rector Scholæ Grimmenſis ſupplere inſtituit ex ingenio, ſed eos Phædrus ſi reviviſceret pro ſuis, opinor, non agnoſceret. Vide Miſcellanea Lipſienſia A. 1716. 8. edita T. 1. p. 259. ſeq. Aliud ſupplementum fabulæ primæ ſecundæque libri quinti, & ad Phædri colorem proprius accedens addidit interpolator verſionis Gallicæ, quam mox referam excuſam Amſt. 1712. 8. Parum quoque probabiles mihi viſæ ſunt emendationes ſive interpolationes locorum Phædri, quas vir doctus ſed ingenio indulgens ſuo inſeruit Diario literario Hallenſi, parte pag. 603. ſeq. Phædrus

cum

cum verſione *Gallica* (*ff*) & animadverſionibus, ordineque conſtructionis in puerorum uſum per numeros ſingulis vocabulis impoſitos notatis Pariſ. 1702. 12. Huic editioni additæ octo fabulæ e Gallicis *Fontani*, qui inter plurimas, quas ingenioſe vel excogitavit vel expreſſit Gallico carmine, quadraginta amplius fabulas e Phædro mutuatus aut imitatus eſt. Phædrus cum notis ſelectis variorum, Diſpontini, Gronoviorum, Kœberi, Hoogſtratani, &c. Tiguri 1713. 8.

Fabulæ Phædri LVIII. *Gallica* & *Germanica* proſa Hamburg. 1707. 12. cum fabulis politicis Pilpæi & aliorum. *Belgica* verſio Joannis Hilaridis prodiit Doccomii Anno 1695. Belgico carmine præter Davidem Hoogſtratanum Amſt. 1704. 4. donavit Jo. Jacobus Slaterus A. 1718. *Germanico* (*gg*) Salomo Francke, Secretarius Vinarienſis Jen. 1716. 8. *Anglica* proſa, Thomas Dyche, Lond. 1715. In fabularum Æſopiarum delectu, quem Oxoniæ A. 1698. nitidis typis excudi curavit A. Alſop, fabulæ *Græca* Planudis proſa quotquot reſpondentes reperiri potuerunt tabulis ſingulis Phædri præmittuntur, utili adoleſcentibus & jucundo ad comparandum utriuſque linguæ uſum conſilio. Cum notis Germanicis *M. Gabrielis Schumanni*, laudabili ſtudio in tironum uſus concinnatis Halæ Sax. 1715. 12. Diſſertationem de Phædro, quam huic editioni præmittere voluit, deinde vulgavit in nova Acerra Philologica pag. 167. ſeq. Hall. 1715. 8. Phædrus cum metaphraſi *Gallicis verſibus* non infeliciter compoſita a Deniſo, (*hh*) additis notis Pariſ. 1708. 8. Cum proſaria verſione Gallica tota propemodum nova ſive refecta & Tan. Fabri notis emendatius excuſis, atque P. Syri mimis Amſt. 1712. 8. Cum brevibus notis *Jo. Chriſtophori Wolfii*, vindiciiſque Gudianis adverſus Jac. Gronovium, Flensburg. 1709. 8. Cæterum norit lector, fabulam quæ incipit:

Ranæ paludis incolæ, ambiguum genus,

non eſſe antiqui auctoris, nedum Phædri, ut perſuaſum Tho. Crenio T. 2. method. p. 403. ſed Jeſuitæ Galli, (*ii*) compoſitam circa An. 1670. cum Rex Galliæ bellum in Batavos inſtrueret. Vide artem metricam ab uno e Societate JESU jam quartum editam Viennæ Auſtriæ 1703. 8. in quo libro pag. 274. fabula illa ſub titulo *appendicis ad fabulas Phædri ex Bibliotheca Leidenſi* tamquam exemplum deſcriptionis Poeticæ bellum contra Batavos a Gallis initum A. 1670. allegorico mytho exponentis integra legitur. Jac. Tollii editio fabularum Phædri, cujus ſpem facit in dedicatione fortuitorum, non vidit lucem. Fontanus Phædro ſe inferiorem in fabulis ſcribendis eſſe confeſſus eſt: Fontenellus ait eum tam ſiniſtre de ſe judicaſſe *par beſtiſe*; præjudicio occæcatum. Aſſentitur non inferior Fontano ne quidem familiari jocandi ſuavitate Mottæus. Dubitabunt alii, modeſtius ita de ſe Fontanus an verius judicaverit.

IV. in editione Burmanniana p. 205. & p. 325. & iis, quæ deinceps eam ſecutæ ſunt, acceſſere fabulæ quinque a Gudio e MS. Divionenſi deſcriptæ, & numeris ſuis redditæ, quæ in prioribus deſiderantur. *Crediderim eum plures*, inquit Burmannus, *ex eodem Codice deſcripſiſſe, nam ejus autographum, ex quo nos eas exhibemus, ut omnibus fere partibus, ita maxime in fine laterum & mutilum erat, & plura folia, quibus fabulas adhuc quaſdam præſcripſerat* [*ut ipſius manus in capite primæ hujus fabulæ teſtatur, quæ, ſi bene memini, triginta novas & numquam editas in has chartas ab ipſo conjectas indicabat*] *deſiderabantur & abſciſſæ eſſe videbantur. Forte & hæ aliquando clauſtra quibus continentur perrumpent*. Phædrus ipſe in limine libri primi innuit arbores etiam, non modo feras loquentes a ſe inductas. At in fabulis quæ extant, nullæ arbores loquuntur excepta unica illa fabula a Gudio eruta.

DE L.

(*ff*) Journal des Sav. 1702. Jul. p. 29. ſeq.
(*gg*) Neue Bibliothec. LVII. p. 592. ſeq.
(*hh*) Mem. de Trev. A. 1707. p. 184. & A. 1708. p. 785. Journal des Sav. p. 1708. Maji. p. 238.

(*ii*) Jo. Commirii, in cujus poematis poſtumis exſtat pag. 134. Et verſi Gallice in libro: recueil de vers choiſies par le Bouchours p. 17. nec non in alio, fables choiſies V. partie pag. 28.

DE L. COLUMELLA.

I. L. Junius Moderatus Columella, Gaditanus, Patruum laudans (*a*) M. Columellam *illuſtribus diſciplinis eruditum, ac diligentiſſimum agricolam Bæticæ Provinciæ*, ipſi Plinio, Palladio, Iſidoro Hiſpalenſi (*b*) aliiſque ſæpius laudatus, ſub eodem Claudio Imp. ſcripſit. Iſidorus Hiſp. XVII. Orig. *Rerum ruſticarum ſcribendi ſollertiam apud Græcos primus* Heſiodus *Boeotius humanis ſtudiis contulit, deinde* Democritus: Magnus (*c*) *quoque Carthaginienſis in XVII. voluminibus ſtudium agricolationis conſcripſit. Apud Romanos autem de agricultura primus* Cato *inſtituit, quam inde* Marcus Terentius *expolivit: mox* Virgilius *laude carminum extulit. Nec minus ſtudium habuerunt poſtmodum* Cornelius Celſus *&* Julius Atticus, Æmilianus, (*d*) *ſive* Columella *inſignis orator, qui totum corpus ejuſdem diſciplinæ complexus eſt.* Diverſus, ut videtur, a Moderato Gaditano Pythagorico ejuſdem ætatis Græco ſcriptore fuit, Gaditanus & ipſe L. Junius Moderatus Columella, licet hoc in dubio relinquit Nic. Antonius, qui de Columella videndus lib. 1. Bibl. veteris Hiſpanæ cap. 5. Sane Pythagoricum illum quando appellant ſive Latini Scriptores ſive Græci, Moderatum ſemper vocant, Columellam numquam. Et difficulter ab Oratore latino Philoſophum Græcum, & tam prolixum opus Philoſophici argumenti Græco ſtylo traditum exſpectaveris. Gaditanum ſe innuit noſter V. 5. VII. 2. VIII. 16. & X. verſu 185. Meminit & III. 3. Senecæ, ejuſque vinearum, & ſæpius Cornelii Celſi æqualis ſui, ut cognoſces ex indice ſcriptorum a ſcriptoribus rei ruſticæ laudatorum, quem dedi ſupra in Catone. Columellam laudavit Theodorus Beza hoc Epigrammate:

Orphea mirata eſt Rhodope ſua fata canentem,
Si modo Virgilii carmina pondus habent.
Tu vero, Juni, ſilveſtria rura canendo
Poſt te ipſas urbes in tua rura trahis.
O ſuperi, quales habuit tunc Roma Quirites,
Quum tam jucundum cerneret agricolam.

De re ruſtica libros XII. (*e*) ad Publium Silvinum, quorum decimus *de cultu hortorum*, carmine Epico non infelici ſupplet Virgilii Georgica.

Siderei Vatis referens præcepta Maronis.

Reliqui proſa oratione ſcripti ſunt expetente hoc Claudio Auguſtali adoleſcente, qui etiam hortorum cultum ſimili ſermone expoſitum a Columella maluiſſet. *Librum de cultu hortorum* ſcriptum verſu Heroico, *Andreas Rivinus* recenſuit recudique curavit Lipſiæ 1654. in 8. una cum Palladii carmine de arte inſitionis, Walfridi Strabi hortulo, Moroto Septimii Sereni, & aliis variis poematis & Epigrammatibus antiquis. Illo libello cum Virgilii Georgica ſupplere ſe indicet ipſe Columella, mirum eſt Nicolaum Rapinum S. I. nullam ejus mentionem facere in præfatione ad quatuor libros hortorum (*f*) perquam certe elegantes: *quæ vero temeritas tentare rem, quam partim propter difficultatem, eorum quæ prætermiſerat Virgilius, partim propter eorum quæ cæperat excellentiam, perſequi nullus poſterorum auſus ſit.*

Liber *de cultu hortorum* cum annotationibus Julii Pomponii Fortunati, Baptiſtæ Pii, Philippi Beroaldi & aliorum ſeparatim prodiit Pariſiis

(*a*) Lib. 5. cap. 5. p. 286. edit. Commelinianæ.

(*b*) Iſidorus XVII. 1. Orig. *ſive Columella, inſignis Orator, qui totum corpus ejuſdem diſciplinæ* (rerum ruſticarum) *complexus eſt.*

(*c*) Lege *Mago*.

(*d*) Palladius de re ruſtica.

(*e*) Ex ipſo Columella conſtat opus illud 12. libris ab auctore fuiſſe abſolutum, etſi in Caſſiodori divinis lectionibus cap. 28. legas Columellam *ſedecim libris per diverſas agriculturæ ſpecies, eloquentem ac facundum illabi diſertis potius, quam imperitis accommodum.* Itaque alios libros tres Columellam ad hoc argumentum ſpectantes, & librum de arboribus computavit Caſſiodorus, vel numerum apud eum corruptum eſſe ſuſpicemur. Obiter de Columellæ nomine notabis Donatum, qui ad Phormion. II. 2. ſcripſit Columellas a veteribus dictos ſervos majores domus. *Columen columna. Unde apud veteres columellæ dicti ſervi majores domus. Lucilius XXII.*

Servus neque infidus Domino, neque inutilis cuiquam
Lucili columella hic ſitus Metrophanes.

Salmaſio ad Solinum pag. 1220. alius ſenſus verborum Lucilii eſſe videtur, hic nempe: ſub hac Columella, ſive ϛήλη ſitum eſſe Metrophanem Lucilii ſervum. Gatakerus tamen II. 20. Cinni expoſitionem Donati probat. Confer quæ viri docti ad Martial. II. 90

(*f*) Pariſ. 1665. 4.

riſiis 1543. 4. & cum Catone, Varrone, Palladio, ac reliquis Columellæ libris ibidem 1533. fol.

DE T. PETRONIO ARBITRO.

Petronii ætas. 1. Satyrici fragmenta prima. 2. Traguriana. 3. Nodotiana. 4.

T. Petronius (*g*) Arbiter Maſſilienſis Equeſtri genere natus, Vir Conſularis & inter familiares Neronis Imp. ſed artibus æmuli Tigellini inviſus ei redditus, juſſuſque ab eo mori, inciſis venis, laſcivam animam efflavit A. CHRISTI 67. *Petronius* (*h*) *Neronianarum libidinum arbiter, qui de ſcriptis etiam voluit ſuis ſummam prudentiam, exquiſitiſſimam ſapientiam & elegantiſſimam eloquentiam inter propudioſiſſimas libidines elucere, illudens utique dictis ſcriptiſque vanitati curarum humanarum, homo voluptatibus corpore, animo virtuti deditus, ut docet omnis ſcena Satyrici illius.* Singulare hoc elogium: ſed qui corpore voluptatibus, & ſimul animo virtuti bona fide deditus eſſe poſſit, per eumdem jungentur ante ſæva ſideribus freta, & ignis undæ, tartaro triſti polus. Huetius in Epiſtola ad Græviun: (*i*) *De Petronio non ita ſentio ut vulgus doctorum ſolet. Judicio uſus eſt in literis valde limato & ſubtili: ſtilo deteriore, affectato, fucato, interpolato: ut plus ei ad exiſtimationem profuiſſe putem obſcœnitatem rerum, quam ſermonis elegantiam.*

II. Scripſit *Satyricum*, ſive *libros Satyricon*, quibus nequiſſimos mores ejus ætatis omni procul pudore, etſi dictione terſa & eleganti deſcripſit. Paſſim quoque exemplo ſatyrarum Varronis Menippearum verſus interpoſuit, inprimis carmen de bello civili, quod teſtatur eum non invitis Muſis ad Poemata componenda acceſſiſſe. *Libros Satyricon* inſcribendos potius, Græca forma, contendit recens eruditiſſimus Petronii editor Burmannus, quod veriſimile faciunt alia conſimiliter accipienda, ut Hygini Poeticon Aſtronomicon, Fulgentii Mythologicon, Ovidii Metamorphoſeon & Halieuticon, Solini Ponticon, &c. Idem Burmannus probat per Codicillos, quibus exoletorum, & fœminarum ſtupra ac libidines ſub mortem conſignaſſe Petronium refert Tacitus XVI. 19. hoc ſatyricon opus intelligi non poſſe. Nihil ſane codicilli teſtamenti, quos obſignatos Neroni miſit moriens Petronius, habent commune cum libris hiſce ac voluminibus ad omnium notitiam in vulgus editis. Diverſum tamen hunc ſcriptorem ab illo Taciti Petronio, & antiquiorem haud crediderim, ſi vel maxime Claudii & liberorum ejus flagitia notari ab eo dicamus: nec Statilio aſſentior, qui Petronium putabat vixiſſe poſt Severum, atque non Neronem, ſed neoplutos aliquos ſuæ ætatis perſtrinxiſſe: mire enim cum Neroniano omnia conveniunt. Nec valde pugnem alienum fuiſſe a moribus quos perſtringit: arduum certe eſt in his tam prolixe & tam ad vivum, ac nequiter percenſendis & docendis ſe alere, ne dicam tam exquiſitam notitiam talium habere, qui ſit illis ἀμύητος. Utinam vero unus eſſet vel fuiſſet Petronius, qui flagitia inſectaretur, quibus ipſe ſe volutaſſet. Habet hoc frequenter ſcelerata vita, ut ſuo etiam ſe teſtimonio condemnet atque execretur. Sed nimium dicere videtur, qui aliquorum turpi diligentiæ nos debere ait quod illæ tantum Petronii laciniæ ad nos venerunt, quæ illis laſciviæ & protervìæ manifeſtiſſimis argumentis blandirentur. Unde enim quæſo conſtat cætera fuiſſe pudiciora? & quovis potius alio quam judicio laſciviæ conſignata, vel ſervata illa fragmenta apparet. Salmaſius præfat. ad Ampelium: *Conſueverunt multi ſtudioſi, ſi quem auctorem legerent, retento lectionis ordine quidquid ex eo judicarent excerpendum, in Codicem ſuum regerere, & ſibi ſervare. Unde factum ut hæc in Bibliothecis privatorum reperta ſæpe a librariis pro integris auctorum operibus deſcripta fuerint, ac ad poſteritatem aliis ſubinde ea excipientibus ac deſcribentibus propagata. Ita conſervatus eſt elegantium nequitiarum curioſis Petronius Arbiter.* Frag-

(*g*) Apud Tacitum prænomen Petronii Cajus eſt, ſed Titus apud Plutarchum & Plinium. Idem Tacitus auctor eſt, Petronium Neroni *elegantiæ arbitrum fuiſſe, ut nihil amœnum & molle affluentia putaret niſi quod ei Petronius approbaviſſet.* Hinc crediderim factum eſſe ut Arbiter vulgo appelletur, quo nomine etiam occurrit apud Terentianum Maurum libro de metris. Equidem Henr. & Hadr. Valeſii fratres doctiſſimi auctorem Satyrici ab illo Taciti Petronio diſtinguunt, & Antoninorum ætate vixiſſe opinantur, ſed argumentis ducuntur parum exploratis. Quare receptæ ſententiæ ſubſcribere ſatius eſſe puravi.

(*h*) Caſp. Barthius pag. 28. ad Claudian.

(*i*) In Tilladeti collectione Tom. 2. p. 264.

Fragmenta (*k*) hujus ſatyrici (ex libro XV. & XVI. uti legitur in MSS.) primum edita Venetiis A. 1499. per Bernardinum de Vitalibus Venetum. Hinc Lipſiæ A. 1500. per Jacobum Thanner, Herbipolenſem, cura *Hermanni Buſchii* Paſiphili, Monaſterienſis. Ibidem carmen de luxu Romanorum 1500. 4. ſeparatim excuſum. Hujus præclari viri ac nobilis Buſchii memoriam & merita in litteras tunc renaſcentes egregia digno nuper ſtudio ſtyloque celebravit clariſſ. Vir Jacobus Burckardus in vita Buſchii, ejus vallo humanitatis præmiſſa, Francof. 1719. 8. Pariſiis A. 1520. curante Reginaldo Chalderio, ad cujus editionis paginas, ſuas obſervationes & caſtigationes 1562. direxit Adrianus Junius ſive Theod. Beza. Cum caſtigationibus *Jo. Sambuci*, Antvv. 1565. 8. apud Plantin. Lugd. 1575. 8. apud Joh. Tornæſium, qui duobus impreſſis & totidem MSS. Cujacii & Dalechampii adjutus, & opera uſus *Dionyſii Lebei Batillii*, JCti celeberrimi Petronium recenſuit, eique variarum lectionum libellum adjunxit Pariſ. 1575. 12. apud Patiſſonium. *Jani Douſæ* patris præcidaneorum in Petronium libri III. Lugd. Bat. 1583. 8. editi primum ſunt & Danieli Rogerti inſcripti, poſtea Petronio adjuncti A. 1585. ibid. 8. & Pariſ. 1585. 8. apud Guil. Linocerium & 1587. 12. apud Patiſſonium, additis etiam notis *Joannis Richardi* Biturigis & ſpicilegio *Dapeiratii*. Petronius cum notis eruditis *Jo. Wovverii* Hamburgenſis (*l*) qui Joſepho Scaligero librum inſcripſit, Lugd. Bat. 1596. & 1604. apud Raphelerig. & Amſtelod. 1624. forma minore. Pariſ. 1601. 12. ex officina Chriſtophori Beys, cum notis *Pithœorum* & *Douſæ*, & veterum Poetarum Catalectis. *Melchioris Goldaſti* editio Helenopoli ſive Francofurti 1610. 8. curata, & Lugd. 1618. apud Frellonium & Francof. 1621. ex officina Wechel. & Genevæ curante Thoma Juges 1629. 4. repetita, variorum notas & caſtigationes partim ad id tempus ineditas complectitur, *Buſchii*, *Ad. Junii* (diverſas ab iis quas Sambuco ante miſerat Pulmannus, an Aurati vel Æmari Ranconneti, aut Bezæ?) *Sambuci*, *Franciſci & Petri Danielis*, *Chriſtoph. Richardi*, *Franciſci & Petri Pithœorum*, *Douſæ* patris, *Conr. Rittershuſii*, *Jani Douſæ* filii ſpicilegium, notas *Wovverii* & *Gaſparis Barthii* (*m*) tum quorundam Anonymorum & *Georgii Erhardi* Franci, ſub quo nomine *Goldaſtum* latere patet ex Parei & Althuſii verſibus volumini præmiſſis, quibus Goldaſto de editione Petronii gratulantur: atque ſervant etiamnum vaſta Goldaſti in Petronium collectanea MSS. Bremenſes, in quibus omnia illa & longe plura, quam in Erhardi notis editis exſtant, legi, laudatus Burmannus annotavit. Eidem editioni adjuncta *catalecta* (*n*) *Petroniana* & Epigrammata, cum H. Stephani emendationibus, Claudiique Bineti Bellovacenſis Germani Colladonni JC. & Herm. Buſchii notæ in carmen de bello civili, Petri Guirandi Epiſtola de Petronio & elogia Petronii a Lundorpio collecta. Ad *Bineti* collectam Pictav. 1579. 4. editam conferenda Douſæ præcidanea III. 5. ſeq. Uſus Goldaſtus eſt Codice membranaceo Bongarſii, quem Pithœi fratres etiam inſpexerunt. Petrus Daniel in notis ſuis p. 91. ſeq. obſervat ex Baptiſtæ Pii annotat. poſterior. apparere illum quoque vidiſſe plura editis Petronii fragmenta. Petrus Pithœus codicis ſui editis locupletioris copiam Erico Meſmio ſive Henrico Memmio feciſſe ſe teſtatur lib. 1. Adverſar. ſubceſiv. c. 2. ubi locum ex illo producit. Alium ex Memmii exemplari deſcribit Lambinus ad verba Horatii Epod. V. *lunamque cælo deripit*, teſtatus id fuiſſe Petro Ronſardo, Antonio Baifio, Remigio Bellaqueo & ſibi commodatum. Ex Codice Britannico verba quædam Petronii emendat Janus Mellerius Pal-

(*k*) Conradus Rittershuſius ad Phædri IV. 13. conjicit Petronii Satyricon ita truncatum & laceratum ab aliquo pio exſcriptore, qui loca obſcœna omiſerit. Sed unde quæſo tot nupta verba, tot obſcœni ſales in illis quæ ſuperſunt fragmentis. Non magis credibile eſt, quod conjiciebat Bervillius, Eumolpi nomine a Petronio perſtringi Senecam, quod merito rejicit San Evremonius in judicio de Seneca T. 2. Opuſc. Idem in judicio de Petronio oſtendit hunc ſcriptorem exponere & commendare potius, quam ſatyrico ſale perfundere libidines vitiaque aulæ, in qua verſabatur.

(*l*) Fallitur Mich. Piccartus, qui notas in Petronium tribuit Wovverio Antvverpienſi c. 14. peric. Critic.

(*m*) Vide Crenii animadverſ. T. 5. p. 31.

(*n*) Ibidem habes fragmenta P. Petronii Rhetoris, Petronii Grammatici, Petronii Afranii, Petronii Indici, M. Petronii Venuſiani, Petronii Antigenidis Piſaurenſis, & C. Petronii Hilari Piſaurenſis, Petronii Apollodori Pontificis & XV. viri Romani, & Petronii Levitæ. Fuit etiam Petronius Bononienſis Epiſcopus, quem cum Arbitro confundit Vincentius Bellovac. in ſpeculo.

merius ſpicileg. T. 4. Lampadis artium Gruterianæ p. *693*. Eodem anno, quo Petronius cum ingenti *Jo. Petri Lotichii* (*o*) commentario lucem vidit Francof. *1629*. 4. prodiere junctim additæ eadem forma notæ virorum doctorum in Petronium *Jo. Alexandri Braſſicani*, quas paulo ante obitum (A. 1540.) ad Jo. Oporinum cum Petronio a ſe emendato ut ederentur miſiſſe teſtatur Conr. Geſnerus: *Jo. Aurati* A. 1562. [eædem quæ ſub Hadr. Junii nomine in edit. Goldaſti exſtant] *Henrici Memmii*, Senatoris Regii, *Alphonſi Delbenii* Epiſcopi Albienſis, A. 1563. *Claudii Puteani* A. 1570. *Jac. Bongarſii* A. 1584. (eædem quæ ſub titulo Anonymi auctoris leguntur in editionibus Goldaſti poſt obſervationes Franciſci Danielis] *Mamerti Patiſſonii*, & *Petri Pithœi* A. 1586. *Jo. Wovverii* A. 1595. *Gaſp. Scioppii* Sirenes Petronianæ, ſive elegantiores phraſes ex Petronio excerptæ A. 1597. *Jo. Weitzii* notæ A. 1614. *Renati Moreau* quæſtiones. Medico Phyſicæ in Petronium A. *1629*. Præterea Laur. Pignorii diatribe de Magnæ Deûm matris Idææ & Attidis initiis, Jani Douſæ ſchediaſma ad Sulpiciæ ſatyram, Petri Pithœi & Juſti Lipſii in Pervigilium Veneris & Floridum de qualitate vitæ. In idem Pervigilium notæ Jani Douſæ filii & Jo. Weitzii. Præmiſſa ſunt teſtimonia de Petronio veterum ac recentiorum collecta a Goldaſto, Landorpio, & Lotichio, & Barthii diſſertatio ex XLIX. 11. Adverſar. His addenda Lilii Gyraldi, Guirandi Aloſcani & Roberti Titii (*p*) loca de Petronio, quæ in editione Goldaſti leguntur. Prodiit eodem anno *1629*. Petronius Francofurti 4. ſed charta minore cum commentario eximio *Joſephi Antonii Gonſalii* de Salas, & *Scioppii* ſimbolis criticis; atque iterum ibid. *1643*. 4. In Bibliotheca Wittiana p. 257. memoratur etiam editio Gonſalii A. *1633*. 4. ſed ſuſpicor errorem eſſe pro *1643*. Cum notis eruditis & gloſſario *Jo. Bourdelotii* Pariſ. *1618*. 12. *1645*. & *1677*. 12. & edente atque interpolante Mich. Hadrianide, cujus etiam præfatio præmittitur, Amſtelod. *1663*. 12. *Non habeo fidem Bourdelotio*, inquit pag. 527. Burmannus, *qui audaciſſime ſæpe locos ſanos tentat, & neſcio quos codices crepat*. Idem teſtatur ſervare ſe duas *Hieronymi Aleandri* Epiſtolas, quas V. C. Juſtus Fontaninus ad ipſum miſerat, quibus Petronii loca quædam illuſtrantur. Quæ in Petronium commentati ſunt *Laiſneus* & *Venettius*, memorata Petro Bælio in Epiſtolis Gallice vulgatis, non viderunt lucem, quod ſciam. Omitto ἀνεκδότους Petronii interpretes Lotichio memoratos, Ant. Oiſelium, Hub. Giphanium, Hadr. Junium, Theod. Pulmannum, M. Antonium Muretum, Dionyſ. Lebeum Batillium, Franciſcum Roardum, Janum Paſſeratium, Nic. Dobbinum, Petrum Arnaudum, Joh. Iſaacum Pontanum, Melch. Heiminsfeldum Goldaſtum, & Euſtathium Svvartium. Denique cum notis ſelectis Variorum & præludiis edidit Simon Abbes Gabbema, Trajecti ad Rhen. *1654*. 8.

Errores Venereos, ſive incertorum auctorum poemata & Epigrammata cum his Petronii fragmentis a P. Pithœo aliiſque edita, recenſeo infra lib. IV. Jure autem mireris nequiſſimum hunc ſcriptorem, inter Chriſtianos tot tantoſque interpretes (*q*) inveniſſe, ſed quod unum reſtabat, nuper etiam repertus fuit, qui pueris in ſchola proponendum eſſe ſuaderet: *Errores Venereos*, ſive varia Poematia, & Epigrammata vetera, quæ Petronio ſubjici ſolent una cum aliis per Scaligerum, Petrum Pithœum & alios viros doctos collectis, ſeparato volumine recenſere atque illuſtrare idem præclarus Burmannus conſti-

(*o*) Ejuſdem Lotichii libros quæſtionum in Petronium ineditos ſervat Francofurti ad Mœnum nobiliſſ. D. Zacharias Conradus ab Uffenbach. Capitum elenchum habes in Maſſoni Hiſt. Critica Reip. literariæ Tom. XIV. p. 319. ſeq. Goldaſtus Epiſtola ad Gaſp. Hofmannum 7. Cal. Octobris 1631. *Mitto tibi Lotichii commenta in Petronium cum aliorum notis --- Vide quantum abs tuo inſtituto ac judicio Lotichius diſſideat. Volebam hominem amicum hac occaſione ad lectionem veterum Medicorum deducere --- Sed judicio deſtitutus, nec in bonis auctoribus verſatus nobis undiquaque compilavit, quæ ad grandiendum librum convaſare ex cornu copiæ Calepino, Textoris officina, Eraſmi Chiliadibus & conſimilibus ſcriptis poterat, ut tandem monſtroſum horrendum & inſanum magnum iſtud commentum pareret. Adeo ſibi philautia placet, ut etiam ſordes ſuas putet vera olere cinnama.*

(*p*) Hæc eſt Rob. Titii Apologia pro Petronio, quæ in Bibl. Barberina memoratur.

(*q*) *Niſi in Æſculapios incidiſſet, poterat Medicorum turba perire*, inquit Octavius Ferrarius, qui aliquot Petronii loca emendat & illuſtrat lib. I. elector. cap. 7. ſeq.

ſtituit, quod non poterit non omnibus elegantiorum litterarum ſtudioſis gratiſſimum accidere.

III. *Aliud* ejuſdem Satyrici *fragmentum* integram cœnæ Trimalcionis fabulam complectens, & *Tragurii* in Dalmatia in Nicolai Cippii Bibliotheca repertum, primus, inſcio, qui A. 1662. in Codice Catulli Tibulli ac Propertii etiam carmina continente & ſcripto (*r*) circa A. C. 1423. repererat, *Martino Statilio*, vulgavit Patavii Paulus Frambottus A. 1664. 8. quam editionem cum MS. collatam Perizonius legavit Bibl. publicæ Leidenſi. Recuſum eodem anno 8. Pariſiis, præfixo de ſtyli ratione judicio. Cum vero Hadrianus Valeſius, & Ioh. Chriſtoph. (*ſ*) Wagenſeilius teſtati fuiſſent illud ſibi fraudis ſuſpectum videri, quorum tamen opinioni pauci eruditorum ſubſcripſerunt, Petr. Petitus ſub Marini Statilii J. U. D. nomine apologiam edidit; hunc enim verum illius ſcripti auctorem eſſe auctor eſt Claudius Nicaſius in Epiſtola de obitu & ſcriptis Petri Petiti ad Cl. Joh. Georg. Grævium. Itaque cum Caji Tlibomeni, ſive, qui ſub illo anagrammate tegitur, Jacobi Mentelii conjecturis & Statilii apologia, fragmentum idem recuſum Pariſ. 1666. 8. atque iterum cum eadem Apologia Amſtel. 1670. 8. Etiam cum notis Joh. Scheferi Upſaliæ 1665. 8. ac cum obſervationibus Thomæ Reineſii additis iiſdem Scheferi notis, Lipſ. 1666. 8. & cum Mentelii conjecturis, Hadr. Valeſii & Jo. Chriſtoph. Vvagenſeilii diſſertationibus Epiſtolicis & aliorum judiciis ad Chriſtoph. Arnoldum, Norimb. 1667. 8. Denique fragmentum Traguriantum prioribus ante editis ſuo loco inſertum cum ſelectis variorum commentariis vulgatum eſt a *Michaele Hadrianide* Amſt. 1669. 8. quæ elegantiſſima præſtantiſſimaque hactenus eſt Petronii editio, additis etiam variorum auctorum Poematis eroticis, aliiſque, quæ, ut dixi infra, recenſebuntur. Hadr. Valeſii & Joh. Chriſtoph. Vvagenſeilii ſententiæ, qui illud (*t*) pro ſuppoſito habuerunt, ſubſcribit Franciſcus Vavaſſor lib. 2. Epigrammate 81. ſeq. ad Ludovicum Borbonium, Principem Condeum:

Aſſuitur compti Satyris male cento Petroni,
Nec fraudem, Princeps ingenioſe, vides?
Hic nihil e Latio, nihil almas ſpirat Athenas &c.
Fragmentum ne crede; duplex Petronius eſt hic,
Advena Romano Dalmata ſervus hero eſt.
Iſte ſonum & linguam nunc primum diſcit herilem.
Incipit iſte aliquid jam latiale loqui.
Proficiet, ſpes eſt &c.

Apologiam, qua Petronio fragmentum iſtud aſſeritur, *Stephano Gradio* Vaticanæ tunc Bibliothecæ præfecto tribuunt Samuel Tennulius ad Frontinum p. 339. & Theodorus Rycquius ad Taciti XVI. 19. Annal. Sed illam *Petri Petiti* eſſe ex Nicaſio notavi. In Ephemeridibus litterariis Romæ A. 1668. pag. 106. a Franciſco Nazario relatum memini de codice illo MS. ex quo dictum fragmentum expreſſum eſt, eum videri ſcriptum ante 300. annos, & in Bibl. Vaticana extare librum alium manu exaratum Petrarchæ, qui cum hoc tum chartæ genere & forma, tum charactere literarum ex aſſe conveniat, ut ab omni fraudis ſuſpicione editor certe ſit abſolvendus. Confer Valer. Chimentellum de honore biſellii pag. 119. & Joh. Mabillonium T. Muſei Italici p. 202. ſeq. * In iiſdem Ephemeridibus literariis Romæ A. 1670. 4. vulgatis pag. 31. laudatur Statilii Apologia (*u*) pro γνησιότητι fragmenti Petroniani Traguriensis. Equidem jam plerique eruditorum fragmentum illud Petronium agnoſcere auctorem haud ambigunt, licet notant hunc in eo de induſtria quædam putida, & affectata ac ſordida inſeruiſſe, digna nempe perſonis, quas loquentes inducit. Notis *Jo. Scheferi* addendum ſupplementum, quod exſtat inter ejus Miſcellanea ſive lectiones

nes

(*r*) Vide Jacobi Sponii Itinerarium in Græciam &c. parte 1. fol. 20. b. verſionis Germanicæ, & librum alio auctore editum Norimbergæ 1718. 8. cui titulus: Ulter und never Staat bes Ronigreichs Dalmatien. T. 2. p. 139.

(*ſ*) Cl. Vvagenſeilium ab eo tempore non pœnituit judicii ſui, uti patet ex ſinopſi Hiſtoriæ univerſalis parte 2. p. 181. Tom. IV. peræ librorum juvenilium ſuperiore anno vulgatæ, ubi probat vir doctiſſimus Joh. Lud. Praſchii ſententiam allatam ex ejus roſeto ſive præceptis ſtyli latini, qua tamquam barbarum & abſurdum rejicitur illud fragmenrum. Cum Vvagenſeilio feciſſe etiam Jo. Frid. Gronovium narrat vir Cl. Vincentius Placcius in Pſeudonymorum catalogo p. 267. qui haud obſcure innuit ſe quoque de fragmento illo an genuinum ſit addubitare.

(*t*) Confer Ephemerides Pariſ. A. 1666. Ephemeride 15.

(*u*) Exſtat poſt Petronium Burmanni p. 324.

nes Academicas, vulgatas Hamburgi 1675. 8. Auctoritatem Petronii in aliquibus deprimit, & in dubium vocat Godfridus Hechtius diſſ. de voce *inpræſentiarum*, Witeb. 1709. ob locutiones quaſdam male, ut illi quidem videntur, latinas. Sed ut a Chriſtiano Schœtgenio probe animadverſum eſt, cogitare poterat, Petronium præcipue in fragmento Traguriano exagitare Trimalcionem, & alios, qui iſto more ſunt locuti. Adeoque non Petronii habenda illa ſunt, ſed eorum, quos eo ipſo nomine deridet.

Editio Petronii nitida & elegans, quam cum ſelectis variorum commentariis adornavit *Michael Hadrianides*, Amſt. 1669. 8. recuſa ibid. 1687. 8. Denique luculentam, accuratam & præſtantiſſimam noviſſime dedit ſæpe jam laudatus mihi Vir ingenii, & doctrinæ laude florentiſſimus *Petrus Burmannus*, Ultrajecti 1709. 4. in qua contextus ſcriptoris emendate deſcriptus, & in capita diſtinctus ſingulis paginis ſubſtrata habet integra virorum doctorum plerorumque commentaria: & notas antea ineditas *Nicolai Heinſii* & *Guil. Goeſii*, & frequentes ac pereruditas, ad Tragurianum præcipue fragmentum, ipſius Burmanni. Subjecta deinde volumini præcidanea Jani Douſæ, & Gonſalvi de Salas commentarius, variæque ex prioribus editionibus præfationes, & de fragmento Traguriano diſſertationes atque Epiſtolæ, & Siren latina, ſive locupletiſſimus index vocum Petronianarum. Gallice Petronius cum notis ad loca difficilia excuſus Colon. 1687. 12. Hiſt. des Ouvrages des Sav. p. 117. Famam, quæ olim increbuerat, Petronii Satyricon plenius, & locupletius exſtare apud Muretum, denique falſam deprehenſam fuiſſe leges in Ephemeridibus, Pariſ. A. 1666. 12. April. Falſum quoque eſſe exiſtimo quod Scioppius (*x*) ſtrenuus ille maximorum nominum calumniator narrat a Baudio Pariſiis dæmonem de theſauris reconditis conſultum, inprimiſque de Petronio, utrum is alicubi integer exſtaret. Quamquam Leo quoque Allatius inter alia, quæ de eruditis Dæmonem conſulentibus in limine libri de patria Homeri congeſſit, meminit etiam neſcio cujus, qui nefariis ſacris ex impuro ſpiritu ſit ſciſcitatus, utrum Petronius, & ubi integer ſupereſſet?

IV. Noſtris quidem temporibus fuit, qui Petronium *integrum* ex codice Anno 1688. Albæ Græcæ reperto edere ſe fuit profeſſus, Franciſcus Nodotus Pariſiis, ac mox Roterd. 1693. 8. Equidem aſſentior viris eruditiſſimis, qui fraudem nimis apertam eſſe obſervant, cujus ſententiæ auctores ſunt celeberrimus Leibnitzius in litteris ad W. E. Tentzelium, & Joh. Frid. Cramerus in Vindiciis nominis Germanici contra quoſdam obtrectatores Gallos, Jac. Perizonius in Curtio vindicato pag. 53. ſeq. Rich. Bentlei diſſ. Anglice ſcripta de Epiſtolis Phalaridis p. 10. & auctor Obſervationum in Petronium Albæ Græcæ repertum Gallico idiomate (*y*) editarum Pariſ. 1694. 12. Equidem auctori Obſervationum reſpondit Nodotus in Anti-Critica Petroniana (*z*) itidem Gallice vulgata, ſed ingenii plus prodidit in caſtigando adverſario ſuo, quam pro tuendo pſeudo Petronio ſuo judicii vel ſolidorum argumentorum. Etiam vir doctus, qui cum vita Petronii & Gallica verſione elegantiſſima ac clavi verborum omnium, quæ ſub fictis illis perſonis Satyricus perſtrinxerit, ſatyram, qualis a Nodoto edita fuerat, vulgari curavit Pariſ. 1694. 8. quin tota genuina ſit, ne dubitat quidem. Sed erunt haud dubie, qui dicent vel Nodotum ipſum vel Nodoti amicum hunc laborem in ſe ſuſcepiſſe, quo majorem novo fœtui gratiam auctoritatemque conciliaret. Petronium Nodotianum merito ut ſubdititium rejicit Burmannus in præfat. & in notis pag. 92. 217. 316. &c. adeoque nullam illius in ſua editione habuit rationem. De iiſdem Nodotianis ſupplementis Petrus Francius:

Salve nec latio libelle naſo,
Nec lingua facili, nec elegante,
Nec ſane nimis Attici saporis,
Proles patris imaginoſa Galli.
Tu te ludere credis & jocari
Romano ſale, Gratiis Latinis?

Tun'

(*x*) In Amphotidibus Scioppianis p. 116.

(*y*) Titulus libri: *le tombeau du faux Petrone du Belgrade.*

(*z*) Integer titulus ita ſe habet: *La Contre Critique de Petrone, ou reſponſe aux obſervations ſur les fragmens trouvez a Belgrade en 1688. avec la reſponſe a la lettre ſur l'ouvrage & la perſonne de Petrone* a Paris 1700. 8. Auctor ipſe ſibi promittit, quod lectores, qui Petronii ſtudio ducuntur, in hoc libro cum voluptate contemplaturi ſunt *le triomphe des nouveaux fragmens.*

Tun' fucum facere auribus Batavis?
O inſcitia ruris inficeti,
O vecordia putidi cerebri.

Recuſus tamen iterum iterumque Nodoti Petronius eſt etiam cum Gallica verſione (*aa*) A. 1709. 8. addita quæ ſeparatim antea prodierat Anti-Critica (*bb*) adverſus cenſorem Gallum. Occurrunt etiam Nodotiana ſupplementa in Petronio cum notis *Jo. Boſchii* & ad Traguriànum fragmentum animadverſionibus Reineſii, Scheferique vulgato A. 1700. Amſtelod. forma minima, apud Joannem Molters. Jenæ An. 1700. 12. prodiit Petronius ab omni obſcœnitate liberatus cum brevibus notis excerptis & poſtumis Jo. Andreæ Boſii.

Denique in Clariſſ. Jo. Georgii Eccarti excerptis litterariis menſtruis An. 1701. menſe Decembri pag. 13. lego Nicolaum Venetteum ad editionem paraſſe verſionem Gallicam Petronii cum notis & lexico, cui ſubjuncturus ſit *Poema* ejuſdem hactenus ineditum *de mutatione Reip. Romanæ*, ex recenſione C. Granarti. Vereor tamen ne illud ipſum poema intelligatur quod hoc argumento exſtat atque incipit: *Orbem jam totum victor Romanus habebat.*

* Quidam cum Itinerario Italico legiſſet Bononiæ Petronium integrum aſſervari, eum ſibi, cum illa in urbe verſaretur, oſtendi rogat. Deductus igitur in templum eſt, monſtratumque ibi S. Petronii cadaver. Menagiana Tom. 3. pag. 112. ſeq. & de illo S. Petronio Martyrologia 4. Octobr. & Tillemontium T. XV. memor. pag. 30. ſeq. Alius Petronius Probus Pro Cos. & præfectus, in veteri inſcriptione Græca apud Turnefortium itinerar. p. 25. edit. in 4. Petroniorum ſive Petrunculorum nomine cæteroqui venit genus canum venaticorum, de quibus Tho. Fullerus in opere de viris illuſtribus Angliæ (the hiſtory of the vvorthies of England Lond. 1662. fol.) ubi de Provincia Lincolnienſi T. 2. p. 250. ubi etiam de vertagis ſive veltragis & moloſſis Britannicis. Narrationem Petronianam de matrona Epheſia, quæ c. CXI. exſtat, Gallica proſa expreſſit Euremonius in Opuſculis Miſcell. T. 2. p. 27. Gallico carmine Fontanus fab. 242. Hebraico R. Berachias in Miſchle Schualim. Belgice narrat P. Rabus in Diario Roterodamenſi, Boekſaal van Europe A. 1695. Tom. 2. p. 75. Germanice B. D. Carpzovius, Conc. funebr. Tom. IV. pag. 132. Epheſiæ huic in virum ſuum defunctum injuriæ, perfidiam Thomæ Inckli, qui amaſiam ſuam vivam ac ſpirantem Indis vendidit, opponit ſpectator ille, Gallice etiam verſus ex Anglico, ſed tam cupide lectus in Anglia, ut cum primum prodirent foliorum recens exeuntium a prælo exempla ad vicies mille una die direpta dicantur, T. 1. diſſ. IX.

(*aa*) Boekſaal van Europe A. 1695. T. 2. p. 61.

(*bb*) Hiſtory of the vvorks of the learned A. 1701. pag. 344.

DE PERSIO.

A. Perſius (*cc*) Flaccus natus Volaterris (*dd*) eques Romanus æqualis Lucani Poetæ, & una cum eo Annæi Cornuti (*ee*) Philoſophi Stoici auditor, vix duodetriginta annos natus, obiit anno Imperii Neronis nono. Reliquis Perſii poematis juvenilibus juſſu Cornuti poſt auctoris mortem abolitis, utpote indignis luce, ſolus ad nos pervenit *liber ſex ſatirarum* (*ff*) doctus & argutus, ſed cum acerbis (*gg*) ſalibus plenus, tum ita obſcurus, ut pro-

(*cc*) Perſii, dubito an noſtri, effigies in marmore apud Fulv. Urſinum p. 46. elog. & in theſaur. Antiqu. Græcarum Gronoviano T. 3. a a a a. Fuit & Cajus Minius Perſius homo doctiſſimus, de quo Cicero 2. de Oratore, & 1. de finibus refert Lucilium dicere ſolitum: *Perſium hæc legere nolo, Lælium Decimum volo.* Alius Julius Perſius in Apuleji Floridis.

(*dd*) Ita plerifque perſuaſum eſt auctore Euſebio in Chron. & ſcriptore vitæ Perſii, licet ipſe ſe poeta Ligurem e Tigulia prope portum Lunæ innuere videtur, Sat. VI. verſ. 6. ſeq. Vide Gaſpari Maſſæ, & Ludovici Aproſii diſſertationes Italico idiomate ſcriptas de patria Perſii, quæ recuſa leguntur ad calcem Raphaelis Soprani de ſcriptoribus Liguriæ. Gregorium Leti in Italia regnante parte IV. p. 373.

(*ee*) Cornutum ſuum multis laudat Perſius Satyra V. quæ ridicule inſcribitur etiam in Schreveliana editione, *ad Magiſtrum Epicum Cornutum*, pro eo quod legi debebat *ad Magiſtrum Annæum Cornutum*. De Cornuto & ejus ſcriptis dixi lib. III. Bibl. Græcæ c. 15. p. 398. ſeq.

(*ff*) P. Pithœus teſtatur in antiquo MS. ſingulas paginas hanc inſcriptionem præ ſe tuliſſe: *Thebaidorum Perſii Satyra*, & in extremo: *Explicuit Perſii Thebaidorum Satyra feliciter.*

(*gg*) Hinc *Severi* appellationem Perſius tulit, ut Lucilius a Juvenale dictus eſt *ardens*; Catullus *doctus*

ab

propterea aliquibus abjiciendus eſſe videretur. De Perſii, Lycophronis Latini (*hh*) patria Auguſtinus Oldoinus in Athenæo Liguſtico p. 80. ſeq.

II. Ut hodie illuſtratus eſt Perſius, etiam a mediocriter doctis legi & intelligi poteſt. Cum vero multorum induſtria in eo interpretando verſata fuerit, præter ceteros, optime de hoc ſatyrico meruiſſe dicendus *Petrus Pithœus*, qui *vetera Scholia* (*ii*) utiliſſima in Perſium ex veteri codice cum notis ſuis publicavit Pariſ. 1584. 1590. 8. Heidelb. 1610. 8. tum *Iſaacus Caſaubonus*, cujus eruditiſſ. atque uti Joſepho Scaligero videbatur divinus commentarius additis antiquis ſcholiis vulgatus eſt Pariſ. 1605. 1615. & auctior Londini 1647. 8.

Ex reliquis Perſii editionibus hæ mihi innotuerunt: Lovanienſis 1475. fol. per Joannem de Vveſtphalio *arte quadam characteriſandi moderniſſima*. Et Mediolanenſis 1476. fol. per Anton. Zarottum; Daventrienſis A. 1482. fol. In Ephemeridibus litterariis Germanicis Lipſ. 1710. pag. 899. reprehenditur Georgius Nicolaus Kriegk, quod pag. ultima diſſ. de Perſio Jen. 1701. editæ ſcripſit Auguſtum glorioſæ memoriæ Ducem Bruſvincenſem adhuc juvenem nomine ſuo diſſimulato edidiſſe ἀνεκδότους antea *Bartol. Fontii* notas in Perſium. Illam editionem haud vidi. Sed idem ante Kriegkium tradiderat Conringius de Bibl. Auguſta pag. 86. & Codicem Guelpherbytanum Commentarii Fontiani dignum editione laudat Struvius introduct. in Hiſt. literar. p. 137. Cæterum haud dubie Perſius, Fontii notis illuſtratus ducentis fere annis ante prodierat, ut Venetiis 1482. fol. per Baptiſtam de Tortis, & anno eodem atque eadem in urbe per Renaldum de Noviomago Theutonicum: atque iterum 1484. 1495. & apud Petrum Joannem de Quarengis 1492. fol. in qua editione Perſius cum commentario *Fontii* & *Jo. Britannici*, Brixiani, extat, Juvenalis vero cum commentario Georgii Vallæ & Domitii Calderini. Perſius cum notis Jo. Britannici prodierat Brixiæ 1486. fol. typis Jacobi Britannici Brixiani. In iiſdem Ephemeridibus laudantur Variæ lectiones Perſii & Juvenalis ex Codice MS. illuſtris Gersdorfiæ; atque in Perſii Sat. 1. & 2. *Lud. Cendratæ* annotationes MSS. in Bibl. Rhedigeriana. *Cantalycii* circa A C. 1472. clari commentarius in Perſium Franciſco Mariæ Epiſcopo Viterbienſi dicatus, neſcio an editus, memoratur a Labbeo Bibl. nov. MSS. pag. 68.

Perſius ſine notis apud Aldum A. 1501. 8. cum Juvenali; Lipſiæ 1507. fol. & ſine anni nota in 4. Editio Perſii Pariſienſis Pariſ. 1523. fol. per Jodocum Badium Aſcenſium, additas habet præter ejuſdem Badii notas *Jo. Baptiſtæ Plautii*, *Jo. Britannici*, *Ælii Antonii Nebriſſenſis*, *Jo. Murmelii*, Ruremundenſis, & *L. Jo. Scoppæ*. Cum notis *Nebriſſenſis* (*a*) prodiit etiam Perſius Pariſ. 1527. 8. apud Rob. Stephanum, & Lucronii in Hiſpania 1529. 8.

Per-

---

ab Ovidio, Horatius a Perſio *vafer* dicitur, Lucretius a Lucano *difficilis*. Confer Bælii Lexicon in Perſio, quem propter ſingularem carminum obſcuritatem non dubitat Latinorum Lycophronem appellare. Neque ignotum eſt, quod paſſim narratur de S. Hieronymo, qui non capiens ejus tenebras *intellecturis ignibus ille dedit*, abjectoque libro, *ſi non vis intelligi*, inquit, *non debes legi*. Minus præclare de Perſio ſentit Vavaſſor libro de ludicra dictione pag. 239. ſeq.

(*hh*) Giornale de' letterati d' Italia Tom. VIII. pag. 76.

(*ii*) Scholia antiqua ante Pithœum ediderat Rob. Stephanus 1549. 8. Locupletiora Elias Vinetus Pictavii 1563. 4. ſed magis ſelecta ſunt, quæ Joſ. Scaligeri Eclogario ex MSS. P. Pithœus vulgavit. Neque hæc tamen, neque illa qualia hodie exſtant, vel *Cornutum* vel *Probum* habent auctorem, ſed ex diverſæ ætatis, & eruditionis interpretum notis ſunt conflata. Chriſtiani ſcriptoris non eſſe probat Pithœus ex iis, quæ ad ſat. 5. v. 184. leguntur. H. Ernſtius lib. 1. c. 7. Obſ. fide codicis antiqui Mediolanenſis tribuere ea non dubitat *Helenio Acroni*, quod nec Vincentio Placcio improbabile videtur p. 179. catalogi Pſeudonymorum. At longe abeſt, ut credam viris doctis in mentem veniſſe integra, & ſincera Acronis in Perſium commentaria ſcholiis illis contineri. Janus Parrhaſius p. 15. Epiſt. ait ſe alios genuinos *Probi* commentarios in primam Perſii ſatyram manu exaratos legiſſe longe majori cura ac ingenio compoſitos. Alia ſcholia vetera in Perſium profert Barthius lib. 56. c. 2. lib. 11. c. 27. Adverſar. Scholiaſtes Perſii Barthio p. 129. ad Claudianum videtur eſſe *Cornutus* Grammaticus, (cujus in Virgilium a Gellio, Chariſio, Servio allegatur,) ſed interpolatus ad ſequiorum temporum captum atque uſum. *Helenio Acroni* ſcholia illa tribuit Jo. Rhodius pag. 133. ad Scribonium Largum. Ex locupletiore Bonav. Vulcanii Codice quædam producit Paulus Merula ad fragmenta Ennii p. 67. referens & ipſe ſcholia illa ad *Annæum Cornutum*. In Bibliotheca Goldaſti fuit vetus Perſii interpres *Sæbius Janens* MS. in membrana. Vide Erhardum, ſive ipſum potius Goldaſtum, limine notarum ad Petronium.

(*kk*) De hoc Nebriſſenſi ſuſe Nic. Antonius Bibl. Hiſp. Tom. 1. in *Antonius de Lebrixa*.

Perſius apud Sim. Colineum. Lugd. 1528. 8. Cum ſcholiis *Joannis Murmelii* Ruremundani & *Herm. Buſchii*, Pariſ. 1531. & 1538. 4. & apud Chriſtianum Wechel 1533. 8. item Magdeburgi 1537. Cum Plautii, Cornuti, Britonis ſive Britannici Brixiani & Fontii commentariis Auguſtæ Vindel. 1544. fol. Prodiit & Perſius cum Juvenali Venet. 1530. 12. 1535. 8. apud Bernardinum Stagninum; Lugd. 1534. 8. ap. Gryph. & Pariſ. apud Rob. Stephanum 1544. 8. Cum notis *Jo. Murmelii*, & *Eraſmi* Colon. 1538. 8. Baſileæ 1551. fol. cum notis Badii, Britannici, Murmelii, *L. Joannis Scoppæ*, *Jo. Baptiſtæ Plautii*, *Ælii Antonii Nebriſſenſis*, & *Cælii Secundi Curionis*. In hac tamen editione notæ Nebriſſenſis non ſunt integræ.

Perſius cum *Antonii Foquelini* commentario Pariſ. 1555. 4. Cum ſcholiis antiquis & commentario *Eliæ Vineti* Pictav. 1563. 4. Juvenalis & Perſius cum notis *Theod. Pulmanni* Antvv. 1565. 8. *Nicodemi Friſchlini* Paraphraſis Baſil. 1582. 4. Francof. 1596. 4. *Feder. Ceruti* paraphraſin, Venet. 1597. 8. editam, notaſque *Phil. Engelberti* Baſil. 1580. 4. & *Theod. Marcilii* Pariſ. 1600. 8. Lipenius commemorat editionem Perſii Amſtelodamenſem A. 1595. 8. cum paraphraſi & notis *Eilhardi Lubini*. Crenius parte III. animadverſ. p. 17. & Bibliotheca Bultelliana p. 403. *Steph. Claverius*, qui in Martialem & Claudianum ſcripſit, Perſium quoque illuſtravit Pariſ. A. 1607. 8. de quo vide Barthium ad Statium T. 1. p. 432. Cum Ecphraſi ſive paraphraſi & ſcholiis *Franciſci Sanctii*, Brocenſis, Salmanticæ 1599. 8. Perſius cum notis *Vineti*, *Petri Pithœi*, *Theod. Marcilii*, *Jo. Tornupæi*, & ſcholiis veteribus Cornuti, ſive quicumque illorum eſt auctor, Pariſ. 1601. 4. apud Morell. Cum notis & paraphraſi *Eilhard. Lubini* Hanov. 1607. 8. & 1619. Cum notis poſtumis *Jo. Bond.* Lond. 1614. 8. Norimb. 1625. Pariſ. 1644. 8. & Amſtel. 1645. 12. Cum notis *Th. Farnabii* Lond. 1612. 8. Francof. 1623. 8. Amſt. 1634. 1648. 12.

Juvenalis & Perſius ex recenſione *Nic. Rigaltii* Pariſ. 1616. 12. *Aſterii Manlii* in 1. & 2. Perſii Satyram Commentarii & notæ Parmæ 1621. 4. Juvenalis & Perſius typis Regiis nitide excuſus Pariſ. fol. Perſius cum commentario *Dav. Wedderburni* Scoti, Abredonenſis, Amſt. 1664. 12. Paraphraſin & commentarium *Dav. Wedderburni* in Perſium, poſt auctoris mortem edidit frater Alexander Vvedderburnus, Amſtelod. 1664. 12.

Editioni Juvenalis & Perſii Friburgenſi Anno 1608. 4. *Joſephus Langius* indicem omnium vocabulorum adjecit, qui deinde ſervatus in edit. Genev. 1612. forma minore, & *a Lud. Prateo*, a quo iidem auctores in uſum Delphini vulgati ſunt Pariſ. 1684. 4. Juvenalis & Perſius ex *Lud. Pratei* editione in uſum Delphini recuſus Lond. 1691. 1699. 8. His adde editiones Juvenalis, & Perſii cum notis variorum Lugdunenſem Bat. 1648. 1671. & utraque meliorem eodemque omnium verborum indice auctam Amſtelodamenſem A. 1684. 8. in quibus itidem vetus ſcholiaſtes occurrit, ſed aliquando, ut in prologo ſtatim, mancus cum a Pithœo plenior editus fuiſſet, cujus annotationes quoque neglectas miror. Præclara denique editio cum Vett. ſcholiis integris, notis Iſ. Caſauboni &c. Lugd. Bat. 1697. 4. adjuncta Juvenali Henniniano. De notis variorum quæ ſunt ex doctorum commentariis a *Corn. Schrevelio* aliiſque excerptæ interpretationes, nemini ignotæ eſſe poſſunt eruditorum querelæ, *quibus diſplicent, qui neſcio quibus agitati Bacchicis furoribus quoſvis doctorum labores in pannuceos centunculos ſine nomine ſine judicio ſine miſeratione dilacerant, & dein miſerabiles ſuas quiſquilias invidendo, & ſplendido variorum titulo oſtentant*, ut ait ad Juvenalem V. C. Henr. Chriſtianus Henninius. Neque tamen hoc æque de omnibus promiſcue dicendum: & qui integras doctorum notas ſine modo accumulant, forte rem ex vero putantibus ſæpe melius de auctoribus notarum, vel typographis ac bibliopolis, quam de lectoribus eadem crebrius & ſæpe parum ad rem facientia inculcari ægre ferentibus meriti poterunt videri. Denique Juvenalis & Perſius prodierunt cum interpretatione ac notis Joſephi Juvenci e S. J. Rothom. 1697. 12.; & ex recenſione *Michaelis Maittaire*, Lond. 1716. 12. additis Variis Lectionibus editionum quarundam antiquiorum, quæ Annum 1500. anteceſſere.

* Prologum Perſii *Græca* Metaphraſi donavit præter Joſephum Scaligerum Dionyſius Petavius lib. 2. Epiſt. 29. Gemma Bacchanalis, cujus icon exſtat in fronte commentariorum Iſ. Caſauboni ad Perſium, illuſtratur ab eodem Caſaubono in libro de Satyra, & pulcherrimis imitationibus clariſſimæ artificis Hajæ (Madame le Hay) locum dedit. Vide Memorias

rias Trevoltinas A. 1717. pag. 1580. ſeq. *Gallice* ut antiquam Metaphraſim Abelis Foulonii Pariſ. 1514. editam omittam, vertebunt Perſium Quercetanus, Pariſ. 1607. 8. Marollelius ib. 1653. 8. Sylvecanus, additis notis ib. 1693. 12. & carmine liberiore nuper, latinis ex adverſo poſitis vulgavit Nobilius. Satires du Perſe traduites en vers François, & accommoddees au gout preſent par Mr. Noble, Amſt. 1706. 8. Cum Proſaria luculenta paraphraſi Tarteroni Perſius, & Juvenalis ſæpius prodiit, & eſt mihi ad manus editio Pariſ. 1706. 12. *Italice* poſt Jo. Antonii Vallini expoſitionem, *le oſcuriſſime ſatire di Perſio con la chiariſſima ſpoſizione di Giovanni Antonio Vallone*, Neapoli 1576. 8. & poſt Metaphraſim Franciſci Stellati cum commentariis editam Romæ 1630. 5. Amſt. 1706. 8. noviſſime Camillus Sylveſter (*a*) Nobilis Rhodiginus ſatyras Juvenalis, & Perſii Hetruſco carmine expreſſas cum notis, & diſſertationibus antiquitates varias illuſtrantibus prælo ſubjecit Patav. 1711. 4. Nam metaphraſin eruditiſſimi Viri, Antonii Mariæ Salvini (*b*) adhuc deſideramus: *Anglice* cum commentario Juvenalem, & Perſium edidit Bartenius Holyday, Oxon. 1616. 8. 1673. fol. Et ante paucos annos prodiit Perſius ex Metaphraſi præſtantiſſimorum poetarum Diepneyi, Drydenii, Creechi & Congrevii, cum notis, & diſſertatione de natura origine ac progreſſu Satyræ. *Germanica* Metaphraſis Jo. Samuelis Adami lucem vidit Dresdæ 1674. 8. qui in præf. etiam prælectionum ineditarum Frid. Rappolti in Juvenalem & Perſium meminit. *Hiſpanica* Didaci Lopez Valentini Burgis 1609. 8. Verſionem quoque Bartholomæi Melgareji, ſed ineditam memorat Nic. Antonius.

DE SULPICIA.

S*Ulpiciæ Poetriæ Satyra* ſive Ecloga de edicto Domitiani quo Philoſophos urbe exegit, Pithæus in Collectione Poematum, pag. 247. Hæc cum Pithœi notis etiam ſubjecta Juvenali, quem cum Veterum Scholiis Variorumque notis edidit Corn. Schrevelius: & a Mich. Hadrianide cum Jani Douſæ patris commentario exhibita ad calcem Petronii Arbitri, ut infinitas alias editiones jam omittam. Ceterum fuerunt, qui hanc Eclogam perperam dicerent eſſe Auſonii. Vide Barthium lib. 19. cap. 16. Adverſariorum, Jul. Cæſ. Scaligerum in hypercritico, & Janum Brouckhuſium pag. 384. ad Tibullum & 402. Prodiit etiam ex Georgii Merulæ recenſione Argentorat. 1509. 4. cum Georgii & Tiphernatis & aliorum carminibus.

(*a*) Journal des Savans 1713. Aout. p. 231.

(*b*) Giornale de' letterati d' Italia Tom. XIV. pag. 133.

DE TERENTIANO MAURO.

T*Erentiani Mauri* (*c*) *de litteris, ſyllabis, pedibus & metris carmen* ad Baſſinum filium & generum Novatemum (vide v. 278.) omni elegantiarum genere conditum & amabili quadam ingenii amœnitate temperatum, vario poematis genere. Incertum utrum hic ſit Poſthumius Terentianus, cui Longinus dicavit librum ſuum aureolum de ſublimi dictione, vel quem Syenes (*d*) in Ægypto præfectum celebrat Martialis lib. 1. Epigr. 87. Etſi utrumque videtur Voſſio lib. de Poetis Latinis. Equidem ſi Septimius Poeta, cujus plus ſimplice vice Terentianus meminit, idem ſit cum Septimio Severo, ad quem exſtat carmen Lyricum in quarto Sylvarum Statii, (ita perſuaſum Gyraldo dial. X. de poetis) Martialis ætati propiorem oportet eſſe Terentianum: non diu enim poſt hunc Septimium ſcripſiſſe ſe duobus locis ſignificat:

Dulcia Septimius qui ſcripſit opuſcula nuper.

Atque iterum:

Nemo tamen culpet, ſi ſumo exempla novella,
Nam melius noſtri ſervarunt metra minores,
Septimius docuit quo ruris opuſcula libro &c.

Cæterum Carmen illud Terentiani ſæpius prodiit

(*c*) Carthaginienſem eſſe negat T. Faber ad Longin. Maurum Patria ſe ipſe fuiſſe docet p. 87. edit. Briſſæi:

Maurus item quantos potui cognoſcere Grajos?

(*d*) Sane in fronte editionis Pariſienſis ap. Simonem Colineum A. 1531. 4. cum notis Nic. Briſſæi Montivillarii dicitur *Terentianus Maurus Niliacæ Syenes præfectus.*

diit tum ſeorſim tum in corpore Poetarum. Exſtat etiam cum Scholiis Nicolai Briſſæi, Jacobi Petrevini &c. Prima Terentiani editio cum Auſonio lucem adſpexit Mediolani A. 1497. fol. emendavit poſt Georgium Merulam, Janum Parrhaſium & Nic. Briſſæum, Jacobus Micyllus Francof. 1584. 8. *Terentiani* Mauri meminit S. Auguſtinus VI. 2. de Civitate DEI: *Iſte igitur vir tam inſignis excellentiſque peritiæ, & quod de illo etiam Terentianus elegantiſſimo verſiculo breviter ait, Vir doctiſſimus uſquequaque Varro.* Idem libro de utilitate credendi cap. 17. *Nulla imbutus poetica diſciplina, Terentianum Maurum ſine magiſtro attingere non auderes. Aſper, Cornutus, Donatus & alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poeta poſſit intelligi.* Mentio etiam apud Ennodium lib. VIII. Epiſt. 29. & apud Victorinum libro tertio de metris, qui Terentiani veſtigiis libenter inſiſtit, p. 2578. pro *Anniano* legendum *Terentianus*, ex quo etiam Septimii Sereni illud affert:

Quando flagella ligas ita liga,
Vitis & ulmus uti ſimul eant.

Apud Terentianum eſt, *quando flagella jugas, ita juga*, quod perplacet. Citatur etiam Terentianus Maurus de literis a Rabano Mauro de arte Grammatica Tom. 1. pag. 39. Primus ejus librum in Bobienſi monaſterio A. 1494. reperit (*e*) Georgius Merula, ediditque Mediolani 1497. fol. per Uldericum Schinzenzeler: Hieronymo Commelino autem debetur editio Heidelbergenſis 1584. 8. ex officina Sanctandreana, quam Putſchius eſt ſecutus, junctos habens cum brevibus Commelini notis, *Marii Victorini* quatuor libros de quibus dixi ſupra & Servii de pedibus verſuum, accentibus & quantitate Syllabarum libros duos.

DE PALLADIO.

I. PAlladius (*f*) Rutilius Taurus (Volaterrano Scaurus) Æmilianus Vir illuſtris & Græce doctus patria ut videtur Romanus, etſi fundorum ſuorum in Sardinia in territorio Neapolitano meminit lib. 4. pag. 578. edit. Commelin. ſcripſit poſt Apulejum, cujus teſtimonio ſemel utitur; non itaque ſub Hadriano, ut perperam affirmat Lud. Vives libro tertio operis doctiſſimi de tradendis diſciplinis. Scripſit inquam, dictione ſimplici nec ineleganti tamen, *De re Ruſtica libros XIV.* quorum primus præcepta rei Ruſticæ varia complectitur, ſecundus uſque ad tertium decimum ſingulis libris ſingulorum menſium operas explicat, initium faciens a Januario. Ultimus denique ad *Paſiphilum*, quem virum doctiſſimum vocat, & cui ſuperiores quoque inſcripſit libros, agit de inſitione, verſibus Hexametris & Pentametris. Priores libri tredecim, ut ipſius auctoris verbis utar, ſunt.

Nec ſtricti numeris, nec Apollinis amne fluentes. Prodiit hoc agricolare Palladii opus ſæpius cum Aldi Manutii commentario de dierum generibus apud Palladium, & cum Catonis, Varronis, & Columellæ ſcriptis ejuſdem argumenti & caſtigatum eſt a Petro Victorio atque

(*e*) Giornale de' letterati d' Italia Tom. 17. pag. 304. Infra p. 475.

(*f*) Æmilianum inter auctores probabiles rei Georgicæ laudat Caſſiodorus c. 28. divin. lection. Memoratur etiam Iſidoro Hiſpalenſi XVII. 1. Originum. Ceterum notior eſt hic ſcriptor prænomine, uti Macrobius & pauci quidam alii: ac utique diverſus eſſe videtur a Palladio Rhetore, qui frater a Symmacho dicitur, & cujus pompam atque facundiam celebrat idem Symmachus atque Sidonius Apollinaris lib. 5. Ep. 10. Fuit etiam Palladius Medicus Alexandrinus Galeno junior qui Græce ſcripſit in quoſdam libros Hippocratis. Alius Palladius Sophiſta Methonæus Palladii filius ſub Conſtantino Imp. celebris teſte Suida qui ſcripta ejus commemorat. Alius Palladius vitæ Chryſoſtomi & Hiſtoriæ Lauſiacæ ſcriptor, ad quem haud dubie referendus liber de Gentibus Indiæ & Brachmanibus, quem ſub Palladii nomine vulgavit Eduardus Biſſæus, & ſine auctoris nomine ante Biſſæum, quod hunc fugit, Joachimus Camerarius ὁ πάνυ in libello Gnomico de quo dixi lib. 2. Bibl. Græcæ cap. 11. §. 6. Omitto Palladium cujus Epiſtola ad Epiphanium Ancorato Epiphanii præmittitur. Fuit & Palladius quidam curſor Theodoſii Junioris, cujus meminit Socrates lib. 7. c. 19. &c. Noſtrum porro de quo jam agimus Palladium ab aliis *Paludium*, ab aliis *Rutilium Palladianum* dictum reperio. Plures Tauri nomine claros refert Colomeſius p. 240. Opuſc. Apud Labbeum vero p. 198. Bibliothecæ novæ MsS. vitioſe ni fallor noſter vocatur Palladius Rutilius Paulus Æmilius, V. I. Palladios alios ultra quinquaginta recenſui libro V. Bibl. Græcæ cap. 32. Volum. IX. pag. 10. ſeq. ubi de Palladio, Græco Hiſtoriæ Lauſiacæ ſcriptore.

que Hieronymo Commelino, illuſtratum a Philippo Beroaldo. Vide quæ ſupra annotavi. Palladius & Columella Germanice per Theodorum Majum Magdeb. 1621. fol. Incertum cuinam Paſiphilo libros ſuos inſcribat Palladius. Paſiphili Philoſophi, qui A. C. 371. ſub Valente tortus, mentio apud Ammian. XXIX. 1. Ad Paſiphilum eſt Lib. 8. Cod. Theodoſ. de Juriſdictione, Olybrio & Probino Coſs. A. C. 395. Epiſtola quæ libro decimo ſubjicitur, toti operi præmittenda eſt, ut pulchre notavit V. C. Joannes Conradus Schvvartz, cui novam Palladii editionem libenter debebimus. Vide ejus Epiſtolam ad Virum nobiliſſ. Godfridum Thomaſium inſertam Actis Eruditorum Germanice editis Tom. 2. p. 342. ſeq. Sic notum eſt in antiquis Gellii editionibus Epiſtolam, quam toti operi Gellius promiſerat, ad calcem rejectam legi. Commeliniana Palladii editio cum MS. collata exſtat in Bibl. Leidenſi. Indicem ſcriptorum a Palladio & aliis ſcriptoribus rei ruſticæ laudatorum dedi ſupra ad lib. 1. c. 2. ubi etiam de variis editionibus. *Gallicam* Palladii verſionem a Joh. Darcio compoſitam editamque Pariſ. 1553. 8. ap. Mich. Vaſcoſanum memorat Crucimanius Bibl. Gall. pag. 491. & Catalogus Bibl. Bigotianæ p. 138.

DE SERENO SAMMONICO.

Q. (*g*) Serenus Sammonicus pater Sereni Sammonici, qui Gordiano juniori præceptor fuit (*h*) ipſe clarus ſub Septimio Severo & Antonino Caracalla, a quo poſtremo in cœna (*i*) interemptus periit. Vir inter ſæculi ſui doctiſſimos ingentem reliquit Bibliothecam voluminum 62000. quam filius Gordiano juniori dono dedit. A Septimio Sereno diſtinguendum Sammonicum monet Sidonius Epiſtola ad Polemium, carmini XIII. ſubjecta. Idem Sammonicum inter Matheſeos peritiſſimos conditores laudat cum Firmico & Saturnino: atque alibi cum Varrone, Cenſorinoque.

II. Ex variis ejus ſcriptis, Phyſici, Mathematici & Philologici argumenti, ſolum ad nos pervenit *carmen Heroicum præcepta de medicina parvo pretio parabili* ad curandos præcipuos humani corporis morbos, complexum. In his ſuperſtitioſa nonnulla ex more illius ætatis occurrunt, quale eſt quod conum *Abracadabra* (*k*) chartæ inſcriptum hemitritæo depellendo valere ait, plura forte tranſcribens quam credens. Etſi ejus uſum plurimorum ſe probatione & eventu probaſſe affirmat Thomas Bartholinus (*l*) libro de Medicis Poetis. Confer de illo Amuleto præter Rob. Keuchenium in ommentario ad Serenum, Jacobi Wolfii Scrutinium

(*g*) Quinti prænomen non reperio ap. Spartianum, Macrobium, alioſve veteres, qui Sammonici meminere.

(*h*) Filium cum Patre confundit Riccobonus in ejus vita, Gyraldus Dial. 4. de Poetis & alii. A Septimio Sereno diſtinguendum monet Sidonius Epiſtola ad Polemium carmini 13. ſubjecta, & Sammonicum in Epiſt. ad Pontium Leontium quæ ſubjicitur carmini 21. peritiſſimis conditoribus Matheſeos annumeret, niſi pro *Sammonicum Saturninum* legendum *Fallonium Saturninum* ut in MS. Jo. Savaro reperit. Pſeudo Luitprandi de Q. Sereno Sammonico, Hiſpano, ſi Diis placet, e Samone Gallæciæ opido, tum Chriſtiano, denique Martyre commenta exploſa ubi lubebit videbis a Nic. Antonio lib. 1. Bibl. Veteris Hiſpanæ c. 20. p. 94. ſeq.

(*i*) Spartianus in Caracalla p. 243.

(*k*) Colomeſius Miſc. Hiſtoric. pag. 94. *Les Juifs modernes au raport du Buxtorfe le fils dans ſa Synagogue chap.* 45 *diſent que pour chaſſer le fievre quarte il ne faut que prononcer le mot* Abracalan, *en diminuant toujours d' une lettre. Julius Africanus dans ſon grand ouvrage intitulè* κεστοι *qui ſe trouve Manuſcrit dans le Biblioteque du Roy d' Eſpagne & Serenus Sammonicus dans ſon poeme de Medicina attribuent le meme e fet au mot Abracadabra ainſi prononcè. Il ſe peut faire que les Juifs ayent tirè leur recette de l' un de ces deux anteurs.*

(*l*) *Vulgatus hemitritæo depellendo conus plurimorum obſervatione & eventu ſe probavit, etſi rationem ignoremus. Vide profuiſſe in febribus* (idem jactatum memorat ſed explodit Lucianus in Philopſeude) *etiam ſine ſuperſtitione collo appenſum, addito ſolo cornu cervino, cujus appenſi tanta potentia Conſtantino Cæſari Geopon. lib. 16. cap. 1. 3. ut nec boves nec equi poſſint ægrotare.* Hactenus Bartholinus. Similia jactant Talmudici de ſuo *Schabiri*. Confer Buxtorfii Lexicon, & clariſſimi Collegæ mei Georgii Eliſeris Edzardi præf. ad Avoda Sara pag. 25. Alia hujuſmodi dabunt Balth. Bonifacius Hiſt. ludicræ XIV. 5. & Jo. Chriſtianus Fromannus libro de faſcinatione p. 25. & 30.

tinium Amuletorum, diatribam ſingularem Medici ac Philologici præſtantiſſimi Georgii Franci de Franckenau & Doctorem meum Thomam Ittigium de Hæreſiarchis Apoſtolicæ atque Apoſtolis proximæ ætatis pag. 103. 104.

III. Carmen Sereni extrema parte truncum eſſe videtur, itaque pedibus eo in ſententiam Roberti Conſtantini, qui verſus in calce libri Marcelli Empirici de medicamentis, conjectura minime abſurda ſed veriſimillima habet pro peroratione poematis Sereniani.

IV. Editum Sereni carmen eſt Venetiis Anno 1488. cum Arato, Avieno &c. fol. Deinde Venet. 1502. 4. & 1528. 4. apud Aldum cum Celſo, quæ editio cum notis MSS. fuit in Bibl. celeberrimi Almeloovenii. Haganoæ 1528. 8. Ab eo tempore ſæpiſſime, ut Patav. 1563. 8. Venet. 1566. 8. & Lugd. 1554. 12. quam editionem habeo Joſephi Scaligeri emendationibus nonnullis MSS. ornatam. Teneo & varias lectiones codicis MS. membranacei Paderbornenſis 400. fere annorum, quem A. 1683. contulit Marquardus Gudius. In Sammonico, quoniam pluries olim deſcriptus eſt & interpolatus, incredibilem lectionum varietatem offerunt MSti Codices, teſte Rittershuſio ad Oppianum, & Barthio XXVI. 27. Adverſar. MS. Franciſci Barberini laudat Joannes Rhodius p. 61. ad Scribonium.

Prodiit & Sereni carmen inter Medicos veteres Aldi Venet. 1547. fol. & H. Stephani, Pariſ. 1567. fol. atque inter Poemata antiqua a P. Pithœo recenſita & cum notis edita. Tum Tiguri 1540. 4. 1581. 4. cum commentario Gabrielis Humelbergii, & Baſil. 1571. 8. cum G. Pictorii ſcholiis. Et in Corporibus Poetarum. Sed omnibus editionibus facile præferenda, quam *Robertus Keuchenius* ad MS. Codicem caſtigatam cum locupletiſſimis notis & commentariis in lucem emiſit Amſt. 1668. 8. a quo pag. 78. ſeq. aliæ editiones nonnullæ recenſentur. Recuſus Keuchenii Serenus ibid. 1706. 8.

V. Ex libro quarto reconditorum Sammonici Sereni Macrobius l. 3. Saturnal. cap. 9. affert carmen, quo Dii antiquo ritu evocabantur, & aliud quo mos fuit devotas fieri civitates. Idem libri ejusdem capite 16. ubi de acipenſere loquitur, Sereni verba recitat, quibus poſt productum Plinii de illo piſce locum, perperam affirmat illum naturæ Bibliothecarium ad uſque Trajani Imperatoris ætatem perveniſſe, Majorem Plinium ita confundens cum Juniore, ut notatum Scaligero p. 207. ad Euſeb. De lege Fannia Sammonici fragmentum exſtat apud eundem Macrobium lib. 3. c. 17. De morbis magica carminum vi oppugnatis diſſerit etiam Janus Brouckhuſius ad Tibullum pag. 99. De Judæorum ſuperſtitione per ſuum *Abrocolos* febri quartanæ medentium, Jo. Henricus Majus vir eruditiſſimus in recenſione Codicum MStorum Hebraicorum Uffenbachianorum p. 323. Vide etiam Cornelium Agrippam occultæ Philoſophiæ libro 3. capite 11. Buxtorfii Lexicon Talmudicum pag. 2063. 2320. & celeberrimi Collegæ mei G. Eliſeris Edzardi notas ad Avoda Sara cap. 1. p. 265.

DE NEMESIANO.

M. Aurelius Olympius Nemeſianus Carthaginienſis, Poeta, quem Halieutica, Cynegetica & Nautica, ſive ut Caſaubonus legit, Ixeutica ſcripſiſſe, omnibuſque emicuiſſe coronis illuſtratum narrat Flavius Vopiſcus, ubi Numerianum Cæſarem cum eo in Poetica contendiſſe refert. Sola ſuperſunt illius *Cynegetica* carmine heroico deſcripta ad Carinum & Numerianum, divi fortiſſima pignora Cari. Tum *Eclogæ IV.* Quibus Poematibus non elegantiæ tantum & ingenii laudem conſecutus eſt, ſed & caſtigata puraque dictione, præ ceteris ſe ſcriptoribus Afris commendat. Jam ante annos octingentos in Scholis prælegi ſolitus, ut ex Hincmaro Rhemenſi obſervat Voſſius de Poetis Latinis pag. 53. De Editionibus ſupra in Gratio & mox in Calpurnio dixi. Olympius & Nemeſianus memoriæ lapſu vel calami pro Calpurnio & Nemeſiano nominantur in Jo. Clerici arte Critica T. I. p. 80. 81. Hincmarus Tom. II. p. 481. *auditu & lectione puer ſcholarius in libro, qui inſcribitur Cynegeticon Carthaginienſis Aurelii, didici;* Nemeſianum innuit, cujus Cynegetica Cari Imp. liberis Carino & Numeriano inſcripta ſunt. Alius Nemeſianus Epiſcopus, ad quem Epiſtolæ S. Cypriani, Epiſcopi Carthaginienſis. Nemeſiani & Calpurnii Bucolica prodierunt cum commentario Dominici Guidalotti, Bonon. 1554. fol. Eſt etiam ad manus editio antiqua in 4. ſine anni locique

nota-

notatione, in qua Eclogæ quatuor Nemeſiani Calpurnianis ſeptem tamquam octava, nona, decima & undecima ejuſdem ſcriptoris perperam ſubjiciuntur. De Georgio Logo, cui Gratium, Ovidii Halieutica & Nemeſianum debemus, vide Jo. Henelium in Breslographia pag. 7. & in Sileſiographia cap. VIII. pag. 116.

DE CALPURNIO.

T. Julius Calpurnius, Siculus, ab inopia vexatus, ad eundem Nemeſianum, ſuum ut videtur Patronum, miſit Bucolica ſive *Eclogas ſeptem*, in quibus Gyraldus dialogo quarto de Poetis ait, facilitatem ſe & ſermonis volubilitatem, ſed parum interdum nervi & concinnitatis offendiſſe. Neſcio an idem eſt *Junius* ſive ut in Palatino Vopiſci Codice legi refert Gruterus, *Junius Calpurnius* dictator memoriæ, cujus *de morte Cari Epiſtolam* ad Præfectum urbis datam producit Vopiſcus in vita Cari Imperatoris. Diverſus a T. Julio Calpurnio Eclogarum ſcriptore Æmilianus Calpurnius Rofilianus; cujus mentio in vet. inſcriptione ap. Thomam Galeum pag. 126. ad Antonini iter Britannicum. Alius item Calpurnius Flaccus Rhetor, de quo ſupra lib. 2. cap. 15. §. ult. De egeſtate ſua teſtatur Calpurnius ecloga IV. Muſæ ſuæ etiam indignatus:

Frange puer calamos & inanes deſere Muſas
- - - *Quid enim tibi fiſtula reddet*
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo
Præterquam ſcopulis ventoſa remurmurat echo.

Eclogæ Calpurnii Siculi primum Parmæ lucem adſpexerunt A. 1478. 4. Prodierunt deinde cum Nemeſiani aliorumque Eclogis Florentiæ A. 1504. 8. Itaque Calpurnii & Nemeſiani eclogas e Sannazarii codice acceptas eſſe non memorat Georgius Logus Sileſius, ubi docet Nemeſiani Gratiique Cynegetica & fragmentum Ovidianorum Halieuticon (quod Nemeſiano perperam tribuebat Barthius XLIX. 7. Adverſar.) quæ una cum Calpurnii Nemeſianique Eclogis vulgavit, Actio Sincero Sannazario nos debere, qui codicem vetuſtum horum librorum litteris exaratum Longobardicis ex Gallia (*m*) attulit, quem deinde Romæ deſcripſit Joh. Lucretius Æſiander Germanus, deſcriptumque Logo muneris loco dedit, a quo acceptum Paulus Manutius primum excudit Venet. 1534. 8. Prodierunt deinde Auguſtæ Vindel. eodem anno eademque forma: mox Lugduni, Tiguri, Baſileæ &c. Alias editiones, quibus virorum doctorum P. Pithœi, Rob. Titii, Gaſp. Barthii, & Jani Ulitii notæ acceſſerunt, indicavi ſupra lib. I. cap. 16. Exſtat & Hugolini Martelli Epiſtola, qua Calpurnii & Nemeſiani loca quædam illuſtrantur Florent. 1590. ut omittam quæ in Calpurnio caſtigavit Franciſcus Modius in Lectionibus antiquis.

Calpurnium Nemeſiano caſtigatiorem eſſe notat Voſſius III. Inſtitut. Poetic. p. 34. Idem paulo poſt: *Quædam autem alter alteri ſublegit. Inter alia apud utrumque legas:*

Te ſine, væ miſero mihi, lilia nigra videntur,
At tu ſi venias, (*n*) & candida lilia fient.

Potius autem cenſeam eſſe Nemeſiani (*o*), *quia Calpurnio is præſtitit, ſuaque Calpurnio miſit.* Locum Jacobi de Cæſollis lib. IV. de ludo Schacchico, ubi vitioſe Scalpurnius pro Calpurnio

(*m*) Hinc conſtat falli Laurentium Pignorium non ferentem bonos hoſce ſcriptores Galliæ deberi, quando p. 56. Epiſt. Georgii Logi, quem perperam Gregorium Longum vocat, ſollicitat fidem, & illi objicit, quod Franciſcus Petrarcha jam Calpurnii carmen petiit a Guilelmo de Paſtrengo Veronenſe lib. 38. Epiſt. additque velut Logo inſultans: *an & tum Calpurnius e Gallia veſtra petebatur? Non puto.* Neque vero Calpurnium primum edidiſſe ſe, neque ex codice Sannazarii petitum uſquam affirmavit Logus. Recte vero id dixit de Gratio, Ovidii Halieuticis & Cynegetico Nemeſiani, de quibus ita Gyraldus dialogo quarto de Poetis: *Sed quod Cynegetica* (tum temporis ſcilicet cum Gyraldus ſcriberet, adhuc inedita) *Gratius ſcripſerit, Actius Sannazarus mihi aliiſque pluribus aſſeruit & oſtendit, cum Neapolim animi gratia ex urbe profecti eſſemus, ſed enim ex Heduorum finibus atque ex Turonibus detuliſſe opuſculum de piſcibus Ovidii, & Cynegetica Gratii & Nemeſiani, id quod etiam ſuo ſcripto teſtatus eſt Pontanus quadam ſua Epiſtola ad ipſum Actium, & P. Summontius.*

(*n*) Videtur eſſe legendum. *Nec candida lilia fient.*

(*o*) Calpurnio ſane inopi magis conveniunt, ſcribenti ad Patronum ſuum Nemeſianum. Et Nemeſiano fortaſſis in ora libri hos verſus e Calpurnio quidam adnotaverat, qui deinde a librario ſunt Nemeſiani carmini inſerti.

nio allegatur, emendat Barthius XLIX. 14. Adverſar.

DE AVIENO.

Avieni ætas, patria, & non videri fuiſſe Chriſtianum. 1. *Livius jambis ab eo redditus, qui intercidit.* 2. *Metaphraſis Arati, & Dionyſii Periegetæ.* 4. *Oræ maritimæ deſcriptio.* ibid. *Fabulæ & alia.* 5.

I. Ruſus Feſtus Avienus patria fortaſſis Hiſpanus, ni conjecturæ ex Hiſpaniæ & Hiſpanorum laudibus & Punicis Himilconis annalibus ab Avieno citatis petitæ fallunt. Vide Nic. Antonium lib. 2. Bibliothecæ veteris Hiſpanæ cap. 9. ubi Chriſtianum quoque fuiſſe contendit Avienum argumentis admodum levibus ductus. Meo quidem judicio non erraverit qui Italum Patria, & a Chriſtiana religione dixerit alienum, præcipue ſi de noſtro accipiendum monumentum, quod Romæ in villa Cæſarini exſcriptum dedit Sponius de aris ignotorum Deorum pag. 41. & in Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis p. 99.

R. Feſtus V. C. de ſe ad Deam Nortiam.

Feſtus Muſoni ſoboles prolesque Avieni,
Unde tui latices traxerunt Cæſia nomen,
Norſia te veneror lare cretus Vulſinienſi,
Romam habitans, gemino Proconſulis auctus honore,
Carmina multa ferens, vitam inſons, integer ævum,
Conjugio lætus Placidæ numeroque frequenti
Natorum exultans, vivax & ſpiritus illis,
Cætera compoſita fatorum lege trahuntur.

Sancto Patri Filius Placidus.

Ibis in optatas ſedes, nam Jupiter æthram
Plaudit Feſte tibi, candidus ut venias.
Jamque venis, tendit dextras chorus inde Deorum,
Et toto tibi jam plauditur ecce polo.

Aliam inſcriptionem græcam in Rufum Feſtum Græciæ Proconſulem vide apud Gruterum f. CCCCLXIV. 7. & Fabrettum p. 742. Hiſpaniam Avieni patriam eſſe diſputat Laur. Ramireſius ad Luitprandum n. 204. ſeq.

Diverſi ab hoc quatuor vel quinque Avieni, qui conſulatum Romæ geſſerunt, & Avienus ad quem exſtant Ennodii Ticinenſis Epiſtolæ, & alter ad quem exſtat Epiſtola Joannis II. Papæ. Noſter vero, quem admodum juvenem in Saturnalibus inducit Macrobius memorantque S. Hieronymus in Epiſt. ad Titum, ac Servius ad Georgic. pag. 97. ne dicam de pſeudo Luitprando Ramireſii pag. 421. 492.) Theodoſii junioris, Marciani & Leonis Thracis temporibus (non vero Diocletiani, ut Petro Crinito viſum) clarus varia latino carmine compoſuit, quibus ingenii & doctrinæ laudem conſecutus eſt non vulgarem.

II. Totum Livium jambis ſcripſiſſe refert Servius in X. Æneid. pag. 615. edit. P. Danielis.

III. Sed illis deperditis exſtat hodie poſtremo forte loco ab auctore elaborata, ſed ſcriptorum ejus poſtrema *Metaphraſis Arati* verſibus Hexametris, quæ ſeorſim primum prodiit Venetiis 1488. 4. apud Antonium de Strata Cremonenſem, una cum Orbis terræ deſcriptione, & Germanici ac Ciceronis Arateis & Sereni libro de Medicina: deinde cum Arato & aliis illius Metaphraſibus ibid. apud Aldum, 1499. fol. & Pariſ. 1559. 4. apud Guil. Morellum cum ejus caſtigat. & ex officina Sanct. Andreana 1589. 8. Denique hæc Metaphraſis ab Hugone Grotio Syntagmati Arateorum inſerta & notis illuſtrata eſt Lugd. Bat. 1600. 4. In eandem non pauca Arato intacta Avienum inſeruiſſe idem Grotius obſervat, petita e Metaphraſi Germanici & Græcis Arati ſcholiaſtis, quos pag. 103. diligenter ab Avieno conſultos haud ambigit, ac viciſſim monet Avieni lacinias quaſdam Germanico etiam eſſe inſertas. Arati optimum non ſolum paraphraſtem ſed etiam interpretem agere Avienum non diffitetur Joſephus Scaliger ad Manilium pag. 51.

IV. *Metaphraſis Periegeſeos Dionyſii Alexandrini* eodem Hexametri carminis genere, quæ cum *fragmento* inſigni *deſcriptionis oræ* (p) *maritimæ* a Gadibus ad Maſſiliam uſque jambis elegantibus ab eodem Avieno poſt Periegeſin com—

(p) Dolendum eſt Pricæi notas in Avieni deſcriptionem oræ maritimæ lucem non adſpexiſſe, quas memorat ad Apuleii Metamorph. pag. 95. Vehementer autem fallitur Baleus, qui oram maritimam fabularum-

compoſitæ, & Probo (*q*) cuidam cognato ſuo, quem liberum inſtar diligere ſe ait, inſcriptæ prodiit Venetiis A. 1488. 4. per Victorem Piſanum (*r*): & longe emendatior inter vetera poemata curante *P. Pithœo* viro clariſſimo Pariſ. 1590. 8. & 1599. 12. a quo tempore Madriti recuſa ſunt opuſcula Avieni, quæ exſtant omnia, typis luculentis, ſed vix uſquam quam Pithœus ediderat caſtigatiora, A. 1634. 4. edente ex Ramireſii Bibliotheca Petro Melian, in conventu Juridico Guatemalenſi Regio ut vocant Auditore. Quod vero in Bœcleri libello de ſcriptoribus Græcis & latinis legitur Avieni Metaphraſim Dionyſianam in Scaligeri theſauro temporum editam reperiri, memoriæ vel librarii hallucinatio eſt. Nam etſi Joſepho Scaligero viro ſummo conſtitutum erat Avienum recenſere, & junctim una cum ſuis commentariis edere, id tamen neque in theſauro temporum, neque alibi uſquam præſtitit, non magis quam Gaſpar Barthius, qui lib. xlix. c. 13. Adverſar. novam Avieni promiſit editionem, quamvis & hic quoque in iisdem Adverſariis aliquot capita præter illud quod jam innuimus, ejus Metaphraſi Dionyſianæ impendit, nempe xxviii. 16. & xlvi. 16. quemadmodum deſcriptionem oræ maritimæ illuſtrat xxviii. 12. & 14. ubi etiam obſervat Lud. Nonium in Hiſpania ſua (*ſ*) optime de pluribus locis hujus poematis eſſe meritum, Avienum ipſum ſcriptorem luculentiſſimum vocat, Poetam vero tam excellenti ſpiritu, ut nonnumquam ſe ipſum vix videatur capere, quod mihi ridiculum videtur. (*t*)

IV. *Fabulæ Æſopi XLII.* latinis elegis ab Avieno conſcriptæ & (*u*) Theodoſio dicatæ, ſæpius minore forma lucem adſpexerunt una cum fabulis Græcis Æſopi, aliiſque Mythologis, & inter vetera poemata *P. Pithœi*, & inter fabulas variorum auctorum recenſitas & illuſtratas ab *Iſaaco Nicolao Neveleto* Heidelb. 1610. Francof. 1660. 8. Præterea a *Theodoro Pulmanno* caſtigatæ e tribus Codd. MSS. Antvverp. 1585. 12. additis Variis Lect. Prodierunt etiam Genevæ in corpore Poetarum latinorum, & Madriti una cum reliquis Avieni poematis. Arnhemii itidem A. 1649. 8. & cum Homeri Batrachomyomachia ſelectiſque Æſopi fabulis Græco-latinis Lugd. Bat. 1632. 8. Recenſuerat quoque ad MS. & prælo paraverat Joannes Cabeliavius, cujus librum vidi inter codices Gudianos. Avieni fabulæ cum commento A. 1494. 4. ſine loci notatione, & eodem anno Daventriæ in quarto ſub titulo: *Æſopus moraliſatus cum bono commento.* Aeſopi & Avieni fabulæ opera Hadriani Barlandi, Lipſ. 1514. 4. Diſticha epimythia quæ ſingulis Avieni fabulis ſubjunguntur, omnia ſuppoſititia eſſe καὶ κακῶ κόμματ@, & in Codice Galei nulla comparere notat Richardus Bentleius ad Horatium p. 433. Auctor gloſſarum ad Inſtitut. lib. 3. tit. 26. allegat *fabulam Aniani* (Avieni) *de ſocietate leonina.* At nulla hodie legitur fabula hujuſmodi, neque in editis, neque in tribus Codd. MSS. quos conſuluit Rigaltius, ut ipſe monet ad Phædrum p. 409. editionis Burmannianæ.

V. Feruntur præterea ſub Avieni nomine *breve carmen ad Flavium Murmelium V. C.* quo malogranata mitti ſibi rogat, fellito oris ſapore affectus. Fallit Crinitus, qui lib. V. de Poetis cap. 80. hoc carmine oram maritimam nuncupari Murmelio affirmat. *Sirenum allegoria*, Avieno haud indignum poemation, *Juliano* cui-

larumque libellum non Avieno, ſed Rufino cuidam Poetæ Britanno tribuit, caſtigatus ab Uſſerio c. 16. de origine Eccleſiar. Britannic. & Nicolao Antonio loco laudato. Plura *oræ maritimæ* loca emendat Martinus Opitius Libro variarum lectionum C. VII. & XI. edito Dantiſci A. 1637. 4.

(*q*) Hic videtur eſſe Sextus Petronius Probus, de quo conſule ſi placet Reineſium Epiſt. ad Hofmannum pag. 582. 584. 638. & in Inſcriptionum ſyntagmate.

(*r*) Laudat hanc editionem Daumius de cauſis amiſſarum radicum p. 129. & ad Paulinum Petrocorium pag. 348.

(*ſ*) Prodiit Nonii liber Antvverp. 1607. 8.

(*t*) Hic Auctor ſupplementum lacunæ Scholiorum Euſtathii ad verſum Dionyſii Periegeteos 889. & ſequentes inſeruerat.

(*u*) Theodoſius hic non Imperator, ſed Macrobius Ambroſius Aurelius Theodoſius, qui Avienum loquentem inducit in libris Saturnaliorum. Confer Colomeſii Κειμήλια litteraria c. 38. Porro falli puto eos qui fabulas illas neſcio cui Aviano, vel alii ſcriptori præter Avienum noſtrum tribuunt. Abidui enim, & Anieni, vel Aniani, & Aviani, & Abieni nomina librariorum hallucinationes eſſe videntur. *Flavium Avianum* in priſcis ſchedis vocari ait Barthius lib. 30. Adverſar. c. 7. & 13. Vide & 50. 7. Flavium Avianum vocat etiam Voſſius Barthium lib. 2. Inſtit. Orator. cap. 15. themate 5.

cuidam ab aliis inſcribitur. Vide lib. 4. Vett. Epigramm. p. 127. *Ad amicos de agro ſuo*, inter Martialis Epigrammata libro IV. quondam editum, ſed a P. Scriverio aliiſque auctori ſuo reſtitutum. Vide Nic. Antonii Bibliothecam veterem Hiſpanam T. 1. pag. 161. Occurrunt hæc poematia in editione Arati Avieni Veneta A. 1488. & Madritenſi omninm Avieni ſcriptorum A. 1634. ut P. Pithœi Epigrammata vetera omittam.

Livium totum jambis ſcripſerat Avienus, quæ Metaphraſis intercidit. Meminit Servius ad X. Æneid. 388. *Rhœti de gente vetuſta Anchemolum. Hæc fabula in latinis nuſquam invenitur auctoribus. Avienus tamen qui totum Livium jambis ſcripſit, hanc commemorat* (in illa nempe Metaphraſi Livii, obiter) *dicens Græcam eſſe*. Male ex hoc Servii loco viri docti quidam affirmarunt Virgilianas fabulas compoſuiſſe Avienum.

DE C. RUTILIO NUMATIANO.

CLaudius Rutilius Numatianus Gallus, Vir Conſularis urbique præfectus, & Magiſter officiorum, ſive Magiſter palatii, Theodoſio juniore imperium tenente Anno Urbis ut ipſe innuit MCLXIX. h. e. Anno Chriſtiano (*a*) CCCCXVI. ſcripſit de *reditu ſuo*, ſive *Itinerarii* libros II. verſibus elegis, ad Rufium Venerium Voluſianum (*b*) in præfectura Urbana ſucceſſorem. Poſterioris libri maxima parte amiſſa, quæ hujus inſignis Poematis ſuperſunt primus edidit poſt Petrum Summontium, qui Neapoli vulgaverat, Jo. Baptiſta Pius, inſcripſitque: *Poema* (*c*) *de laudibus Urbis, & Etruriæ & Italiæ*, Bononiæ 1520. 4. in ædibus Hieronymi de Benedictis, ac dicavit Leoni Pontifici, præmiſſo carmine elegiaco non ineleganti. Onufrius deinde Panvinius Rutilium a Gabriele Faerno recenſitum adjecit commentariis ſuis de urbe imperio & civitate Romana Venet. 1558. & Pariſ. 1588. 8. Joſias Simlerus additis Onufrianæ & Bononienſis edit. variis Lectionibus prælo iterum ſubjecit Baſil. 1575. 12. una cum Æthici Coſmographia aliiſque quæ in Mela indicavi. Hinc Joſephus Caſtalio ſuis adnotationibus illuſtratum caſtigatius edidit Romæ 1582. 8. Petrus quoque Pithœus inter poematia vetera Pariſ. 1590. 12. recenſuit & paucas quasdam emendationes ſubjunxit. Porto Lugduni A. 1616. cum Theodori Sizmanni animadverſionibus recudi curavit Juſtus Zinzerlingius. Quem ſecutus Caſp. Barthius addito Commentario primus in Germania edidit Francofurti 1623. 8. Denique Vir Cl. Theodorus Janſonius ab Almeloveen in elegantiſſima ſua hujus Poetæ editione omnium hactenus memoratorum caſtigationibus, & notis, animadverſiones eruditiſſimi Grævii propriaſque addidit Amſtelodami 1687. 8.

Rutilius ipſe de ſe v. 21. & 157. ſeq. Lib. 1. & 563. ſeq. de ætate ſua lib. 1. v. 135. & de parente ſuo prætore Tuſciæ v. 173. ſeq. Scripſit Poema ſuum ad Rufium Venerium Voluſianum Albani F. in præfectura Urbana ſucceſſorem. Confer lib. 1. v. 417. & Chriſtoph. Brovverum ad Venantium Fortunatum carm. lib. III. 8. pag. 67. Huic ut videtur Rutilio inſcripta Comœdia Querolus ad Plautinæ Aululariæ exemplum compoſita, incerto auctore. Pro Claudio Rutilio Numatiano alii malunt Munatianum. Vide Voſſium de Hiſt. & poetis Latinis. Poſterioris Libri de reditu ex Gallia in Urbem, maxima pars amiſſa eſt. In celebranda lib. 1. v. 47. ſeq. Roma, Claudiani veſtigiis inſiſtere notatur a Barthio VI. 12. Adverſ.

DE MAXIMIANO GALLO.

PRæſenti quidem loco memorandæ nobis veniunt *Elegiæ VI.* ſub Cornelii Galli nomine editæ, & in quibusdam Catulli Tibulli ac Propertii editionibus, & in poematis veteribus a P. Pithœo collectis, atque inter Catalecta Ovidii a Goldaſto vulgata obviæ, ſed in quibus nihil obſervarunt viri docti antiquo

(*a*) Confer Scaligeri prolegomena ad Euſebium.
(*b*) Sirmond. ad Sidonium p. 103. & 17.
(*c*) Volaterranus auctor eſt Rutilii poema inventum ſua ætate in cœnobio Bobiano. A Joſepho Queſnello autem perperam recentioribus Poetis Italis annumeratur in Catalogo Bibl. Thuanæ. Ceterum Ethnicus fuit Rutilius, & in Judæos, ac Chriſtianos non obſcure invehitur, Monachos præcipue acriter perſtringit lib. 1. v. 383. ſeq.

illo Poeta illuſtri dignum. *Miratus ſum quorumdam impudentiam*, inquit Gyraldus, *ne dicam amentiam, qui translatitios quosdam & ementitos verſus ſub Galli Poetæ nomine ediderunt, cum in iis neque phraſis nec tempus Gallo conveniant, qui tertio & quadrageſimo ætatis ſuæ anno ſua ſibimet manu mortem ſibi accerſit, in iis autem ſe ſenem deſcribit. Sed nec in pleriſque verſibus purus & ſincerus eſt ſermo latinus, quin & ſyllabarum moræ & tempora, metri leges nonnumquam excedunt*. Maximiani (*d*) *vero nugatoris cujusdam & nebulonis potius eorum verſus plurimi ſunt. Et ſi hoc avetis noſſe, & vetuſtioribus adhuc quibusdam exemplaribus* (*e*) *eſt videre, in quibus Maximiani ipſius nomen legitur, illius inquam Maximiani, cujus & inſignis Grammaticæ nugator Alexander nugas irridet: quod nomen in editis, & excuſis nuper libellis per fraudem eſt prætermiſſum*.

Illum itaque, ad quem Galli Elegiæ VI. tamquam auctorem referri ſolent, Janus Brouckhuſius p. 29. ad Tibullum vocat *Longinum Maximianum, malorum temporum haud omnino peſſimum nugatorem*. Primus ejus meminit Alexander de Villa Dei in Grammatica verſibus ſcripta leoninis: *jamque legent pueri pro nugis Maximiani*. Plura de hoc Maximiano, ut monuit me clariſſ. Schœtgenius, notata exſtant in Reinesii Eponymologico MS. quod donec luci datur, conſuli de eodem poterunt Daumius ad Reineſium Epiſt. 80. Barthius ad Claudianum pag. 1053. & ad Statium ſilv. 1. 2. 3. 4. & præcipue Bernardus Moneta obſervationibus ad Menagiana Tom. 3. p. 242. ſeq. & Polycarpus Leyſerus in hiſtoria Poetarum medii ævi. Elegiæ ſex ſub Galli nomine primum editæ ſunt a Pomponio Gaurico Venet. 1501. 4. inde Argentorati 1509. 4. cum Georgii Tiphernatis & aliorum carminibus & Pariſ. 1523. 4. De alia editione Pariſienſi in 4. ſine anni nota meminit Bernardus Moneta Tom. 3. Menagianor. pag. 245. Franciſcus a Cruce Cenomana pag. 216. Bibl. Gallicæ: *Jean de Chevigny, natif de Beaune en Bourgogne, Poete Latin & François a traduit de Latin en François la Vie de Cornelius Gallus, excellent Poete latin, la quelle n' eſt encore en lumiere*.

PROLEGOMENA

PARTIS SECUNDÆ

Ethnica Carmina minora incerta continentis.

DE QUEROLO COMŒDIA.

Joannes Philippus Pareus editioni ſuæ Plauti præclaræ, quam Neapoli Nemetum prodiiſſe dixi An. 1619. 4. ſubjecit antiquam Comœdiam (*f*) quæ inſcribitur *Querolus ſive Aulularia* diverſa ab Aulularia, quam inter Plautinas jam poſui. Hæc primum in lucem prolata eſt a *Petro Daniele* Pariſ. 1564. 8. apud Rob. Stephanum: hinc prodiit cum notis ejusdem Danielis, *Conradi Reittershuſii* & *Jani Gruteri*, adjecta ejusdem argumenti Aulularia, quam ele-

(*d*) Cornelium Maximianum Gallum Etruſcum intellige. qui ſub Anaſtaſio Imp. floruit. & cujus nomine ſæpius deinde editæ ſunt hæ ſex Elegiæ. Ejus carmina ſuper ſenectute, regulam metricam, carmen de virtute & invidia, ira & patientia atque avaritia memorat Labbeus Bibl. nova Ms. p. 63.

(*e*) MStum ejuſmodi memorat etiam Aldus, & Voſſius p. 25. de Poetis Latinis. Alde pluriumorum virorum doctorum teſtimonia apud Bailletum judic. de Poetis parte 2. p. 126.

(*f*) Scripta eſt ſermone Poetico, non tamen accurata certaque pedum ratione obſervata, unde *claudo pede incedere* ſe affirmat in prologo, ad quem vide ſis notas Petri Danielis. Recte igitur *drama proſaicum* vocat G. Jo. Voſſius cap. 2 de natura Poetices, & *fabulam proſam* Tho. Reineſius p. 175. Epiſt. ad Boſium.

elegis pridem deſcripſit Gallus quidam Bleſenſis, *Vitalis* nomine, ſub initia ſeculi *XIV.* a Chriſto nato clarus, Heidelbergæ apud Commelin. 1595. 8. Etſi vero Querolus illa in MSto antiquiſſimo Palatino ad Plautum refertur, ſub Plauti quoque nomine allegatur a Servio in III. Æneid. p. 279. edit. P. Danielis, Jo. Sarisberienſi II. 2. Policratici, & Luitprando de rebus per Europam geſtis I. 3. unde Plauto alicui juniori tribuitur a Caſp. Barthio XLIV. 13. 14. Adverſariorum: Marci Accii Plauti certe minime eſt, quoniam auctor ipſe in prologo hanc fabulam *inveſtigatam Plauti per veſtigia* profitetur, & pag. 34. locum profert e Ciceronis Oratione pro Sex. Roſcio Amerino. Quemcumque vero parentem agnoſcit, exploratum videtur vel e Servii teſtimonio, Imp. Theodoſii ſaltem junioris tempora ſive antecedere, ſive æquare, quamobrem *Rutilium*, cui hoc drama Auctor inſcripſit, viri docti (*g*) haud putant diverſum eſſe a Claudio Rutilio ſcriptore Itinerarii, de quo ſuo loco. Non me fugit quidem a Pareo & ab aliis auctorem hujus Queroli exiſtimari *Gildam Baldonicum*, qui poſt medium ſeculi a CHRISTO nato ſexti floruit. Ita ſane vir inſignis Jo. Fridericus Gronovius IV. 18. de ſeſtertiis, ſcriptorem hujus dramatis appellans *Gildam*, *Anacharſin Britanniæ*. Sed vereor, ne anſam huic ſententiæ parum veriſimili dederit toto cælo diverſa ab hoc dramate Epiſtola Gildæ Sapientis de excidio Britanniæ, & Caſtigatio Ordinis Eccleſiaſtici, quæ *liber Querolus* inſcribitur in Codd. MSS. *Queroli* auctorem non eſſe *Gildam*, ipſe deinde Pareus a Reineſio monitus agnovit. Vide Reineſii Epiſt. XXXIX. ad Boſium pag. 175. Gildæ liber de excidio Britanniæ occurrit etiam in Tomo VIII. Bibliothecæ Patrum edit. Lugdunenſ. pag. 707. De illo libro adi ſi placet Jac. Uſſerii Antiquitates Eccleſiarum Britannicarum cap. XIV. & de Gilda Taubmannum ad Plautum p. 1498. Cavei Hiſt. literar. Script. Eccleſ. ad A. 581. & Acta Sanctor. Tom. 2. Januar. pag. 952. ſeq.

(*g*) Vide Voſſium de Poetis latinis p. 59. & Paulum Colomeſium ad dialogos Gyraldi de Poetis pag. 431.

DE EPITOME ILIADIS PSEUDO PINDARI THEBANI.

PIndari Thebani Epitoma Iliados, latino carmine Hexametro ſcripta Baſil. 1583. fol. Allegatur a Lutatio ad Statii VI. Thebaid. v. 120. ubi vide, ſi juvat, Lindebrogium itemque Barthium, qui auctorem vetuſtum bonique ingenii appellat LVIII. 14. & LIX. 1. & 15. Adverſar. ubi integrum recenſet, nec dubitat Joſepho Iſcano Devonio præferre. A Laurentio Valla inepte antelatus eſt ipſi Virgilio, ut notavit Jovianus Pontanus lib. 1. de ſermone cap. 18.

DE PERVIGILIO VENERIS.

PErvigilium *Veneris* ſive carmen trochaicum *de vere*, quod variorum notis illuſtratum Meurſius parte 2. exerc. Critic. p. 143. Catullo; Joſ. Scaliger, Q. Catulo Urbicario, cujus apud Juvenalem mentio; Senecæ Floro tribuit Barthius ad Claudian. pag. 147. edit. primæ & XVI. 6. Adverſar. aliiſque in locis; Lipſius Auguſtei ævi Poetæ; Salmaſius & Menagius Poetæ mediæ ætatis Solino ſupparis, alii *Luxurio*, qui Carthagine floruit ſub Traſimundo Vandalorum Rege, alii neſcio cui *Floro* tribuunt. Idem carmen tum ex Lipſii recenſione lib. 1. cap. 5. elect. cum ejus notis tum auctius ex MSto Claudii Salmaſii exhibetur a Petro Scriverio in collectione variorum opuſculorum, quæ *Baudii amores* inſcripſit, Lugd. Bat. 1638. 8. additis notis P. Pithœi, Jani Douſæ F. Jo. Weitzii, Salmaſii & Scriverii, in cujus poſtremis animadverſionibus carmina nonnulla *Flori* & aliorum ex membranis Salmaſii inſeruntur. Paulus quoque Colomeſius ad Gyraldi dialogos de Poetis p. 507. Joſephi Scaligeri obſervationes in Pervigilium Veneris nactum ſe teſtatus eſt ex apographo Sarravii. Sed illarum editionem acerbus eximii viri obitus intercepit. Idem carmen emendatum cum notis ſubjicitur poematis *Jo. Ludovici Praſchii*,

Norimb. 1666 12. Cum commentario *Andreæ Rivini* prodiit ſeparatim Lipſ. 1645. 4. & cum Scriverii & aliorum notis ac Rivini commentario, Hagæ 1712. 8. addito Cupidine crucifixo Auſonii. Gallicam metaphraſin memorat Jo. Clericus Tom. 24. Bibl. Selećt. pag. 225. De Pervigilii vocabulo quo ſacrum nocturnum innuitur, vide Petronium Burmanni pag. 72. Addam & hoc, quod Pervigilium Veneris, & Auſonii Cupidinem crucifixum Anglico translatum carmine dedit Thomas Stanlejus Lond. 1651. *Florida ſive Flori Poetæ de qualitate vitæ* verſus Trochaici, qui itidem cum Lipſii, Pithœi & Scriverii notis inter Baudii amores occurrunt.

DE MEDEA TRAGŒDIA.

Ex Burmanno.

Poema Medea, inſtar Tragœdiæ ſcriptum, & ex Centonibus Virgilianis conflatum, producimus ex vetuſto Cod. Salmaſiano, & Leidenſi recentiore, Salmaſiani libri apographo. Ejus initium uſque ad v. 134. *Ramo frondente pependit*, edidit P. Scriverius ſub titulo *Tragœdiæ Veteris* in Collectaneis veter. Tragicorum poſt Senecam pag. 187. ad pag. 190. ex iisdem membranis Salmaſii, qui ſæpe jactavit ſe habere antiquam Tragœdiam Medeam. Vide eum ad Capitolin. Macrin. cap. XI. & Trebell. Poll. Gallien. cap. 8. ubi ita laudat: *in Tragœdia Medea, quam penes me ſcriptam in vetuſtiſſimis membranis habeo*. Sed in errorem adduxit viros eruditos, qui exiſtimarunt eum poſſediſſe deperditam Ovidii Medeam, quod & de Bilibaldo Pirkheimero traditum ita credebat Fabricius Vol. I. Bibliot. Latin. cap. 15. pag. 274. ſed quod ipſe correxit Vol. II. p. 380. Notum eſt Ovidianam Medeam memorari Quintiliano Lib. X. cap. I. ubi vide Patrui mei notas pag. 912. & ad Lib. VIII. cap. 5. pag. 721. ubi & Salmaſium & Scriverium erroris inmunes facit, cum neuter Ovidio adtribuerit, ſed Salmaſius tantum notaverit penes ſe eſſe antiquam Tragœdiam Medeam in vetuſtiſſimis membranis, ſed Ovidio tamen non adſcripſerit. Certe verſus ille, quem ex Ovidii Medea altero loco adfert Quintilianus, *Servare potui, perdere an poſſim rogas?* in his legi non poteſt, quia diverſi metri eſt, quem ex illo Virgilii in Ciri v. 275. deſumtum eſſe Patruus meus putabat.

Ut me, ſi ſervare potes, ne perdere malis.

ubi idem notavit Scaliger, & ſic Barthius in Adverſariis, & Delrius in notis ad Senec. Med. init. ſed dubito an non adumbratus ſit ex antiquiore poeta; veluti ex illo Ariſtophanis in Nubib. v. 1179.

Νῦν οὖν ὅπως σώσῃς μ᾽, ἐπεὶ κἀπώλεσας.

Nunc ergo me ſerves, quia & perdidiſti.

ſimiliter ipſe Ovidius Lib. IX. Met. 728.

—— ſi Di mihi parcere vellent,
Parcere debuerant, ſi non & perdere vellent.

quamquam verſum iſtum adulterinum exiſtimet Heinſius, & forte nota e Tragico vetuſtiore fuit ſententia, ad quam etiam reſpexiſſe potuit Cicero pro Planc. cap. 36. in fine: *ut idem perditor Reipubl. nominarer, qui ſervator fuiſſem*, neque diſſimile illud Jaſonis apud eumdem Ovidium Epiſt. XII. 75.

Perdere poſſe ſat eſt, ſi quem juvet ipſa poteſtas.
Sed tibi ſervatus gloria major ero.

Ejusdem Medeæ Ovidianæ meminerunt inter veteres Auctor de Cauſſ. Corr. Eloq. cap. 12. *Nec ullus Aſinii aut Meſſalæ liber tam illuſtris eſt, quam Medea Ovidii, aut Varii Thyeſtes*, eamque ſcripſiſſe juvenem patet ex Lib. III. Amor. El. I. 29. & certus ſum genuinum ex Medea Ovidiana verſum haberi apud Senecam Suaſor. III. *Feror huc illuc ut plena Deo*, licet tantum ex Tragœdia Ovidii, Medeæ nomine non expreſſo, proferat. Gravius autem impegerunt viri eruditi, qui adfirmarunt de Ovidii Medea loqui Tertullianum de præſcript. Hæret. cap. 39. quod falſum eſſe, & eodem in loco innui hanc ipſam, quam nunc primi integram publicamus, Medeam, e centonibus Virgilianis compoſitam, verumque ejus auctorem eſſe *Oſidium* vel *Hoſidium Getam*, qui cum Ovidio inter Getas exſulante confuſus eſt, conſtabit, ſi ipſa Tertulliani verba adſcribamus. Ita enim ille: *Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia ſecundum verſus, verſibus ſecundum materiam concinnatis. Denique Hoſidius Geta Medeam Tragœdiam ex Virgilio pleniſſime exſuxit, meus quidam propinquus ex eodem poeta inter cetera ſtili ſui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homero-Centones etiam vocari ſolent, qui de carminibus Homeri propria*

opera

opera more centonario ex multis hinc inde compoſitis in unum ſarciunt corpus. Quæ ultima deſcripſiſſe in Vocabulario ſuo Papiam, ubi de centonibus agit, ſupra notavi, niſi potius ea pro more compilaverit ex Iſidoro Lib. I. Orig. c. 38. circa finem, ubi plane eadem occurrunt, & in fragmento MS. quod olim P. Danielis, deinde N. Heinſii fuit, pari errore, quo apud Papiam, legitur *more centenario* &c. *in unum ſarciunt corpus*, pro *more centonario ſarciuntur*. Patet igitur Tertullianum memorare Medeam hanc Tragœdiam, e verſibus Virgilianis artificio centonario concinnatam, ejuſque auctorem eſſe Hoſidium Getam, male cum Ovidio confuſum, quia illius Tragœdiam Medeam extitiſſe olim noverant, ſed quæ verſibus Jambicis conſcripta fuiſſe videtur, unde ridicule cæcutiit Delrius, qui initio Commentarii ad Senecæ Medeam ſcribit, *Tertullianum forte ad ſententiam magis quam ad verba reſpexiſſe*, *dum Ovidii Medeam ex Virgilio centonem nuncupat*, neque ſagacius rem egit Barthius, qui ad Claudian. p. 1160. conjicit illam Ovidii Tragœdiam verſibus Virgilianis contextam a Tertulliano tradi, perperam quoque apud eumdem Colomeſius & alii emendarunt, *Ovidius Scytha*, vel *Getam* vocari crediderunt Naſonem, quia ipſe Lib. IV. Ponticor. Epiſt. 13. 18. dicit:

Carmina quæ faciam pene poeta Getes.

quæ certe viris eruditis non excidiſſent, ſi Tragœdiam hanc Medeæ centonariam vidiſſent. An autem ille Oſidius vel Hoſidius Geta idem ſit ac Cn. Hoſidius Geta, qui ſub Claudio Conſul fuit cum L. Vagellio A. V. C. 800. & qui in Faſtis Conſul. Almelov. p. 119. atque Inſcriptione inſigni occurrit apud Reineſ. Cl. VII. n. XI. p. 475. & 476. quæ continet illud Sctum, cujus ad Tertull. d. l. meminit Rigaltius, ſed quod emendatius exſtat in Inſcriptionibus Donianis pag. 84. decernere vix poſſum, neque an ille ſit, qui apud Dion. Caſſ. Lib. LX. cap. 20. pag. 678. Γαῖος ὁ Σίδιος male vocabatur, ut ibidem Rigaltius notat; nam recte Γναῖος Ὀσίδιος Γέτας edidit Reimarus, ut & corrigendum monuit Cuperus in Epiſt. ad la Croze p. 29. & an ad hunc vel patrem ejus referendus ille Ὀτιάτιος Γέτας, cujus ſecundi Triumviratus meminit idem auctor Lib. XLVII. cap. 10. pag. 498. ubi quoque α in δ mutato ex correctione Fabricii edidit Reimarus Ὀσίδιος; vide etiam Lib. LX. cap. 9. pag. 947. ubi olim edebatur etiam Γναῖος ὁ Σίδιος. Et certe Hoſidius ille Geta, Tertulliano laudatus, ad inferiorem ætatem detrudendus eſt, neque conſtare puto, id genus carminis centonarii jam Claudii tempore in uſu fuiſſe, quod minime tam antiquum, neque facile aliud hac ipſa Medea, & Auſoniano Centone Nuptiali vetuſtius nobis ſupereſſe credo: neque credebat etiam Cuperus in Epiſtolis Gallicis Ep. VIII. pag. 23. & 24. qui Hoſidium Getam, Medeæ hujus auctorem, ad ætatem Tertulliani refert ex voce *hodie* in ejus loco: *Vides hodie ex Virgilio* &c. & quia addit, *meus quidam propinquus ex eodem poeta* &c. Hoſidio nempe. Aliter tamen cenſet Fontanin. de Antiq. Hortæ Lib. II. pag. 205. ubi auctorem hujus Medeæ facit antiquiſſimum præ cæteris, quorum centones Virgilianos habemus, Oſidium Getam, qui ſub Claudio I. vixit, & Tertulliano memoratur, atque inepte cum Ovidii Medea confunditur: quod pluribus ſe oſtendiſſe dicit in Diſſertationibus ineditis de Cornelio Gallo poeta, quas deinde inſeruit Hiſtoriæ Literar. Aquilejenſi, ubi vide cap. 2. p. 36. De aliis poetis antiquis qui *Medeam* Tragœdiam ſcripſerunt, vide notata Patruo meo ad Ovid. II. Triſt. v. 387. & de Statii Medea Gevart. Lect. Papin. pag. 15. Ennium quoque Medeam, ex Euripide expreſſam, conſcripſiſſe, notum eſt, quam *Medeam exſulem* inſcriptam fuiſſe ex Nonio Marcello docet Victor. ad Cic. VII. ad Fam. Epiſt. 6. ne quid dicamus de Attii Medea, cujus fragmenta cum Euripideis egregie contulit Scaliger ad Varron. pag. 100.

ELEGIA
DE FORTUNÆ VICISSITUDINE.

Ex Burmanno.

PRolixam ineditam hanc Elegiam, quam inſcripſi, DE FORTUNÆ VICISSITUDINE, poetæ minime quidem optimi, ſed non penitus tamen abſurdi, primus ex vetuſto codice Ponticorum Ovidii, Coloniæ Agrippinæ a ſe comparato, cui in fine adſcripta erat, in lucem produxit Barthius Lib. XL. Adverſ. cap. 18. qui judicat eſſe ingenioſi & diſerti hominis fœtum, & continere ſententias egregias, ac nulli bono ſcriptori pudendas. Sed nimio ſæpe ſtudio viri docti laudant & immodice efferunt ea, quæ primi edunt: præſertim, ſi in ſequioris ævi Scriptoribus adſidui fue-

fuerint, facilius omnia ſine diſcrimine admirantur, in quibus unus & alter eos adlicit pannus purpureus, qui hic illic forte ſplendeat: quod præ ceteris Barthio perquam familiare eſt. Mihi adparent multa in hoc carmine non unius, ſed variæ venæ, plurima languida & jejuna eſſe: alia vero, quæ poetam ſpirant ſupra mediocres politum: tam diverſo enim colore efficta eſt, ut pene videatur non unum & eumdem habere auctorem. Cel. etiam Oudendorpius exiſtimabat, multorum hominum verſus eſſe de variis rebus hinc inde excerptos quaſi in Adverſaria, & deinde congeſtos in unum carmen, quod quam plurimis vitiis & ineptiis ſcatet, & ſenſu idoneo paſſim deſtitutum eſt. Quia tamen multis malis verſibus nonnulli boni immixti ſunt, & elegantes atque egregiæ inſeruntur ſententiæ, locum ei inter hæc conceſſi, quamquam multum curæ huic Elegiæ impendere, vix operæ pretium fuerit.

DE VITA P. VIRGILII A FOCA GRAMMATICO DESCRIPTA.

Ex Burmanno.

VIta P. Virgilii ex Foca Grammatico apud Scalig. Catalect. p. 135. & ſeqq. & in pleriſque vetuſtioribus Virgilianorum Catalectorum editionibus: in veteri codice, quo uſus eſt Scaliger, titulus erat, VITA VERGILII A FOCA GRAMMATICO URBIS ROMÆ VERSIBUS EDITA. in codice Scriverii additur A FOCA GRAMMATICO URBIS ROMÆ PERSPICACISSIMO ET CLARISSIMO. Recte vero Voſſius de Hiſt. Lat. Lib. III. cap. XI. p. 817. judicat *verſus hos non tam poetæ eſſe, quam quales eſſe Grammaticorum ſolent.* Illorum enim Muſa nil niſi ingenuum & liberale ſpirat, horum vero artificium illepidum, plebejum, ac plenum ruris & inficetiarum.

ELEGIA DE SPE.

Ex Burmanno.

INcerti inſcribit Pithœus Lib. I. p. 37. DE SPE PER EXEMPLA Scaliger Lib. I. Catal. pag. 232. in ſchedis Scaligeri, DE SPE QUERITUR PER EXEMPLA, quemodo & vetus Voſſii codex, quem eumdem puto ac codicem illum, ex quo Scaliger in ſchedis ſuis vetera deſcripſit Epigrammata. Emendatur egregia hæc optimi poetæ Elegia a Scioppio Lib. V. Suſp. Lect. cap. 25. Pentadio eam adſcribebat Barthius Lib. XVII. Adverſ. 3. & Lib. XXIII. c. 17. ſed videtur melioris ævi eſſe, quam ut Pentadium auctorem habeat. Veteri poetæ tribuit Scaliger in notis ad Tibull. Lib. II. El. 7. init. cujus verſus elegantiſſimi materiem huic carmini ſuppeditarunt. Ita enim Tibullus:

Finirent multi leto mala: credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore, ſemper ait.
Spes alit agricolas: ſpes ſulcis reddit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.
Spes facilem Nemeſin ſpondet mihi, ſed negat illa.
Hei mihi! ne vincas, dura puella, Deam.

cum quibus confer illa Ovidii Lib. I. ex Pont. Ep. 6. 29. & ſeq, ubi de Spe:

Hæc Dea, cum fugerent ſceleratas Numina terras,
In Dis inviſa ſola remanſit humo.
Hæc facit, ut vivat vinctus quoque compede foſſor,
Liberaque a ferro crura futura putat.
Hæc facit, ut, videat cum terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpe aliquem ſollers medicorum cura reliquit;
Nec ſpes huic vena deficiente cadit.
Carcere di-untur clauſi ſperare ſalutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo ſua colla ligantes
Non eſt propoſita paſſa perire nece.
Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arcuit, injecta continuitque manu.

ubi vide Micyllum. Quæ duo loca ideo adſcripſi, quia certus ſum, auctorem hujus Elegiæ ex utroque ſibi argumentum imitatione optima deſumſiſſe, ut ex comparatione manifeſtum erit. Edidit etiam hanc Elegiam Chriſtius in Excurſ. ad Villaticum p. 335 & confer cum his Epigrammata εἰς ἐλπίδας in Antholog. Gr

Lib.

Lib. I. p. 50. ed. Obſop. & quæ habet Barth. ad Stat. I. Theb. 321.

MARS, ET VENUS.

Ex Burmanno.

REpoſiani ex Salmaſianis & Divionenſibus Schedis, & e Codice Leidenſis Bibliothecæ carmen hoc producimus, in Leidenſi autem titulus eſt: REPOSIANI CONCUBITU MARTIS ET VENERIS: id eſt, DE CONCUBITU. Repoſianum hunc cum ignariſſimis ignoro, ſed inferioris ſeculi poeta eſt Scholaſticus, non quidem elegans, ſed nec omnino ineptus. Eſt autem totum carmen ex artificio illorum temporum, quo thema aut argumentum celebratioris fabulæ ex Homero aut Virgilio deſumtum ſibi proponebant imitandum, centonibus maxime de Marone conſutis, quales exercitationes Scholaſticæ vocabantur, & non paucæ ex Salmaſiano & Divionenſi codice in hac Catalectorum Sylloge producuntur. Sic Homerica deſcriptio hujus fabulæ, qua nullam in cœlo notiorem fuiſſe dicit Ovidius, huic carmini argumentum præbuit, Odyſſ. Θ. v. 267. & ſeqq. & confer Ovid. II. Artis Am. v. 561.-590. & IV. Met. 171. & ſeqq.

ELEGIA AD VIRGINEM NIMIS CULTAM.

Ex Burmanno.

ELegia hæc non omnino illepida legitur inter Catalecta vet. Poetar. poſt Petron. ed. Patiſſon. p. 171. & Frellon. pag. 233. & ab Andrea Rivino edita eſt inter poemata vetera poſt Palladium ſub titulo: ÆMILII MAGNI ARBORII EPIGRAMMA AD NYMPHAM NIMIS CULTAM, & ita exhibuit Jo. Petr. Lotichius inter Petronii Pſeudepigrapha pag. 94. & ſeqq. adeo ut auctor hujus Elegiæ, ſed quod ægre mihi perſuaderi patior, eſſet idem ille Æmilius Magnus Arborius, avunculus Auſonii, filius Cæcilii Argicii Arborii, ejusdem avi materni, quorum laudes canit in Parentalibus Carm. III. & IV. ubi Vineti notas conſule. Alterius Arborii nomen Ammiano Marcellino. Lib. XV. cap. 3. reſtituit Valeſius, alioſque Arborios recenſet. Vide & Jac. Gothofred. in Proſopogr. Cod. Theod. pag. 41. Sub antiqui poetæ nomine ſæpe loca nonnulla ex hoc carmine adfert Gonſalius ad Petron. cap. XIX. p. 84. cap. LXXIX. p. 143. cap. CXXXIX. p. 244. & præcipue ad cap. CXXVI. pag. 216. ubi *veterem Latii poetam* vocat. Ævi tamen non optimi auctorem plurima manifeſtant, ſed qui genium Elegiarum Maximiani penitus ſpirare videtur, & licet colores haud invenuſtos hic & illic ex antiquioris ſeculi poetis derivaverit, artificio tamen ultra naturalem ſimplicitatem operoſo & adfectato Muſam ſuam ita dedecorat, ut eam inſtruere, & exornare ſtuduerit cultu nimio, quem in amica ſua jure improbat & adverſatur. Muſis enim æque ac puellis convenit illud utriuſque artis magiſtri Lib. III. A. A. 257.

Formoſæ minus artis opem præceptaque curant;
Eſt illis ſua dos, forma ſine arte potens.

Melioris igitur ætatis deliciis poeticis adſueti mecum, ni fallor, huic nimis prolixæ Elegiæ præferent Propertianam ejusdem argumenti, licet tertia parte breviorem, ſed ſplendore nativo ac ſimpliciori elegantiorem, Lib. 1. Eleg. 2. quæ incipit,

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?
Et tenues Coa veſte movere ſinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercato perdere cultu?
Nec ſinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non ulla tuæ medicina figuræ eſt.
Nudus Amor formæ non amat artificem, & ſeqq.

& egregie modos, quibus munditiæ ſingulis decoræ contineantur, præſcribit Ovid. III. Art. 103. & ſeqq.

CARMEN DE ALEA.

Ex Burmanno.

CArmen hoc ineditum, ut ſuperiora, & ex centonibus Virgilianis conſutum, integrum producimus e ſchedis Salmaſianis, in quarum initio legebatur, & in apographo Leidenſi, ſed vitioſa in plerisque ſcriptura, quam caſtigavi, indicatis Virgilii hemiſtichiis, ubi id emendatio-

tionis ratio requirebat. In Divionenſibus non reperi, primos quatuor verſus profert Salmaſ. ad Hiſtor. Aug. p. 462. ubi vetuſtum Centonem vocat, qui totam in tabula calculis teſſeriſque ludendi rationem luculentiſſime & elegantiſſime exponit: iisdemque Salmaſii verbis hunc Centonem laudat Sauterius in Palamede cap. XXIII. p. 75. quem an ipſe habuerit aut viderit, dubito: licet præcedentia Epigrammata, quæ de Tabula & Alea agunt, ex Scriveriano apographo produxerit cap. XV. pag. 40. & 41. Salmaſius autem v. 7. 50. 51. 55. & 57. adfert ibid. p. 470. ex quo lacera tantum iſta quinque fragmenta edidit Almeloven. pag. 16.

CARMEN DIDO ÆNEÆ.

Ex Burmanno.

EX Schedis Divionenſ. Salmaſ. & Cod. Leidenſi primi producimus. Conferendum eſt totum hoc carmen cum eximia Didonis querela ad Æneam apud Virg. IX. Æn. 304. & ſeqq. uſque ad v. 330. & a v. 365. & ſeqq. ad v. 387. quam pulcherrime imitatum fuiſſe Ovidium in querela Scyllæ ad Minoem bene obſervavit Fredericus Ranaldus apud Ciofan. ad Lib. VIII. Met. v. 108. quibus adjungenda eſt egregia Ariadnes expoſtulatio ad Theſeum apud Catullum Epithalamio Pelei & Thetidos a v. 32.

> *Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris* & ſeqq.

quorum tamen incomparabili divitis ingenii fœcunditati, & admirando aureæ ætatis artificio ſi quis conferre aut æquare vellet fœtum hunc decreſcentis ævi, geniique ad veterum elegantias non adſurgentis, næ ille pro Junone nubem, aut pro integra ac floridæ juventutis virgine emeritam & effœtam anum amplecti mallet. Sed vel ideo hæc proferenda, ut hac etiam in arte conſtet,

> *Quantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas.*

CARMEN VERBA ACHILLIS IN PARTHENONA, DUM TUBAM DIOMEDIS AUDISSET.

Ex Burmanno.

VErba Achillis in parthenona: ſic optime legebat Celeb. Dorvilius, cum in ſchedis Salmaſ. Divionenſ. & Codice Leidenſi ſcribatur in PARTE NONA. Intellige autem Παρθενῶνα, gynæceum Lycomedis, quæ certiſſima emendatio eſt, firmaturque ex Scholiaſte Homeri ad Iliad. A. 131. Ἐνειδὴς γὰρ παρὰ πάντας τοὺς ἥρωας Ἀχιλλεὺς, καὶ γυναικοπρόσωπος, ὡς καὶ ἐν τῷ Λυκομήδους Παρθενῶνι ἀγνοηθῆναι ὅτ. εἴη ἀνήρ. Ita apud Tzetz. Chiliad. v. Hiſt. 16. pag. 78. legitur carmen cum hoc titulo, περὶ Ἀχιλλέως, τοῦ ἐν τῷ Λυκομήδους Παρθενῶνι. Vide Nicephori Baſilacæ Narrationes a Leone Allatio editas inter Excerpta Rhetorum cap. 1. de Achille pag. 137. quo toto capite hoc carmen illuſtratur. Alia dabit Meurſius ad Lycophr. v. 276. Carmen hoc, licet non aureæ illius & probatiſſimæ ætatis, ſed poetæ Scholaſtici ſit, merebatur tamen, ut in lucem a nobis protraheretur. Conferendum eſt cum Statii Achilleidos Lib. II. ubi Thetis oratione ſua Achillem adloquitur & perſuadet, ut femineo habitu indutus ſexum celaret: ſed deinde ſe prodit Achilles, & in turba mulierum, in Scyro inſula diem feſtum celebrantium, præſertim coram Deidamia, qua ardebat, ſimulatum femineum habitum deponit & virum denuo exſerit. In Divionenſibus autem legebatur hoc carmen poſt Exercitationes Scholaſticas eodem metro ad themata Virgiliana compoſitas a Rufino & Coronato, ut inſcriptio præ ſe fert, ſed an hoc ejusdem ſit auctoris, neſcio dijudicare. Certe ad hunc locum illud referre malui, cetera etiam in hac Epigrammatum & Poematium antiquorum Collectione deinde exhibiturus.

DE

DE HIPPODAMIA

CARMEN

Ex Burmanno.

HÆc & ſequentia carmina, ut & ea, quæ alibi in hac Catalectorum Sylloge proferuntur, ex centonibus Virgilianis conſuta, quamquam delicato & melioris ævi dapibus adſueto palato vix placitura, ideo a nobis eduntur, ne quid ex vetuſtiſſimi Codicis Salmaſiani aliarumque Schedarum Excerptis ſupprimamus, ſed bona fide exhibeamus, quæcumque in illis exſtabant, quæ licet inter inferioris ſeculi Exercitationes ſcholaſticas referenda ſint, hic & illic tamen probatas a viris eruditis in poeta principe lectiones auctoritate harum ſchedarum MSS. confirmare poſſunt: in quibus vitioſiſſima ubique erat ſcriptura, non ſine tædio inquirendorum hemiſtichiorum e Virgilio caſtigata. Ceterum ejuſmodi poematia, artificioſa magis quam elegantia, ex Centonibus Virgilii aut Homeri contexta, ſequioris ævi poetis frequentia fuerunt, nam antiquiora Auſonii Centone Nuptiali non habemus, qui in præfatione, iſti opuſculo præfixa, optime hoc genus carminis deſcripſit; ut de Probæ Falconiæ aliorumque Centonibus, ab H. Stephano in unum collectis, nihil dicamus, de quibus diſſerendi otium fecit Fontanin. de Antiq. Hortæ Lib. II. cap. 5. Unicum addam Papiæ locum in Vocabulario hac occaſione emendandum, quia corrupte circumfertur: ita enim ille, *Centones apud Grammaticos dici ſolent, qui carminibus Homeri ſeu Virgilii ad propria more centenario ex multis hinc inde compoſitis in unum ſartiuntur corpus ad facultatem uniuſcujuſque materiæ.* ſic habetur in utraque edit. Venet. 1485. & 1496. ſed legendum eſſe, *qui carminibus Homeri ſeu Virgilii propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compoſitis in unum ſarciuntur corpus*, patebit ex loco Tertulliani, ex quo iſta ad verbum more centonario deſcripta ſunt, de præſcript. Hæret. cap. 39. quem adfert Patruus meus ad Petron. cap. 45. ubi de centonariis.

ALCESTA.

CARMEN

Ex Burmanno.

INnuit Admetum, qui ab Apolline aprum & leonem currui junctos accepit, quibus Alceſtim avexit, quam pater Pelias addixerat e procis illi, qui feras beſtias ad currum junxiſſet. Hinc enim pendet carminis hujus intellectus uſque ad v. 44. Vide Apollodor. Lib. 1. Biblioth. pag. 40. Hygin. fab. 50. & Fulgent. Lib. 1. Mythol. cap. 27. ubi in fine etiam *Alceſta* occurrit pro *Alceſtis*, qualia exempla larga manu congeſſit Munckerus Diſſert. de Hygin. pag. 10. & ſeq. & ad Poet. Aſtron. cap. XII. Altera carminis hujus parte a v. 45. ad finem, deſcribitur id quod addit Hyginus ſab. 51. de Admeto: *Illud ab Apolline accepit, ut pro ſe alius voluntarie moreretur. Pro quo quum neque pater, neque mater mori voluiſſent, uxor ſe Alceſtis obtulit, & pro eo vicaria morte interiit, quam poſtea Hercules ab inferis revocavit.* Vide Apollodor. Lib. 1. Biblioth. p. 41. licet paullo aliter narret Palæphatus p. 100. & 102. ed. Tollii.

CARMEN DE PONDERIBUS ET MENSURIS.

D*E ponderibus & menſuris Libellus* hexametro itidem carmine cum Celſo & Sereno Samonico ſæpius editus, quem nonnulli *Renio Favino*, alii *Q. Rhemio Fannio Palæmoni*, plures *Priſciano tribuunt*. Recuſus cum *Eliæ Vineti* notis Pariſiis 1565. 8. & T. XI. theſauri Antiquitatum Romanarum Græviani p. 1693. ſeq. cum notis vero *Rob. Conſtantini* exſtat ad calcem Celſi ac Sereni, Lugdun. 1566. 8.

DE PANEGYRICO AD CALPURNIUM PISONEM.

M. *Annæi Lucani* Panegyricum Carmen *ad Calpurnium Piſonem*, quod Virgilio vel Ovidio contra temporum rationem adſcriptum a quibusdam, rectius Lucano ex auctoritate MSti Codicis vindicavit Joſephus Scaliger & Hadr. Junius, a quo emendatum eſt lib. VI. cap. 1. Animadverſ. Equidem Tho. Dempſterus ad Roſinum p. *99*. objicit, quod v. 241. ſeq. paupertatem ſuam auctor carminis deflet, Lucanum vero marmoreis in hortis jacere ſcripſit Juvenalis Sat. VII. *79*. Poſſit forte reſponderi, divitiis, quarum Tacitus quoque meminit, auctum demum eſſe Lucanum Piſonis, Neroniſque beneficio, poſt carmen hoc ſcriptum, quo admodum adoleſcens ſe Piſoni commendat:

Eſt mihi, crede, meis animus conſtantior annis.
Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit, & nondum viceſima venerit æſtas.

Verum [*a*] *humilis* quoque *domus* objicitur, quæ Lucano quadrare minus videtur.

------ ſupereſt animoſa voluntas,
Ipſaque neſcio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum, tu, Piſo, latentem
Exſere: nos humilis domus & ſincera parentum,
Sed tenuis fortuna ſua caligine celat.

Igitur adhuc duxerim de auctore dubitandum, præcipue cum Inſcriptio ipſa, quam Scaliger reperit, hoc jubere videatur; fuit enim hæc: *Lucani catalecton de laude Piſonis*. De *Carmine ad Piſonem* adeundus etiam Barthius ad Statium Tom. 1. p. 254. ad 456. ubi non dubitat illud ad Papinium tanquam auctorem referre: & lib. XLIX. Adverſar. c. 7. ubi ἀτέλεστον ad nos perveniſſe, & in libros aliquot ab auctore fuiſſe tributum putat, cultum alioquin & eruditum.

(*a*) Vide Nic. Antonii Bibl. Veterem Hiſpanam p. 47. & Illuſtris Viri Gisberti Cuperi Obſervationes lib. III. c. 1.

CATONIS DISTICHA.

Dionyſii Catonis [*b*] *Diſticha de moribus ad filium in quatuor libros* diſtincta, *quibus parvulos olim initiari ſolitos* teſtatur Jo. Sarisberienſis lib. 7. Policratici c. *9*. *ut virtutis inſtructio, & uſus teneris ebibitus animis non facile aboleretur*. Laudat etiam Iſidorus in gloſſis, voce *officiperdæ*, Hincmarus Remen. tom. 2. p. 47*6*. & Gaufredus in poetria nova: *Ethicus unde Cato*, nemo ſine crimine vivit. Qua ætate ſcripta ſint, tam eſt incertum, quam conſtat elegantia, utilia, & Valentiniani Imp. temporibus antiquiora eſſe, inferiora autem ætate Lucani Poetæ. Jam enim laudantur a Vindiciano Medico in Epiſtola ad Valentinianum Imp. Viciſſim in limine libri ſecundi horum diſtichorum legendi commendantur præter Virgilium, Macrum, & Naſonem etiam Lucanus. Hinc Catoni (*c*) vel Cenſorio, vel Uticenſi nemo niſi temere adſcripſerit, nam quod a Gellio lib. XI. cap. 2. laudatur *M. Catonis Carmen de moribus*, ab illis diſtichis plane fuit diverſum, ut ex iis, quæ inde adducit idem Gellius, apparet. Neque validis argumentis nituntur, qui *Senecæ* inſcribunt. *Auſonii* (*d*) autem eſſe nequeunt, cum Ethnicus (*e*) iſta ſcripſerit, Auſonius vero Chriſti ſacris fuerit initiatus. *Octavianum* neſcio quem auctorem facit Goldaſtus notis ad paræneticos Veteres p. 104. & alibi. Catonis non eſſe, ſingulari diſſ. an. 1*6*35. probatum dedit Boxhor-

(*b*) Alii horum diſtichorum auctorem faciunt neſcio quem Octavianum, Tulliumve ad fidem Chriſtianam converſum, vel Joannem Clothomium, quorum nominum haud magna apud me eſt auctoritas. Vide Jo. Saubertum libro de ſacrificiis cap. 1. & Caſp. Sagittarium in vita Catonis p. 106 ſeq.

[*c*] Vignol. Marvillius T. 1. Miſc. Hiſtorico litterar p. 56.

(*d*) Auſonio tribuunt Jo. Baptiſta Pius in præf. ad Euripidem, Guil. Canterus, Popma, & alii, quos refellit Scaliger II. 32. lectionum Auſonian. Sub Auſonii nomine prodierunt etiam Roſtoch. 1572. 8.

(*e*) Qui Chriſtiani eſſe Scriptoris arbitrantur, (ut Bonifacius XV. 8. Hiſt. ludicræ), eos toto errare cælo vere pronunciavit Joſ. Scaliger in Lect. Auſonianis & Gerh. Voſſius notis ad Vellejum Paterculum, quorum

hornius, cujus ipſe meminit in Epiſtola ad Janum Bodec. Benningium data Kal. Jan. *1636.* (p. *69.* Epiſtolar. edit. Lipſienſ.] Fortaſſis veritati proxima Gerh. Jo. Voſſii conjectura eſt, *Catonis* nomen Diſtichis præfixum eſſe ab argumento, quod tractant, non ab auctore, cujus non minus nomen, quam ætas nos fugiat. Confer Aug. Buchnerum part. 3. Orat. 5. & *6.* Qui Catonis nomen ab argumento præfixum volunt, poſſunt exemplo uti, quod ſic Martinus Ravaltus an. 1536. latine & Gallice edidit Catonem Principum, cujus meminit Franciſcus a Cruce Bibl. Gall. pag. 316. Sic ſententiæ monoſtichæ Marbodei Redonenſis pag. 1634. Opp. inſcribuntur: *Proverbia Catonis Philoſophi*. Editio (*f*) horum diſtichorum, quæ Eraſmus pridem ſcholiis illuſtravit, præſtantiſſima eſt, quam cum Græcis Metaphraſibus Maximi Planudis, Joſ. Scaligeri, Matthæi Zuberi [*g*] & Jo. Mylii, Germanica [*h*] vero Martini Opitii, curis ſecundis adornavit Chriſtianus Daumius, qui Opitii etiam notis ſuas addidit, pluriumorumque veterum ac recentiorum teſtimonia de hoc opuſculo præfixit, Cygneæ *1672.* 8.

rum iſte animadverſiones etiam in Catonis Diſticha promiſit. Argumentum autem quo Boxhornius in Quæſt. XIV. Romana p. 78. illa Scriptori Chriſtiano vindicare contendit, quod nempe cæde victimarum ſacra facere Deo vetant. nimis ludicrum eſt, cum idem Pythagoricis quoque, & innumeris aliis viſum fuerit Ethnicis. At homo Chriſtianus non ſcripſiſſet: *Thure Deum placa*. Et: *Stultitia eſt morte alterius ſperare ſalutem*.

(*f*) Editionem Auguſtanam A. 1485. Argentinenſem A. 1487. cum commentar. Roberti de Evromodio, Norimbergenſem An. 1494. Venetam 1495. & Lugdunenſem cum moralizatione Philippi a Pergamo A. 1497. memorat Beughemius in incunabulis typographiæ. Catonis diſticha prodierunt inter auctores octo morales Lugd. 1507. fol. & 1520. forma quarta majore. Jo. Mylii Cato Græcolatinus Lipſiæ 1588. 8. Catonis diſticha cum commentario Eraſmi, P. Syri mimi, & ſeptem Sapientum ſententiæ, Inſtitutio hominis Chriſtiani, Iſocrates ad Demonicum, Rod. Agricola interprete, Epicteti enchiridion ex verſione Politiani, & Plutarchus de odio, & invidia ex verſione Eraſmi, Lipſ. 1517. 4. & Francof. ad Oderam 8. Catonis diſticha cum aliis edita Aboæ *1669.* & 1685. 8. curante Joanne Gezelio.

(*g*) Hæc Græca Zuberi Metaphraſis exſtat quoque in editione Hanovienſi An. *1619.* 8. in qua præterea adjuncta ſunt diſticha itidem moralia perquam elegantia Michaelis Verini Minoricenſis Hiſpani abſtinentiſſimi juvenis, quæ lucem viderant Moguntiæ A. 1536. 8. Lugd. 1547. &c. Vide de hoc Verino Voſſium lib. 2. de arte Grammatica c. ult. & Colomeſium Bibl. ſelectæ p. 164. Verinum Poccianus p. 166. de Scriptor. Florent. docet Florentinum fuiſſe. Ejus diſticha moralia viderunt lucem primum Florentiæ An. 1487. quo ipſo ille diem obiit. Zuberum acriter perſtringit Reineſius Epiſt. ad Neſteros p. 36.

(*h*) Ante Opitium, cujus Metaphraſis prodiit Uratiſlav. 1628. 8. Germanicis rhythmis reddiderat Abraham Mortetius a Wiſſenburg Francof. 1590. 8. Poſt Opitium Germanicis verſibus Melchior. Dietericus Procopius in collectione vernacula ſelectorum carminum Moralium p. 73. Francof. & Lipſiæ 1720. 8. Gallicis verſibus tranſtulit Maturinus Corderius, qui dicavit Rob. Stephano, & Loiſellus; item Petrus Groſnerius Pariſ. 1543. *Les mots dorès du ſage Caton*. Pibracius quoque in tetraſtichis ſuis Gallice editis Catonis hujus legit veſtigia. Benedicti Burg Archidiaconi Colcheſtrienſis *Anglica* ex Gallico metaphraſis excuſa Weſtmonaſterii 1483. fol. memoratur a Michaele Maittaire in annalibus typographiæ pag. 172. Neſcio diverſa ne ab hac quam in Codice membranaceo MS. ſervaſſe accepi Joannem Morum Epiſcopum Elienſem.

RUFFINI VERSUS DE COMPOSITIONE ET METRIS ORATORUM.

R*Uffini verſus de compoſitione & metris Oratorum, & de eodem argumento variorum auctorum loca ab eodem collecta* inter Grammaticos veteres *Putſchii* pag. 312. & 321. Apud Latinos ait pag. 318. de numeris Oratoriis ſcripſiſſe Ciceronem, Victorinum, Euſebium, Terentianum, Varronem, Probum, Chariſium, Diomedem, Quintilianum, Donatum, Victorem, Servium. Apud Græcos Thraſymachum, Naucratem, Gorgiam, Ephorum, Iſocratem, Theodectem, Ariſtotelem, Theodorum Byzantinum, Theophraſtum, Hieronymum.

MORETUM.

M*Oretum*, quod Virgilio ipſi adſcribere aliqui cum Iſ. Voſſio non dubitant, &

Par-

Parthenium Nicænum poetam Græcum in illo imitatum eſſe obſervant. Sub *Svevii* nomine laudat Salmaſius in Solin. *A. Septimio Severo* poſt Scaligerum, Barthium, alioſque tribuit Jo. Weitzius, qui notis illuſtravit Francof. 1642. 8. ad calcem Copæ. Græca Metaphraſis Joſ. Scaligeri inter ejus Poemata occurrit, ab auctore oblata Petro Ronſardo A. 1563. *Moretum* idyllium *Suevii* Poetæ, quem virum longe doctiſſimum vocat, & verſiculos quosdam ex eo affert Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 9. emendatos a Salmaſio ad Solin. pag. 598. edit. Pariſ. diverſum eſt a Moreto, quod poema legitur inter Virgilii Catalecta, quodque Scaliger tribuit *A. Septimio Sereno* Poetæ Faliſco, qui Veſpaſianorum ætate vixit, & a Terentiano ſubinde laudatur auctor *ruris opuſculorum*. De illo videndus Sirmondus ad Sidonii Epiſtolam carmini XIV. præmiſſam T. I. Opp. pag. 1249. *Jo. Ruellii* ſcholia viderunt lucem Pariſ. 1542. 8. apud Simonem Colinæum. *Simylum* in Moreto allegat Caſaubonus p. 162. ad Theophraſti characteres.

VESPÆ JUDICIUM COCI ET PISTORIS.

Carmen.

VEſpæ, quem verſificatorem non illepidum laudat Barthius lib. 51. Adverſ. cap. 7. 10. 13. ubi loca quædam illius illuſtrat, carmen de Judicio Coci & Piſtoris de primatu inter ſe contendentium Judice Vulcano refertur a Pithœo inter Epigrammata & Poematia vetera.

LAUDES HERCULIS

Carmen.

CArmen Laudes Herculis continens ignoti auctoris poſt Poemata Claudiani edi ſolet.

METAPHRASIS PERIEGESEOS DIONYSIANÆ.

Carmen.

MEtaphraſeos Periegeſeos Dionyſianæ auctorem alii Priſcianum Grammaticum, alii Rhemnium Palæmonem, neſcio quem Priſcianum Favonium facit Barthius ad Claudianum pag. 87. 128. Edita eſt ab eodem Pithœo.

PRO-

PROLEGOMENA
PARTIS TERTIÆ
Ethnicos Poetas minimos complectentis.

DE LIVIO ANDRONICO.

Ex Giraldo.

PRimus inter Latinos ſcenæ poetas fuit, qui, ut Cicero & Gellius ſcribunt, apud Romanos primus fabulam docuit, Q. Claudio Cethego Appii Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano Coſs. anno ipſo antequam natus eſt Ennius. Attamen de Livii tempore ac annorum numero controverſia eſt inter ſcriptores: ſcripſit autem varia poemata, ut puta Epos, compoſuit hymnos in Deos, ſcripſit & Odyſſeam. Sane Livius cum prius ſervus eſſet, Andronicus vocabatur: donatus libertate, Andronicus ex nomine cognomen factus eſt: Ἀνδρόνικος enim Græca eſt dictio. Fuit & alter Andronicus poeta tempore Juliani Cæſaris Imperatoris, qui, ut Marcellinus ſcribit, ſtudiis liberalibus & carminum ſplendore notus, nihilominus accuſatus & in judicium deductus, cum ſecura & intrepida mente nulliſque ſuſpicionibus urgeretur, purgando ſe ſemper objecta diluendo fidentius, abſolutus eſt. Fuit & Andronicus grammaticus celebris, qui Syrus cum eſſet, Romæ docuit, dein Cumis agens in otio vixit.

D E Q. E N N I O.

Q. Ennii, patria Rudii (*i*) e Calabria, Poetæ eximii, quamquam temporum vitio admodum hirſuti, ſed quem eruditio, ut cum Catone loquar, in maximum decus, atque in excellentiſſimam claritudinem ſublimavit; Scipioni Africano perdilectus, cujus

Hærebat doctus lateri, caſtriſque ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Natus eſt an. urbis 513. C. Claudio Censthone, & M. Sempronio Tuditano Coſſ. Vide Pontacum ad Euſebii Chron. pag. 459. & de Ennii patria p. 468. Generis quoque nobilitate efferre ſe Ennius potuit, quod a Meſſapo Rege repetebat, unde *ποιητὴς ὁ Μεττάπιος* dicitur Æliano apud Svidam in Ἔννιος. Vide Neocorum ad Svidam Tom. 1. pag. 747. & Henningi Forelli diatribam de Ennio, editam Upſaliæ 1707. 8. Obiit ſeptuageſimo ætatis anno, Urbis DLXXXV. Fragmenta ejus diſperſa, in unum velut corpus redigere in animo habuit Lud. Vives ad cap. 21. libri 2. Auguſtini de Civitate Dei. Susceptus hic labor poſtea a Stephanis duobus non infeliciter, & quod ad *Tragœdias* attinet, a Martino Delrione, & Petro Scriverio. Ex *XVIII. Annalium libris* (*k*) Hexametro carmine hiſtoriam Romanam olim

(*i*) Patriam Ennii plerique viri docti habent Rudiam propter Tarentum, de qua Chriſtophorus Cellarius T. 1. notitiæ Orbis p. 901. At Dominicus de Angelis in diſſ. Italice edita de patria Ennii Rom. 1701. 8. Rudiæ hoc tribuit alteri, quæ duobus Aletio millibus diſtat.

(*k*) Annales Ennii in libros diſpeſcuit Quintus Vargontejus, ut colligas e Suetonio c. 2. de Grammaticis, ad quem locum Caſaubonus e Gellii XII. 5. obſervat, Annales iſtos ſolitos ad populum legi in theatro, quique id facerent, dictos Enniaſtas. Male XL. liber a quibusdam Feſti Codd. memoratur, neque enim plures ſcripſit quam XVIII. De tempore, quod ſingulis Annalium libris Ennius fuit complexus, videndus Merula p. 54. 55. Primum Hexametros latinos compoſuiſſe Ennium notat pag. 93. & 599. ex Diomede.

olim complexis, aliiſque Ennii ſcriptis (*l*) quæ reperire potuit majore ſtudio collegit, digeſſit, commentarioque pererudito illuſtravit *Hieron. Columna* politiſſimi vir ingenii, & nobilis Romanus, ad Joannem Filium, (*m*) Neapoli 1590. 4. Hunc ſecutus *Paulus Merula* Ennianorum *Annalium* fragmenta & ipſe diligentiſſime collegit, cumque ſuis animadverſionibus vulgavit Lugd. Bat. 1595. 4. Columnæ editionem, quæ rariſſima fuerat, nitide recudi curavit typographus inſignis H. Vvetſtenius Amſt. 1707. 4. recenſente Franciſco Heſſelio (*n*) qui eruditorum Virorum emendationes undique conquiſitas, & ad tragœdiarum fragmenta notas Voſſii, Delrioniſque opinationes, & denique fragmenta Annalium e Merulæ collectione (omiſſis ejus animadverſionibus) adjunxit. Illam Merulæ collectionem Italice vertit Bernardus Philippinus, inter cujus opuſcula Romæ An. *1659.* 8. edita habentur etiam Ennii verſus, quos imitatus eſt Virgilius, collati cum Maronis verſibus a p. 724.-757. Fallitur autem Campanella, qui pag. 189. de libris propriis ait fragmenta Ennii fraudem ſubolere. Ennium paſſim laudat Cicero, & Vitruvio IX. 3. judice *quicumque litterarum jucunditatibus inſtructas habent mentes, non poſſunt non in ſuis pectoribus dedicatum habere ſicuti Deorum, ſic & Ennii Poetæ ſimulacrum.*

* De Ennio, quem *alterum Homerum* vocabat Horatius, ita Joſephus Scaliger in Scaligeranis p. 136. *Ennius Poeta antiquus magnifico ingenio.. Utinam hunc haberemus integrum, & amiſiſſemus Lucanum, Statium, Silium, Italicum, & tous ces garcons la.* Fuit & alter Ennius junior, qui de literis ſyllabiſque, item de metris, & de augurandi diſciplina ſcripſit. Sueton. cap. 1. de Grammaticis. Vide & Paulum Merulam ad Ennii vetuſtioris fragmenta pag. 239.

DE EODEM

Ex *Giraldo*.

QUintus Ennius, ut Lucretius cecinit,

. . . *Primus amæno*
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Quam ferme quoque ſententiam & Silius Italicus ſuo carmine retulit. Trigeſima vero ſexta ſupra centeſimam Olympiadem, hoc eſt, Prioris Scipionis tempore floruit, ſub quo etiam ſtipendia meruiſſe traditur, ita Claudiano poeta ſcribente:

Hærebat doctus lateri, caſtriſque ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Fuit vero Romam deductus ex Sardinia inſula a M. Catone quæſtore ex Africa decedente, ut ſcribit Probus Æmilius in Catonis vita, quæ falſo a quibusdam Cornelio Nepoti adſcribitur. Meruiſſe & cum Q. Fulvio Nobiliore, cum is a ſenatu contra Ætolos imperator miſſus eſt; teſtis eſt ante alios M. Cicero: a M. vero Fulvii filio civitate donatus, ea tempeſtate, qua III. Vir coloniam deduxit. Ennii quidem patria Rudiæ, quod Calabriæ oppidum eſt, ut Mela Pomponius & Plinius ſcribunt, & poeta Silius canit. Rhodias vero & Græcam urbem nuncupat Strabo. Hinc, puto, ab Auſonio Rudinus dicitur, & Rudius a M. Tullio, pro Archia, ſi fidis codicibus ſtamus: Eutropius tamen hiſtoricus, & Hieronymus in Chronico ex Euſebio, Tarentinum illum his verbis faciunt: Q. Ennius, ajunt, Poeta Tarenti naſcitur, qui a Catone quæſtore Romam tralatus, habitavit in monte Aventino, parco admodum ſumptu contentus & unius ancillæ miniſterio. Sed enim de hac Ennii ancilla, ut puto, & Cicero in ſecundo de Oratore, cum de ridiculis agit, mentionem fecit. Cum enim, inquit, Scipio Naſica ad poetam En-

(*l*) Cetera ſcripta Ennii ſunt: Phagetica, Epigrammata, Scipio, Epicharmus, Aſotus, & aliæ Satyræ, Protrepticus, & Præcepta. Tum Tragœdiæ Achilles, Ajax, Alceſtis, Alcmæon, Alexander, Andromache, Andromeda, Athamas, Creſphontes, Creſſæ, Duloreſtes, Erechtheus, Eumenides, Hectoris luſtra, Hecuba, Iliona, ſive Polydorus, Iphigenia, Medea, Melanippe, Nemea, Phœnix, Telamon, Telephus, Thyeſtes. Comœdiæ vero: Amphithraſo, Ambracia, Pancratiaſtes. Denique Evemerus, ſive ſacra Hiſtoria Evemeri, ſoluto ſermone converſa. De Satyris Ennii videndus Caſaubonus lect. 2. de Satyrica poeſi cap. 2.

(*m*) Neapolitana fragmentorum Ennii editio cum MSs Joannis Gravii adnotationibus fuit apud Joannem Morum, Epiſcopum Elienſem. Hieronymus Columna, cui Neapolitana illa editio debetur, Dauſquejo in notis ad Silium p. 267. appellatur *Italiæ decus, a cujus ditiſſimis commentariis latrunculi manum non abſtinuerunt.*

(*n*) V. C. *Franciſcus Heſſelius* Eloquentiæ, & hiſtoriarum in Athenæo Roterod. Profeſſor, cui Vibium Sequeſtrum novis curis expolitum, curaſque in Gruterianum Veterum inſcriptionum corpus impenſas debemus, novæ ſuæ atque elegantiſſimæ fragmentorum Ennii editioni etiam indicem omnium vocabulorum adjunxit.

Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet domi non eſſe, Naſica ſenſit illam domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis poſt diebus, cum ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum a janua quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. Tum Ennius: quid? ego non cognoſco vocem, inquit, tuam? Hic Naſica: homo es impudens. ego cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi? Natus vero eſt Ennius, ut ipſemet cecinit, ex ſtirpe Neptuni, a Meſſapo, qui, ut ait Virgilius, fuit

—— *Equum domitor, Neptunia proles.*

Quod & adnotavit Servius. Idem Silius ſuo hoc carmine.

Ennius antiqua Meſſapi ab origine regis.

Quod vero per palingeneſiam, quam vocant Pythagorici, Homeri animam ſortitus ſit, fabuloſius videtur, quam ut hiſtorica fide comprobetur: id enim ſomnio contigiſſe & Lucretius poeta, & M. Cicero tradidere, eodem etiam ipſo Ennio canente,

—— *Mihi viſus Homerus adeſſe Poeta.*

Fuit vero vini appetentior:

—— *Nec umquam niſi potus ad arma*
Proſiluit dicenda:

ut ait Horatius. Ingenio acri fuit, atque ad ſcribendum promptiſſimo, vehemens in ſententiis, in verbis rudis, ut qui non diſcederet a communi more verborum. Addit & Cicero, eum fide plenum, haud tamen magna cum re. Hinc eſt, ait Piſo, illud fortaſſe, quod P. Virgilium ſolitum dicere accepimus, aurum ſe ex Ennii ſtercore colligere. Recte tu quidem, inquam. Trium quoque linguarum cognitionem habuit Ennius, unde poeticæ ſe tria corda habere dicebat, quod Græce, quod Latine, quod Oſce loqueretur, ut Gellius & Feſtus tradunt. Multa vero librorum volumina ſcripſit, inter quæ Annales, quos, ut refert Suetonius, Q. Varganteius diviſit in volumina, certiſque diebus in magna hominum frequentia pronunciabat. In hos M. Pompilius Andronicus librum compoſuit, quem Elenchorum nomine nuncupavit. Edidit & Ennius bella populi Romani, quorum librum duodecimum ſcripſit, annum natus ſextum & quadrageſimum, ut Varro & Gellius ſcribunt. Sed & Ennium Phagetica compoſuiſſe teſtis eſt L. Apulejus, quo libro, quæque eſui & gulæ magis celebrata eſſent, quove loco, carmine complexus erat: id quod & apud Græcos Archeſtratus, aliique complures, ut heſterno ſermone diximus. Et plures inſuper comœdias & tragœdias compoſuit, quibus ei propter vetuſtatem, decimum inter comicos locum dedit Volcatius. Mortem vero obiit, Q. Martio & Cn. Servilio Coſſ., cum Sulpitius Gallus prætor Apollini ludos faceret, ipſeque Ennius Thyeſten fabulam docuiſſet, annos natus, ut ſcribit Hieronymus, LXX. Periit vero articulari morbo, quem, ut Q. Serenus ait, nimio potu contraxerat, quo quidem tempore Crates Mallotes ab Attalo rege Romam miſſus, e regione palatii, in cloacæ foramine crus fregerat. Sepultus eſt in Scipionis monumento, via Appia intra primum ab Urb. lapidem. Livius libro XLVIII. & Plinius libro VII. Africanum Q. Ennii ſtatuam ſuo ſepulchro imponi juſſiſſe tradunt. Idem M. Tullius in ea, quæ eſt pro Archia, oratione. Hinc carmen illud Ovidii,

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Quidam ejus oſſa Rudias ex Janiculo tralata affirmant. Ennii epitaphium celebrat M. Cicero.

De Ennio vero hoc profert judicium Fabius Quintilianus. Ennium, inquit, ſicut ſacros vetuſtate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora, jam non tantam habent ſpeciem, quantam religionem.

DE GN. NÆVIO
Ex Giraldo.

GN. Nævius Poeta Comicus illuſtris eſt habitus, Campanus fuit, ut a Gellio traditur in Atticis noctibus. Volcatius Sedigitus poſt Cæcilium & Plautum conſtituit illi tertium locum. Neque Licinio tantum, verum etiam Attilio, Terentio atque Turpilio præpoſuit. Eo maxime tempore in ſcena dicitur præſtitiſſe fabulis ad populum editis, quo Sp. Carbilius, cognomento Ruga, primus Romæ de amicorum ſententia divortium cum uxore fecit, quod eſſet ſterilis, juravitque apud cenſores, uxorem ſe liberum quærendorum cauſa habere. Traditum eſt ab antiquis ſcriptoribus, Poetam Nevium ſtipendia feciſſe bellis Punicis, idque ipſum teſtari Nævium eo carmine,

mine, quod a ſe ſcriptum eſt de bello Punico. Qua in re nec illud eſt omittendum, quod cum eſſet unicum volumen Nævii, Octavius Lampadio Grammaticus excellens diviſit illud in VII. libros, ut alibi diligenter expoſuimus. Priſci enim Grammatici conſueverunt pro judicio ſuo, atque eruditione, omnium ſcriptorum opera percenſere, auctoreſque ipſos aut numero eximere, aut in ordinem redigere. Scripſit Nævius præter Punicum bellum Comœdias ac Tragœdias ſtylo in primis erudito & gravi, ut veteres teſtantur. Comœdias aliquot exemplo Græcorum compoſuit probris atque maledicentia plenas, in quibus Romanæ civitatis Principes acriter eſt inſectatus: ut qui Metellum conſularem virum, & P. Scipionem Africanum maledictis ſuis oneravit. Sic enim de Scipione:

Etiam qui res magnas manu ſæpe geſſit glorioſe,
Cujus facta viva nunc vigent: qui apud genteis ſolus
Præſtat: eum ſuus pater cum pallio una ab amica abduxit.

Hinc factum eſt, ut Poeta Nævius in vincula conjiceretur a Triumviris, propter immoderatam verborum petulantiam ac mordacitatem. Et cum aliquandiu haberetur in cuſtodiis, fabulas aliquot compoſuit. Paulo mox a Tribunis plebis e carcere exemptus eſt, ea conditione, ut delicta illa ac probra dilueret, quæ contra Romanos cives ſuis fabulis inſeruerat. De quo ſcribuntur complura in Atticis commentariis. Qui de Nævii fabulis agunt, citant illum in Alceſte, in Aureolo, Lycurgo, Triphalo, Leonte, in Colace, Ægiſtho, Tereo, & Zenone. Terentius Varro in libris de Latina lingua ad M. Tullium, plures alias pro Nævianis commemorat, ut Eſionam, Claſtidium, Dolum, Demetrium, Perſas, Lampadionem, Agedonem, Romulum, Stigmatiam. Ab hoc Nævio multa mutuatus eſt Pub. Virg. ſicuti ab Ennio, Lucretio, Pacuvio & aliis: ut a Macrobio diligenti ſtudio eſt obſervatum. Obiiſſe traditur Uticæ, cum factione nobilium, præcipueque Metelli, foret ex Urbe ejectus.

Fragmenta ex fabulis petita ſunt, quarum nonnullas non Nævio ſolum, ſed & Novio adſcribunt grammatici. Non tam Novium quam Nævium in Colace, Danae, Exodio, Lycurgo, Pedio, & aliis citant. Nos autem, noſtrum de hac re ſuſpendentes judicium, omnes qui ex una eademque fabula afferuntur loci, uno in loco ponendos cenſemus; ſive ea diverſitas nominis ab ipſiſmet grammaticis poſita ſit, ſive ex nato librariorum incuria errore irrepſerit. Siquidem non tantum diverſa eſt in diverſis exemplaribus ſcriptura, ſed in uno eodemque codice iidem verſus ejusdem fabulæ ab eodem grammatico citati nomine Nævii uno in loco, in altero nomine Novii reperiuntur: & quædam quæ Gellius Nævio, Nonius Marcellus Novio adſcribit, ſi quidem fides vulgatis eorum editionibus adhibenda eſt. Quin & tertium quoddam nomen Navius pro Nævius alicubi legitur.

DE M. PACUVIO.

Ex Giraldo.

M. Pacuvius in ſcribendis tragœdiis nobilis, iisdem ferme temporibus natus eſt, quibus Cato quæſtorius & Metellus clariores in urbe habebantur. Quidam tradunt illum fuiſſe ex Brunduſio Calabriæ urbe. Nepos fuit Quinti Ennii, quod Euſebius ac Plinius referunt. Romæ vixit in ſumma claritate nominis. Commendatur maxime illius ingenium, & nativa quædam facilitas in capiendis liberalibus diſciplinis. Neque defuit illi ſtudium pingendi, quod & C. Plinius indicat, qui Pacuvii Poetæ opera in magno honore a veteribus habita affirmat, eaque in primis, quæ in æde Herculis foro boario perfecit: quocirca clariorem fecit eam artem in urbe propter gloriam ſcenæ. Idem Pacuvius amplum ac ſonorum dicendi genus ſequutus eſt, ut M. Varro teſtatur: quod ſi durior alicui ac prope horridus habitus eſt, id ipſum tamen non vitio illius, ſed temporum adſcribitur: nam Fabius Quintilianus aperte aſſerit, clariſſimum fuiſſe Pacuvium gravitate ſententiarum, verborum pondere, & auctoritate perſonarum. In qua ſententia & M. Cicero fuit: qui hunc ipſum ex cæteris omnibus in Tragœdia facile præfert, carmenque illius magnopere commendat. Grammatici Veteres permultum Pacuvio conceſſerunt, ejuſque fabulas complures enumerant, in quibus non mediocrem laudem acceperit: ut Periboeam, Hermionam, Atalantam, Ilionam, Antiopam, Teucrum, & Medeam. Citatur etiam

tiam in Chryſe, in Niptris, in Paulo, in Oreſte, in Armorum judicio. Ex qua fabula decantatum carmen traditur, cum ludi celebrarentur in funere Julii Cæſaris, quo magis commiſeratio, & invidia excitaretur contra ipſius interfectores. Horatius Flaccus in epiſtola ad Octavium Aug. cum de antiquis Poetis judicium facit, in Pacuvio doctrinæ famam locavit. Paulo ſenior fuit L. Accio, & iisdem ædilibus, ut refert M. Cicero, Pacuvius atque Accius fabulas docuerunt. Vixit ad extremam ſenectutem, &, ut ſervatum eſt in Latinis annalibus, cum tædio ſenectutis, ac morbo detineretur, Tarentum ſe contulit, ibique prope nonagenarius obiit, neque ſine maxima jactura ſtudiorum.

DE ST. CÆCILIO.

CÆcilius *Statius*, Comœdiarum ſcriptor Ennio ſuppar, anno poſt eum diem obiit, U. C. 586. Cum Cœlio Antipatro Sidonio a quibusdam confunditur. Novator fuit Verborum, inde malum eum latinitatis auctorem Cicero appellat. Principatum tamen illi inter Comicos tribuit Volcatius Sedigitus ap. Gellium. Excelluit enim in πάθεσιν, ut in ἤθεσιν Terentius. Cæcilium Terentius cito eſt conſecutus, quippe quorum Comœdias quasdam novas idem L. Ambivius Turpio Comœdus egit.

Ex Crinito.

Statius Cæcilius in Gallia natus eſt, ut creditur, & ob id Mediolanenſem quidam dixerunt, quod ex annalibus Hieronymi acceperunt. Illud pro certo haberi debet, in urbe Roma eum vixiſſe, & in ſcribendis Comœdiis principem locum tenuiſſe, ut a Volcatio Sedigito ſcriptum eſt, qui hunc ipſum Cæcilium non Terentio tantum & Plauto, ſed reliquis omnibus comicis ſine controverſia præpoſuit. M. Cicero in eadem ſententia eſt, tantumque Statio Cæcilio concedit, ut illius quidem carmen, ut conſtat, ſummis laudibus proſequatur. Fabius Quintilianus qui in omni antiquitate publicus cenſor eſt habitus, tres maxime nominat in deſcribendis Comœdiis, hoc eſt, M. Plautum, P. Terentium, & Statium Cæcilium. Vixit ſumma familiaritate cum Poeta Ennio, ut ab Euſebio refertur. Idem magnopere dilectus eſt a Terentio, qui tantum illius judicio tribuit, ut ad Poetam Cæcilium, ceu ad optimum cenſorem, ſuas fabulas referret. Enumerantur ſupra XXX. Statii Comœdiæ a Grammaticis veteribus. Neque togatas minore ſtudio compoſuit, quam palliatas, unde ſingularem gratiam reportavit, judicio eruditorum. In pretio magno fuerunt, Nauclerus, Syracuſæ, Pauſimachus, Hypobolimæus, Epiclerus, Cratinus, Plocius, Aſotus, Ephæſtion. Citatur etiam in Subditivo, in Fallacia, in Andria, in Annalibus, in Fœneratore, in Venatorio, in Umbris, in Obolo, in Synariſtulis, quarum partem a Menandro, Philemone, & Apollodoro tranſtulit. Neque defuerunt antiqui Grammatici, qui hunc Cæcilium accuſaverint, quod in vertendis a Menandro fabulis parum apte aut concinne quædam tranſtulerit. Mortuus eſt ſequenti anno poſt obitum Quinti Ennii, & juxta Janiculum ſepultus traditur.

DE L. ACCIO PISAURENSI

Ex Giraldo.

LU. Accius Serrano & Mancino Coſſ. parentibus libertinis natus, & ſene jam Pacuvio floruit. Fundus fuit Accianus ab eo, ut ait Euſebius, juxta Piſaurum vocatus, quia illuc ipſe cum aliis colonis deductus fuit. Accius ait, ut refert Cicero, iisdem Ædilibus (non ædibus, ut plerique ſcribunt) ſe & Pacuvium docuiſſe fabulam, cum ille LXXX. ipſe XXX annos natus eſſet. Sunt codices qui de numero evariant: quos ego emendatiores exiſtimo, ſum ſecutus, quando & Gellius ſcribit: Cum Pacuvius grandi jam ætate & diutino corporis morbo affectus Tarentum ex urbe Roma conceſſiſſet, Accius tunc haud parvo junior proficiſcens in Aſiam, cum in oppidum veniſſet, divertit ad Pacuvium, comiterque invitatus, pluſculiſque ab eo diebus retentus tragœdiam ſuam, cui Atreus nomen fuit, deſideranti legit: tum Pacuvium dixiſſe ajunt, ſonora quidem eſſe quæ ſcripſiſſet, & grandia, ſed videri ea tamen ſibi duriora paulum & acerbiora. Ita eſt, reſpondit Accius, uti dicis:

neque ejus ſane me pœnitet: meliora enim fore ſpero quæ deinceps ſcribam, nam quod in pomis eſt, itidem, inquit, eſſe ajunt in ingeniis: quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia, & jucunda: ſed quæ gignuntur ſtatim vieta, & mollia, atque a principio ſunt vivida, non matura mox fiunt, ſed putria. Relinquendum igitur viſum eſt ingenio, quod dies atque ætas mitificet. Hæc utique totidem verbis ex Gellio, quibus præter hiſtoriam multa notatione dignam, videtis Accium etiam Pacuvio longe juniorem. Fuit is quoque populo Romano gratus adeo, ut eum, qui L. Accium contumelioſe nominaverat, P. Mutius condemnarit. Puſillæ inſuper & brevis ſtaturæ Plinius Accium fuiſſe ait, nihilominus ſibi in æde Camœnarum maxima forma ſtatuam poni curavit. Accium ajunt interrogatum, cur cauſas non ageret, cum apud eum in Tragœdiis tanta vis eſſet: optime hanc ſcribit Fabius reddidiſſe rationem, quod illic ea dicerentur quæ ipſe vellet, ſed in foro eſſent dicturi adverſarii quæ ipſe minime vellet. Amatus etiamnum in tantum Accius a Decimo Bruto fuiſſe dicitur, ut Accianis verſibus templorum & monumentorum frontes & aditus exornare conſueverit, ut auctor eſt Cicero: qui & alio loco ipſius Decimi familiarem fuiſſe ſcribit, ſeque de Bruti eloquentia ab ipſo Accio didiciſſe: quæ quidem Ciceronis verba me de temporis ratione ambigere uſque adeo faciunt, ut aliquando alterum hunc Accium a priore fuiſſe autumarim, ut hic vobis ſtatim ſubjiciam, id quod parum alii animadvertere. Sed, ni piget, & tu Piſo recita, quam de Pacuvio & Accio cenſuram fecit Fabius Quintilianus. Id quidem, Lili, libenter agam, reſpondit Piſo, ſi tu nobis prius de iſto Accio, quem alterum a priore aliquando putaſti, quæ te movebant attuleris. Id agam ſcilicet, ut & vos eodem mecum errore ducamini, ſi vobis minus tempora utrique convenire videbuntur. Alter igitur hic L. Accius a priore is mihi viſus, qui eodem quo Cicero & Cæſar floruit tempore, adeo ut de eo Val. Maximus libro tertio ſcribat: Accius, inquit, Julio Cæſari ampliſſimo ac potentiſſimo viro in collegium Poetarum venienti numquam aſſurrexit, non majeſtatis ejus immemor, ſed quod in comparatione communium ſtudiorum aliquanto ſuperiorem ſe eſſe conſideret: quapropter inſolentiæ crimine caruit, quia ibi voluminum, non imaginum certamina exercebantur. Et hæc quidem Valerius. Hujus præterea in nono meminit Vitruvius: meminit & Ovidius in tertio de Ponto, cum ait: *Auctor opus laudat* (ad Brutum ſcribens) *ſi forſitan Accius olim, Therſiten facie dixerit eſſe bona*. Fuerunt & qui hunc eum exiſtimarent, quem Iliada ſcripſiſſe Perſius Flaccus ait: *Non hic eſt Ilias Acci Ebria veratro*. Scripſit vero L. Accius præter fabulas, annales, ut in primo Saturnalium Aurelius Macrobius obſervat, ex quibus & verſus hos citat.

Maxima pars Graium Saturno & maxima Athenæ
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Cumque diem celebrant per agros, urbeſque fere omnes,
Exercent epulas læti, famuloſque procurant
Quiſque ſuos, noſtrique itidem, & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Atque hæc quidem de Accio. Quæ cum retuliſſem, penſum, quod pollicitus Piſo fuerat, exſolvere jam paratus erat. Sic itaque cœpit: Fabius igitur Quintilianus lib. X. de Pacuvio & Accio ſic ait: Tragœdiæ, inquit, ſcriptores Accius & Pacuvius clariſſimi, gravitate ſententiarum, verborumque pondere & auctoritate perſonarum. Cæterum nitor & ſumma in excolendis operibus manus magis videri poteſt temporibus, quam ipſis defuiſſe: virium tamen Accio plus tribuitur. Pacuvium videri doctiorem, qui eſſe docti affectant, volunt. Et hactenus Fabius. Et Piſo: Cæterum in Pacuvio Cicero ait ornatos eſſe verſus & elaboratos. Sed & horum utriuſque plurimæ fuiſſe feruntur fabulæ, quæ paſſim a ſcriptoribus citantur, ex quibus pleræque ſententiæ circumferuntur. Ex Pacuvii quidem tragœdia, quæ inſcripta fuit Armorum judicium, decantatum carmen eſt, cum ludi in Julii Cæſaris funere celebrarentur, ut eo carmine commiſeratio major & invidia contra conſpiratos cæſores commoveretur. Accii vero nobilis illa ſententia ex ejus Aſtyanacte in augures & divinatores dicitur, *Nihil*, inquit, *credo iſtis auguribus*, *qui aures verbis divitant alienas*, *ſuas ut auro locupletent domos*.

Editor ipſe.

IN Piſaurenſi Collectione de Piſaurenſi Poeta L. Accio Tragicorum Latinorum facile Principe ſiluiſſe, cum præſertim Euſebii narrationem, Chronologiam, Piſaurumque ejus Patriam Giraldus in dubium vocet, Bælius autem, aliique paſſim etiam uti falſam traducant, turpe fuerit. Audendum igitur aliquid. Hæc autem fere Criticorum momenta, quibus omnia convellant.

Ajunt itaque primo. Euſebius affirmat, L. Accium Tragicum, natum Mancino & Serrano Coſſ., inter ceteros Colonos Piſaurum deductum fuiſſe, & fundum ab eo prope oppidum Accianum nominatum = (Euſeb. in *Chronico*: *Olymp.* CLX. *anno* II. *L. Accius Tragœdiarum ſcriptor clarus habetur, natus Mancino & Serrano Coſs. parentibus libertinis, & ſeni jam Pacuvio Tarenti ſua ſcripta recitavit, a quo fundus Accianus juxta Piſaurum dicitur, quia illuc inter Colonos fuerat ex Urbe deductus*. Hæc autem inquiunt ſibi non cohærent. Annus enim, quo Piſaurum Colonia deducta, ſuperior fuit, nimirum annus U. C. 566. Claudio & Licinio Coſſ. (Tit. Liv. & Faſti.) Annus vero Mancino & Serrano Coſſ., quo natus Accius autumatur, poſterior fuit, nimirum annus U. C. 580. (Idem Tit. Liv. & Faſti.) Ergo Accius Tragicus Mancino & Serrano Coſſ. natus nimirum 14. annis poſt Piſaurum Coloniam deductam, nec Piſaurum deduci, nec in diſtributione agrum nanciſci, nec agro ſuo prope oppidum, qui Accianus vocaretur, nomen impertiri potuit, nec proinde Piſaurenſem eum fuiſſe judicandum.

Ajunt autem ſecundo. Cicero affirmat, L. Accium 60. annis ante annum U. C. 710., quo anno poſt Cæſaris mortem quædam ejus Fabula reponeretur, vita functum fuiſſe, hoc eſt, ſi relegas tempora, anno U. C. 650. (Cicero Philip. I. = *Niſi forte Accio tum plaudi & ſexageſimo poſt anno palmam dari putabatis, non Bruto* =) Sed quum Cicero mortuus anno ipſo U. C. 710. Hircio & Panſa Coſſ. annorum 64. ætatem agens, (Plutarchus in Cicerone) natus propterea fuerit A. Urb. Cond. 648., ipſe autem dicat ſe pluries cum L. Accio ſerio locutum, (Cicero in Bruto cap. 28. = *Decimus Brutus, M. Filius, ut ex familiari ejus L. Accio Poeta ſum audire ſolitus, dicere non inculte ſolebat*. = duos annos itaque natus Cicero cum Accio egiſſe videretur, quod etiam quam ſit ridendum nemo non videt.

Quæ ratio igitur has tam diſſonas narrationes componendi? Eadem ipſa, quam hic Giraldus ſuſpicatur, & quæ veriſimillima, nimirum duos Accios Poetas fuiſſe.

L. Accium itaque Poetam alterum & primum inter Colonos Piſaurenſes deductum fuiſſe juxta Euſebium putemus. Id enim eſſe potuit. Pacuvius nonagenarius obiit anno III. Olymp. CLVI. nimirum A. ab U. C. 600. (Euſebius ipſe in *Chronico*) Pacuvius idem igitur, qui nonagenarius fuerit anno U. C. 600, octogenarius anno U. C. 590. procul dubio eſſe debuit. Ait autem alibi Cicero Pacuvium & Accium eiſdem Ædilibus ſive eodem anno fabulas docuiſſe, illum 80. hunc 30. annos natum. (Cicero in Bruto. = *Ut Accius iiſdem Ædilibus ait ſe & Pacuvium docuiſſe fabulam, cum ille octoginta, ipſe triginta annos natus eſſet* =) Annus igitur ab U. C. 590. ille fuit, quo Pacuvius 80. & Accius 30. annos fuerit natus. Si itaque triginta annos ab anno U. C. 590. retrahas, Accium hunc anno U. C. 560., quod quiſque videat, natum eſſe oportuit. Piſaurum autem Colonia deducta A. U. C. 566. uti demonſtravimus. Igitur L. Accius alter, ſive prior, ſex annos natus Piſaurum a Parentibus libertinis ſuis deduci potuit, & narratio Euſebiana conſtat.

Hic Accius primus ille ipſe eſſe debuit, quem Cicero A. U. C. 650., & proinde nonagenarium obiiſſe autumat.

Accium autem alterum & ſecundum, illum ipſum fuiſſe putemus, qui juxta eundem Euſebium anno U. C. 580. Mancino & Serrano Coſſ. natus eſt, viginti annis junior, & primi fortaſſe filius, quod ex illis, quæ mox diſputabuntur, ſuſpicari facile poſſumus.

Hic vero Accius ſecundus ille ipſe eſſe debuit, qui ultra annum U. C. 650. vixiſſe videtur, & cum quo ſerio ſe locutum Cicero affirmat. Vivere autem potuit aut debuit ſaltim ad annum U. C. 667. tempus nimirum illud, quo Cicero viginti annos natus de ſeriis rebus poſſet & cum eo egiſſe & meminiſſe.

Secum itaque ipſe Cicero diſcors, ſecum ipſe Euſebius diſcors, perbelle ambo convenient, ſi alter alteri conlatus fuerit, & ſi de Acciis duobus illos locutos fuiſſe judicaverimus. Judicium neceſſarium, ne ſecum ipſe uterque au-

ctor diſſentiens fiat; judicium veriſimillimum etiam, ſi, quæ ſequentur, perpenderimus.

Donatus Accium quemdam Comicum memorat [Donat. de Tragœd. & Comœd. = *Poeta Comicus Accius*. =

Acron autem Grammaticus non tantum cum ceteris auctoribus Accium alterum Tragicum memorat, & Græco Tragico Euripide præſtantiorem affirmat, ſed clariſſime etiam hunc appellat Accium Poetam juniorem. (Acron in Horat. Epiſt. I. lib. II. = *Accius Poeta Junior ſuo ingenio præcelluit Euripidem, qui fuit altus, & ingenio ſublimis*. =) *Accius Poeta junior* autem ea locutio eſt, ut *Accium Poetam ſeniorem* alium diſtinguat & referat, utræque autem locutiones = *Accius Junior* & *Accius Senior* = non tam diverſos ætate, quam etiam communiori uſu loquendi Patrem & Filium Poetas ſignificare videantur. Duo igitur Accii Poetæ fuerint. Accius Senior & Parens, Comicus, & inter Piſaurenſes Colonos deductus, L. Accius Junior, & Filius, Tragicus, & Ciceronis adoleſcentis coævus, & familiaris.

Argumenta quarumdam Fabularum, quarum fragmenta in hoc opere adferuntur, profecto ad Comœdias magis quam ad Tragœdias pertinent. Ita Comœdia videtur illa, quæ inſcribitur = Fidicinæ = Item altera, quæ = Putatores = & aliæ etiam, quæ inter fragmenta videri poſſunt.

Plures inſcriptiones ad Acciam Familiam pertinentes adfert Cl. Eques noſter, Patriæ ſuæ decus, Annibal de Abbatibus Oliverius in eruditiſſimo Marmorum Piſaurenſium opere, Inſcriptiones quæ Acciam Familiam eamdem Piſauro noſtro certiſſime adjudicare videntur. Illa tamen, quæ numero XXIX. refertur, non videtur prætereunda. Hæc conceptis verbis memorat L. Accium Patrem, L. Accium Filium, T. Accium Nepotem. En ipſa Inſcriptio.

Caput L. Accii	*Caput T. Accii*
L. ACCIUS	T. ACCIUS
L. F.	L. F.

In Ædibus Co. de Pardis ex vet. MSS.

Quid autem vetat hos putare eosdem Accios eſſe, de quibus agimus, primum quidem Avum L. Accium Comicum inter Colonos deductum, ſecundum vero Filium L. Accium Tragicum Ciceronis adoleſcentuli familiarem, tertium vero Nepotem T. Accium Oratorem eximium, Ciceronis adulti æmulum, & coævum, quem Cicero ipſe memorat, & clariſſime Piſaurenſem nuncupat, (Cicero ipſe in Bruto cap. 78.) quibuſque celeberrimis civibus honoris & grati animi ergo Piſaurenſes monumentum illud poſuerint?

Mons amœniſſimus, qui ad occidentem ſolem vergit vix mille paſſuum ab oppido diſſitus, & quem nunc *Imperialem* vocitamus, in chartis antiquioribus noſtris indubie & paſſim appellari ſolet *Mons Atti*, ſive *mons Acci*. Duæ Lucernæ fictiles ad templum D. Marinæ in eodem monte ſitum nuperis temporibus effoſſæ, ab eodem Cl. Oliverio relatæ in *Marm. Piſaur. pag. 168. 169.* nunc vero apud Cl. V. Joannem Baptiſtam Paſſerium, alterum Patriæ noſtræ decus, exiſtentes, Inſcriptionem perbellam illius Fundi Acciani referunt. Hæc autem Lucernarum Inſcriptio.

ACCIANA
P. SATRI C. F
CAM

Cum

Cum enim, ut clariſſimus vir ibi obſervat, hæc figlina a Domino nomen habere non potuerit, qui P. Satrius fuit, profecto a Fundo, in quo extructa erat, nomen habuiſſe oportuit. Hæc obſervatio enimvero Euſebianam narrationem Fundi Acciani prope Piſaurum ſiti confirmare videtur.

Reliquum eſt, ut videamus, quiſnam ille Julius Cæſar fuerit, cui Poetarum Collegium ingredienti Accium Poetam non aſſurgentem apud Valerium Maximum a Giraldo relatum audivimus, & quiſnam Accius ille ipſe fuerit, qui id egiſſe putetur: id enim etiam Criticis negotium faceſſit. Neque vero profecto Julius Cæſar Dictator hic fuerit, cum Valerius Maximus, qui ſub Tiberio ſcripſit, adulatoria locutione ſuis temporibus neceſſaria, & quam ipſe numquam alibi negligit, eum non jam ſimplici modo = *Julium Cæſarem* = ſed *Divum Julium* = neque tantum = *ampliſſimum & florentiſſimum virum* = ſed = *Dictatorem* = appellaſſet. Deinde Cæſar Dictator, qui utpote anno U. C. 709. annorum 56. ætatem agens occiſus [Plutarchus & Svetonius in vita Cæſaris] ortus eſſe debuerit anno U. C. 653., ſi tempora ab illo anno retrahantur; idcirco nec coævus Accii primi eſſe potuit, quem annis tribus ante, nimirum A. U. C. 650. obiiſſe demonſtravimus, & quatuordecim annorum fere ætatem tantum habere eum oportuit tempore ipſo poſtremo Accii ſecundi, quem pariter circa annum U. C. 667. obiiſſe diximus, qua ætate non = *ampliſſimus & florentiſſimus vir* = ſed = *Puer* = Valerio Maximo vocandus omnino fuiſſe videretur. Satius itaque fuerit putare hunc *Julium Cæſarem*, vel illum ipſum *C. Julium Cæſarem* fuiſſe, qui Ædilitius anno U. C. 666. una cum Sulpicio Tribuno Plebis Syllanum bellum civile excitavit, Poeta ille profecto & Orator eximius omni urbanitate & lepore conditus, uti pluries laudatur a Cicerone, [in Bruto & in Oratore] vel fratrem illius *Lucium Julium Cæſarem*, qui Conſularis & Cenſorius, non tam honoribus quam bellica laude in ſociali bello clariſſimus fuit, & revera dignus, quem ampliſſimum & florentiſſimum virum Valerius Maximus, uti vidimus, appellaret. Hi enim ambo fratres ex Juliorum familia altera progeniti, eodem anno U. C. 667. quo *L. Accium* Tragicum obiiſſe exiſtimavimus, ita ut tempora etiam quam maxime conveniant, a Mario proſcripti, & interfecti traduntur. (Hiſtorici omnes.)

Tres itaque Piſaurenſes celeberrimi Accii fuerunt, nimirum L. Accius Poeta Comicus Pater, L. Accius Poeta Tragicus Filius, T. Accius Orator Nepos, quorum Chronologiam ex ſuperioribus dictis concinnatam, hic diſponendam & oculis ſubjiciendam putamus.

Anno U. C.

560. *Accius primus oritur.*

566. *P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licinio Coſſ. Piſaurum Colonia deducitur. Accius primus ſex annos natus etiam deducitur.*

580. *A. Hoſtilio Mancino, & A. Attilio Serrano Coſſ. Accius ſecundus oritur.*

590. *Accius primus 30. annos natus, & Pacuvius 80.*

600. *Pacuvius nonagenarius moritur.*

611. *Accius ſecundus claret.*

612. *D. Brutus fuit Conſul, cujus Accius ſecundus fuit familiaris.*

630. *T. Accius tertius naſci potuit, nullo ſatis certo tamen indicio exiſtente anni illius natalis.*

647. *vel 648. M. Tullius Cicero oritur.*

650. *Accius primus moritur.*

653. *C. Julius Cæſar Dictator oritur.*

667. *Accius ſecundus moritur. C. & L. Cæſares occiduntur.*

688. *Cicero Cluentium defendit contra T. Accium tertium, Oratorem Piſaurenſem.*

706. *T. Accius tertius moritur. Cicero eum dicit recens mortuum, in Bruto, qui liber a Cicerone ſcriptus anno U. C. 707.*

709. *C. Julius Cæſar Dictator occiditur. Comœdia L. Accii primi reponitur.*

710. *M. Tullius Cicero occiditur.*

Hæc de popularibus noſtris celeberrimis Acciis, ne omnino, uti diximus, ſiluiſſe videamur.

DE CAJO LUCILIO.

C. Lucilii Sueſſani Auruncani Equitis Romani, qui magnus avunculus Magno Pompejo fuit, fragmenta ex *Libris XXX. Satyrarum*, *Epodis*, *Hymnis*, *Serrano & Numularia* comœdia poſt Stephanos (*a*) diligentius collecta digeſta ſcholiiſque illuſtrata a *Franciſco*

(*a*) Lucilii fragmenta quædam e Stephanorum collectione ſubjuncta ſunt Horatio Danielis Heinſii.

ſeo Douſa, Jani filio, cujus centones quidam Luciliani ſunt adjecti (*b*) Lugd. Bat. 1597. 4. Non pauca Luciliana emendant atque illuſtrant Janus Guilhelmius lib. 2. Veriſimilium c. 1. 2. 7. 6. 10. Janus Rutgerſius Venuſinar. lectionum c. 15. & Juſtus Rycquius in Centuria nova Epiſtolarum, Epiſtola ſexta ad Ludovicum Saregum, Lovan. 1615. 8. Fragmenta Lucilii collegit & *Joſephus Iſæus* Romæ, ut me docuit Paulus Colomeſius ad Gyraldi Dialogum IV. de poetis pag. 193. Utrum *vitam Scipionis Africani majoris* ſcripſerit Lucilius, diſquirentem vide Bælium in Lexico, qui recte notat poetæ hujus fragmenta poſt Douſæ induſtriam etiamnum indigere, ut ab alio quodam viro docto plus lucis accipiant. Librum de vita & ſcriptis Livii Andronici, Nævii pag. 8. Ennii p. 14. Cæcilii Statii pag. 31. Pacuvii pag. 36. Accii p. 41. Attilii p. 46. Lucilii p. 48. & Afranii pag. 56. & M. Porcii Catonis pag. 59. & 110. edidit Caſpar Sagittarius Altenburg. 1672. 8. Lucilius Auruncæ alumnus (*c*) deceſſit anno ætatis 46. itaque *ſenex* dicitur Horatio, pro veteri. Primus Lucilius condidit ſtyli naſum, ut ait Plinius præf., h. e. ſatyras ſcripſit. Hinc apud Martialem XII. 96. *Lucilius eſſe laboras* i. e. vis ſatyras componere. Auſonius ad Tetradium ſatyrarum ſcriptorem Epiſt. 25. *Rudes Camœnas qui Sueſſæ prævenis, ævoque cedis non ſtylo.* Solitum verba in verſibus ſuis audacius disjungere, ac diſcerpere, ut *cere comminuit brum*, perſtringit Eugenius Toletanus carm. 23. Tom. XII. Bibl. Patrum edit. Lugdun. pag. 348.

O Jo *verſiculos nexos qui deſpicis* hannes,
Excipe di *ſollers ſi noſti jungere* viſos.
Cerne ca *paſcentes dumoſo in littore* melos,
Et por *triticea verrentes germina* cellos.
Ar ſitibunda petunt lympharum pocula menta,
Atque bu *glandiferæ recubant ſub tegmine* bulci,
Nunc pas *lanigeras ducunt ad paſcua* tores,
Et ſœ *conſumunt fraudantes munera* turæ.
Pro tibi ut & noſtro veniat ex carmine fectus
Inſtar Lucilii *cogor diſrumpere verſus*.

De libro trigeſimo ſatyrarum conſulendus Janus Guilhelmius lib. II. Veriſim. cap. 1. & 2. Alia Lucilii emendat c. 7. 9. 10. Vide etiam Chriſtophori Waſe ſtricturas & animadverſiones Nonianas, Oxoniæ editas, & Pauli Merulæ ad Ennium commentaria.

Ex Crinito.

Cajus Lucilius Satyrarum ſcriptor, iiſdem prope temporibus floruit, quibus Poeta Accius, Sex. Turpilius, & Statius Cæcilius in Scena celebres habiti ſunt. Ex Aurunca urbe Auſoniæ fuit. Quocirca alumnus Auruncæ vocatus eſt a Junio Juvenale. Parentes habuit ſatis nobiles, &, ut quidam Grammatici tradunt, fuit avunculus Cnæo Pompejo. Illud in primis manifeſtum eſt, fuiſſe Lucilium ingenio acerrimo, & in ſcribendis verſibus feſtivo, & urbano. Amicos habuit Q. Attam Poetam Comicum, Albutium Lapathum, Albinum, & C. Perſium, qui eſt appellatus ab antiquis doctiſſimus: ad quos ſcribere etiam conſuevit. Præter alios omnes Q. Philocomum familiariſſime coluit. Idem Lucilius primus cœpit ſcribere Satyras, maximeque inſectatus eſt Rutilium Lupum, Carbonem, L. Tubulum, & alios plures, quorum ſcelera atque flagitia ferre æquo animo non poterat. Fuit enim Lucilius optimis moribus, & alienæ iniquitatis acerrimus accuſator. Satyrarum libros ſupra XXX. compoſuit, uti Varro & alii Grammatici oſtendunt. Neque me præterit Q. Philocomum & Lælium Archelaum fuiſſe auctores, ut Lucilii Satyræ in libros referrentur: quod a Suetonio ſcribitur. Nam Grammatici veteres cenſoria virgula utebantur, Poetarumque carmen in libros dividebant: ut C. Octavius Nævii opus de bello Punico, & Q. Varguntejus Ennianos annales. Horatius Flaccus lutulentum vocat Lucilium, & in ſcribendis carminibus incompoſitum. Qua in re magni auctores ab eo diſſentiunt: præcipue Gellius & Fab. Quintilianus, cujus verba ſubjiciemus. " Satyra quidem tota noſtra eſt, in „ qua primus inſignem laudem adeptus eſt Poe„ ta Lucilius, qui quosdam ita deditos ſibi „ habet amatores, ut eum non ejusdem modo „ operis auctoribus, ſed omnibus Poetis præ„ ferre non dubitent. Ego quantum ab illis, „ tan-

(*b*) Fragmenta Lucilii in quibusdam exemplis præferunt Amſt. 1662. 4. ſed tantum prima pagina recuſa eſt ex veteri editione Lugd. Bat. 1597. 4.

(*c*) Juvenal. Sat. 3. v. 20.

„ tantum ab Horatio diſſentio, qui Lucilium „ fluere lutulente, & eſſe aliquid quod tollere „ poſſis, putat. Nam eruditio in eo mira, „ libertaſque, & acerbitas, & abunde ſalis.“ Hadrianus Imperator eundem Lucilium omnibus Poetis præponebat, qui Satyram ſcripſiſſent. Metrophanem ſervum habuit, cujus fidem atque induſtriam in Satyris commendavit. Mortuus urbe Neapoli, eodem prope anno, quo Furius Bibaculus natalem habuit. Neque deſunt auctores, qui ſcribant, publico funere Lucilium fuiſſe elatum, cum annum ætatis ſextum & quadrageſimum impleviſſet.

DE SEXTO TURPILIO.

SExtus Turpilius Comicus, qui laudatur in fabulis *Boethuntibus* Non. *Canephoro* idem. *Demetrio* Diomed. Non. *Demiurgo* Cic. Non. *Epiclero* Non. Priſc. *Hetæra* Non. *Lemniis* id. *Leucadia* vel *Fugitivis* Cic. Non. *Lindia* Non. Priſc. *Faraterusa* id. *Pædio* Non. *Philopatro* id. *Thraſyleone* Non. Cic. *Veliterna* Serv. Non. Iſid. Turpilii loca apud Nonium emendat Janus Guilhelmius lib. 2. Veriſimilium cap. 21. & 23.

Ex Crinito.

Sex. Turpilius poeta Comicus ingenio facili fuit, & in fabulis componendis idoneo. Quocirca tantum nominis conſecutus eſt in ſcena, ut comœdiæ Turpilianæ magnopere probatæ ſint a Romanis. Invenio apud veteres Grammaticos hunc Turpilium ſumma benevolentia conjunctum fuiſſe Pub. Terentio: & in iiſdem ludis utriuſque fabulas aliquando actas. Vulcatius Sedigitus ſeptimum locum Turpilio dedit inter Comicos poetas, eumque Luſcio, Q. Ennio, & Trabeæ præponit. Nonius Marcellus in commentariis ad filium XV. Comœdias nominat, quæ a Turpilio compoſitæ fuerunt. In quibus legendis atque obſervandis diligentiam atque ſtudium probat. Citatur in Philopatro, in Lemniis, in Demetrio, in Bethonibus, in Pedio, in Epiclero, in Canephoro, in Thraſyleone, in Demiurgo, Hecyra, Paraterusa, & Leucadia. Lyndia quoque in magno pretio habita eſt a Grammaticis. Auctores ſunt qui referant hunc Turpilium ad extremam pene ætatem acceſſiſſe: & in Sinueſſana urbe periiſſe iiſdem pene temporibus, quibus Furius Bibaculus natalem ſuum habuerit.

DE CN. MATIO.

Ex Crinito.

CN. Matius Mimorum ſcriptor in magno pretio habitus eſt, quod cum alii plures, tum A. Gellius teſtatur in Atticis commentariis. Ingenio fuit eleganti & facili. In ſuis autem Mimis, quos vocavit Mimiambos, verba quædam nova, & perlepida poſuit, ut Grammatici obſervarunt. Julianus Rhetor, vir multiplici eruditione ornatus, permultum delectatus traditur Matianis fabulis propter nativum quendam leporem, & mirificam illarum ſuavitatem, maximeque hos verſus commendabat:

Jam tonſiles, &c.

Et item:

Sinu, &c.

Idem Matius, ut quidam exiſtimant, compoſuit opus hexametris verſibus, quod inſcriptum eſt de Iliade. Cujus carmen M. Varro, & alii Grammatici quandoque citant. Sed hac in re parum conſentiunt veteres auctores. Maurus Terentianus de Poeta Matio facit mentionem, ejuſque Mimiambos, ut elegantes & lepidos celebrat. Fuit alter Matius Romanus civis, & amicitia Octavii Cæſaris nobilis, qui primus Tonſilia nemora excogitavit.

DE LUCIO AFRANIO.

Ex Crinito.

LUcius Afranius Poeta Comicus, iiſdem ferme temporibus in urbe claruit, quibus Poeta Terentius, & Sext. Cæcilius in ſenium vergebant. Vulcatius Sedigitus Afranium hunc non numerat inter cæteros Comicos. Operam ſuam, atque diligentiam poſuit in Togatis fabulis componendis. Sunt autem Togatæ illæ, in quibus de rebus Romanis ageretur, a toga denominatæ. In his primum locum obtinuit,

ut

ut a veteribus traditur. Menandrum Poetam præcipue imitatus eſt ſtylo & orationis charactere: quocirca ſic Horatius in Epiſtola ad Octavium Auguſtum:

Dicitur Afrani toga conveniſſe Menandro.

Furius Albinus, & Macrobius afferunt, Afranium ipſum permulta a Menandro ſumpſiſſe, quod ille etiam libere, atque ingenue profeſſus eſt, ut omnibus aperte demonſtraret, quam modeſtus, atque ingenuus foret. Itaque in compitalibus ita reſpondet ſuis obtrectatoribus:

Fateor, ſumpſi non a Menandro modo,
Sed ut quiſque habuit, quod conveniret mihi:
Quod me non poſſe melius facere credidi.

Cumque ingenio ac ſalibus excelleret, ſententias paſſim, & acute dicta inſerebat ſuis fabulis, non ſine ſumma elegantia, & mirifica venuſtate: quod cum alii multi, tum M. Cicero teſtatus eſt. Culpatur a Quintiliano Afranius, quod in ſuis argumentis amores proprios paulo imprudentius vulgaverit. In togatis, inquit, excellit Afranius, utinamque non inquinaſſet argumenta puerorum fœdis amoribus, mores ſuos faſſus. A. Gellius permultum Afranio tribuit, præcipueque illud carmen putavit commendandum, in quo de Sapientia ſic loquitur,

Uſus me genuit, &c.

Citatur idem Afranius perſæpe ab antiquis Grammaticis, in Augure, in Conſobrinis, in Cinerario, in Compitalibus, Brunduſinis, in Fratribus, in Homine, in Incendio, in Emancipato, in Prodito, in Patella, in Roſa, in Suſpecta, in Sella, in Talione. De obitu ipſius nihil apud veteres legimus.

DE Q. TRABEA.

Q. *Trabea* inter Comicos veteres non infimæ notæ, quem in octavum locum Volcatius Sedigitus apud Gellium conjicit. De eo Varro apud Chariſium lib. 2. extremo: πάθη *vero & Trabea & Atilius & Cæcilius facile moverunt.* Hoc liquet ex imaginibus iræ & inanis lætitiæ apud Cic. 2. de finibus & 4. Tuſc. Laudare creditur Trabeam in *Ergaſtulo* Nonius c. 2. ſed Pomponio afferitur bis, in rarenter & villicari. Cauſa erroris eſt, quod vocabulum trabes ad Ennii laciniam revocandum ſit.

--- ---- *Sed quaſi ferrum aut lapis*
Durat rarenter gemitum conatu trahens.

Pomponii nomen excidit, nec exſtat ullum e Trabeæ fabulis nomen: nam *Harpaga* ſive *Harpacem*, ſubditivam Muretus (*d*) prolem Scaligero, pro genuina venditavit, Comœdiam ſcilicet ex Euripide translatam. Hæc Chriſtophorus Waſe exercitatione tertia animadverſionum Nonianarum.

Ex Crinito.

Quintus Trabeas Comœdiæ auctor, in ordine Comicorum relatus eſt a Volcatio Sedigito. Locum octavum obtinuit poſt Terentium & Turpilium: de quibus commode diximus. Mentio de hoc Trabea fit a veteribus Grammaticis, qui perſæpe citant ejus fabulas. M. Cicero minime dubitavit commendare eundem Trabeam, carmenque illius locis multis referre. Sunt qui credant, in ſcribendis Togatis præſtitiſſe, quod & Sext. Pompejus demonſtrat. Laudantur a Marco Tullio ii verſus Trabeæ, in quibus credulitas amantis, ac nimia geſtientis animi lætitia lepide & eleganter deſcribitur.

Lena, &c.

DE C. LICINIO IMBRICE.

Ex Crinito.

CAjus Licinius Imbrex inter eos Poetas refertur, qui comœdias ſcripſerunt. Volcatius Sedigitus, cum de Comicis ſcriptoribus judicium facit, Licinio multum tribuit, eumque non Attilio tantum, & Ennio præpoſuit, ſed & Turpilio atque Terentio. Grammatici veteres citant aliquot Licinii comœdias, ut Næ-

(*d*) Non diffitetur hoc Muretus ipſe ad calcem hymnorum ſuorum ſacrorum in edit. Aldina A. 1575. 8. pag. 56. ſeq. Confer Jac. Thomaſii notam ad Mureti poemata p. 50. Mich. Maittaire de vitiis Stephanor. p. 366. ſeq. Viciſſim ſub Mureti nomine Epiſtolas ſuppoſuiſſe edidiſſeque Lambinus a Mureto arguitur vide Menagiana T. 4. p 222 ſeq. Tamen ſarcte licet id affirmanti Mureto viri docti hoc non credunt.

Næviam & Neæram, de qua Gellius in Atticis noctibus ſcribit, quo loco de comprecationibus Deorum differit. Sextus quoque Pompejus ita Licinium nominat ut Poetam maxime lepidum atque urbanum.

DE Q. NOVIO.

Ex Crinito.

QUintus Novius Atellanarum ſcriptor illuſtris eſt habitus. Grammatici veteres, cum de ipſius ingenio & doctrina diſſerunt, permultum illi concedunt. Aurelius Macrobius probatiſſimum Poetam hunc vocat inter eos auctores, qui Atellanas fabulas ediderunt. Qua in re poſt Novium, inquit, Pomponius atque Memmius præclari habentur. Scripſit Novius complures Comœdias, in quibus magnopere probavit ingenium ſuum atque urbanitatem. Citatur maxime in his fabulis, hoc eſt, in Fullonico, in Exodio, in Virgine prægnante, in Pedio, in Dotata, in Gallinaria, in Geminis, in Partu. De quibus multa leguntur in commentariis Nonii Marcelli. De obitu illius nihil apud antiquos auctores legimus. Nævio junior fuit CL. annis, & Sullanæ Dictaturæ vicinus in ſcena viguit.

DE L. POMPONIO BONONIENSI.

Ex Crinito.

LUcius Pomponius, Atellanarum ſcriptor, iisdem fere temporibus in Urbe præſtitit, quibus Laberius, Publius, & Julius Calidius, ut in Latinis Annalib. relatum eſt. Euſebius & alii, Bononienſem hunc faciunt. Ingenio perurbano dicitur fuiſſe, & in notandis hominum moribus maxime feſtivo. Sunt enim Atellanæ fabulæ ab Atella urbe appellatæ, in quibus Poetæ veteres ſolebant varios jocos atque ſales vernili quadam dicacitate admittere. De his Pomponii Atellanis M. Cicero & Annæus Seneca pluribus locis meminerunt, ingeniumque Pomponii vehementer commendant. Non. Marcel. magna diligentia obſervavit has Pomponii fabulas: quod ipſum colligitur ex illius commentariis, in quibus ſupra XXX. ejus Comœdias nominat. Citatur Pomponius ſæpe ab antiquis Grammaticis, in Aleonibus, in Proſtibulo, in Pannuceatis, in Nuptiis, in Porcaria, in Privigno, in Piſcatoribus, in Ergaſtulo, in Patruo, in Aſinaria, in Ruſtico, in Dotata, in Decuma Fullonis, in Præcone poſteriore, in Buccone, in Macchis geminis, in Verre ægroto, in Piſtore, in Syris, in Medico, in Majali, in Sarculario, in Augure, in Petitore, in Annulo poſteriore, in Præfecto, in Ariſta, in Hirnea, in Poraria. Itidem in Marſupio, in Æditumo, in Auctorato, in Satyra, & in Gallis tranſalpinis. Gellius præterea, & Priſcianus de Atellanis Pomponii ſæpe agunt, pluresque verſiculos afferunt: ex quibus intelligi poteſt, quantum præſtiterit gratia & ſalibus.

DE D. LABERIO.

DLaberius Eques Romanus ob aſperam libertatem a Julio Cæſare, qui eum ſenem in theatro comparere & quos ſcriptitabet mimos (*a*) ipſum agere juſſerat, [*b*] Publio Syro poſtpoſitus, obiit, ut teſtatur Euſebius, decem menſibus poſt Cæſarem interfectum. Nihil ex ejus Mimis Horatio etiam laudatis exſtat præter pauca quædam fragmenta a Rob. Ste-

h

(*a*) De mimis apud Græcos conſulendus H. Valeſius ad Ammiani lib. XXIII. 5. & Salmaſius ad Solin. p. 76. 77. edit. Traiect. De Romanis Tho. Gatakerus ad Marci Antonini XI. 6. & Voſſius lib. 2. Inſtitut. Poetic. 2. 32. ſeq. qui de Pantominis per geſtus omnia exponentibus differit c. 36. ſeq. & de origine mimorum ac mimis apud Græcos cap. 29 &c. Mimi celebres Romæ præter Laberium & Publ. Syrum fuerunt Æſopus hiſtrio, Roſcius, Cn. Mattius, M. Marullus, L. Acilius, & (cujus Catinenſes laudantur a Tertulliano c. 4. de pallio) Lentulus. Neque Judæos a mimis obſcœna jocantibus abhorruiſſe patet e Flavii Joſephi vita, qui narrat Alityrum μιμόλογον Neroni chariſſimum Judæum genere fuiſſe, p. 999. Iidem quoniam ſeveras paſſim ſententias admiſcebant, vocantur interdum Aretalogi, Paradoxologi, etiam Neaniſcologi apud Scholiaſten Juvenal. Sat. VIII.

(*b*) Gell. III. 18. X. 17. & XVII. 14. Sveton. in Cæſare cap. 39. & ibi Pitiſcus Macrob. II. 7. Saturnal.

Stephano collecta in fragmentis Poetarum latinorum p. 138. 144. & prologum quem ſervavit Macrobius lib. II. Saturnal. c. VII. Obiit *Laberius* (*c*) Puteolis major ſexagenario, quem ob mordaces nimium lepores Cæſar Publio Syro liberto poſtpoſuerat.

Prælicenter verba latina Laberium finxiſſe notat Gellius XVI. 7. De mimis confer Voſſium in Etymologico, de pantomimis Caſſiodorum etiam lib. I. Epiſt. 20. & Benedictinos notis ad S. Ambroſium Tom. 1. p. 1026. De utriſque, Octavii Ferrarii & Nic. Calliachii diſſertationes & Ferd. Mendozam ad Concil. Illiberitanum Tom. 1. Labbei pag. 1321. ſequen.

DE Q. CATULO.

Ex Londinenſi Collectione.

QUintus Catulus ex Catulorum familia illuſtri natus, ingenio præclaro fuit, orator, epigrammatumque jucundiſſimus ſcriptor. Sunt qui Catulum hunc eum falſo exiſtimant, qui inſtauratum Capitolium dedicavit, & impeditæ linguæ fuit. Dilectus eſt maxime a C. Cotta, & L. Craſſo propter elegantiam ingenii, & morum ſuavitatem. Tam venuſte atque egregie luſit Epigrammata, ut ab antiquis auctoribus relatum ſit, nihil apud Latinos aut Græcos legi poſſe mundius, preſſius, aut venuſtius Q. Catuli epigrammatis. Traditum eſt fuiſſe illum facili animo, & proclivi ad amores ac delicias. Itaque Roſcium Gallum præcipue dilexit, qui tum adoleſcens eleganti forma, & indole optima florebat, etſi oculos perverſos habuit, ut M. Cicero & Diomedes Grammaticus teſtantur. Sunt præterea qui Catulum hunc familiarem Mario conſuli tradant, & cum eo de Cimbris triumphaſſe. A Marco Tullio magnopere laudatus eſt, quod Archiam Licinium & amare, & probare poſſet. Appianus Alexandrinus & Plutarchus ſcribunt in bellis civilibus, cum ei nuntiatum fuiſſet, mori oportere, illum domi in cubiculo concluſum, accenſis carbonibus eorum vapore ſuffocatum occubuiſſe: at Plinius, in Naturali hiſtoria, ab Amphione occiſum ait.

(*c*) De Laberio Mimo adeundus etiam Petrus Bælius in Dictionario hiſtorico, quod noviſſime longe locupletius exiit prælis Roterodamenſibus. Alius Q. Laberius Durus, cujus mentio apud Cæſarem lib. V. de bello Gallico cap. 15. Huius tumulum in Antiquitatibus Rutupinis (Richburrough) Oxon. 1711. 8. pag. 73.

DE Q. ATTA.

Ex Londinenſi Collectione.

QUintius Atta, Togatarum fabularum ſcriptor habitus eſt: & in his componendis magnopere a quibusdam commendatur. Sunt qui referant eundem Romæ verſatum his temporibus fuiſſe, quibus Pomponius Bononienſis in ſcena floruit, & Plotius Gallus in tradendis præceptis rhetorices præſtitit. Horatius Flaccus in ea epiſtola, qua loquitur de Latinis poetis, videtur Attæ fabulas notare, indignaſque exiſtimare, ut a Romanis civibus tanto ſtudio atque attentione audirentur. Citantur ſæpe a Latinis Grammaticis comœdiæ Q. Attæ. Quocirca veriſimile eſt in magno pretio illas fuiſſe habitas. Traditum eſt cognomen Attæ illis eſſe impoſitum, qui eo vitio pedum laborant, ut videantur magis inniti plantis, quam libere ambulare. Is Romæ C. & LXX. Olympiade mortuus eſt, ut Hieronymus in Chronico Euſebii obſervat: ſepultus vero via Præneſtina ſecundo ab urbe milliario.

DE P. SYRO.

PUblius Mimographus natione *Syrus* ob ingenii ſolertiam a Patrono ſuo manumiſſus, Juliique Cæſaris Imp., qui Laberianam ut jam dixi dicacitatem ferre nequibat, favorem expertus obiit incertum quo anno Auguſti Imp. Ejus præter Hieronymum in Chronico ad Olympiad. 184. ſæpius meminit cum laude Seneca Philoſ. Plinius 8. 51. Hiſt. Gellius 17. 14. Macrobius 2. Saturnal. 2. & 7. & Petronius *Ciceronem dijertiorem*, *Publium honeſtiorem* ait fuiſſe, ad quem locum conferendus Douſa lib. I. præcidan. in Petronium cap. 17. Pueris ediſcendos olim traditos fuiſſe Publii Syri verſus colligas ex Hieronymi ad Lætam Epiſtola. Ex *Mimis* ejus ſive *ſententiis* lepidis & ad communem uſum accommodatiſſimis pervenerunt

rant

runt ad nos non paucæ, ſive ſervatæ ab antiquis Seneca, Gellio, Macrobio, ſive ſeparatim in codicibus antiquis deſcriptæ. Sane leguntur ſub Publii nomine, legendæ ſæpius pueris ac totæ ediſcendæ ſententiæ ejuſmodi DCCCCLXXXII. ſingulis verſibus Jambicis expreſſæ vel trochaicis, licet in his ſunt fortaſſis aliquæ, quæ ipſum non habent auctorem. Inter editiones præſtare putem illam, quæ ſecundum litterarum ſeriem digeſta, & a *M. Velſero* A. 1608. ex MS. Friſingenſi locupletata cum notis ab *Adamo Sartorio* curatis ſubjicitur M. Antonii Mureti Orationibus & Epiſtolis, Ingolſtadii, ac noviſſime Lipſiæ ex editione Cl. Jacobi Thomaſii, iterum iterumque recuſis. Edidere eosdem Mimos, ſed nec numero eodem, nec ordine *Deſiderius Eraſmus*, qui e codice Cantabrigienſi recenſitos ac caſtigatos paraphraſi etiam explicavit Baſil. 1502. 4. *Georgius Fabricius* viginti antea ineditas P. Syri ſententias primus vulgavit in ſua ſententiarum collectione excuſa Lipſiæ 1550. & cum aliis ſententiis a ſe collectis Lipſiæ 1567. 8. *H. Stephanus* ad calcem ſententiarum e Comicis græcis & latinis A. 1563. forma minore; *Janus Gruterus* una cum tragœdiis Senecæ A. 1604. 8. apud Commelin. & in Florilegio Ethico Politico ſententiarum ac proverbiorum cum Gruteri notis edito Francof. 1610. 8. tribus volum. in quo opere T. I. p. 159. ſeq. occurrunt P. Syri ac Senecæ ſententiæ aureæ recognitæ ad MSS. Palatina & Friſingenſe, additis pag. 793. ſeq. Gruteri notis; *Dionyſius Gothofredus* ad calcem Senecæ, *Tan. Faber* ad calcem Phædri, *P. Pithœus* inter Poematia antiqua, & *Joſephus Scaliger*, qui Græcis etiam verſibus ſelectas ſententias CCCLXXV. reddidit. Vide ejus Poemata Græca a Petro Scriverio edita Lugd. Bat. 1615. 12. pag. 115. ſeq. Occurrunt etiam P. Syri ſententiæ, ne de Morelliana editione memorem, Pariſ. 1611. 8. in *Theodori Zvvingeri* morum Philoſophia 2. Tomis edita Baſil. 1575. 8. Ex MSto Friſigenſi easdem recenſuit poſt Gruterum *Huppertus Faber* Ubius Agrippinas Venet. 1618. Denique ſententiæ P. Syri CCCLII. cum notis & commentario copioſiore poſtumo *Jani Gruteri*, antea inedito, atque ad calcem rejecta *Græca* Metaphraſi *Joſephi Scaligeri*, centum aliquot verſibus ex autographo ipſius locupletata, prodierunt nitide excuſæ Lugd. Bat. 1708. 8. curantibus Sigeberto Haverkamp & Abrahamo Preyger. Cum verſione Græca Scaligeri, notiſque Eraſmi & *Emanuelis Svvedbergii*, Upſal. 1709. 8. *Gerhardi Voſſii* filii notæ & caſtigationes, quas cum *H. Hernſtii* variantibus lectionibus circa annum 1637. edere voluit, haud viderunt lucem. Vide Voſſii Patris Epiſtolam 299. ad Salmaſ. *Gallicam* Caroli Montani, qui circa A. C. 1500. floruit, Metaphraſin memorat in Bibliotheca Gallica Crucimannius.

DE PORCIO LICINIO.

Ex Crinito.

PORcius Licinius cum ex Liciniorum familia nobili ortus, vir clarus habitus eſt, tum ingenio facili & eleganti, præſertim in componendis Epigrammatis. Julianus rhetor (qui Hadriani principis temporibus vixit) Licinii carmen magnis laudibus extollit, adeo ut hunc ipſum præferre non dubitaverit poetis omnibus Græcis. Afferuntur ejusdem Licinii verſus complures a noſtris Grammaticis, ex quibus probari poteſt, quam eleganter atque egregie poetæ officium abſolverit. Sunt qui credant eundem Licinium ſcripſiſſe annales octonariis verſibus: ſed hoc non ſatis mihi compertum eſt. Illud pro certo haberi debet, Marcum Licinium fuiſſe auctorem annalium Romanorum.

DE VALERIO ÆDITUO.

Ex Crinito.

VAlerius Ædituus in ſcribendis epigrammatis Poeta inſignis habitus eſt, maximeque aptus ad exprimendas Veneres, ac delicias. In quo numero a Grammaticis noſtris relati præcipue ſunt, Quintus Catulus, Porcius Licinius, & Val. Catullus. Magnopere commendatur Aedituus ab Aul. Gellio, tantumque illius carmini conceſſit, ut affirmare auſus ſit, nihil ſe legiſſe vel apud Græcos Poetas venuſtius, aut ſuavius: qui videri ſolent cæteris omnibus in hoc genere ſcribendi gratiores atque elegantiores. Laudatur idem Ædituus, cum ab aliis multis, tum a M.

Varrone, qui ejus verſiculos alicubi citavit. De moribus autem & vita ipſius nihil aliud legimus.

DE M. TERENTIO VARRONE.

M. Terentius (*d*) Varro, Romæ natus eſt anno U. C. DCXXXVIII. Vir undecumque doctiſſimus, Ciceronis & aliorum virorum clariſſimorum familiaris, qui poſtquam tribunatu & aliis muneribus functus fuiſſet, & in bello civili Pompejanas partes ſtrenue conatus eſſet tueri, (*e*) mature tamen Cæſari victori ſe permiſit, & ab eo in gratiam receptus, Bibliothecisque græcis & latinis comparandis ac dirigendis præfectus in litterato otio delituit, totumque ſe tradidit ſcribendis libris. Septuagenario major ab Antonio una cum Cicerone anno U. C. DCCX. proſcriptus evaſit quidem, attamen direptis bibliothecis ſuis gravem jacturam paſſus eſt etiam ſcriptorum ſuorum, atque in his εισαγωγικȣ, quem Cn. Pompejo ſcripſerat, ut memorat Gellius XIV. 7. Reliquum vitæ tempus nulla interpellante vi totum peregit in litteris, plurimaque compoſuit, ita ut ipſe duodecimam annorum hebdomadam, hoc eſt, ſeptuageſimum & octavum ætatis annum ingreſſus memoret, ſe ſeptuaginta hebdomades librorum (*f*) hoc eſt libros 490. conſcripſiſſe. Diem obiit ſupremum prope nonagenarius, (anno enim octogeſimo & octavo ætatis adhuc ſcripſiſſe traditur a Plinio XXIX. 4.] anno Urbis DCCXXVII. poſt CHRISTUM natum XXVII. De Varronis ætate confer Arnoldum Pontacum ad Chronicon Euſebii p. 52.

Inter plurimos itaque, quos ſcripſit, libros numerantur etiam Libri Logiſtorici, ſive Satyræ, (*g*) quarum pleræque *Menippeæ*, h. e. proſa, Menippi Cynici exemplo, carminis vario genere diſtincta atque expolita ſcriptæ erant, unde Varro *Menippeus* Athenæo dictus & Tertulliano, Arnobio ac Symmacho *Cynicus Romanus*. Vide Probum in Eclogam VI. Virgilii, & Joſiam Mercerum p. 207. ad Nonium.

DE C. JULIO CÆSARE.

C. Julius Cæſar (*h*) Dictator, eloquentia doctrinaque non minus quam incredibili animi vigore (*i*) rerumque geſtarum magnitudine clariſſimus, poſt victum Cn. Pompejum & oppreſſam Remp. cum ſumma poteſtate paullo ultra quadriennium moderate ſatis uſus fuiſſet, in curia a conjuratis confoſſus periit Idibus Martiis anno Urbis DCCX. ante CHRISTUM XLIV. ætatis LVI.

Scripſit præter cetera etiam *Poemata*, de quibus auctor de cauſis corruptæ eloquentiæ cap. XXI. *Fecerunt & carmina* (Cæſar ac Brutus) *& in Bibliothecas retulerunt*, *non melius quam Cicero*, *at felicius*, *quia illos feciſſe pauciores ſciunt*. Ex his Poema *Iter* memorat Svetonius in Julio c. 56. & *tragœdiam Oedipum*, quam perinde ut *laudes Herculis* ab adoleſcentulo ſcriptas publicari Auguſtus vetuit. Aſconius in Orat. pro M. Scauro

(*d*) Terentium Sabinorum lingua notare mollem, docet Varro apud Macr. II. 14. Saturn.

(*e*) Vide Vertranium Maurum & Auſonium Popmam in Varronis vita, ac præcipue Martinum Hanckium V. C. libro 2. de Rom. Rerum Scriptoribus cap. 6.

(*f*) Gellius III. 10.

(*g*) De Satyris Varronis adeundus Iſ. Caſaubonus lib. 2. de Satyr. poeſi cap. 2.

(*h*) Alius C. Julius Cæſar Strabo Lucii F. Orator ſuaviſſimus, cujus genus eloquentiæ ſecutus eſt Cæſar dictator, cum adhuc adoleſcens eſſet. Vide Pitiſcum V. C. ad Svetonii Calig. c. ult. Cæſaris Dictatoris vitam e veteribus tradunt Plutarchus, Svetonius, & de quo infra §. VI. dicam, Julius Celſus. Longe plures interciderunt. Sidonius Apollinaris ad Burgundionem [qui laudem Cæſaris Julii ſcripſerat] lib. IX. Epiſt. 14 *Nam ſi omittantur quæ de titulis Dictatoris invicti ſcripta Patavinis ſunt voluminibus* [in T. Livii libris Hiſtoriarum deperditis) *quis opera Svetonii*, *quis Juvenci Martialis Hiſtoriam*, *quiſve ad extremum Balbi Ephemeridem fando adæquaverit?* Hunc Balbum haud diverſum eſſe a Balbo Cornelio Theophane, cujus meminit Capitolinus, adverſus præclari Voſſii in Hiſt. lat. ſententiam recte obſervatum eſt Bælio in Lex. ubi de Cæſare. Inter recentiores, qui de Cæſaris rebus ſcripſerunt, ſane infinitos, unum in præſenti laudabo Hubertum Goltzium, qui Cæſaris genealogiam vitamque compoſuit atque e numiſmatis veteribus illuſtravit, Brugis 156.. fol.

(*i*) Confer Plinium VII. 25. Hiſt.

ro tragœdiam Cæſaris *Julios* memorat his verbis: *Item inter primos temporis ſui Oratores, & tragicus Poeta admodum habitus eſt. Hujus ſunt enim tragœdiæ quæ inſcribuntur Julii*. Alia etiam verſu ſcripſiſſe conſtat e Plinii XIX. 8. & Donato in Terentii vita. Sed Tragœdiam Tecmeſſam male Cæſari tribuit Leſcaloperius ad Ciceronem de natura Deor. p. 624.

DE TITINIO.

TItinius [ita ſcribendum non *Titinnius*] togatarum ſcriptor, an fuerit ex equeſtri genere Titinorum, an libertus M. Titinii Prætorii, ad quem Cicero librum epiſtolarum ſcripſerat, qui hodie deſideratur, incertum eſt. *H'θη nulli quam Titinio & Terentio ſervare convenit*, inquit Varro quinto de L. L. apud Chariſium lib. 2. extremo. Scripſit *Barathrum* Chariſ. Feſt. Non *Barbatum* Feſt. Non. Priſc. *Cæcum* Chariſ. *Ferentinatem Pſaltriam* Feſt. Non. Priſc. *Fullones* Non. *Geminam* Non. Priſc. *Hortenſium* Chariſ. *Ilam rubram* Non. *Juriſperitam* Chariſ. *Prælium* Chariſ. Non. Priſc. *Privignum* Non. *Pullam* Feſt. *Quintum* Non. Priſc. *Setinam* Chariſ. Feſt. Non. *Tibicinam* Chariſ. *Vopiſcum* Non. *Veliternam* id. Aliquid etiam *de Medicina* tradidiſſe e Q. Sereno Sammonico colligit Chriſtophorus Waſe exercit. 3. animadverſ. Nonianarum, cui hæc debeo.

DE Q. CICERONE.

LIbellus de petitione Conſulatus, qui in editionibus Ciceronis exſtat, non M. Tullii eſt, ſed ad eum ſcriptus a Q. Cicerone fratre, & lectione haud indignus, nec injucundus, quamvis H. Stephanus in Pſeudo-Cicerone p. 180. ſcripſit *dictionem ejus cum fratris ſermone collatam; non minus radere delicatas aures, quam filii Ciceronis & Cœlii & Aſinii Pollionis, aliorumque Tullii æqualium, quorum ad illum Epiſtolæ exſtant*. *Q. Fratris* liber *de petitione Conſulatus* in editione Ciceronis Veneta commentariis Manutiorum illuſtrata occurrit tomo nono, cum commentario *Valerii Palermi*, Veronenſis. Libris etiam Tullii Rhetoricis ſubjicitur in editione Aſulani & Barthol. Alexandrini, Venet. 1485. fol. Separatim nuper edidit V. C. *Chriſtianus Gottlieb Schvvartzius*, Altdorfii 1719. 8. una cum verſibus viginti hexametris, qui ſub Quinti hujus Ciceronis nomine exſtant, pridem editi, *de ſignis cæleſtibus*, quo tempore quodque illuſtre ſit, in Eclogario Auſonii pag. 558. edit. Tollianæ, & inter poemata vetera a Viris doctis collecta. Ab eodem doctiſſimo Schvvartzio aliam editionem earumdem Quinti reliquiarum expectamus, ipſius & aliorum notis diligenter illuſtratam.

DE C. CASSIO PARMENSI.

Ex Burmanno.

CAſſii Parmenſis verſus, qui ſequuntur, in Bruttiis inventos, quos inde mihi Sertorius Quadrimanus juvenis doctrina moribuſque elegantiſſimus curavit, publico damus, ne pereant ſcilicet: digniſſimi enim Caſſio viſi ſunt, cujus Horatius, Plinius, ceterique meminerunt. *Ach. Statius*. Ipſum A. Statium hos Caſſii verſus confinxiſſe communis eſt eruditorum opinio, a qua eum calumnia liberatum ivit Barthius ad Stat. II. Achill. 443. ſed tamen ita, ut vel unum talem verſum extundere potuiſſe neget: vid. Bayle Fragmens d' un Diction. Critiq. pag. 161. Scaligerum Epiſt. 409. Ritterſhuſ. ad Phædr. pag. 114. & Voſſium de Poet. Lat. pag. 24. *Broukhuſius*. Carmen hoc Caſſii Parmenſis, quia illud Pithœus Catalectis ſuis Lib. IV. pag. 185. inſeruit, hic etiam exhibendum putavi, licet illud fictitium & quidem ab Achille Statio ſuppoſitum Viri docti dudum ſuſpicati fuerint, quamquam Barthius ad Claudian. p. 904. ſuppoſititium quidem credat, ab Achille tamen Statio profectum neget. Spurium quoque eſſe notavit Scriverius in MSS. notulis, quas primis paginis editionis Pariſinæ Pithœi adlevit, ubi hæc inter alia: *Complurium in hac Collectione recentiorum Poetarum, non inelegantia quidem, ſed adfectatæ vetuſtatis, ab hominibus doctis conficta, ut ſunt L. Apuleji ex Menandro Anechomenos*, &c. *Corn. Galli Elegia*, *Caſſii Parmen-*

ſis

ſis Orpheus, & alia quorum piget pudetque. neque aliter de hoc carmine cenſebat N. Heinſius in notis ad Virg. VI. Æn. 556. *Caſſius Parmenſis in Orpheo, ſi tamen id poematium ſuperiori ſeculo non eſt confictum.* Pro veris tamen ac genuinis eos venditavit, & commentario illuſtravit Chytraeus libro Francofurti edito anno 1585. ut notavit Patruus meus ad Sueton. Tom. II. pag. 399. unde notam Ach. Statii, & Broukhuſii, ſed nonnihil emendatam, excerpſi. Idyllium hoc, ut vocat, elegantiſſimum notis ſuis ad Phædrum inſeruit, ac metaphraſim Græcam avunculi ſui Matthiæ Bergii, Brunſvicenſis, dedit Rittershuſius ad Prolog. Lib. III. Totum etiam produxit Lambinus ad Horatium Lib. 1. Sat. X. & Georg. Fabricius ad Senecæ Herc. Oetaeum v. 1034. ubi illud non ita pridem Florentiæ inventum eſſe teſtatur. Ideo autem huic Caſſii Parmenſis carmini inter hæc Epigrammata vetera locum dedi, quia inter alia opera poetam hunc etiam Epigrammata ſcripſiſſe teſtatur antiquus Horatii Scholiaſtes Acro ad illum verſum Lib. 1. Epiſt. 4. 3.

Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat.

ubi de Caſſio dicit: *Hic aliquot generibus* (forte *operibus*) *ſtylum exercuit, inter quæ elegi & Epigrammata laudantur. Hic eſt qui in partibus Caſſii & Bruti Tribunus militum fuit, quibus victis Athenas ſe contulit. Quintus autem Varus, ab Auguſto miſſus, ut eum interficeret, ſtudentem reperit, & peremto eo, ſcrinium cum libris tulit, unde multi crediderunt Thyeſtem Caſſii Parmenſis fuiſſe: ſcripſerat enim multas alias tragœdias.* Quibus paria habet Porphyrio. Gloſſator in Codice Franequerano ad hunc verſum adnotavit: *Hic Epicureus fuit & poeta*, neſcio an non voluerit potius, *Hic Epicus fuit poeta*. Ad Thyeſten illam Tragœdiam quod adtinet, eam Caſſianum drama eſſe patet ex Scholiaſte Horatii Crucquiano ad Lib. 1. Sat. 10. v. 62. cujus locus adſcribi meretur, quia dubitare nos jubet, an Caſſius horum verſuum auctor ſit. Scribit enim, omnia Caſſii Parmenſis carmina periiſſe, juſſu Senatus abolita: *Caſſius Parmenſis, cujus tragœdia Thyeſtes exſtat, multos verſus parvi momenti ſcribebat, ideo poſt ejus mortem decrevit Senatus, ut libri cum cadavere exurerentur*: quæ totidem fere verbis etiam leguntur in iisdem Codicis Franequerani ſcholiis.

DE C. LICINIO CALVO.

C. Licinius Calvus C. Licinii Macri filius in Poematis ſcribendis perelegans habitus eſt, & apud veteres inter optimos poetas relatus, ingenio lepido, & urbano fuit, cumque ſuaviſſimis moribus præſtaret, præcipue dilectus eſt a Val. Catullo, qui ſumma familiaritate cum eo vixit, quod ex Catulli verſibus facile poſſumus colligere. Dicitur fuiſſe brevi ſtatura, & exiguo corpore, ſed acer & vehemens in dicendo. Idem Calvus puellam Quintiliam incredibili amore dilexit, cujus præmaturam mortem quam moleſto animo ferret, teſtatus eſt ſcriptis carminibus de obitu illius. Eruditionem Calvi atque elegantiam in componendis verſibus præcipue commendavit Sentius poeta & M. Cicero, qui refert eum in ſcribendis jambicis præſtitiſſe. In his enim minime dubitavit principes etiam civitatis acerrime inſectari, ut C. Cæſarem & Pompejum. Scribit Suetonius, C. Calvo poſt famoſa Epigrammata de reconciliatione per amicos agenti, ultro ac priorem ſcripſiſſe Cæſarem: clemens uſque adeo ubique Cæſar. Fuiſſe eundem oratorem egregium & diſertum oſtendunt Fabius Quintil. & Annæus Seneca, qui hunc tradunt habuiſſe diu iniquiſſimam litem cum M. Cic. de principatu eloquentiæ, & contra Vatinium in eo accuſando violentum ſe atque acerrimum præſtitiſſe. Periit vero Calvus juvenis adhuc, ut ipſe Cicero videtur oſtendere.

DE C. HELVIO CINNA.

Ex Burmanno.

Philargyrius ad Virg. Ecl. IX. 35. e Catullo & Quinctiliano [Lib. X. c. 4.] refert, Poema Smyrnam a Cinna per novem annos preſſum elaboratumque fuiſſe, eoque reſpicere Horatium in Art. Poet. *nonumque prematur in annum*; licet Servius ibidem *decem* annos tradat. Quod vero addat, nonnullos ejus ætatis Grammaticos ex enarratione obſcuri hujus poematis magnam gloriam conſecutos, ſine dubio ad Luc. Craſſitium referendum eſt. Catulli Epigramma, quod idem innuit Philargyrius, eſt Ep. XCVI. & incipit;

Smyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem,
Quam cœpta eſt, nonamque edita poſt hiemem.

unde firmatur, quod Philargyrius de poemate Cinnæ per novem annos laborato tradit, & tem-

empore Catulli vixiſſe hunc poetam, probatur: vide illic Mureti & Scaligeri notas.

Ceterum fragmenta quædam ex Smyrna Cinnæ ab antiquis laudata protulit Patruus meus ad Ovid. X. Met. 298. nonnihil diverſa ab iis quæ collegerunt H. Stephan. in Fragmentis vet. Poet. p. 413. Gyrald. Dial. X. de Poet. Hiſt. pag. 510. 511. & Crinitus Lib. II. de Poet. Lat. cap. 30. quæque a Barthio emendantur Lib. IV. Adverſ. cap. 20. Huic tamen Cinnæ Scaliger & Joh. Iſ. Pontanus adſcribebant Epigramma in Pompejum, quod editum Lib. II. Ep. 47. Anthologiæ. Male etiam Iſidorus Lib. XIX. Orig. c. 33. ſub Cinnæ nomine adfert hunc verſum, *ſtrophio lactantes vincta papillas*, quod in errorem adduxit Jo. Douzam Fil. notis ad Catull. cap. VI. ubi ex Catullo emendat in iſto fragmento *vincta*, cum ipſius Catulli verſus ſit, ſed memoriæ lapſu Cinnæ ab Iſidoro tributus, ut recte notavit Grotius ad Germanici Imag. p. 39.

DE M. FURIO BIBACULO.

Ex Burmanno.

M. Furii hujus Bibaculi meminit Sueton. de Illuſt. Gramm. cap. 4. & vide de eo Porphyrionem ad Horat. Lib. II. Sat. 5. v. 41. ubi a Commentatore Cruquiano corrupte vocatur *Fuſius Vivaculus*: ejus fragmenta habet H. Stephan. p. 136. & 137. G. J. Voſſ. de Poet. Lat. p. 15. & 16. quibus præteritum, quod ex Furii Lib. IV. Annal. adfert Macrob. Lib. VI. Sat. c. 3.

P*reſſatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.* quod notat imitatum eſſe Virg. Lib. X. 361.

—— *hæret pede pes, denſuſque viro vir.*

Fragmenta tamen illa, quæ ex Furii Annalibus adfert Macrobius, quæque in libro de poetis ad Furium hunc Bibaculum refert Voſſius, ad C. Furium Antiatem eſſe referenda, contra Gyraldum idem obſervat Voſſius de Hiſt. Lat. Lib. III. cap. 12. in fine, quod veroſimilius etiam videtur, eaque ad hiſtoriam veterem revocavit Merula ad Ennium pag. 46. & 47. quem legiſſe operæ erit pretium. Hunc vero Furium ex re nomen habuiſſe, & a bibacitate Bibaculum dictum, videbis apud Iſ. Voſſium ad Catull. pag. 42. ſimili joco, quo *Biberius Mero* dictus fuit Tiberius Nero, ut ſupra vidimus ad hujus libri Epigr. 78. certe eum edacem ac ſordidum fuiſſe tradit etiam Porphyrio.

Ex Crinito.

Marcus Furius qui cognomine Bibaculus eſt appellatus, Cremonæ (ut quidam ſcribunt) natus eſt iisdem prope temporibus quibus Poeta Lucilius & Sext. Turpilius Comœdiarum ſcriptor perierunt. Fuit ingenio ſummo & in primis lepido: adeo ut de ſuo quoque nomine jocatus dicatur: & *bibaculus eram & vocabar*. Quod eſt ab eo dictum imitatione poetæ Anacreontis, qui neque proprio nomini pepercit. Idem Furius Bibaculus in carmine Jambico verſatus eſt, cujus acerbitatem tam docte quam egregie expreſſit, ut non minorem laudem tulerit, quam Val. Catullus aut Horatius: quocirca veriſimile eſt, Meſſalam Corvinum pertimuiſſe ingenium & mordacitatem Bibaculi, cum in Epiſtola ſcripſerit, nihil ſibi eſſe cum poeta Bibaculo. Amicos habuit Gallum poetam & Val. Catonem, quorum ingenium ac doctrinam ſuis hendecaſyllabis laudat.

DE VARRONE ATACINO.

Ex Crinito.

PUblius Terentius Varro Atacinus iisdem temporibus natus eſt quibus M. Cicero & Hortenſius clari habebantur in eloquentia. Quidam ob id vocarunt Atacinum, quod oriundus foret ab Atace vico provinciæ Narbonenſis, vel ab Atace fluvio, ut alii exiſtimant. Ingenio præclaro fuit, & in componendis poematis mirifico ſtudio incubuit. Idem Varro ſingulari diligentia, ut traditur, Græcas literas didicit, quo facilius poſſet illorum ingenia atque doctrinas imitari. Scripſit Argonautica ſequutus Apollonium Rhodium: ſuumque opus libris quatuor abſolvit, ſi antiquis auctoribus credimus. Probus Valerius & alii Grammatici celebrant Argonautica Atacini, ac ſæpe verſiculos ex illis referunt. Scripſit etiam Epigrammata & carmen Elegiacum, in quo decantavit puellam nomine Leucadiam quam præcipue dilexit. Illud præterea relatum eſt ab antiquis auctoribus, Publium Virgilium magnopere delectatum Varronis ingenio, ac illius carmen magno ſtudio imitatum.

DE

DE C. TICIDA.

Ex Crinito.

CAjus Ticida in ſcribendis Epigrammatis claruit his maxime temporibus, quibus Cor. Cinna, Val. Catullus & Cornificius præſtiterunt. Afferuntur a Grammaticis noſtris Ticidæ verſus, ex quibus colligitur, fuiſſe illum eleganti ingenio, & ad ſcribendum carmen accommodato. Non deſunt apud nos qui tradant ab eodem Ticida dilectam fuiſſe Metellam, quam mutato nomine Petillam appellavit: quod etiam Catullus fecit, qui Lesbiam pro Clodia nominavit. Habuit inter principes amicos Val. Catonem, cujus poemata illuſtravit editis verſibus de Lydia illius. Priſcianus Ticidam in Hymeneo citat. Ovidius quoque inter eos poetas hunc enumerat, qui amores decantarunt, ut Metellum, Cornificium Hortenſium, Calvum, & alios. Hæc ſunt quæ de C. Ticida apud veteres legimus.

DE FURIO ANTIATE.

Ex Crinito.

FUrius Antias poeta inſignis habitus eſt, & inter vetuſtiores receptus. Macrobius Furium hunc, & alios complures enumerat, a quibus poeta Virgilius permulta (ut fit) mutuatus eſt: ut Ennium, Nævium, Accium, Lucretium, & Varium. Idem Furius annales compoſuit hexametris verſibus, & poemata ſatis erudite, & eleganter. Neque probandus eſt Ceſellius Vindex Grammaticus, qui reprehendere Furium auſus eſt, atque in ordinem redigere. Qua in re parum prudenter ſe criticum profeſſus eſt, ut A. Gellius teſtatur. Itaque petulantiæ ſimul atque inſcitiæ arguitur, quod hæc verba damnaverit in Furii poematis, id eſt, terram luteſcere, nocteſcere, increſcere, purpurare, opuleſcere. Nonius Marcellus & alii Grammatici perſæpe afferunt verſus Furii Antiatis, ex quibus colligitur, non defuiſſe ingenium aut eruditionem.

DE LAUREA TULLIO.

Ex Crinito.

LAurea Tullius, M. Tullii oratoris libertus fuit, & a patrono ſuo propter ingenium atque eruditionis elegantiam magnopere dilectus. Cicero enim Tironem ac Lauream libertos ſuos magni fecit, quod cum alia multa tum illius epiſtolæ teſtantur. Ipſe autem Laurea ingenio præſtitit, ac in poematis ſcribendis claruit: quæ res Plinii teſtimonio patet, qui præcipuis laudibus carmen illius commendat. Inter alia epigrammata ſcripſit illud notum de laude Marci Ciceronis, ac de aquis in Academia villa erumpentibus, quæ remedium ægris oculis afferrent. Leguntur & apud Græcos epigrammata Laureæ, in quibus par elegantia atque eruditio habetur. Mihi non ſatis conſtat, an idem ſit qui fuerit Marci Tullii libertus.

DE C. CÆSARE AUGUSTO, ET C. CILNIO MÆCENATE.

Editor.

C. Cæſar Octavianus Auguſtus Imperator, & C. Cilnius Mæcenas Eques, Poetarum ſui temporis ampliſſimi fautores, & ipſi etiam a Muſis non alieni, adeo celebres fama feruntur, ut prolegomenis egere non videantur.

DE Q. VARO.

VAri poetæ diverſi ab Alfeno Varo JCto, & a Varo duce exercitus, mentio apud Horat. & Servium in 8. Eclog. Vide Diarium Venetum Giornale de' letterati d' Italia Tom. 10. p. *266.* ſeq.

DE C. RABIRIO.

Ex Crinito.

CAjus Rabirius poeta inſignis habitus, ut a multis traditur. Fabius Quintilianus cenſor omnium pene ſcriptorum, poſuit hunc Rabirium in eodem poetarum numero, qui Epici appellantur: ſicuti Varronem Atacinum, Corvinum Severum, Saleium Baſſum, Lucanum, & alios. Laudatur maxime ab Annæo Seneca & Ovidio, quod in ſuis carminibus multum animi ac virium demonſtravit. Verba Senecæ hæc ſunt de Rabirio. " Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam exclamare, quum fortunam ſuam ad alios tranſeuntem videt, nihilque aliud ſibi relictum præter jus mortis:

Hoc habui, quodcumque dedi...

Parum mihi compertum eſt, an idem ſit hic Rabirius, qui Satyras ſcripſit: quod a Fulgentio refertur. Rabirius, inquit, in Satyris de Mecennia:

Abſtemium temulenta fugit Mecennia nomen.

Hæc ſunt quæ legimus de C. Rabirio apud veteres auctores.

DE T. VALGIO.

Ex Crinito.

TItus Valgius inter eos poetas refertur a Veteribus, qui Elegias & Poemata ſcripſerunt. Familia ortus eſt nobili, & inſigni, et quæ conſulares viros tulerit. Neque deſunt, qui ejus ingenium atque elegantiam commendent in ſcribendis carminibus. Horatius Flaccus plurimum tribuit Valgio; & in eodem numero eum collocavit, in quo Plotium, Varium, Mecænatem, Aſinium & Virgilium: ad quorum judicium ſua ſcripta probari poſtulat. Meſſala item Corvinus (qui cum rebus præclare geſtis tum eloquentia maxime præſtitit) magnopere Valgium coluit propter ejus elegantiam & ingenium. Itaque præcipue laudatus eſt a poeta Tibullo: qui eum dicit aptiſſimum ad canendas laudes Meſſalæ, & aſſurgere in carmine ad Homerum.

DE CORNELIO GALLO.

COrnelius Gallus Forojulienſis, Orator & Poeta clariſſimus, cui Virgilius Eclogam X. & Parthenius Græcus ſcriptor Eroica ſua inſcripſit a Strabone Lib. XVI. p. 780. vocatur Ælius Gallus, ad quem locum vir ſummus Iſ. Caſaubonus: *Hic eſt Gallus ille Poeta egregius, qui Euphorionem latinis verſibus expreſſerat, Virgilio apprime charus, ut teſtatur ecloga poſtrema, & ibi Servius. Fuit & Auguſto aliquando chariſſimus, a quo primus omnium conſtitutus eſt ὕπαρχος Αἰγύπτου qui vocatur Præfectus Auguſtalis, ejusdemque juſſu ſuſcepit expeditionem, quæ hic a Strabone deſcribitur. Poſtea in odium Auguſti ita venit, ut coactus ſit ſuis manibus ſe interficere* [*a*] *ut teſtatur Euſebius in Chron. & Sveton. ac Dio, qui modo eum Gallum Cornelium appellat, ut Svetonius Cornelium Gallum, modo Ælium Gallum, ut Strabo & Joſephus. Euſebio dicitur Cajus Cornelius Gallus. Hiſtoriam hujus expeditionis refert Dio libro LIII.* Alia de hoc Gallo lectorem docebit doctiſſimus & humaniſſimus vir Juſtus Fontanini in libro de Scriptoribus Forojulienſibus.

Addit Gyraldus: *Unam vero vel alteram elegiam ipſius Galli eſſe non abnuerim.* Quibus verbis reſpexit forte ad Elegiam a prioribus diverſam, quam ſub Galli nomine cum tribus Epigrammatibus ſeparatim deinde Florentiæ vulgavit Aldus Manutius Pauli F. cujus hoc eſt initium:

Non fuit Arſacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque ultori ſigna referre Jovi.

Sed & hanc elegiam Gallo abjudicant P. Pithœus, & alii viri docti, quemadmodum & carmen Lyricum, quod incipit: *Lydia bella puella candida*; & decaſtichon ad Auguſtum

i de

(*a*) Hoc factum eſt Anno U. C. 728. ante Chriſtum 26. Vide Dionem Lib. LIII. p. 512.

de morte Virgilii, cujus hic primus eſt verſus: *Temporibus lætis triſtamur, maxime Cæſar.* Omnia hæc leguntur in collectionibus P. Pithœi & Goldaſti, & in editionibus quibusdam Catulli, Tibulli, Propertii, ut illa, quam Simon Abbes Gabbena adornavit.

Allegatur Gallus a Vibio Sequeſtre libello de fluminibus pag. 333. *Hypanis Scythiæ, qui ut ait Gallus,*

Ut tellures dividit amne duas.

Aſiam enim ab Europa ſeparat. Fugiebat hic locus elegantiſſimum Brouckuſium, cum in præclaris ſuis ad Propertium notis pag. 209. ſcriberet, ne unum quidem Galli fragmentum exſtare hodie apud Grammaticum ullum. Ita enim ille ad hæc Propertii II. 25. v. 91.

Et modo formoſa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

Ex Euphorione Chalcidico expreſſum notat eruditiſſimus Schottus lib. 2. Obſerv. Human. c. 26. cujus Poetæ ſcripta omnia interciderunt, quamvis eum latinum (b) feciſſet hic ipſe Gallus, qui nec in ſuis quidem carminibus mitiorem habuit ſortem. Adeo enim funditus perierunt omnes viri eximii lucubrationes, (nam præter Euphorionem Latio donatum quatuor Amorum libros laudat Servius ad Eclog. 10.) ut ne unum quidem inde fragmentum exſtet hodie apud Grammaticorum ullum. Quod valde mirum videri poteſt, quum in magno pretio fuerit, etiam poſt mortem. Nam ne famæ ejus obfuiſſe putes indignationem Auguſti, ſatis ſuperque evincunt luculenta teſtimonia magnorum hominum, qui cum Auguſto vixerunt. Itaque nihil nobis reſtat de Cornelio Gallo præter ſolam memoriam. Nam libellus ille, qui vulgo ſub ejus nomine circumfertur, auctorem habet neſcio quem Maximianum, ſcriptorem barbarum, lutulentum, ac tantum non ſtercoreum. Primus fucum ſtudioſis hominibus facere auſus eſt ſub nomine tam bono Pomponius Gauricus, & ſucceſſit ei mangonium, quamquam contra ſtarent viri eruditiſſimi, applaudentibus inficeti vulgi ſuffragiis. Verum quum lucem claram ferre non poſſet fœtus hic nocturnus, prodiit paulo poſt alia elegia auctorem ementita Aſinium Gallum, cujus hoc eſt initium: Non fuit Arſacidum &c. *Edita autem fuit Florentiæ ab Aldo Manutio P. F. De ea quid ſenſerit jam tum Joſephus Scaliger, notum eſt, & plus quam verum. Quid igitur ſibi voluit homo multi nominis Renatus Rapinus, qui poſt compoſita neſcio quam feliciter tot paria ſummorum ex antiquitate virorum, præferre auſus eſt Cornelium Gallum [in elegia ne erres], Catullo ac Mæcenati? Ecce ejus verba:* Il nous eſt reſtè quelques Elegies de Catulle, de Mecenas, de Cornelius Gallus, qui ſont d' une grande puretè, & d' une grande delicateſſe: mais le vers de Catulle & de Mecenas eſt d' une trop grande moleſſe, & d' une negligence trop affectèe: celui de Cornelius Gallus eſt plus rond, & il ſoutient mieux. *O judicium! & tamen hæc qui libenter legunt, multum ſibi proficere videntur.* Quintilianus lib. I. Inſtit. Or. c. 5. *In Oratione Labieni ſive illa Cornelii Galli eſt in Pollionem caſnar aſſectator: e Gallia ductum eſt.* Servius ad Eclog. X. teſtatur Virgilium multos verſus de Galli translatos carminibus Eclogæ illi inſeruiſſe. Donatus vero in Virgilii vita, cum *Euphorionem* a Gallo redditum latino carmine, & *libros quatuor amorum de Cytheride* [quæ ipſi Lycoris] (c) ſcriptos ab eo narraſſet, ſubjungit eum valde dilectum a Virgilio, ut liber quartus Georgicon a medio uſque ad finem laudes ejus continuerit: ſed illo apud Auguſtum poſtea adducto in ſuſpicionem conjurationis (d) & occiſo, Virgilius jubente Cæſare Galli laudes in Ariſtæi fabulam commutavit. Galli *commentarios de expeditione Arabica* memorat Plinius VI. 28. Hiſt. *Cornelianam chartam* a Cornelio Gallo Ægypti præfecto primum confectam Iſidorus VI. 19. Originum. In verſibus Propertio, Ovidioque duriorem jam olim judicavit Quintilia-

(b) Servius in Eclog. VI. Hoc *autem Euphorionis continent carmina, quæ Gallus tranſtulit in ſermonem latinum.* Et in Eclog. X. *Hic eſt Cajus Aſinius Gallus Orator, Aſinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Ægypti præfectus fuit, eximius poeta: nam & Euphorionem, ut ſupra diximus, tranſtulit in latinum ſermonem, & amorum ſuorum de Cytheride libros ſcripſit quatuor.* Probus Grammaticus: *Euphorion elegiarum ſcriptor Chalcidenſis fuit, cujus in ſcribendo colorem ſecutus videtur Cornelius Gallus.*

(c) Ovidius lib. 1. amor. elegia 15.
Gallus & Heſperiis, & Gallus notus Eois,
Et ſua cum Gallo nota Lycoris erit.

(d) Gonfer Jo. Conradum Dietericum in vita Augusti Imp. p. 125. Petrum Crinitum de Poetis latinis c. 42.

tilianus lib. X. cap. 1. Dionyſius Neſtor in dictionario edito Argentorati A. 1507. fol. 113. hoc Galli citat: *Praxitelis manibus vivo iterum Niobe*, cum quo Bernardus Moneta confert hoc Epigramma Græcum lib. 4. Antholog. c. *9*.

Ἐκ ζωῆς με Θεοί τεῦξαν λίθον, ἐκ δέ λίθοιο
Ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

DE L. VARIO.

Ex Crinito.

Lucius Varius iiſdem temporibus floruit, quibus in eloquentia præclari habiti ſunt Meſſala Corvinus, M. Callidius, Numatius Plancus, & Aſinius Pollio. Relatum eſt ab antiquis eundem Varium inter Epicos poetas cenſeri, & in ſcribendis Tragœdiis maxime præſtitiſſe. Quocirca magnopere dilectus eſt a principe Octavio, qui in ſtudio poetices magna voluptate verſatus creditur. Tantum illi tribuit Horatius Flaccus, ut, cum ſcriberet ad M. Agrippam conſularem virum, unum dicat eſſe L. Varium, qui poſſit ejus geſta atque egregias virtutes præclariſſimo carmine poſteris commendare. Corn. Tacitus ſub Materni perſona ita laudat Varii Thyeſtem & Ovidii Medeam, ut inter præcipua opera referat. Nullus, inquit, liber Pollionis Aſinii aut Meſſalæ tam illuſtris eſt, quam Medea Ovidii, aut Varii Thyeſtes. Sed & Fabius Quintilianus auctor eſt, Varii Thyeſtem cum omnibus quidem Græcis potuiſſe conferri. Tantum ſublimitate carminis & ingenii facilitate excelluit. Habuit inter amicos Horatium Flaccum, Pollionem Aſinium, & Plotium Tuccam. Publium autem Virgilium familiariſſime coluit, ut in eodem contubernio verſarentur. Neque deſunt qui ſcribant fuiſſe dilectam a P. Virgilio uxorem Varii; eoque nomine dono illi datam tragœdiam a ſe compoſitam; ac deinde ſub nomine ipſius Varii editam. Quæ res aperte refellitur auctoritate doctiorum. Illud pro comperto habetur; relictos fuiſſe hæredes a P. Virgilio ex parte L. Varium & Plotium Tuccam: tum illis demandatum prudentia & auctoritate Octavii principis, ut Ænean Virgilii emendarent; ſed ea conditione, ut nihil operi adderetur. Quidam ætate noſtra imprudenter faciunt, qui cum L. Vario Quintilium Varum confundunt: parum intelligentes quantum inter ſe differant & carminum genere & moribus.

DE DOMITIO MARSO.

Ex Crinito.

Domitius Marſus poeta inſignis eſt habitus in ſcribendis Epigrammatis, ut veteres teſtantur. P. Ovidius & hunc ipſum nominat inter poetas ſui temporis; ut Corn. Severum, Montanum, Pedonem, Rabirium, & reliquos. Laudantur ejus Epigrammata, cum ab aliis, tum a Val. Martiale, qui, ad exemplum illius, laſcivam verborum licentiam excuſat in ſuis carminibus. Idem Marſus compoſuit bellum Herculis contra Amazonas: eoque argumento vocavit Amazonidem ſuum opus: in quo non magnam laudem adeptus eſt, ut ex antiquis auctoribus poſſumus colligere, vulgatis verſibus, in quibus poetæ Perſio poſtponitur. Melenin puellam dilexit, eamque celebravit longo carmine; ut Catullus Lesbiam. Quocirca ſic de Marſo Val. Martialis:

Nota tamen Marſi fuſca Melenis erit.

DE CÆSIO BASSO.

Ex Crinito.

Cæſius Baſſus inter poetas lyricos relatus eſt. Floruit ætate Claudii principis, & uſque ad Flaviorum imperium pervenit; quod ipſum Fabius Quintilianus teſtatur: qui refert illum a ſe viſum, quo tempore libros ſuos de oratoria inſtitutione componeret. Fuit hoc obſervandum ea ratione, ut facilius devitemus illorum errorem, qui parum prudenter de Cæſio Baſſo diſſerunt. Item libros aliquot ſcripſit vario & multiplici carmine: ut Flaccus apud nos, & Pindarus apud Græcos. Veteres auctores cum de poetis lyricis agunt, Horatium Flaccum & Cæſium Baſſum præcipue enumerant, qui legi mereantur. Diomedes quoque Grammaticus Moloſſicos numeros refert (qui duriſſimi habebantur) a Cæſio Baſſo compoſitos. Amicos habuit P. Ovidium & Perſium

Satyrarum Scriptorem, qui ad hunc Baſſum ſcribit.

DE ÆMILIO MACRO.

Ex Crinito.

ÆMilius Macer patria Veronenſis fuit, ut quidam exiſtimant. Ingenio & doctrina traditur præſtitiſſe: quod ejus carmen ſatis indicavit. Floruit his maxime temporibus, quibus Meſſala Corvinus & Aſinius Pollio in latina eloquentia claruerunt. Id quum aliis multis colligitur, tum ex Pub. Ovidio, qui comes illi fuit, dum iter faceret in Aſiam, ac Siciliæ regionem perluſtraret. Amicos præcipue habuit Albium Tibullum & Ovidium ipſum: cum quibus propter ſuavitatem morum atque communia ſtudia, magna familiaritate verſatus eſt. Idem Macer præter opus de Bello Trojano ſcripſit etiam libros de venenatis animantibus, ac de herbis: ſecutus Nicandrum poetam Colophonium. In quibus non mediocrem laudem tulit ſuæ diligentiæ atque laboris. Fabius Quintilianus elegantiam carminis in hoc poeta commendavit; ac legenda quidem eſſe illius opera refert; etſi ad eloquentiam oratoris non multum pertinere videantur. Obiit in Aſia paucis annis poſt Pub. Virgilium; ut ab Euſebio relatum eſt.

DE C. ASINIO GALLO.

Ex Crinito.

C. Aſinius Gallus patrem habuit Aſinium Pollionem virum conſularem & in Romana eloquentia excellentem. Filius Aſinius diligentia & ſtudio parentis ſecutus eſt primo diſciplinam paternam: deinde in poetica ſuum ingenium præcipue excoluit. Annæus Seneca & alii veteres oratorem & poetam hunc faciunt. Afferuntur a noſtris grammaticis verſiculi aliquot Galli Aſinii: ex quibus apparet quantum valuerit in ſcribendis epigrammatis & acumine & gratia. Fecit inter cætera carmen de Pomponio grammatico; quem pugilem fuiſſe jocatur. C. quoque Plinius de Aſinii epigrammatis meminit in epiſtola ad Pontium: Dicit enim ſcriptos libros a Gallo Aſinio de comparatione patris & Ciceronis: in quibus amores M. Tullii cum ſuo Tyrone retulerit.

DE ALPHIO AVITO.

Ex Burmanno.

VOſſius de Poet. Lat. p. 39. plura adfert de hoc Fl. Alphio Avito, quem duos virorum excellentium libros, e quibus petitum fragmentum, ſcripſiſſe notat. Qui utinam exſtarent! nam reliquorum ſane deſiderium haud exiguum nobis movent hi verſus ex tanto naufragio ſuperſtites, qui ſunt ex libro II. Excellentium: nam ita eos tribus diverſis locis adfert Priſcianus. Sed plures tamen numero, quam duos Excellentium Libros reliquiſſe Avitum colligo ex Terentiano Mauro pag. 101. b. ed. Briſſæi:

Ut pridem Avitus Alphius
Libros poeta pluſculos
(Uſus dimetro perpeti)
Conſcripſit Excellentium.

Recte autem Stewechius & Valeſius duos ultimos verſus, licet ſeparato a reliquis loco a Priſciano producantur, retulerunt ad hanc hiſtoriam; ſunt enim proditoris Ludimagiſtri ad Camillum verba: ideoque ejus ceteris ſubjunxi. Vide etiam de hoc fragmento Barth. ad Claudian. Bel. Gildon. v. 276. & Salmaſii ac Dukeri notas ad Florum Lib. I. cap. XII. §. 5. qui recte refutat errorem Salmaſii, verſus hos Varo, ut Stewechius fecit, adtribuentis, ſub cujus nomine perperam eos etiam profert Delrius ad Livii Epit. Lib. V. init., ubi vide notas Drakenb. & ad c. 27.

DE

DE POMPONIO SECUNDO.

Ex Crinito.

POmponius Secundus nobili ac illuſtri familia natus, iisdem temporibus claruit in urbe, quibus optimi rhetores habiti ſunt Porcius Latro, Domitius Afer, & Albutius Sylo. Inter eos poetas refertur qui tragœdias compoſuerunt, ut Accius, Pacuvius, & Attilius. Relatum eſt a Fab. Quintiliano, longe omnium excelluiſſe hunc Pomponium in eo genere carminis, quos ipſe viderit. Tanta enim doctrina atque ſublimitate excelluit, ut vulgo ſit appellatus Pindarus Tragicus. Multa de Pomponio traduntur ab antiquis Scriptoribus; quæ copioſe indicant vixiſſe illum in ſumma dignitate & gratia apud nobiliores civitatis. Quod & C. Plinius aſſerit, qui duos libros compoſuit de vita & moribus Pomponii Secundi: tantum illius nomini ſummiſque virtutibus conceſſit. Germanico Cæſari gratiſſimus fuit, quem aliquando cœna accepit, ut notatum eſt ab antiquis. C. Plinius eundem Pomponium civem ac vatem clariſſimum vocat; quo loco de monumentis Tiberii & Caii Gracchorum diſſerit. Afferuntur verſus a Mauro Terentiano & aliis veteribus; ex quibus facile intelligitur quantum jacturæ factum ſit ex amiſſione Tragœdiarum Pomponii. De obitu illius nihil apud auctores legimus.

DE CNEO GETULICO.

Ex Crinito.

CN. Getulicus poeta nobilis habitus eſt in ſcribendis Epigrammatis, ut Grammatici noſtri tradunt. Val. Martialis ad exemplum Getulici carmina ſua excuſat, ſi paulo laſcivior in illis videtur. Relatum eſt ab antiquis ſcriptoribus fuiſſe ab eo dilectam puellam nomine Ceſenniam, magnoque ſtudio celebratam: ut Corinnam ab Ovidio, Lesbiam a Catullo, Argentariam a Lucano: quod a Sidonio ſcribitur in epiſtola ad Heſperium. Valerius Probus affert verſus Getulici, cum de cardinibus cæli loquitur.

DE C. DOMITIO NERONE IMPERATORE.

Ex Burmanno.

FRagmentum Neronis ſervavit Scholiaſtes antiquus Lucani ad Lib. III. 261. ex quo illud adfert etiam Gruterus ad Senecæ Lib. II. Quæſt. Nat. cap. 26. & a P. Pithœo ſecum communicatos hos verſus vulgavit Obſopaeus ad ejusdem Lib. III. cap. 25. quos ex Neronis Troicis deſumtos recte ſuſpicabatur Voſſius de Poet. Lat. cap. 3. p. 43. probante illic Cel. Oudendorpio, primo verſu *pererratam* juncta voce ſcribendum. Iſta Neronis Troica indicat Juvenalis Sat. VIII. 221. *in ſcena numquam cantavit Oreſtes, Troica non ſcripſit*, ubi Scholiaſtes a Pithœo editus: *hoc ideo, quia Nero Troados libros ſcripſit. Unde & maxime inſanivit, quia poeta fuit.* Ibidem Scholiaſtes Voſſianus ineditus hæc habet: *Nero Troica, id eſt excidium Trojæ ſcripſit, & volens probare quantum fuerat ſubverſæ Trojæ incendium, juſſit Romam incendi, & per hoc nactus occaſionem Senatores interfecit.* Et paulo poſt, *Quid Nero,*) *Ne quis diceret ſed caſus Iliadum* (*Troica* in alio codice) *bene deſcripſit. Ad hoc poeta in tanta tyrannide, inquit, ſua nihil* [*fuit quod*] *fecit, quippe qui intrepidus ſuam ardere paſſus eſt civitatem, ut deſcriberet Troicam, quam ipſe condiderat.* Meminit eorumdem Servius ad V. III. Georg. 36. *vel Cynthium dicit Regem Trojæ, quem in Troicis ſuis Nero commemorat.* Non enim Nero tantum adfectavit carminum ſtudium, ut dicit Tacit. XIV. Ann. cap. 16. ubi vid. Lipſ. ſed & *ad Poeticam pronus carmina libenter ac ſine labore compoſuit, nec, ut quidam putant, aliena pro ſuis edidit*, teſte Sueton. cap. 52. Plura vide apud Gonſal. ad Petron. cap. 89. ubi & promittit librum ſingularem de Neronis Operibus. Sub titulo *Neronis Troicon* laudat Scholiaſtes Perſii ad Sat. 1. 137. idque forſan rectius, ut *Satyricon*, *Georgicon*, *Bucolicon*, *Argonauticon*, & ſim. de qui-

quibus vide Nic. Heinſ. ad init. Bucolic. Virg.

DE SEXTILIO HÆNA.

Ex Crinito.

SExtilius Hæna natione Hiſpanus, patria Cordubenſis fuit; ex eodem municipio quo Lucanus poeta, Annæus Gallio, & uterque Seneca. Traditum eſt de hoc Sextilio fuiſſe illum magis ingenioſum quam eruditum, & in ſuo carmine peregrinum quoddam & inæquale retinuiſſe; ut eſt auctor Seneca. Inter alia opera carmen compoſuit de laude & interitu M. Tullii; quod ab eodem recitatum eſt in ædibus Meſſalæ Corvini. Qua in re non prætermittam referre hoc loco, quod acciderit ſatis urbanum ac lepidum de Aſinio Pollione. Is enim cum eſſet convocatus ad audiendum Sextilium, non potuit ſibi temperare quo minus indicaret, quam infenſus eſſet nomini M. Tullii, quamque iniquo animo illius laudes acciperet. Nam cum principio Sextilius hoc carmen retuliſſet:

Deflendus Cicero, Latiæque ſilentia linguæ;

Tum Pollio Aſinius vehementer ea re permotus: Tu, inquit, Meſſala, videris, quid tibi liberum ſit in domo tua: ego iſtum non ſum auditurus, cui videor mutus. Et ſimul conſurgens diſceſſit, ne cæteros verſus audiret. Permulta referuntur de hoc Sextilio & ejus ingenio, cum alibi, tum apud Annæum Senecam in controverſiis.

DE VOLCATIO SEDIGITO.

Ex Crinito.

VOlcatius Sedigitus in poetica illuſtris eſt habitus, ut a C. Plinio refertur; qui hunc ipſum locis pluribus celebrat. Gellius complures verſus ejusdem Volcatii repetit in Atticis noctibus: ex quibus facile colligitur præſtitiſſe illum ingenio & multiplici doctrina: Neque deſunt apud veteres, qui aſſerant appellatum fuiſſe Sedigitum ea ratione, quod ſingulis manibus ſenos digitos haberet. Unde & Horatii filiæ Sedigitæ nuncupatæ ſunt: de quo ſcripſimus ſuo loco. Idem Volcatius librum compoſuit de poetis Latinis ſenariis verſibus; quo opere judicem ſe atque criticum probavit in adnotandis atque judicandis poetis; quod & Lucilius & Horatius Flaccus fecerunt. Fuiſſe alterum Volcatium conſtat, qui Romæ nobiliſſimus eſt habitus, quique jus civile Ceſellium edocuit. Quod & Cajus Plinius commemorat.

DE C. PLINIO SECUNDO.

C. Plinius Secundus Cæcilius (*e*) ex Novo Como Italiæ Tranſpadanæ oppido, Plinium Majorem Avunculum, Quintilianum & Nicetam Sophiſtam Præceptores habuit, diſertiſſimus in foro cauſarum Patronus: variis honoribus, iiſque maximis [*f*] in Republ. geſtis, Imperatori Trajano chariſſimus obiiſſe videtur poſtremis annis ejus imperii. Vitam Plinii poſt Cataneum, Lycoſthenem, Rittershuſium & Chriſtophorum Cellarium conſignavit Saſſius Gallicus interpres, & diligentiſſime Joannes Maſſon, a quo ſcripta Plinii vita editioni Oxonienſi Epiſtolarum A. 1703. 8. præmittitur. Caſtigantur in hac vita nonnulla tradita ab H. Dodvvello in Annalibus Statianis & Quintilianeis, a quo & ipſo viro præſtantiſſimo Annales Plinianos exſpectavimus. Plinii

(*e*) A Joſepho Scaligero vocatur C. *Plinius Secundus Cæcilianus*. Sed vide Voſſium lib. 1. de Analogia c. 7. *Veronenſem* appellat Beda de ſex ætatibus, ſive per errorem, ſive propter avunculum Veronenſem Plinium, a quo fuit adoptatus. Confer Jo. Manſionarii animadverſionem de duobus Pliniis Veronenſibus oratoribus.

(*f*) Cum conſulari poteſtate in Bithyniam miſſus eſt a Trajano. Confer Gruteri inſcript. p. 454 & A. Pagi ad A. C. LXIX. num. IX. ubi diſces conſularem poteſtatem [civilem] diverſam fuiſſe ab imperio conſulari (militari). Etiam Conſulem fuiſſe conſtat ex ipſius Panegyrico. Licet enim a Dione, Caſſiodoro & aliis inter conſules non refertur, Trajanus ei tertium ſuum conſulatum Anno Chriſti 100. reſignavit, ut præter alios notatum Joanni Lightfooto p. 155. ſeq. Opp. poſthum.

nii vitam ante *Joannem* Maſſonum deſcripſit etiam, ac per annos digeſſit *Jacobus de la Baune* S. I. præmiſitque Plinii Panegyrico in uſum Delphini illuſtrato Pariſ. 1677. 4. Tabellam, qua ſtemma Plinii & cognati ejus exponuntur, vide ſis in *Tho. Reineſii* Epiſt. 54. ad Rupertum p. 503.

Exſtant ejus *Epiſtolarum* florida ingenioſaque elegantia inſignium *libri decem*, quorum ultimus Epiſtolas Trajani & Plinii mutuas de rebus graviſſimis ſcriptas complectitur, & Conrad. Rittershuſii commentariis illuſtratus eſt, quæ ſeparatim lucem adſpexerunt Anno 1609. præmiſſa Plinii & Trajani vita.

DE SENTIO AUGURINO.

Ex Crinito.

SEntius Augur Romæ natus atque honeſtis artibus eruditus, inter eos poetas connumeratur, qui epigrammata & poemata ſcripſerunt. Permulta de hoc referuntur a Plinio in Epiſtolis: quibus facile colligitur quantum præſtiterit elegantia ingenii & optimis moribus. Vixit magna familiaritate cum Spurina & Antonino viris graviſſimis: maximeque ab illis probatus eſt propter ingenii modeſtiam & egregiam vitæ probitatem. Secutus in ſcribendis epigrammatis Val. Catullum & Licinium Calvum: multaque compoſuit eleganter & lepide; alia cum bile & ſtomacho, ut a Plinio refertur, qui non ſine magna admiratione ſolitus eſt audire poemata ipſius Sentii. Leguntur adhuc verſiculi aliquot, quibus aperte explicatur, quantum in eo genere valuerit & gratia & ſalibus.

DE C. JULIO SOLINO.

C. Julius Solinus Grammaticus, Patria ut videtur Romanus, hoc loco a nobis memoratur, quia fuerant, qui Plinio (g) antiquiorem & ad Auguſti tempora referendum exiſtimarent, & quia plurima quæ habet, petiit ex Pliniano opere. Cæterum ducentis ferme annis Plinio junior, ſi audimus Salmaſium p. 839. ad Solin. ubi Alexandro Mammeæ longe poſteriorem fuiſſe contendit. Poſt Veſpaſianos vixiſſe ex cap. 29. eſt perſpicuum, ad quem locum confer quæ idem Salmaſius notat p. 271. novæ edit. & in prolegomenis. Henricus quidem Valeſius ad excerpta Peireſciana p. 105. haud diverſum eſſe putat a Julio Solino ſive Solone (nam Xiphilinus & Zonaras Ἰούλιον Σόλωνα appellant) Senatore Rom. quem interfecit Alex. Severus. Confer Tillemontium T. 3. Hiſt. Imperatorum pag. 141. ſeq. & H. Dodvvellum appendice ad diſſ. Cyprianic. §. 15. qui Cenſorino æqualem facit. E veteribus nemo Solinum laudat ante S. Hieronymum. Ab eo tempore Ammianum Marcellinum multa e Solino mutuatum, ejuſque ſententias ac locutiones frequenter ſcriptis ſuis inſeruiſſe notavit Jacobus Gaddius T. 1. de ſcriptoribus non Eccleſiaſticis pag. 27. Solinus allegatur a Priſciano, qui ejus librum modo *memorabilia*, modo *collectanea* vocat, a Luitprando, Adamo Bremenſi, Honorio Auguſtodunenſi lib. 3. de imag. mundi, & IV. 24. aliiſque junioribus. Etiam ab Engelberto Abbate Admontenſi lib. de ortu & fine Rom. Imperii cap. 13. Hugonis Etheriani locum, quem e Solino expreſſit, illuſtrat Adr. Junius lib. V. animadverſ. cap. 2. Licet vero Solini liber ipſe compendium ſit, tamen *Petrus Diaconus*, qui vixit temporibus Conradi Imp., Solinum de mundi mirabilibus abbreviaſſe legitur in continuatione Chronici Caſinenſis, cujus verba adſcripſi ſupra ad paginam 292. Incertum auctorem in excerptis Solini allegat Salmaſius pag. 250. & alibi. Solinus de mirabilibus mundi moralizatus, forſan per Berchorium, MSS. Angliæ T. 1. p. 105. n. 2019. Solinum auctorem valde futilem vocat Scaliger IV. de emendatione temporum p. 214. Sane Plinii, quem ſemper fere ſequitur, verba ſæpius perperam intellecta in alienam detorquere ſententiam, Salmaſio & eidem Harduino variis locis annotatum. Plinianis etiam addere nonnulla ex ingenio ſuo ab eodem Salmaſio pag. 236. obſervatum eſt.

Exſtant utcumque ab eo digeſta *collectanea rerum memorabilium*, ſive uti in ſecunda ἐκδόσει ab ipſo Solino vulgata inſcribitur, *Polyhiſtor* ad-

(g) Vide Jac. Thomas §. 543. de Pelagio ad Voſſium lib. 3. de hiſt. latinis p. 720. 721. ubi etiam in-

ter

Ad-

(*b*) Adventum amicum ſuum, capitibus 57. quorum index ab Auctore præfixus occurrit in editione præſtantiſſima, quam cum locupletiſſimis & diffuſæ eruditionis commentariis exercitationum Plinianarum titulo inſignitis [*i*] *Salmaſium* in lucem emiſiſſe, paulo ante dixi.

Carmine quoque valuiſſe Solinum patet ex fragmento (*k*) Ponticon, quod in Appendice Virgilii, & inter Poemata vetera vulgata a Petro Pithœo, & emendatius in Salmaſii prolegomenis legitur. Exhibetur item a Jano Ulitio inter rei venaticæ Scriptores p. 18. Confer ejus notas p. 442.

DE AULO SEPTIMIO SERENO.

Ex Burmanno.

NIc. Loenſis Lib. V. Epiphyll. cap. 4. in Tom. V. Fac. Crit. Grut. multa erudita de hoc Septimio Sereno, Phaliſco dicto ex genere carminis quo uſus eſt, ibidem collegit, nam & *poeta phaliſcus* vocatur hic Serenus eidem Terentiano p. 82. *b*. Ejus etiam verſus e Terentiano exhibet H. Stephanus in Fragm. Vet. Poet. Lat. pag. 410. Sed qui in eo errat, quod Septimium & Aulum Serenum diverſos faciat: nam ex Septimio hos verſus illic profert, & ſequente pagina alios itidem apud Terentianum Maurum exſtantes ſub nomine Auli Sereni producit, ut recte ad marginem exemplaris ſui notavit Jacobus Roverius, Hardinxveldii quondam Toparcha, & N. Heinſii cognatus, aliudque Sereni hujus fragmentum exſtare adſcripſerat apud Diomedem Grammaticum pag. 372. 4. *Severus Diſtractos atque ſalites*, ubi legendum *Serenus* putabat. Eumdem hunc Serenum in Opuſculis aliquoties etiam ad partes vocat Nonius Marcellus, Martianus Capella, & Marius Victorinus Lib. III. de ration. Carm. p. 178. & 179. ubi profert carmen ex Septimii Opuſculis, *Inquit amicus ager* &c. ut & Terentianus pag. 87. *b*. quod ſuo loco in hæc Catalecta retulimus. Sæpe etiam Serenum hunc citat Servius ad Virgilium variis in locis, quos vide apud Gronov. Lib. III. Obſerv. cap. 16. ubi nonnulla de hoc Septimio Sereno notavit. Eum inter incertæ ætatis poetas retulit Voſſius de Poet. Latin. cap. 8. & ſimpliciter vocat *Aulum Serenum*. Floruiſſe tamen Veſpaſianorum ævo, & a quibusdam cum Sereno Sammonico confuſum fuiſſe putat Sirmond. ad Sidon. Apollin. pag. 145. Huic Aulo Septimio Sereno Moretum adſcribebat Scaliger ad Catalect. pag. 158. & notat Crinitum nugari, qui Serenum hunc Faliſcum Afrum faciat, & ſic Barthius Lib. XXXV. Adverſ. 8. & ad Claudian. II. Rufin. 108. ed. pr. qui paſſim in notis ad Statium loca ex Moreto ſub illius nomine producit. Ejusdemque eſſe opinor verſus illos trochaicos, quos ex Commentatore antiquo adfert ad Lib. IV. Theb. 502. Ceterum hos Septimii de Jano verſus illuſtrat Boxhornius ad Plutarch. Quæſt. Rom. pag. 108. & obſervat veteres in ſacrificiis primo omnium compellaſſe Janum, (vid. Herald. ad Martial. pag. 93.) & quidem cum cognomine *pater*, ut *Jane pater* invocaretur, de quo vide Scriver. ad Martial. Lib. VIII. Ep. 8. pag. 167. Id *patris* nomen Jano tributum egregie Gronovius in Obſerv. Eccleſ. p. 97. reddidit Julio Firmico de Error. Profan. Relig. ubi de Saturno dicit: *Hic ex Creta fugiens a Spartanis abſconditur*: ubi optime, *Spartanis* illis ejectis emendat, *a patre Jano abſconditur*, & nonnulla alia loca huc facientia adfert. Reliqua vero Jani hoc in carmine cognomina illuſtrat Ouzel. ad Minuc. Felic. pag. III. ubi etiam hos Septimii verſus adfert, ut & Neapolis ad Ovid. Lib. I. Faſtor. v. 65. ſed qui perperam *Quintum Septimium* vocat.

ter alia docet, Solini Polyhiſtorem ante 600. annos a monacho carmine heroico redditum eſse verſibus heroicis, idque carmen ſupereſſe MS.

(*h*) Is in antiquioribus editionibus perperam vocatur *Autius* pro quo *Antium* vel *Avitum* reponebat Delrio. Ineptius Jacobus Philippus Bergomenſis legit *Auguſtum*, qui ei fons erroris de Solini ætate.

(*i*) Salmaſio e Galliis Lugdunum Batavorum ingreſſo, P. Scriverius dixiſſe fertur: *Salve ſal & ſol Solini*.

[*k*] In illo heroico carmine πόντια *æquoreas catervas*, ſive piſces, & animalia maris deſcripſerat Solinus imitatus Halieutica Ovidii. Sed vix primi 22. verſus ſuperſunt, etſi Barthius p. 1090. Adverſariorum illum neget umquam reliqua abſolviſſe.

DE

DE HADRIANO IMPERATORE, ET FLORO.

Ex Burmanno.

HAdriani verſus, quibus Floro reſpondet, noti etiam ſunt, ut & illi, quibus animam ſuam morti vicinus adloquitur, quos ex Spartiano Pithœus Lib. IV. Epigr. vet. pag. 184. inſeruit. Ei etiam tribuitur anacreonticum illud in equum Boriſthenem, quod ſub finem libri tertii idem edidit Pithœus, niſi id Græce ab eo compoſitum & a recentiore verſum ſit, ut putabat Voſſius. Ita & Hadriani Epitaphium in tumulum Voconii memorat Apulejus in Apolog. pag. 13. ed. Pric. eumque etiam multos liberioris argumenti verſus luſiſſe ibidem teſtatur, quod firmat Spartianus in Hadr. cap. 14. *Fuit enim poematum & literarum omnium ſtudioſiſſimus, arithmeticæ, geometriæ, picturæ peritiſſimus. Jam pſallendi & cantandi ſcientiam præ ſe ferebat: in voluptatibus nimius. Nam & de ſuis dilectis multa verſibus compoſuit, & amatoria carmina ſcripſit.*

DE L. APULEJO.

L. Apulejus ex Madaura Africæ Civitate ſemi Numida & ſemi Gætulus, Carthagine in pueritia diſciplinas adeptus, orator, JCtus & Philoſophus Platonicus nobilis doctuſque utraque lingua Græca & Latina, non ſub Trajano floruit, ut Petavio viſum, neque Theodoſii demum ætate, ut doctiſſimus quidam Juriſconſultus contendit, ſed temporibus Antonini Pii ac fratrum M. Antonini Philoſophi & Veri, uti ex Apologia Apuleji conſtat, qua ut alia jam omittam affirmat ſe Lolliano Avito præſente differere, eique ſe purgare conatur. Floruit autem Lollianus ſub divis fratribus Bithyniæ præſes, qui attigit etiam Helvii Pertinacis adultam ætatem, etſi Pertinace ad imperium evecto Lollianum ſuperfuiſſe ex Capitolino probari non poſſit. De ætate Apulleji falluntur haud dubie, qui ad quinti ſæculi initia rejiciunt, ut Diarii Veneti auctores (Giornale de' Letterati d' Italia) T. 27. p. 80. nam poſt ſecundi ſæculi initia floruiſſe, non inficiandis argumentis conſtat: meminitque ejus Lactantius V. 3 & ante Lactantium Septimius Severus Imp. in Epiſtola (Jul. Cap. in Albin. c. 12.) ad Senatum ſcribens, Clodium Albinum inter Mileſias Punicas Apuleji ſui conſeneſcere. Apuleji effigies cum ramo lauri exſtat in numo apud Andream Morellum in ſpecimine rei numariæ antiquæ, Tabula 2. p. 45. ubi nomen ſine prænomine *Apulejus* ſcribitur, non *Appulejus* ſicut in aliis antiquis monumentis, ut in inſcriptionibus Dalmaticis Jo. Lucidi p. 548. D. M. S. APPULEJO P. F. FRONTONI AE. II. VIR. QQ. PONT. SAE. MAXIMA MARITO D. S. B. M. Apuleji Theologiam exponit Chriſtianus Falſterus in cogitationibus variis Philologicis editis Flensburgi A. 1719. 8. pag. 37.--43.

Dictio Apuleji ingenioſa ſe audacique elegantia commendat, ſed quandoque licentior eſt & durior in detorquendis vocabulis, adverbiis præcipue & diminutivis. Multos paſſim in Metamorphoſeon libris verſus latere, qui neglecti & pro libera oratione habiti durum aliquid præferunt & inamœnum, obſervat Lipſius II. 11. elector. Sic ſtatim initio libri I. Mileſiar. verſus jambicos obſervant Beroaldus & Rutgerſius, & auctoritate Florentini Codicis ac veteris gloſſæ interlinearis in ſua editione reponi curavit Elmenhorſtius, etſi hoc minus probatur Pricæo, in cujus tamen editione itidem verſus, ſed invito Pricæo expreſſit typographus.

DE ABLAVIO CONSULE.

Ex Burmanno.

PIthœus & Scaliger ediderunt Ablaſii Coſ. ſed *Ablavius* recte ſcribitur in Sidonii Cod. MS. Bibl. Leidenſ. qui olim P. Danielis fuit, hic enim *Ablavius Ægyptius* cum Annio Baſſo Conſul A. V. C. 1083. A. Chr. 331. occurrit in Almelov. Faſt. Conſ. p. 109. ubi *Ablabio* in Faſtis Idatianis. Ejus inſtinctu Sopatrem Jamblichi æqualem Conſtantini tempore occiſum, ex Eunapio docet Jonſius de Script. Hiſt. Philoſ. Lib. III. cap. 12. p. 272.

DE Q. AURELIO SYMMACHO.

Q. Aurelius Symmachus Romanus, Vir Conſularis, & præfectus Urbis, cauſæ gentium adverſus Chriſtianos pertinax & ingenioſus aſſertor, Valentiniani II. Theodoſii & filiorum tempora ingenio ſuo illuſtravit, inter præcipua, Ammiano judice, exempla doctrinarum & modeſtiæ numerandus. Perdita ejus Oratione in Vettium Agorium, (*a*) Prætextatum, cujus meminit lib. 1. Epiſt. 52. aliiſque ſcriptis, exſtant *Epiſtolarum ad diverſos libri X.* poſt ejus obitum editi a filio Q. Flavio Memmio Symmacho V. C. quorum liber poſtremus Plinii junioris imitatione exhibet Epiſtolas ſcriptas ad Imperatores. Hujus libri Epiſtola LXI. eſt celebris illa *relatio pro ara Victoriæ* (*b*) Valentiniano oblata, ſed fructus expers, & ab Ambroſio Prudentioque valide confutata.

DE TURCIO RUFO ASTERIO.

Ex Burmanno.

EST hoc celebratum illud Aproniani Aſterii, qui Conſulatum geſſit cum Præſidio A. C. 494. Epigramma, quod in antiquiſſimo Virgilii codice MS. Bibliothecæ Mediceæ, literis Romanis exarato, legitur poſt Bucolica, manu paullo recentiori, & minutis ſed tamen Romanis literis ſcriptum: unde id produxerunt plurimi viri eruditi, eoſque inter Noriſius ad Cenotaph. Piſan. Diſſ. IV. c. 2. §. 1. Henr. Vales. ad Socrat. Hiſt. Eccleſ. Lib. II. cap. 29. Gorius in Inſcript. Florent. Tom. 2. p. 452. & 453. Mabillon. Lib. V. de Re Diplom. p. 354. Murator. in Theſaur. Inſcript. Tom. II. p. 662. & N. Heinſius in Diſſert. de Codice Virgilii Mediceo, quam in Tom. V. Syllog. Epiſt. pag. 193. & ſeqq. a Patruo meo exhibitam, ex ſchedis Heinſianis auctiorem præfixi majori Virgilii editioni: ubi in præfatione de hoc Epigrammate egi, ſpecimenque codicis ipſius, ubi hi verſus leguntur, tabulæ æneæ inciſum dedi pag. 6. ſed quod inepto ſcioli & naſuti Typographi arbitrio inſertum fuit N. Heinſii Diſſertationi de codice Mediceo; quum ſpecimen illud Cocchianum hoc ſæculo factum ſit, a Cel. Dorvilio mihi ſuppeditatum. In Heinſii quoque libello Inſcriptionum MSS. apographum ejus inveni, quod quum ex ipſo Mediceo codice deſcripſerit, illud expreſſi, adhibita editione Fogginiana, quæ Florentiæ 1741. ipſis characteribus literiſque uncialibus, quibus exaratus eſt, nobis codicem illum, vetuſtate venerabilem, repræſentavit, ubi ad finem Bucolicor. pag. 13. hoc Epigramma occurrit: cujus ſcripturam ſequi, poſthabitis aliorum lectionibus diverſis, tutiſſimum arbitratus ſum.

PROLEGOMENA PARTIS TERTIÆ

Ethnica carmina minima incerta, ſive Ethnicam Anthologiam continentis.

PArs hæc Prolegomenis non indiget, cum inſcripta indicia auctorum, ex quibus ſingula carmina ſunt petita, ſatis omnia præſtare videantur.

(*a*) De hoc Agorio vide Sponii Miſcell. p. 149.

(*b*) Confer Nic. Antonii Bibliothecam veterem Hiſpanam part. 1. p. 170. Gallice utramque Symmachi, & Ambroſii orationem vertit Girys.

M. TULLII CICERONIS
CARMINA

FRAGMENTUM LIBRI II.
DE SUO CONSULATU.

Ipſe Cicer. I. De Divinatione.

PRincipio ætherio flammatus Jupiter igni
Vertitur, & totum colluſtrat lumine mundum,
Menteque divina cælum terraſque petiſſit:
Quæ penitus ſenſus hominum, vitaſque retentat,
Ætheris æterni ſepta atque incluſa cavernis.
Et ſi ſtellarum motus curſuſque vagantes
Noſſe velis, quæ ſint ſignorum in ſede locatæ,
Quæ verbo & falſis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapſu ſpatioque feruntur:
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primum aſtrorum volucres te Conſule motus,
Concurſuſque graves ſtellarum ardore micantes:
Tu quoque cum tumulos Albano in monte nivales
Luſtraſti, & læto mactaſti lacte Latinas,
Audiſti & claro tremulos ardore cometas,
Multaque miſceri nocturna ſtrage putaſti,
Quod ferme dirum in tempus cecinere Latinæ,
Cum claram ſpeciem concreto lumine Luna
Abdidit, & ſubito ſtellanti nocte perempta eſt.
Quid vero Phoebi fax triſtis nuntia belli,
Quæ magnum ad columen flammato ardore volabat,
Præcipites cæli partes, obituſque petiſſet:
Aut cum terribili perculſus fulmine civis
Luce ſerenanti vitai lumina liquit:
Aut cum ſe gravido tremefecit corpore tellus.
Jam vero variæ nocturno tempore viſæ
Terribiles formæ bellum motuſque monebant:
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant triſtes minitantia caſus:
Atque ea, quæ lapſu tandem cecidere vetuſto,
Hæc fore, perpetuis ſignis clariſque frequentans
Ipſe Deum Genitor cælo terriſque canebat.
Nunc ea Torquato quæ quondam & Conſule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruſpex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo,
Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes:
Tum ſpecies ex ære vetus, generoſaque Natæ
Concidit, elapſæque vetuſto numine leges:
Et Divum ſimulacra peremit fulminis ardor.
Hic ſilveſtris erat Romani nominis altrix
Martia, quæ parvos Mavortis ſemine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulſa pedum veſtigia liquit.
Tum quis non artis ſcripta ac monumenta volutans,
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis?
Omnes civili generoſam ſtirpe profectam
Vitare ingentem cladem peſtemque monebant:
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis urbeſque jubebant
Eripere, & ſtragem horribilem cædemque vereri.
Atque hæc fixa gravi fato, ac fundata teneri,
Ni poſt exciſum ad columen formata decore
Sancta Jovis ſpecies claros ſpectaret in ortus.
Tum fore ut occultos populus ſanctuſque Senatus
Cernere conatus poſſet, ſi ſolis ad ortum
Converſa, inde patrum ſedes populique videret.
Hæc tardata diu ſpecies, multumque morata,
Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata:
Atque una fixi ac ſignati temporis hora
Jupiter excelſa clarabat ſceptra columna:
Ac clades patriæ flamma ferroque parata
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbeſque modo ac virtute regebant:
Rite etiam veſtri, quorum pietaſque fideſque
Præſtitit, ac longe vicit ſapientia cunctos,
Præcipue ingenti coluerunt numine divos,
Hæc adeo penitus cura videre ſagaci,
Otia qui ſtudiis læti tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera nitidoque Lycæo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo jam a flore juventæ,
Te patria in media virtutum mole locavit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ voces ſtudiis nobiſque ſacraſti.

Nonius in verbo Eventus.

ATque animo pendens noctis eventa timebat.

DE SUO CONSULATU LIB: III.

Ipſe Cic: Epi. 2. ad Attic.

INterea curſus, quos prima a parte iuventæ,
Quoſque adeo Conſul virtute animoque petiſti,
Hos retine, atque auge famam laudemque bonorum.

Quint. & ipſe Cic. de officiis Lib. I.

CEdant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Quint. Lib: II. cap. I.

O Fortunatam natam me conſule Romam.

ELEGIA TAMELASTIS.

Servius in I. Eclog. in Raucæ tua cura palumbes.

JAm mare Tyrrhenum longe penituſque palumbes
Relliquit.

JOCULARIS LIBELLUS.

Quint. Lib. VIII. cap. ult. Chariſ. Lib. IV. Diomed. Lib. II.

FUndum Varro vocat, quem poſſim mittere funda,
Ni tamen exciderit qua cava funda patet.
Extractam puteo ſitulam cum ponit in horto,
Ulterius ſtandi non habet ille locum.

MARIUS.

Ipſe Cic. de legibus. Lib. I.

NUntia fulva Jovis, miranda viſa figura.

Ipſe Cic. Lib. I. de Divinat.

HIc Jovis altiſoni ſubito pennata ſatelles
Arboris e trunco ſerpentis ſaucia morſu,
Ipſa feris ſubigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, & varia graviter cervice micantem,
Quem intorquentem lanians, roſtroque cruentans,
Jam ſatiata animum, jam duros ulta dolores,
Abiicit efflantem & laceratum affligit in undas,
Seque obitu a ſolis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis lapſuque volantem
Conſpexit Marius divini numinis augur,
Fauſtaque ſigna ſuæ laudis reditusque notavit:
Partibus intonuit cæli pater ipſe ſiniſtris.
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.

ALCYONES.

Nonius in verbo Prævius.

ALcyonem genuit claris delapſus ab aſtris
Prævius auroræ ſolis noctiſque ſatelles.

LIMON.

Donatus in Terentii vita.

TU quoque qui ſolus lecto ſermone, Terenti,
Converſum expreſſumque Latina voce Menandrum
In medio populi ſedatis vocibus effers
Quidquid come loquens atque omnia dulcia promens.

Iſidor. Lib. XIX. Cap. I. Orig.

TUnc ſe fluctigero tradit mandatque paroni.

IN CANINIUM REBILUM

Macrob. Saturn. Lib. 2. Cap. III.

VIgilantem habemus Conſulem Caninium:
In Conſulatu ſomnum non vidit ſuo.

ARATI PHÆNOMENA.

LATINE VERSA A CICERONE.

Ipſe Cic. Lib. II. Legum.

AB Jove Muſarum primordia.

Ipſe Cic. Lib. II. Nat. Deorum.

CÆtera labuntur celeri cæleſtia motu,
Cum cæloque ſimul noctesque dieſque feruntur.
Extremuſque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur eſſe Polus.

Ex his altera apud Grajos Cynoſura vocatur,
Altera dicitur eſſe Helice.

Quas noſtri Septem ſoliti vocitare triones.

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa, magis ſtellis diſtincta refulget,
Et late prima conteſtim a nocte videtur.
Hæc vero, parva eſt, ſed nautis uſus in hac eſt:
Nam curſu interiore brevi convertitur orbe.

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen
Torvu' Draco ſerpit ſubter ſuperaque revolvens
Seſe, conficienſque ſinus e corpore flexos.

Huic non una modo caput ornans ſtella relucet,
Verum tempora ſunt duplici fulgore notata,
E trucibuſque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti ſidere lucet:
Obſtipum caput & tereti cervice reflexum
Obtutum in cauda majoris figere dicas.

Quod caput hic paulum ſeſe ſubitoque recondit,
Ortus ubi atque obitus partem miſcentur in unam.

Attingens defeſſa velut mœrentis imago.
Vertitur *
Ev γόνασιν vocitant, genibus quod nixa feratur.
Hic illa eximio poſita eſt fulgore corona.

* propter caput Anguitenentis,
Quem claro perhibent ὀφιοῦχον nomine Graii.
Huic ſupera duplices humeros affixa videtur
Stella micans tali ſpecie, talique nitore.
Hic preſſu duplici palmarum continet Anguem,
Ejus & ipſe manet religatus corpore toto.
Namque virum medium Serpens ſub pectora cingit;
Ille tamen nitens graviter veſtigia ponit,
Atque oculos urget pedibus pectuſque Nepai.

Arctophylax vulgo qui dicitur eſſe Bootes,
Quod quaſi temone adjunctam præ ſe quatit Arcton.

* Subter præcordia fixa tenetur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.

Spicum illuſtre tenens ſplendenti corpore Virgo.

Ferrea tum vero proles exorta repente eſt:
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,

Et

Et guſtare manu victum domitumque juvencum.

Et natos Geminos inviſes ſub caput Arcti,
Subjectus mediæ eſt Cancer: pedibuſque tenetur
Magnu' leo tremulam quatiens e corpore flammam.

Navibus aſſumptis fluitantia quærere apluſtra.

Sub læva Geminorum obductus parte feretur,
Adverſum caput huic Helice truculenta tuetur.
Ac Capra lævum humerum clara obtinet. *
Verum hæc eſt magno atque illuſtri prædita ſigno.
Contra Hœdi exiguum jaciunt mortalibus ignem.

Corniger eſt valido connixus corpore Taurus.
Has Græci ſtellas ὑάδας vocitare ſuerunt.

Namque ipſum ad tergum Cynoſuræ vertitur Arcti.

Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiepeja.

Hanc autem illuſtri verſatur corpore propter
Andromeda, auſugiens aſpectum mæſta parentis.
Huic Equus ille jubam quatiens fulgore micanti
Summa contingit caput alvo, ſtellaque jungens
Una tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex aſtris cupiens connectere nodum.

Exin contortis Aries cum cornibus hæret.

Ex Codicibus.

E Quibus hinc ſubter poſſis cognoſcere fultum.
Jam cæli mediam partem terit, ut prius illæ
Chelæ, cum pectus quod cernitur Orionis.
Et prope conſpicies parvum ſub pectore claro
Andromedæ ſignum, Δελτωτόν dicere Graii
Quod ſoliti, ſimili quia forma littera claret.
Huic ſpatio ductum ſimili latus extat utrumque,
At non tertia pars lateris. nam non minor illis,
Sed ſtellis longe denſis præclara relucet.
Inferior paulo eſt Aries, & flamen ad auſtri
Inclinatior. atque etiam vehementius illi
Piſces, quorum alter paulo prolabitur ante,
Et magis horriſonis Aquilonis tangitur alis.
At quæ horum e caudis duplices velut eſſe catenæ
Dicuntur, ſua diverſæ per limina ſerpunt,
Atque una tandem in ſtella communiter hærent,
Quem veteres ſoliti cæleſtem dicere Nodum.
Andromedæ lævo ex humero ſi quærere perges,
Adpoſitum poteris ſupera cognoſcere Piſcem.
E pedibus natum ſummo Jove Perſea viſes,
Quos humeris retinet defixo corpore Perſeus,
Quem ſumma ab regione Aquilonis flamina pulſant.
Hic dextram ad ſedes intendit Caſſiepeiæ,
Diverſoſque pedes vinctos talaribus aptis,
Pulverulentus uti de terra lapſu' repente,
In cælum victor magnum ſub culmina portat.
At propter lævum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hæ ſeptem vulgo perhibentur more vetuſto
Stellæ, cernuntur vero ſex undique parvæ:
At non interiiſſe putari convenit unam,
Sed fruſtra temere a vulgo ratione ſine ulla
Septem dicier, ut veteres ſtatuere poetæ,
Æterno cunctas ævo qui nomine dignant:
Alcyone, Meropeque, Celeno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, ſimul ſanctiſſima Maia.
Hæ tenues parvo labentes lumine lucent,
At magnum nomen ſigni clarumque vocatur,
Propterea quod ad æſtatis primordia claret,
Et poſt hiberni præpandens temporis ortus,
Admonet ut mandent mortales ſemina terris.
Inde Fides leviter poſita & convexa videtur,
Mercurius parvus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus, in alta ſede locaſſe.
Hæc genus ad lævum Niſi delapſa reſedit,
Atque inter flexum genus & caput Alitis hæſit.
Namque eſt Ales avis, lato ſub tegmine cæli
Quæ volat, & ſerpens geminis ſecat aera pennis.
Altera pars huic obſcura eſt & luminis expers,
Altera nec parvis nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre jacit quatiens e corpore lumen.
Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Geſtit. jam vero clinata eſt ungula vehemens
Fortis Equi, propter pennati corporis alam.
Ipſe autem labens geminis Equus ille tenetur
Piſcibus. huic cervix dextra mulcetur Aquari.
* Serius hæc obitus terrai juſſit equinis,
Quam gelidum valido de corpore frigus anhelans
Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe,
Quem cum perpetuo veſtivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore curſum.
Hoc cave te ponto ſtudeas committere menſe:
Nam non longinquum ſpatium labere diurnum:
Non hyberna cito volvetur curriculo nox:
Humida non ſeſe veſtris aurora querelis
Ocyus oſtendet, clari prænuncia ſolis:
At validis æquor pulſabit viribus auſter:
Tum fidum tremulo quatietur frigore corpus:
Sed tamen anni jam labuntur tempore toto,
Nec cui ſignorum cedunt, neque flamina vitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
Atque etiam ſupero navi pelagoque vagato
Menſe, Sagittipotens ſolis tum ſuſtinet orbem.
Nam jam, cum minus exiguo lux tempore præſto eſt,
Hoc ſignum veniens poterunt prænoſcere nautæ.
Jam prope præcipiti ante licebit viſere nocti,
Ut ſeſe oſtendens emergat Scorpius alte,
Poſteriore trahens flexum vi corporis Arcum.
Jam ſupera cernes Arcti caput eſſe minoris,
Et magis erectum ad ſummum verſarier orbem.
Tum ſeſe Orion toto jam corpore condit
Extrema prope nocte, & Cepheus conditur ante
Lumborum tenus a palma depulſus ad undas,
Hic miſſore vacans, fulgens jacet una Sagitta,
Quam propter nitens penna convolvitur Ales,
Et clinata magis paulo eſt Aquilonis ad auras.
At propter ſe Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis,
Non nimis ingenti cum corpore, ſed grave mæſtis
Oſtendit nautis perturbans æquora ſignum.
Tum magni curvus Capricorni corpora propter
Delphinus jacet, haud nimio luſtratu' nitore,
Præter quadruplices ſtellas in fronte locatas,
Quas intervallum binas diſterminat unum:
Cætera pars late tenui cum lumine ſerpit.
Illæ quæ fulgent luces ex ore coruſco,
Sunt inter partes gelidas aquilone locatæ,
Atque inter ſpatium & læti veſtigia ſolis.
At pars inferior Delphini fuſca videtur
Inter ſolis iter, ſimul inter flamina venti,
Viribus erumpit qua ſummi ſpiritus Auſtri.

Exinde Orion obliquo corpore nitens,
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri.
Quem qui ſuſpiciet in cœlum nocte ſerena,
Late diſperſum non viderit, abdita vero
Cætera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.
Namque pedes ſubter rutilo cum lumine claret
Fervidus ille Canis, ſtellarum luce refulgens.
Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia veſper.
Nec toto ſpirans rabido de corpore flammam,
Æſtiferos validis erumpit flatibus ignes:
Totus ab ore micans jacitur mortalibus ardor.
Hic ubi ſe pariter cum ſole in culmina cæli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtra
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.
Nam quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens anima vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos, & cortice truncos.
Hunc propter, ſubterque pedes quos diximus ante,
Oriona, jacet levipes Lepus: hic fugit, ictus
Horrificos metuens roſtri tremebundus acuti:
Nam Canis infeſto ſequitur veſtigia curſu,
Præcipitantem agitans, oriens jam denique paulum,
Curriculum numquam defeſſo corpore ſedans.
At Canis ad caudam ſerpens prolabitur Argo,
Converſam præ ſe portans cum lumine puppim.
Non aliæ naves ut in alto ponere proras
Ante ſolent, roſtro Neptunia prata ſecantes,
Sed converſa retro cæli ſemper loca portat,
Sicut cum cœptant tutos conſtringere portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
Adverſamque trahunt optata ad litora puppim:
Sic converſa vetus ſuper æthera vertitur Argo,
Atque uſque a prora ad celſum ſine lumine malum,
A malo ad puppim cum lumine clara videtur,
Inde gubernaclum diſperſo lumine fulgens,
Clari poſteriora Canis veſtigia condit.
Exin ſemotam procul in tutoque locatam
Andromedam, tamen explorans fera quærere Piſtrix
Pergit, & uſque ſitam validas aquilonis ad auras
Cærula veſtigat, finita in partibus auſtri.
Hanc Aries tegit, & ſquammoſi corpore Piſces,
Fluminis illuſtris tangentem corpore ripas.
Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cæli, funeſtum magnis cum viribus amnem,
Quem lacrimis mœſtæ Phaetontis ſæpe ſorores
Sparſerunt, letum mœrenti voce canentes.
Hunc Orionis ſub læva cernere planta
Serpentem poteris: proceraque Vincla videbis
Quæ retinent Piſces, caudarum parte locata,
Flumine mixta retro ad Piſtricis terga reverti.
Hic una ſtella nectuntur, quam jacit ex ſe
Piſtrix e ſpina valida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Piſtricem fuſæ ſparſæque videntur
Atque gubernaclum ſtellæ, quas contegit omnes
Formidans acrem morſum Lepus. his neque nomen,
Nec formam veteres certam ſtatuiſſe videntur.
Nam quæ ſi leribus claris Natura polivit,
Et vario pinxit diſtinguens lumine formas,
Hæc ille aſtrorum cuſtos ratione notavit,
Signaque ſignavit cæleſtia nomine vero:
Has autem quæ ſunt parvo ſub culmine fuſæ,
Conſimili ſpecie ſtellas parilique nitore,
Non potuit nobis nota clarare figura.
Exinde, Auſtralem ſoliti quem dicere Piſcem,
Volvitur inferior Capricorno verſus ad auſtrum,
Piſtricem obſervans, procul illis piſcibus hærens:
At prope conſpicies, expertes nominis omnes,
Inter Piſtricem, & Piſcem quem diximus Auſtri,
Stellas ſub pedibus ſtratas radiantis Aquari.
Propter Aquarius obſcurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui ſtellarum candore niteſcit.
E multis tamen his duo late lumina fulgent.
Unum ſub magni pedibus cernetur Aquari.
Quod ſupereſt, gelido delapſum lumine fontis,
Spiniferam ſubter caudam Piſtricis adhæſit.
Hæ tenues ſtellæ perhibentur nomine Aquari.
Hic aliæ volitant parvo cum lumine claræ,
Atque priora pedum ſubeunt veſtigia magni
Arcitenentis, & obſcuræ ſine nomine condunt.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen,
Aram, quam flatu permulcet ſpiritus auſtri,
Exiguo ſuperum quæ lumina tempore tranat:
Nam procul Arcturo eſt adverſa parte locata.
Arcturo magnum ſpatium ſupera dedit, orbem
Jupiter hunc parvum inferiori in parte locavit.
Hæc tamen æterno inviſens loca curriculo Nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noſcere poſſent,
Commiſerans hominum metuendos undique caſus.
Nam cum fulgentem cernes ſine nubibus atris
Aram ſub media cæli regione locatam,
A ſumma parte obſcura caligine tectam,
Tum validis fugito devitans viribus auſtrum.
Quam ſi proſpiciens vitaveris, omnia caute
Armamenta locans, tuto labere per undas:
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringet celſos defixo robore malos:
Ut res nulla feras poſſit mulcere procellas,
Ni parte ex aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & ſubitis auris diduxerit Ara.
Sin humeros medio in cælo Centaurus habebit,
Ipſeque cærulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans veſtiet umbra,
Ad ſignorum obitum vis eſt metuenda Favoni.
Ille autem Centaurus in alta ſede locatus,
Qua ſeſe clarum collucens Scorpios infert,
Hac ſubter, partem præportans ipſe virilem,
Cedit, equi partes properans conjungere Chelys.
Hinc dextram porgens, quadrupes qua vaſta tenetur,
Quam nemo certo donavit nomine Graium,
Tendit, & illuſtrem truculentus cedit ad Aram.
Hic ſeſe infernis de partibus erigit Hydra,
Præcipiti lapſu flexo cum corpore ſerpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
Convexoque ſinu ſubiens inferna Leonis,
Centaurum leni contingit lubrica cauda.
In medioque ſinu fulgens Cratera relucet:
Extremum nitens plumato corpore Corvus,
Roſtro tundit. & hic, Geminis eſt ille ſub ipſis
Ante canem, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc ſunt quæ viſens nocturno tempore ſigna,
Legitimo cernes cælum luſtrantia curſu.
Nam quæ per bis ſex Signorum labier orbes
Quinque ſolent ſtellæ, ſimili ratione notari
Non poſſunt: quia quæ faciunt veſtigia curſu,
Non eodem ſemper ſpatio portata teruntur,
Sic malunt errare vagæ per nubila cæli,
Atque ſuos vario motu metirier orbes.
Hæc faciunt magnos longinqui temporis annos,
Cum redeunt ad idem cæli ſub tegmine ſignum.
Quorum ego nunc nequeo totos evolvere curſus:
Verum

Verum hæc quæ ſemper certo volvuntur in orbe
Fixa ſimul magnos edam * gentibus orbes.
Quatuor æterno luſtrantes lumine mundum,
Orbes ſtelligeri portantes ſigna feruntur,
Amplexi terra cæli ſub tegmine fulti,
E quibus annorum volitantia lumina noſces,
Quæ denſis diſtincta licebit cernere ſignis:
Tum multos orbes magno cum lumine latos
Vinctos inter ſe, & nodis cæleſtibus aptos:
Atque pari ſpatio duo cernes eſſe duobus.
Nam ſi nocturno cognoſcens tempore cælum,
Cum neque caligans deterſit ſidera nubes,
Nec pleno ſtellas ſuperavit lumine Luna,
Vidiſti magnum candentem ſerpere Circum,
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
Hic non perpetuum detexens conficit orbem,
Sed ſpatio multum ſuperis præſtare duobus
Dicitur, & late cæli luſtrare cavernas.
Quorum alter tangens aquilonis vertitur auras,
Ora petens Geminorum: illuſtratum genus ardens
In ſeſe retinens Aurigæ portat utrumque.
Hunc ſura læva Perſeus humeroque ſiniſtro
Tangit. ad Andromedam hic dextra de parte tenetur,
Imponitque pedes duplices Equus, & ſimul ales
Ponit Avis caput, & clinato corpore tergum:
Anguitenens humeris connititur: illa recedens
Auſtrum conſequitur devitans corpore Virgo.
At vero totum ſpatium conveſtit & orbis
Magnu' Leo, & claro collucens lumine Cancer,
In quo conſiſtens convertit curriculum Sol
Æſtivus; medio diſtinguens corpore curſus.
Hic totus medius circo disjungitur ipſo:
Pectoribus validis atque alvo poſſidet orbem.

* * * * *

Hunc octo in partes diviſum noſcere circum,
Si potes, invenies ſupero convertier orbe
Quinque pari ſpatio partes tres eſſe relictas.
Tempore nocturno quas vis inferna frequentet.
Alter ab infernis cancro connectitur auſtris.
Diſtribuens medium ſubter ſecat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum rivum fundentis Aquari,
Cæruleæque feram caudam Piſtricis, & illum
Fulgentem Leporem, inde pedes Canis, & ſimul amplam
Argolicam retinet crebro cum lumine Navem:
Tergaque Centauri, atque Nepai portat acumen:
Inde Sagittari defixum poſſidet arcum.
Hunc a clariſonis auris aquilonis ad auſtrum
Condens poſtremum tangit rota fervida Solis:
Exinde in ſuperas brumali tempore flexu
Se recipit ſedes. huic orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes, ſupera tres luce dicantur.
Hoſce inter, mediam in partem retinere videtur
Tantus quantus erit collucens Lacteus orbis,
In quo autumnali atque iterum ſol lumine verno
Exæquat ſpatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries ſublucet corpore totus,
Atque genu flexo Taurus connititur ingens:
Orion claro contingens pectore fertur,
Hydra tenet flexu Crateram, Corvus adhæret,
Et paucæ Chelys ſtellæ, ſimul Anguitenentis
Sunt genua, & ſummi Jovis ales nuncius inſtat:
Propter Equus capite & cervicum lumine tangit.
Hoſce æquo ſpatio dejunctos ſuſtinet axis,
Per medias ſummo cæli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine Circus,

Partibus extremis extremos continet orbes,
Et ſimul a medio media de parte ſecatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Ut nemo, cui ſancta manu doctiſſima Pallas
Solertem ipſa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare cate contortos poſſiet Orbes,
Quam ſunt in cælo divino lumine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine tranſverſo retinentes ſidera fulta.
Quatuor hi motu cuncti volvuntur eodem:
Sed tantum ſupera terras ſemper tenet ille
Curriculum, oblique inflexus tribus Orbibus unus,
Quanto eſt diviſus Cancer ſpatio a Capricorno,
Ac ſubter terras ſpatium par eſſe neceſſe eſt.
Et quantos radios jacimus de lumine noſtro,
Queis lunæ convexum cæli tangimus orbem,
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes,
Bina pari ſpatio cæleſtia ſigna tenentes.
Zodiacum hunc Græci vocitant, noſtrique Latini
Orbem Signiferum perhibebunt nomine vero:
Nam gerit hic volvens bis ſex ardentia ſigna.
Æſtifer eſt pandens ferventia ſidera Cancer:
Hunc ſubter fulgens cedit vis torva Leonis,
Quem rutilo ſequitur collucens corpore Virgo.
Exin projectæ claro cum lumine Chelæ,
Ipſaque conſequitur lucens vis magna Nepai.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Poſt hunc ore fero Capricornus vadere pergit.
Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin ſquammiferi ſerpentes ludere Piſces:
Queis comes eſt Aries obſcuro lumine labens,
Inflexoque genu projecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum jactantes lucibus ignem.
Hæc Sol æterno conveſtit lumine luſtrans,
Annua conficiens vertentia tempora curſu.
Hic quantum terris convexus pellitur orbis,
Tantumdem ille parens ſupera mortalibus extat.
Sex omni ſemper cedunt labentia nocte:
Tot cælum juſſu fugientia ſigna reviſunt.
Hoc ſpatium tranans cæcis nox conficit umbris,
Quod ſupera terras prima de nocte relictum eſt,
Signifer ex orbe & ſignorum ordine fultum.
Quod ſi Solis aves certos cognoſcere curſus,
Ortus Signorum nocturno tempore viſes:
Nam ſemper Signum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens ſignis mons obſtruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes,
Certas ipſe notas cæli de tegmine ſumes,
Ortus atque obitus omnes cognoſcere poſſis.
Quæ ſimul exiſtant cernes, quæ tempore eodem
Præcipitent obitum nocturno tempore noſces.
Jam ſimul ut ſupero ſe toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapſa Corona,
Et loca conviſit cauda tenus infera Piſcis.
Dimidiam retinens ſtellis diſtincta Corona
Partem etiam ſupera, atque alia de parte repulſa eſt:
Quam tamen inſequitur Piſcis, nec totus ad umbras
Tractus, ſed ſupero contectus corpore cedit.
Atque humeros uſque a genibus Cancrumque recondit
Anguitenens, validis magnum a cervicibus Anguem.
Jam vero Arctophylax non æqua parte ſecatur:
Nam brevior clara cæli de parte videtur,
Amplior infernas depulſus poſſidet umbras.
Quatuor hic obiens ſecum deducere ſigna
Signifero ſolet ex orbi. tum ſerius ille,
Cum ſupera ſeſe ſatiavit luce, recedit,

Poſt

Poſt mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obſcura tenens conveſtit ſidera tellus :
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion humeris & lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non caſſum luminis Enſem.
Sed cum de terris vis eſt patefacta Leonis,
Omnia quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obſcurata, ſimul vis major Aeti
Pellitur: ac flexo confidens corpore Niſus
Jam ſupero ferme depulſus lumine, cedit:
Sed lævum genus atque illuſtrem linquit in altum
Plantam. tum contra exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui ſeſe fervidus infert
Ante canem: inde Canis veſtigia prima videntur.
Non pauca e cælo depellens ſigna repente
Exoritur cedens illuſtria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia: mergitur unda
Delphinus, ſimul obtegitur depulſa Sagitta:
Atque Avis ad ſummam caudam, primaſque recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite & longa cervice lateſcit.
Longius exoritur jam claro corpore Serpens,
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis oſtendit jam poſteriores,
Et poſt ipſe trahit claro cum lumine puppim:
Inſequitur labens per cæli lumina Navis:
Hæc medium oſtendit radiato ſtipite malum:
Et jamjam toto proceſſit corpore Chelæ,
Exiſtit pariter larga cum luce Bootes,
Cujus in adverſum eſt Arcturus corpore fixus,
Totaque jam ſupera fulgens prolabitur Argo,
Hydraque, quod late cælo diſperſa tenetur,
Nondum tota latet, non caudam contegit umbra,
Jam dextrum genus, & decoratam lumine ſuram
Erigit ille vagans vulgato nomine Niſus,
Quem nocte extinctum atque exortum vidimus una
Perſæpe, ut parvum tranans geminaverit orbem.
Hic genus & ſuram cum Chelys erigit alte:
Ipſe autem præceps obſcura nocte tenetur,
Dum Nepa & Arcitenens inviſant lumina cæli.
Nam ſecum medium pandit Nepa, tollere vero
In cælum totum exoriens conabitur Arcus.
Hic tribus elatus cum ſignis corpore toto
Lucet: at exoritur media de parte Corona,
Caudaque Centauri extremo candore refulget.
Hic ſe jam totum cæcas Equus abdit in umbras,
Quem rutila fulgens pluma prætervolat Ales:
Occidit Andromedæ clarum caput, & fera Piſtrix
Labitur horribiles epulas funeſta requirens.
Hanc contra Cepheus non ceſſat tendere palmas.
Illa uſque ad ſpinam mergens ſe cærula condit:
At Cepheus caput atque humeros palmaſque reclinat,
Cum vero vis eſt vehemens exorta Nepai,
Late fuſa volat, per terras fama vagatur,
Ut quondam Orion manibus violaſſe Dianam
Dicitur, excelſis errans in collibus amens,
Quos tenet Ægæo defixa in gurgite Echineis,
Brachia cui viridi conveſtit tegmine vitis.
Ille feras vecors amenti corde necabat,
OEnopionis avens epulas cœnare nitentes;
At vero pedibus ſubito perculſa Dianæ
Inſula diſceſſit, disjectaque ſaxa revellens
Perculit, & cæcas luſtravit luce lacunas:
E quibus ingenti exiſtit cum corpore præ ſe
Scorpios infeſtus præportans flebile acumen,
Hic valido cupide venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas figens per vulnera virus:
Ille gravi moriens conſtravit corpore terram.
Quare cum magnis ſeſe Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum vero fugit Andromeda, & Neptunia Piſtrix
Tota latet, cedit converſo corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput & ſuperas potis eſt demergere partes,
Infera lumborum numquam conveſtiet umbra:
Nam retinent Arcti luſtrantes lumine ſuras,
Labitur illa ſimul gnatam lacrimoſa requirens
Caſſiepeia, neque ex cælo depulſa decore
Fertur: nam verſo contingens vertice primum
Terras, poſt humeros everſa ſede refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cum quibus, ut perhibent, auſa eſt contendere forma.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Coronæ eſt
Altera, cum caudaque omnis jam panditur Hydra.
At caput & totum ſeſe Centaurus opacis
Eripit e tenebris, linquens veſtigia parva
Antepedum contecta: ſimul cum lumina pandit
Ipſe feram dextra retinet. prolabitur inde
Anguitenens capite & manibus: profert ſimul Anguis
Jam caput & ſummum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur converſo corpore Niſus,
Alvum, crura, humeros, ſimul & præcordia luſtrans
Et dextra radios læto cum lumine jactans.
Inde Sagittipotens ſuperas cum viſere luces
Inſtitit, emergit Niſi caput: & ſimul effert
Seſe clara Fides, & promit corpore Cepheus.
Fervidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbra.
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapſu.
Inde obiens Capricornus ab alto, lumine pellit
Aurigam, inſtantemque Capram, parvos ſimul Hœdos,
Et magnam antiquo depellit nomine Navem,
Crus dextrumque pedem linquens, obit infera Perſeus
In loca, tum cedens a puppi linquitur Argo.
Obruitur Procyon, emergunt Alites una,
Et volucris terris exiſtit clara Sagitta.

Priſcian. Lib. VIII.

SUb pedibus profert vicina Booti.

Priſcian. Lib. VI.

TErtia ſub caudam ad genus ipſum lumina pandit.

Priſcian. Lib. X.

QUem neque tempeſtas perimet, neque longa vetuſtas
Interimet, ſtinguens præclara inſignia cæli.

Lactant.

MAlebant tenui contenti vivere cultu.

Lactant.

ET Jovis in regno, cælique in parte reſedit.

PROGNOSTICA.

Priſcian. Lib. X.

UT cum Luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii cæca caligine tecti.

Priſ-

Priſcian. Lib. XVI.

Aſt autem tenui quæ candent lumine Phatnæ.

Ipſe Cic. Lib. I. de Divinatione.

Atque etiam ventos præmonſtrat ſæpe futuros
Inflatum mare, cum ſubito penituſque tumeſcit,
Saxaque cana ſalis niveo ſpumata liquore,
Triſtificas certant Neptuno reddere voces:
Aut denſus ſtridor cum celſo e vertice montis
Ortus adaugeſcit ſcopulorum ſæpe repulſu.
Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nuntiat horribiles clamans inſtare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

Vos quoque ſigna videt aquai dulcis alumnæ
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Abſurdoque ſono fontes & ſtagna cietis.
Quis eſt qui ranunculos hoc videre ſuſpicari poſſit?
Sæpe etiam pertriſte canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus inſtat,
Vocibus inſtat, & aſſiduas jacit ore querelas,
Cum primum gelidos rores Aurora remittit.
Fuſcaque nonnumquam curſans per littora cornix
Demerſit caput, & fluctum cervice recepit.
Mollipedeſque boves ſpectantes lumina cœli
Naribus humiferum duxere ex ære ſuccum.

Jam vero ſemper viridis ſemperque gravata
Lentiſcus triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Priſcian. Lib. VI.

Caprigeni pecoris cuſtos de gurgite vaſto.

CARMINA HOMERI.

LATINE VERSA A CICERONE.

Ipſe Cic. Lib. II. de Divinatione.

Ferte viri, & duros animo tolerate labores,
Auguris ut noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratoſne habeant, an vanos pectoris orſus:
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funeſtis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut veſtita eſt claſſibus Aulis,
Quæ Priamo cladem, Troiæ peſtemque ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris divum placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,
Vidimus immani ſpecie, tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulſu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine ſeptos
Corripuit pullos: quos cum conſumeret octo,
Nona ſuper tremulo genitrix clangore volabat:
Cui ferus immani laniavit viſcera morſu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro firmavit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtantes mirabile monſtrum
Vidimus in mediis divum verſarier aris.
Tum Calchas hæc eſt fidenti voce loquutus:
Quidnam torpentes ſubito obſtupuiſtis, Achivi?
Nobis hæc portenta Deum dedit ipſe creator,
Tarda & ſera nimis, ſed fama ac laude perenni.
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Troiam belli exantlabimus annos:
Quæ decimo cadet, & pœna ſatiabit Achivos.
Edidit hæc Calchas: quæ jam matura videtis.

D. Auguſtinus Lib. V. Cap. VIII. de Civ. Dei.

Tales ſunt hominum mentes, qualis pater ipſe
Jupiter auctiferas luſtravit lumine terras.

Ipſe Cic. de Divinat. Lib. I.

Tertia te Phthiæ tempeſtas læta locabit.

Ipſe Cic. de Divinat. Lib. II.

Proſpera Jupiter his dextris fulgoribus edit.

Gellius Lib. XV. Cap. VI. ex Cicerone de Gloria Lib. II.
Epitaphium Aiacis.

Hic ſitus eſt vitæ jampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculſus concidit enſe.
Fabitur hoc aliquis: mea ſemper gloria vivet.

Ipſe Cic. Lib. V. de Finibus.

O Decus Argolicum, quin puppim flectis Ulyſſes,
Auribus ut noſtris poſſis dignoſcere cantus?
Nam nemo hæc umquam eſt tranſvectus cærula curſu,
Quin prius adſtiterit vocum dulcedine captus,
Poſt variis avido ſatiatus pectore Muſis,
Doctior ad patrias lapſus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli, clademque tenemus,
Græcia quam Troiæ divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum veſtigia terris.

Ipſe Cic. Tuſcul. Quæſt. Lib. III.

Corque meum penitus turgeſcit triſtibus iris,
Cum decore, atque omni me orbatum laude recordor.

Ipſe Cic. ibidem.

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis
Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Ipſe Cic. ibidem.

Namque nimis multos, atque omni luce, cadentes
Cernimus, ut nemo poſſit mœrore vacare.
Quo magis eſt æquum tumulis mandare peremptos
Firmo animo, & luctum lacrimis finire diurnis.

CARMINA EURIPIDIS.

LATINE VERSA A CICERONE.

Ipſe Cic. Lib. I. De Nat. Deor.

Vides ſublime fuſum, immoderatum æthera,
Qui tenero terram circumvectu amplectitur:

Hunc

Hunc ſummum habeto divum: hunc perhibeto Jovem.

Ipſe Cic. de Officiis Lib. III. Ex EURIPIDIS Phœniſſis.

NAm ſi violandum eſt Jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Ipſe Cic. de Officiis Lib. III.

JUravi lingua, mentem injuratam gero.

Ipſe Cic. de Finibus Lib. II.

SUavis eſt laborum præteritorum memoria.

Ipſe Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. I.

Ex Creſphonte EURIPIDIS.

NAm nos decebat cœtus celebrantes domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At qui labores morte finiſſet graves,
Omnes amicos laude & lætitia exequi.

Ipſe Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. III.

Theſeus. = NAm qui hæc audita a docto meminiſſem viro,
Futuras mecum commentabar miſerias,
Aut mortem acerbam, aut exſilii mœſtam fugam,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali,
Ut, ſi qua invecta diritas caſu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens,

Ibidem.

MOrtalis nemo eſt, quem non attingat dolor
Morbuſque. multi ſunt humandi liberi,
Rurſum creandi: morſque eſt finis omnibus,
Quæ generi humano angorem nequidquam afferunt.
Reddenda eſt terræ terra: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges; ſic jubet neceſſitas.

Ibidem.

SI mihi nunc triſtis primum illuxiſſet dies,
Nec tam ærumnoſo navigaſſem ſalo:
Eſſet dolendi cauſſa, ut injecto equulei
Freno repente tactu exagitantur novo.
Sed tam ſubjectus miſeriis obtorpui.

Ipſe Cic. Tuſcul. Quæſt. Lib. IV.

NEque tam terribilis ulla fando oratio eſt,
Neque ſors, neque ira cælitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

CARMINA SOPHOCLIS.

LATINE VERSA A CICERONE

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. II. Ex Trachiniis.

O Multa dictu gravia, perpeſſu aſpera,
Quæ corpore exanclato atque animo pertuli!
Nec mihi Junonis terror implacabilis,
Nec tantum invexit triſtis Euryſtheus mali,
Quantum una vecors Oenei partu edita:
Hæc me irretivit veſte furiali inſcium,
Quæ lateri inhærens morſu lacerat viſcera,
Urgenſque graviter pulmonum haurit ſpiritus:
Jam decolorem ſanguinem omnem exſorbuit.
Ipſe corpus clade horribili abſumptum extabuit.
Ipſe alligatus peſte interimor textili.
Hos non hoſtilis dextra, non terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo;
Non Graia vis, non barbara ulla immanitas,
Non ſæva terris gens relegata ultimis;
Quas peragrans, undique omnem hinc feritatem expuli:
Sed feminea vi, feminea interimor manu.
O nate, vere hoc nomen uſurpa patri,
Nec me occidentem matris ſuperet caritas:
Jam cernam, mene an illam potiorem putes.
Perge, aude, nate; illacruma patris peſtibus:
Miſerere: gentes noſtras flebunt miſerias.
Heu! virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemiſcentem malo!
Sic feminata virtus afflicta occidit?
Accede, nate: adſiſte. miſerandum adſpice
Eviſceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti: tuque cœleſtum ſator
Jace, obſecro, in me vim coruſcam fulminis.
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vortices:
Nunc ſerpit ardor. o ante victrices manus!
O pectora! o terga! o lacertorum tori!
Veſtrone preſſu quondam Nemeæus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetra mactata excetra
Placavit? hæc bicorporem afflixit manum?
Erymanthiam hæc vaſtificam abjecit belluam?
Hæc, e Tartarea tenebrica abſtractum plaga,
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem?
Hæc interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam obtutu obſervantem arborem?
Multa alia victrix noſtra luſtravit manus.
Nec quiſquam e noſtris ſpolia cepit laudibus.

Ibidem.

Ulyſſes. = PEdetentim ite, & ſedato niſu,
Ne ſuccuſſu arripiat major dolor.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. III.

NEc vero tanta præditus ſapientia
Quiſquam eſt, qui aliorum ærumnam dictis allevans,
Non idem, cum fortuna mutata impetum
Convertat, clade ut ſubita frangatur ſua,
Ut illa ad alios dicta & præcepta excidant.

CARMINA ÆSCHYLI.

LATINE VERSA A CICERONE.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. II. Ex Prometheo.

TItanum ſoboles, ſocia noſtri ſanguinis,
Generata cælo, adſpicite relegatum aſperis

Vin-

Vinctumque ſanie; navem ut horriſono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitæ:
Saturnius me ſic infixit Jupiter,
Joviſque numen Mulciberi adſcivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inſerens
Perrupit artus: qua miſer ſolertia
Tranſverberatus, caſtrum hoc furiarum incolo.
Jam tertio me quoque funeſto die,
Triſti advolatu aduncis lacerans unguibus
Jovis ſatelles paſtu dilaniat fero:
Tum jecore opimo farta & ſatiata affatim,
Clangorem fundit vaſtum, & ſublime advolans
Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.
Quum vero adeſum inflatu renovatum eſt jecur,
Tum rurſus tetros avida ſe ad paſtus refert.
Sic hunc cuſtodem mœſti cruciatus alo,
Qui me perennivivum, fœdat miſeria.
Namque, ut videtis, vinclis conſtrictus Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.
Sic me ipſe videns peſtes excipio anxias,
Amore mortis terminum anquirens mali:
Sed longe a leto numine aſpellor Jovis:
Atque hæc vetuſta, ſeclis glomerata horridis,
Luctifica clades noſtro infixa eſt corpori;
Ex quo liquatæ ſolis ardore excidunt
Guttæ, quæ ſaxa aſſidue inſtillant Caucaſi.

Atqui Prometheu, te hoc tenere exiſtimo,
Mederi poſſe rationem iracundiæ.

Prometheus.

Si quidem qui tempeſtivam medicinam admovens,
Non ad graveſcens vulnus illidat manus.

EX HERODOTO.

Ipſe Cicero de Divinat. Lib. II.

CRœſus Halin penetrans magnam pervertet opum vim.

EX EPICHARMO SICULO.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

EMori nolo: ſed me eſſe mortuum nihili exiſtimo.

EX SIMONIDE.

EPITAPHIUM LACONUM AD THERMOPYLAS CÆSORUM.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

DIc hoſpes Spartæ, nos te hic vidiſſe jacentes,
Dum ſanctis Patriæ legibus obſequimur.

EX CRANTORIS CONSOLATIONE.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

IGnaris homines in vita mentibus errant:
Euthynous potitur fatorum munere læto.
Sic fuit utilius finiri ipſique tibique.

SOLONIS EPITAPHIUM.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

MOrs mea ne careat lacrimis: linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

SARDANAPALI EPITAPHIUM.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. V.

HÆc habui, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit, at illa jacent pulchra & præclara relicta.

EX GRÆCO VERSU.

Ipſe Cicero de Divinat. Lib. II.

BEne qui conjiciet, vatem hunc perhibeto optimum.

EX GRÆCO VERSU.

Ipſe Cicero ibidem.

QUod fore paratum eſt, id ſummum exſuperat Jovem.

EX PROVERBIO GRÆCO.

Ipſe Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

QUam quiſque norit artem, in hac ſe exerceat.

VALERII CATONIS DIRÆ.

BAttare, cycneas repetamus carmine voces:
Diviſas iterum ſedes, & rura canamus,
Rura, quibus diras indiximus, impia vota.
Ante lupos rapient hœdi, vituli ante leones,
Delphini fugient piſces, aquilæ ante columbas,
Et converſa retro rerum diſcordia gliſcet
Multa prius, fuerit quam non mea libera avena.
Montibus, & ſilvis dicam tua facta, Lycurge,
Impia Trinacriæ ſterileſcant gaudia nobis,
Nec fœcunda ſenis noſtri, felicia rura,
Semina parturiant ſegetes, non paſcua colles,
Non arbuſta novas fruges, non pampinus uvas.
Ipſæ non ſilvæ frondes, non flumina montes.
Rurſus & hoc iterum repetamus, Battare, carmen.
Effœtas Cereris ſulci condatis avenas:
Pallida flaveſcant æſtu ſitientia prata:
Immatura cadant ramis pendentia mala:
Deſint & ſilvis frondes & fontibus humor:
Nec deſit noſtris devotum carmen avenis.
Hæc Veneris vario florentia ſerta decore,
Purpureo campos quæ pingit avena colore.
Hinc auræ dulces, hinc ſuavis ſpiritus agri
Mittant peſtiferos æſtus, & tetra venena.
Dulcia non oculis, non auribus ulla ferantur.

B Sic

Sic precor: & noſtris ſuperent hæc carmina votis.
Luſimus, & multum noſtris cantata libellis
Optima ſylvarum, formoſis denſa viretis.
Tondemus virides umbras, nec læta comantes
Jactabis molles ramos inflantibus auris,
Nec mihi ſæpe meum reſonabit, Battare, carmen.
Militis impia cum ſuccidet dextera ferro,
Formoſæque cadent umbræ, formoſior illis
Ipſa cades. veteris domini felicia ligna
Nequidquam noſtris toties devota libellis,
Ignibus æthereis flagrabunt. Jupiter ipſe,
Jupiter hanc aluit: cinis hæc tibi fiat, oportet.
Thracis tum Boreæ ſpirent immania vires:
Eurus agat miſtam fulva caligine nubem:
Africus immineat nimbis minitantibus imbrem:
Cum tua cyaneo reſplendens æthere ſylva
Noſcet iter, ducens Erebo tua Lydia Ditis.
Vicinæ flammæ rapiant ex ordine vites:
Paſcantur ſegetes, diffuſis ignibus aura
Tranſvolet arboribus, conjungat & arbor ariſtas.
Pertica quæ noſtros metata eſt impia agellos,
Qua noſtri fines olim: cinis omnia fiant.
Sic precor, & noſtris ſuperent hæc carmina votis.
Undæ quæ veſtris pulſatis litora lymphis,
Litora, quæ dulces auras diffunditis agris,
Accipite has voces: migret Neptunus in arva
Fluctibus, & ſpiſſa campos perfundat arena.
Qua Vulcanus agros paſtor Jovis ignibus arcet,
Barbara dicatur Libycæ ſoror altera Syrtis.
Triſtius hoc, memini, revocaſti Battare carmen.
Nigro multa mari dicunt portenta natare,
Monſtra repentinis terrentia ſæpe figuris;
Cum ſubito emerſere furenti corpora ponto.
Hæc agat infeſto Neptunus cæca tridenti,
Atrum convertens æſtum maris undique ventis,
Et fuſcum cinerem canis exhauriat undis.
Dicantur mea rura ferum mare, nautæ caveto
Rura, quibus diras indiximus, impia vota.
Si minus, hæc, Neptune, tuis infundimus aris,
Battare fluminibus tu noſtros trade dolores.
Nam tibi ſunt fontes, tibi flumina ſemper amica.
Nil eſt quod perdam ulterius, merita omnia dixi.
Flectite currentes lymphas vaga flumina retro.
Flectite, & adverſis rurſum diffundite campis.
Incurrant amnes paſſim remeantibus undis,
Nec noſtros ſervire ſinant erroribus agros:
Dulcius hoc, memini, revocaſti Battare carmen.
Emanent ſubito ſicca tellure paludes,
Et metat hic juncos, ſpicas ubi legimus olim:
Occupet arguti grylli cava garrula rana.
Triſtius hoc rurſum dicat mea fiſtula carmen,
Præcipitent altis ſpumantes montibus imbres,
Et late teneant diffuſo gurgite campos:
Queis dominis infeſta minantes ſtagna relinquant,
Unde relapſa meos agros pervenerit unda.
Piſcetur noſtris in finibus advena arator:
Advena civili qui ſemper crimine crevit.
O male devoti prætorum crimine agelli,
Tuque inimica tui ſemper diſcordia civis!
Exſul ego, indemnatus, egens mea rura reliqui,
Miles ut accipiat funeſti præmia belli.
Hinc ego de tumulo mea rura noviſſima viſam:
Hinc ibo in ſilvas: obſtabunt jam mihi colles:
Obſtabunt montes, campos nec adire licebit.
Dulcia rura valete, & Lydia dulcior illis,
Et caſti fontes, & felix nomen agelli.

Tardius, ah, miſeræ deſcendite monte capellæ:
Mollia non iterum carpetis pabula nota.
Tuque reſiſte pater: en prima, noviſſima nobis.
Intueor campos: longum manet hoſtis in illis.
Rura valete iterum, tuque optima Lydia ſalve:
Sive eris, & ſi non, mecum morieris, utrumque
Extremum carmen revocemus, Battare, avena.
Dulcia amara prius fient, & mollia dura:
Candida nigra oculi cernent, & dextera læva:
Migrabunt caſus aliena in corpora rerum,
Quam tua de noſtris emigret cura medullis.
Quamvis ignis eris, quamvis aqua, ſemper amabo.
Gaudia ſemper enim tua me meminiſſe juvabit.
Invideo vobis agri, formoſaque prata:
Hoc formoſa magis, mea quo formoſa puella
Eſt vobis. tacite veſtrum ſuſpirat amorem.
Vos nunc illa videt, vobis mea Lydia ludit.
Vos nunc alloquitur, vos nunc arridet ocellis,
Et mea ſummiſſa meditatur carmina voce,
Cantat & interea, mihi quæ cantabat in aurem.
Invideo vobis, agri: diſcetis amare.
O fortunati nimium, multumque beati,
In quibus illa pedis nivei veſtigia ponet:
Aut roſeis digitis viridem decerpſerit uvam,
[Dulci namque tumet nondum vitecula Baccho]
Aut inter varios Veneris ſtipendia flores
Membra reclinarit, teneramque illiſerit herbam,
Et ſecreta meos furtim narrabit amores.
Gaudebunt ſilvæ, gaudebunt mollia prata,
Et gelidi fontes, aviumque ſilentia fient.
Tardabunt rivi labentes currere lymphæ,
Dum mea jucundas exponat cura querelas.
Invideo vobis, agri: mea gaudia habetis.
Et vobis nunc eſt, mea quæ fuit ante, voluptas.
At mihi tabeſcunt morientia membra dolore,
Et calor infuſo decedit frigore mortis,
Quod mea non mecum domina eſt: non ulla puella
Doctior in terris fuit, aut formoſior, ac ſi
Fabula non vana eſt, tauro Jove digna, vel auro.
Jupiter avertas aures: mea ſola puella eſt.
Felix taure pater magni gregis, & decus: a te
Vaccula non umquam ſecreta cubila captans,
Fruſtra te patitur ſilvis mugire dolore.
Et pater hœdorum felix, ſemperque beate:
Sive petis montes præruptos ſaxa pererrans:
Sive tibi ſylvis nova pabula faſtidire:
Sive libet campis: tecum tua læta capella eſt.
Et mas quocumque eſt, illi ſua femina juncta,
Interpellatos numquam ploravit amores.
Cur non & nobis facilis natura fuiſſet?
Cur ego crudelem patior tam ſæpe dolorem?
Sidera per viridem redeunt cum pallida mundum,
Inque vicem Phœbe excurrens, atque aureus orbis;
Luna tua eſt tecum: cur non eſt & mea mecum?
Luna, dolor noſti quid ſit, miſerere dolentis.
Phœbe gerens in te laurus celebravit amorem,
Et quem pompa Deum, non ſilvis fama locuta eſt.
Omnia vos eſtis: ſecum ſua gaudia geſtat,
Aut inſperſa videt mundo, quæ dicere longum eſt.
Aurea quin etiam cum ſecula volvebantur,
Conditio ſimilis fuerat mortalibus illis.
Hæc quoque prætereo, notum Minoidis aſtrum,
Quæque virum virgo, ſicut captiva, ſecuta eſt.
Lædere, Cælicolæ, potuit vos noſtra quid ætas?
Conditio nobis vitæ quo durior eſſet?
Auſus egon' primus caſtos violare pudores?

Sacra-

Sacratamque meæ vitam tentare puellæ?
Immatura meæ quoque noxæ ſolvere fata?
Iſtius atque utinam facti mea culpa magiſtra
Prima foret: lethum vita mihi dulcius eſſet.
Non mea, non ullo moreretur tempore fama,
Dulcia cum Veneris furatus gaudia primus
Dicerer, atque ex me dulcis foret orta voluptas.
Nam mihi non tantum tribuerunt impia vota,
Auctor ut occulti noſter foret error amoris.
Jupiter ante ſui ſemper mendacia furti
Cum Junone, prius conjux quam dictus uterque eſt,
Gaudia libavit dulcem furatus amorem:
Et mecum tenera gaviſa eſt ludere in herba,
Purpureos flores, quos inſuper accumbebat,
Candida formoſo ſupponens brachia collo.
Tum credo, fuerat Mavors diſtentus in armis.
Nam certe Vulcanus opus faciebat, & illi
Triſti, turpabatque mala fuligine barbam.
Non aurora novos etiam ploravit amores,
Atque rubens oculos roſeo celavit amictu?
Talia Cælicolæ. numquid minus aurea promo?
Ergo quod Deus, atque Heros, cur non minor ætas?
Infelix ego, non illo qui tempore natus,
Quo facilis natura fuit. ſors o mea læva
Naſcendi, miſerumque genus, quo ſera libido eſt!
Tanta meæ vitæ cordis ſecere rapinam,
Ut maneam, quod vix oculis cognoſcere poſſis.

C. PEDONIS ALBINOVANI
AD
LIVIAM AUGUSTAM.
DE
MORTE DRUSI NERONIS FILII EJUS,
QUI IN
GERMANIA MORBO PERIIT.

VIſa diu felix, mater modo dicta Neronum,
Jam tibi dimidium nominis hujus abeſt.
Jam legis in Druſum miſerabile, Livia, carmen.
Unum, qui dicat jam tibi, mater, habes.
Nec tua te pietas diſtendit amore duorum:
Nec poſito fili nomine, dicis: Uter?
Et quiſquam leges audet tibi dicere flendi?
Et quiſquam lacrimas temperat ore tuas?
Hei mihi, quam facile eſt (quamvis hic contigit omnes)
Alterius luctu fortia verba loqui!
Scilicet exiguo percuſſa es fulminis ictu;
Fortior ut poſſis cladibus eſſe tuis.
Occidit exemplum juvenis venerabile morum:
Maximus ille armis, maximus ille toga.
Ille modo eripuit latebroſas hoſtibus Alpes,
Et titulum belli dux duce fratre tulit.
Ille genus Svevos acre, indomitoſque Sycambros
Contudit, inque fugam barbara terga dedit:
Ignotumque tibi meruit, Romane, triumphum.
Protulit in terras imperiumque novas.
Solvere vota Jovi, fatorum ignara tuorum
Mater, & armiferæ ſolvere vota Deæ,
Gradivumque patrem donis implere parabas;
Et quoſcumque coli juſque piumque Deos.
Maternaque ſacros agitabas mente triumphos:
Forſitan & curæ jam tibi currus erat.
Funera pro ſacris tibi ſunt ducenda triumphis,
Et tumulus Druſum pro Jovis arce manet.
Fingebas reducem; præceptaque mente fovebas
Gaudia; & ante oculos jam tibi victor erat.
Jam veniet: jam me gratantem turba videbit:
Jam mihi pro Druſo dona ferenda meo.
Obvia progrediar, felixque per oppida dicar;
Collaque & hos oculos illius ore premam.
Talis erit: ſic occurret: ſic oſcula junget:
Hoc mihi narrabit: ſic prior ipſa loquar.
Gaudia vana foves, ſpem pone, miſerrima, falſam,
Deſine de Druſo læta referre tuo.
Cæſaris illud opus, voti pars altera veſtri,
Occidit. indignas, Livia, ſolve comas.
Quid tibi nunc mores proſunt, actumque pudice
Omne ævum, & tanto tam placuiſſe viro?
* Quidque pudicitia tantum inviolata bonorum, *
Ultima ſit laudes inter ut illa tuas?
Quid tenuiſſe animum contra ſua ſecula rectum;
Altius & vitiis exſeruiſſe caput?
Nec nocuiſſe ulli, & fortunam habuiſſe nocendi?
Nec quemquam nervos extimuiſſe tuos?
Nec vires erraſſe tuas Campoque Foroque;
Quamque libet citra conſtituiſſe domum?
Nempe per hos etiam Fortunæ injuria mores
Regnat; & incerta eſt hic quoque nixa rota.
Hic quoque ſentitur: ne quid non improba carpat,
Sævit; & injuſtum jus ſibi ubique facit.
Scilicet immunis ſi luctus una fuiſſet
Livia; Fortunæ regna minora forent?
Quid ſi non habitu ſic ſe geſſiſſet in omni,
Ut ſua non eſſent invidioſa bona?
Cæſaris adde domum. quæ certe funeris expers
Debuit humanis altior eſſe malis.

Ille vigil, ſumma ſacer ille locatus in arce,
Res hominum ex tuto cernere dignus erat:
Nec fleri ipſe ſuis, nec quemquam flere ſuorum;
Nec, quæ nos patimur vulgus, & ipſe pati.
Vidimus erepta mœrentem ſtirpe ſororis.
Luctus, ut in Druſo, publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, ſepulcro:
Et cepit generos jam locus ille duos.
Vix poſito Agrippa tumuli bene janua clauſa eſt:
Perficit officium funeris, ecce, ſoror.
Ecce, ter ante datis jactura noviſſima Druſus
A magno lacrymas Cæſare quartus habet.
Claudite jam, Parcæ, nimium reſerata ſepulcra:
Claudite: plus juſto jam domus iſta patet.
Cedis; & incaſſum tua nomina, Druſe, levantur.
Ultima ſit fati hæc ſumma querela tui.
Iſte poteſt implere dolor vel ſæcula tota,
Et magni luctus obtinuiſſe locum.
Multi in te amiſſi: nec, cui tot turba bonorum,
Omnis cui virtus contigit, unus eras.
Nec genetrice tua fœcundior ulla parentum:
Tot bona per partus quæ dedit una duos.
Heu! par illud ubi eſt, totidem virtutibus æquum?
Et concors pietas, nec dubitatus amor?
Vidimus attonitum fraterna morte Neronem
Squallida promiſſa flere per ora coma:
Diſſimilemque ſui vultu profitente dolorem.
Hei mihi, quam toto luctus in ore fuit!
Tu tamen extremo moriturum tempore fratrem
Vidiſti: lacrymas vidit & ille tuas.
Affigique ſuis moriens tua pectora ſenſit,
Et tenuit vultu lumina fixa tuo:
Lumina cærulea jam jamque natantia morte,
Lumina fraternas jam ſubitura manus.
At miſeranda parens ſuprema neque oſcula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente ſinu.
Non animam appoſito fugientem excepit hiatu;
Nec traxit cæſas per tua membra comas.
Raptus es abſenti, dum te fera bella morantur,
Utilior patriæ, quam tibi, Druſe, tuæ.
Liquitur: ut quondam Zephyris & ſolibus ictæ
Solvuntur teneræ, vere tepente, nives.
Te queritur, caſuſque malos, irriſaque tales,
Accuſatque annos, ut diuturna, ſuos.
Talis in umbroſis mitis nunc denique ſilvis
Deflet Threicium Daulias ales Ityn:
Halcyonum tales ventoſa per æquora queſtus
Ad ſurdas tenui voce ſonantur aquas.
Sic plumoſa novis plangentes pectora pennis
Oenidem ſubitæ concinuiſtis aves.
Sic flevit Clymene: ſic & Clymeneides, alte
Cum juvenis patriis excidit ictus equis.
Congelat interdum lacrimas, duratque, tenetque,
Suſpenſaſque oculus fortior intus agit.
Erumpunt, iterumque gravant gremiumque ſinuſque,
Effuſæ gravidis uberibuſque genis.
In vires abiit flendi mora. plenior unda
Defluit, exigua ſi qua retenta mora.
Tandem ubi per lacrimas licuit, ſic flebilis orſa eſt,
Singultu medios impediente ſonos.
Nate, brevis fructus, duplicis ſors altera partus;
Gloria confectæ, nate, parentis, ubi es?
Sed neque jam duplicis neque jam ſors altera partus,
Gloria confectæ nunc quoque matris, ubi es?
Heu! modo tantus ubi es? tumulo portaris & igni.
Hæc ſunt in reditus dona paranda tuos?
Siccine dignus eras oculis occurrere matris?
Sic ego te reducem digna videre fui?
Cæſaris Uxori ſi talia dicere fas eſt;
Jam dubito, magnos an rear eſſe Deos.
Nam quid ego admiſi? quæ non ego numina cultu,
Quos ego non potui demeruiſſe Deos?
Hic pietatis honos? artus amplector inanes.
Et vorat hos ipſos flamma rogusque ſinus.
Tene ego ſuſtineo poſitum ſcelerata videre?
Tene meæ poterunt ungere, nate, manus?
Nunc ego te infelix ſummum teneoque tuorque?
Effingoque manus? oraque ad ora fero?
Nunc primum adſpiceris conſul victorque parenti?
Sic mihi, ſic miſeræ nomina tanta refers?
Quos primum vidi faſces, in funere vidi;
Et vidi everſos, indiciumque mali.
Quis credat? matri lux hæc mœſtiſſima venit,
Qua natum in ſummo vidit honore ſuum.
Jamne ego non felix? jam pars mihi rapta Neronum
Materni celeber nomine Druſus avi?
Jamne meus non eſt, nec me facit ille parentem?
Jamne fui Druſi mater? & ipſe fuit?
Nec cum victorem referetur adeſſe Neronem,
Dicere jam potero, Major, an alter adeſt?
Ultima contigimus. jus matris habemus ab uno.
Unius eſt munus, quod tamen orba negor.
Me miſeram! extimui, friguſque per oſſa cucurrit;
Nil ego jam poſſum certa vocare meum.
Hic meus ecce fuit. jubet hic de fratre vereri.
Omnia jam metuo: fortior ante fui.
Soſpite te ſaltem moriar, Nero! tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Druſi manus altera & altera fratris
Formarent oculos comprimerentque meos.
Quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
Druſe: neque ad veteres conditus ibis avos.
Miſcebor cinerique cinis, atque oſſibus oſſa.
Hanc lucem celeri turbine Parca neat!
Hæc & plura refert: lacrimæ ſua verba ſequuntur,
Oraque nequidquam per modo queſta fluunt.
Quin etiam corpus matri vix vixque remiſſum
Exequiis caruit, Livia, pene tuis.
Quippe ducem arſuris exercitus omnis in armis,
Inter quæ periit, ponere certus erat.
Abſtulit invitis corpus venerabile frater;
Et Druſum patriæ, quod licuitque, dedit.
Funera ducuntur Romana per oppida Druſi;
(Heu facinus!) per quæ victor iturus erat.
Per quæ deletis Rhætorum venerat armis.
Hei mihi, quam diſpar huic fuit illud iter!
Conſul init fractis mœrentem faſcibus urbem.
Quid faceret victus, ſic ubi victor init.
Mæſta domus plangore ſonat: cui figere lætus
Parta ſua dominus voverat arma manu.
Urbs gemit, & vultum miſerabilis induit unum.
Gentibus adverſis forma ſit illa, precor!
Incerti clauduntque domos, ſtrepitantque per urbem:
Hic illi pavidi clamque palamque dolent.
Jura ſilent, mutæque tacent ſine vindice leges:
Adſpicitur toto purpura nulla foro.
Dique latent templis, neque iniqua ad funera vultus
Præbent; nec poſcunt thura ferenda rogo.
Obſcuros delubra tenent. pudet ora colentum
Adſpicere invidiæ, quam meruere, metu.
Atque aliquis de plebe pius pro paupere nato
Suſtulerit timidas ſidera ad alta manus:

Jamque

Jamque precaturus, Quid ego autem credulus, inquit,
  Suſcipiam in nullos irrita vota Deos?
Livia, non illos pro Druſo Livia movit.
  Nos erimus magno maxima cura Jovi?
Dixit: & iratus vota inſuſcepta reliquit;
  Duravitque animum, deſtituitque preces.
Obvia turba ruit: lacrimiſque rigantibus ora
  Conſulis erepti publica damna refert.
Omnibus iidem oculi; par eſt concordia flendi.
  Funeris exſequiis adſumus omnis Eques.
Omnis adeſt ætas, mœrent juveneſque ſeneſque;
  Auſoniæ matres, Auſoniæque nurus.
Auctoriſque ſui præfertur imagine mœſta,
  Quæ victrix templis debita laurus erat.
Certat onus lecti generoſa ſubire juventus:
  Et ſtudet officio ſedula colla dare.
Et voce & lacrimis laudaſti, Cæſar, alumnum;
  Triſtia cum medius rumperet orſa dolor.
Tu letum optaſti; Dis averſantibus omen
  Par ſibi: ſi ſinerent te tua fata mori.
Sed tibi debetur cælum: te fulmine pollens
  Accipiet cupidi regia magna Jovis.
Quod petiit, tulit ille; tibi ut ſua facta placerent,
  Magnaque laudatus præmia mortis habet.
Armatæque rogum celebrant de more cohortes:
  Et pedes exequias reddit equeſque duci.
Te clamore vocant iterumque iterumque ſupremo,
  At vox adverſis collibus icta redit.
Ipſe pater flavis Tyberinus inhorruit undis:
  Suſtulit & medio nubilus amne caput.
Tum ſalice implexum muſcoque & arundine crinem
  Cæruleo magna legit ab ore manu.
Uberibuſque oculis lacrimarum flumina miſit.
  Vix capit adjectas alveus altus aquas.
Jamque rogi flammas extinguere fluminis ictu,
  Corpus & intactum tollere, certus erat.
Suſtentabat aquas, curſuſque inhibebat equorum,
  Ut poſſet toto proluere amne rogum.
Sed Mavors templo vicinus, & accola Campi
  Tot dixit ſiccis verba nec ipſe genis.
Quamquam amnes decet ira; tamen, Tyberine, quieſcas:
  Non tibi; non ullis vincere fata datur.
Iſte meus periit: periit arma inter & enſes:
  Et dux pro patria. funere cauſa latet.
Quod potui tribuiſſe, dedi: victoria parta eſt.
  Auctor abit operis, ſed tamen exſtat opus.
Quondam ego tentavi Clothoque, duaſque ſorores,
  Pollice quæ certo penſa ſevera trahunt,
Ut Remus Iliades, & frater conditor urbis
  Effugerent aliqua ſtagna profunda via.
De tribus una mihi, Partem accipe, quæ datur, inquit,
  Muneris; ex iſtis, quod petis, alter erit.
Hic tibi; mox Veneri Cæſar promiſſus uterque.
  Hos debet ſolos Martia Roma Deos.
Sic cecinere Deæ: nec tu, Tyberine, repugna,
  Irrite, nec flammas amne morare tuo.
Nec juvenis poſiti ſupremos deſtrue honores.
  Vade age, & admiſſis labere pronus aquis.
Paret: & in longum ſpatioſas explicat undas;
  Structaque pendenti pumice tecta ſubit.
Flamma diu cunctata caput contingere ſanctum,
  Erravit poſito lenta ſub uſque toro.
Tandem ubi completa eſt ſilvas, alimentaque ſumſit,
  Æthera ſubjectis lambit & aſtra comis.
Qualis in Herculeæ colluxit collibus OEtæ,
  Cum ſunt impoſito membra cremata Deo.

Uritur heu decor ille viri, generoſaque forma,
  Et faciles vultus; uritur ille vigor!
Victriceſque manus, facundaque principis ora,
  Pectoraque ingenii magna capaxque domus!
Spes quoque multorum flammis uruntur in iiſdem.
  Iſte rogus miſeræ viſcera matris habet.
Facta ducis vivent, operoſaque gloria rerum.
  Hæc manet; hæc avidos effugit una rogos.
Pars erit hiſtoriæ, totoque legetur in ævo:
  Seque opus ingeniis carminibuſque dabit.
Stabis & in roſtris tituli ſpecioſus honore;
  Cauſaque dicemur nos tibi, Druſe, necis.
At tibi jus veniæ ſupereſt, Germania, nullum.
  Poſtmodo tu pœnas, barbare, morte dabis.
Adſpiciam Regum liventia colla catenis;
  Duraque per ſævas vincula nexa manus:
Et tandem trepidos vultus; inque illa ferocum
  Invitis lacrymas decidere ora genis.
Spiritus ille minax, & Druſi morte ſuperbus,
  Carnifici in mœſto carcere dandus erit.
Conſiſtam, lætiſque oculis, lentuſque videbo
  Strata per obſcœnas corpora nuda vias.
Illum Aurora diem ſpectacula tanta ferentem
  Quam primum croceis roſcida portet equis.
Adjice Ledæos concordia ſidera fratres;
  Templaque Romano conſpicienda foro.
Quam parvo numeros implevit principis ævo,
  In patriam meritis occubuitque ſenex!
Nec ſua conſpiciet [miſerum me!] munera Druſus,
  Nec ſua pro templi nomina fronte leget.
Sæpe Nero illacrimans ſubmiſſa voce loquetur,
  Cur adeo fratres, heu ſine fratre, Deos?
Certus eras numquam, niſi victor, Druſe, reverti.
  Hæc te debuerant tempora: victor eras.
Conſule nos, duce nos, duce jam victore, caremus:
  Invenit en tota mœror in urbe locum.
At comitum ſquallent immiſſis ora capillis,
  Infelix, Druſo ſed pia turba ſuo.
Quorum aliquis tendens in te ſua brachia dixit,
  Cur ſine me, cur ſic incomitatus abis?
Quid referam de te, digniſſima conjuge Druſo,
  Atque eadem Druſi digna parente nurus?
Par bene compoſitum; juvenum fortiſſimus alter,
  Altera tam forti mutua cura viro.
Femina tu princeps; tu filia Cæſaris: illi
  Nec minor es magni conjuge viſa Jovis.
Tu conceſſus amor, tu ſolus & ultimus illi,
  Tu requies feſſo grata laboris eras.
Te moriens per verba noviſſima queſtus abeſſe,
  Et motat nomen frigida lingua tuum.
Infelix recipis, non quem promiſerat ipſe,
  Nec qui miſſus erat, nec tuus ille redit.
Nec tibi deletos poterit narrare Sicambros,
  Enſibus & Suevos terga dediſſe ſuis.
Fluminaque, & montes, & nomina magna locorum,
  Et quidquid miri vidit in orbe novo.
Frigidus ille tibi, corpuſque refertur inane,
  Quemque premat ſine te ſternitur ecce torus.
Quo raperis laniata comas: ſimiliſque furenti?
  Quo ruis? attonita quid petis ora manu?
Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axes
  Terruit admiſſos ſanguinolentus equos.
Hoc fuit Evadne, tunc cum ferienda coruſcis
  Fulminibus Capaneus impavida ora dedit.
Quid mortem tibi mœſta rogas? amplexaque natos
  Pignora de Druſo ſola relicta tenes?

Et

Et modo per ſomnos agitaris imagine falſa,
Teque tuo Druſum credis habere ſinu?
Et ſubito tentaſque manu, ſperaſque receptum;
Quæris & in vacui parte priore tori?
Ille pio (ſi non temere hæc creduntur) in arvo
Inter honoratos excipietur avos.
Magnaque maternis majoribus, æqua paternis
Gloria quadrijugis aureus ibit equis:
Regalique habitu, curruque ſuperbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.
Accipient juvenem Germanica ſigna ferentem
Conſulis imperio, conſpicuumque decus.
Gaudebuntque ſuæ merito cognomine gentis;
Quod ſolus domito victor ab hoſte tulit.
Vix credent tantum rerum cepiſſe tot annos.
Magna viri latum quærere facta locum.
Hæc ipſum ſublime ferent: hæc, optima mater,
Debuerant luctus attenuare tuos.
Femina digna illis, quos aurea condidit ætas,
Principibus natis, principe digna viro.
Quid deceat Druſi matrem, matremque Neronis,
Adſpice. quo ſurgas adſpice mane toro.
Non eadem vulguſque decent & lumina rerum.
Eſt quod præcipuum debeat iſta domus.
Impoſuit te alto Fortuna, locumque tueri
Juſſit honoratum, Livia: perfer onus.
Ad te oculos, aureſque trahis. tua facta notamus.
Nec vox miſſa poteſt principis ore tegi.
Alta mane; ſupraque tuos exſurge dolores:
Infragilemque animum, quod potes, uſque tene.
An melius per te virtutum exempla petemus,
Quam ſi Romanæ principis edis opus?
Fata manent omnes. omnes exſpectat avarus
Portitor: & turbæ vix ſatis una ratis.
Tendimus huc omnes: metam properamus ad unam.
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.
Ecce necem intentam cælo terræque fretoque
Caſurum triplex vaticinatur opus.
I nunc, & rebus tanta impendente ruina,
In te ſolam oculos & tua damna refer.
Maximus ille quidem juvenum, ſpes publica vixit;
Et, qua natus erat, gloria ſumma domus.
Sed mortalis erat: nec tu ſecura fuiſti,
Fortia progenie bella gerente tua.
Vita data eſt utenda: data eſt ſine fœnore nobis
Mutua, nec certa perſolvenda die.
Fortuna arbitriis tempus diſpenſat iniquis.
Illa rapit juvenes: ſuſtinet illa ſenes.
Quaque ruit, furibunda ruit: totumque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.
Regna Deæ immitis parce irritare querendo:
Sollicitare animos parce potentis heræ.
Quæ tamen hoc uno triſtis tibi tempore venit,
Sæpe eadem rebus favit amica tuis.
Nata quod en alte es, quod fœtibus aucta duobus;
Quodque etiam magno conſociata Jovi:
Quod ſemper domito redit tibi Cæſar ab orbe,
Geſſit & invicta proſpera bella manu:
Quod ſpes implerunt maternaque vota Nerones;
Quo pulſus toties hoſtis utroque duce.
Rhenus, & Alpinæ valles, & ſanguine nigro
Decolor infecta teſtis Isargus aqua:
Danubiuſque rapax, & Dacius orbe remoto
* Apulus huic hoſti per breve Pontus iter:
Armeniuſque fugax, & tandem Dalmata ſupplex,
Summaque diſperſi per juga Pannonii:

Et modo Germanus Romanis cognitus oris.
Adſpice quot meritis culpa ſit una minor.
Adde quod eſt abſens functus: nec cernere nati
Semineces oculos ſuſtinuere tui.
Quique dolor menti leniſſimus influit ægræ,
Accipere es luctus aure coacta tuos.
Prævertitque metus per longa pericula luctum;
Tu quibus auditis anxia mentis eras.
Non ex præcipiti dolor in tua pectora venit,
Sed per mollitos ante timore gradus.
Jupiter ante dedit fati mala ſigna cruenti,
Flammifera petiit cum tria templa manu:
(Junoniſque gravi nocte impavidæque Minervæ,
Sanctaque & immenſi Cæſaris icta domus.)
Sidera quin etiam cælo fugiſſe feruntur;
Lucifer & ſolitas deſtituiſſe vias.
Lucifer in toto nulli comparuit orbe,
Et venit ſtella non præeunte dies.
Sideris hoc obitus terris inſtare monebat,
Et mergi Stygia nobile lumen aqua.
At tu, qui ſuperes mœſtæ ſolatia matri,
Comprecor illi ipſi conſpiciare ſenex.
Perque annos diuturnus eas fratriſque tuoſque,
Et vivat nato cum ſene mater anus.
Eventura precor. Deus excuſare priora
Dum volet, a Druſo cætera læta dabit.
Tu tamen auſa potes tanto indulgere dolori:
Longius ut nolis, heu male fortis, ali. *
Vix etiam fueras paucas vitalis in horas,
Obtulit invitæ cum tibi Cæſar opem:
Admovitque preces, & jus immiſcuit illis:
Aridaque afluſa guttura tinxit aqua.
Nec minor eſt nato ſervandæ cura parentis:
Hic adhibet blandas, nec ſine jure, preces.
Conjugis & nati meritum pervenit ad omnes:
Conjugis & nati, Livia, ſoſpes ope es.
Supprime jam lacrimas. non eſt revocabilis iſtis,
Quem ſemel umbrifera navita lintre tulit.
Hectora tot fratres, tot deflevere ſorores;
Et pater, & conjux, Aſtyanaxque puer;
Et longæva parens. tamen ille redemtus ad ignes;
Nullaque per Stygias umbra renavit aquas.
Contigit hoc etiam Thetidi. populator Achilles
Iliaca ambuſtis oſſibus arva premit.
Illi cæruleum Panope matertera crinem
Solvit, & immenſas fletibus auxit aquas.
Conſorteſque Deæ centum, longævaque magni
Oceani conjux, Oceanuſque pater;
Et Thetis ante omnes: ſed nec Thetis ipſa, neque omnes
Mutarunt avidi triſtia jura Dei.
Priſca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit,
Et flevit populo Cæſar utrumque palam.
Sed rigidum jus eſt & inevitabile mortis.
Stant rata non ulla fila tenenda manu.
Ipſe tibi emiſſus nebuloſi littore Averni,
Si liceat, forti verba tot ore ſonet.
Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta ſenem faciunt: hæc numeranda tibi.
His ævum fuit implendum, non ſegnibus annis.
Hoſtibus eveniat longa ſenecta meis.
Hoc atavi monuere mei, proavique Nerones.
Fregerunt ambo Punica bella duces:
Hoc domus iſta docet, per te mea, Cæſaris alti.
Exitus hic, mater, debuit eſſe meus.
Nec meritis [quamquam illa juvant magis] abſuit illis,
Mater, honos. titulis nomina plena vides.
Conſul,

Conſul, & ignoti victor Germanicus orbis,
  (Qui fuit heu mortis publica cauſa !) legor.
Cingor Apollinea victricia tempora lauro,
  Et ſenſi exſequias funeris ipſe mei.
Decurſuſque virum notos mihi, donaque Regum,
  Cunctaque per titulos oppida lecta ſuos.
Et quo me officio portaverit illa juventus,
  Quæ fuit ante meum tam generoſa torum.
Denique laudari ſacrato Cæſaris ore
  Emerui, lacrimas elicuique Deo.
Et cuiquam miſerandus ero? jam comprime fletus.
  Hoc ego, qui flendi ſum tibi cauſa, rogo.
Hæc ſentit Druſus, ſi quid modo ſentit in umbra.
  Nec tu de tanto crede minora viro.
Eſt tibi, ſitque precor, multorum filius inſtar:
  Parſque tui partus ſit tibi ſalva prior.
Eſt conjux tutela hominum: quo ſoſpite veſtram,
  Livia, funeſtam dedecet eſſe domum.

EJUSDEM
IN MÆCENATIS OBITUM ELEGEIA.

DEfleram juvenis triſti modo carmine fata:
  Sunt etiam merito carmina danda ſeni.
Ut juvenis deflendus erat tam candidus, & tam
  Longius annoſo vivere dignus avo.
Irreligata ratis numquam defeſſa carina
  It, redit in vaſtos ſemper onuſta lacus.
Illa rapit juvenes prima florente juventa:
  Non oblita rapit ſed tamen illa ſenes.
Nec mihi Mæcenas tecum fuit uſus amici:
  Lollius hoc ergo conciliavit opus.
Fidus erat nobis nam propter Cæſaris arma,
  Cæſaris & ſimilem propter in arma fidem.
Regis eras genus Etruſci: tu Cæſaris almi
  Dextera, Romanæ tu vigil urbis eras.
Omnia cum poſſes tanto tam carus amico:
  Te ſenſit nemo poſſe nocere tamen.
Pallade cum docta Phœbus donaverat artes.
  Tu decus, & laudes hujus & hujus eras.
Vincit vulgares, vincit Beryllus arenas,
  Litore in extremo quas ſimul unda movet.
Quod diſcinctus eras animo quoque, carpitur unum:
  Diluitur nimia ſimplicitate tua.
Sic illi vixere, quibus fuit aurea virgo:
  Quæ bene præcinctos poſtmodo pulſa fugit.
Invide, quid tandem tunicæ nocuere ſolutæ?
  Aut tibi ventoſi quid nocuere ſinus?
Num minus urbis erat cuſtos, & Cæſaris hoſpes?
  Num tibi non tutas fecit in urbe vias?
Nocte ſub obſcura quis te ſpoliavit amantem?
  Quis tetigit ferro durior ipſe latus?
Majus erat potuiſſe tamen, nec velle triumphos:
  Major res, magnis abſtinuiſſe, fuit.
Maluit umbroſam quercum, Nymphaſque canentes,
  Paucaque pomoſi jugera certa ſoli.
Pieridas, Phœbumque colens in mollibus hortis,
  Sederat argutas garrulus inter aves.
Marmora Mæonii vincunt monumenta libelli:
  Vivitur ingenio: cætera mortis erunt.
Quid faceret? defunctus erat, comes impiger idem,
  Miles & Auguſti fortis, & uſque pius.
Illum piſcoſi viderunt ſaxa Pelori
  Ignibus hoſtilis reddere ligna ratis.
Pulvere in Emathio fortem videre Philippi.
  Quam tunc ille tener! quam gravis hoſtis erat!
Cum freta Niliacæ texerunt lata carinæ,
  Fortis erat circum, fortis & ante Ducem.
Militis Eoi fugientis terga ſecutus,
  Territus ad Nili dum fugit ille caput.
Pax erat, hæc illos laxarunt otia cultus.
  Omnia victores Marte ſedente decent.
Actius ipſe lyram plectro percuſſit eburno,
  Poſtquam victrices conticuere tubæ.
Hic modo miles erat, ne poſſet femina Romam
  Dotalem ſtupri turpis habere ſui.
Hic tela in profugos (tantum curvaverat arcum)
  Miſit ad extremos exorientis equos.
Bacche, coloratos poſtquam devicimus Indos,
  Potaſti galea dulce juvante merum.
Et tibi ſecuro tunicæ fluxere ſolutæ:
  Te puto purpureas tunc habuiſſe duas.
Sum memor, & certe memini ſic ducere thyrſos
  Brachia purpurea candidiora nive.
Et tibi thyrſus erat gemmis ornatus & auro:
  Serpentes hederæ vix habuere locum.
Argentata tuos etiam ſandalia talos
  Vinxerunt certe: nec, puto, Bacche negas.
Mollius es ſolito mecum tum multa locutus,
  Et tibi conſulto verba fuere nova.
Impiger Alcide multo defuncte labore,
  Sic memorant curas te poſuiſſe tuas.
Sic te cum tenera lætum luſiſſe puella
  Oblitum Nemeæ, jamque, Erymanthe, tui.
Ultra numquid erat? torſiſti pollice fuſos:
  Leniſti morſu lævia fila parum.
Percuſſit crebros te propter Lydia nodos.
  Te propter dura ſtamina rupta manu.
Lydia te tunicas juſſit laſciva fluentes
  Inter lanificas ducere ſæpe ſuas.
Clava toroſa tibi pariter cum pelle jacebat,
  Quam pede ſuſpenſo percutiebat Amor.
Quis fore credebat, premeret cum jam impiger infans
  Hydros ingentes vix capiente manu?
Cumve renaſcentem terret velociter Hydram?
  Frangeret immanes vel Diomedis equos?
Vel tribus adverſis communem fratribus alvum,
  Et ſex adverſas ſolus in arma manus?
Fudit Aloidas poſtquam dominator Olympi,
  Dicitur in nitidum procubuiſſe diem:
Atque aquilam miſiſſe ſuam, quæ quæreret, ecquis
  Poſſet amaturo vina referre Jovi:
Valle ſub Idæa dum te, formoſe ſacerdos,
  Invenit, & preſſo molliter ungue rapit.
Sic eſt: victor amet, victor potiatur in umbra,
  Victor odorata dormiat inque roſa.
Victorem victus metuat: metus imperet illi,
  Membra nec in ſtrata ſternere diſcat humo.
Tempora diſpenſant uſus, & tempora cultus:
  Hæc homines, pecudes, hæc moderantur aves.
Lux eſt, taurus arat: nox eſt, requieſcit, arator
  Liberat emerito fervida colla bovi.
Conglaciantur aquæ: ſcopulis ſe condit hirundo,
  Verberat egelidos garrula vere lacus.
Cæſar amicus erat: poterat vixiſſe ſolute,
  Cum jam Cæſar idem, quod cupiebat, erat:
Indulſit merito: non eſt temerarius ille.
  Vicimus: Auguſto judice dignus erat:
Argo ſaxa pavens poſtquam Scylleia legit,

Cyaneoſ-

Cyaneoſque metus jam religanda ratis:
Viſcera diſſecti mutavit in arietis agnum
Æetias, & ſuccis omne perita ſuis.
His te Mæcenas juveneſcere poſſe decebat.
Hæc utinam nobis Colchidos herba foret!
Redditur arboribus florens revirentibus ætas:
Ergo non homini, quod fuit ante, redit?
Vivaceſque magis cervos decet eſſe paventes,
Si quorum in torva cornua fronte rigent?
Vivere cornices multos dicuntur in annos:
Cur nos anguſta conditione ſumus?
Paſcitur Auroræ Tithonus nectare conjux:
Atque ita jam tremulo nulla ſenecta nocet,
Ut tibi vita foret ſemper medicamine ſacro,
Te vellem Auroræ complacuiſſe virum.
Illius aptus eras croceo recubare cubili:
Et modo puniceo rore levante torum:
Illius aptus eras roſeas adjungere bigas,
Tu dare purpurea lora regenda manu:
Tu mulcere jubam, cum jam torſiſſet habenas
Procedente die reſpicientis equi.
Quæſivere tori juvenem ſic Heſperon illum,
Quem nexum medio ſolvit in igne Venus.
Quem nunc in fuſcis placida ſub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.
Hic tibi Corycium, caſias hic donat olentes:
Hic e palmiferis balſama miſſa jugis.
Nunc pretium candoris habes: nunc redditus umbris,
Te ſumus obliti decubuiſſe ſenem.
Ter Pylium flevere ſui, ter Neſtora canum:
Dicebant tamen hunc non ſatis eſſe ſenem.
Neſtoris annoſi vixiſſes ſæcula, ſi me
Diſpenſata tibi ſtamina nente forent.
Nunc ego quid poſſum? tellus levis oſſa teneto,
Pendula librato pondus & ipſa tuum:
Semper ſerta tibi dabimus, tibi ſemper odores:
Non umquam ſitiens, florida ſemper eris.

VERBA SUPREMA MÆCENATIS.

SIc eſt Mæcenas fato veniente locutus,
Frigidus, & jam jam cum moriturus erat.
Mene, inquit, juvenis primævi Jupiter ante
Auguſtam Bruti non cecidiſſe fidem?
Pectore maturo fuerat puer, integer ævo,
Et magnum magni Cæſaris illud opus.
Diſcedo: vellemque prius. non omnia dixit,
Inciditque pudor, quæ prope dixit amor.
Sed manifeſtus erat moriens: quærebat amatæ
Conjugis amplexus, oſcula, verba, manus.
Si tamen hoc ſatis eſt, vixi te Cæſare amico:
Et morior, dixit, dum moriorque, ſatis.
Mollibus ex oculis aliquis tibi procidet humor,
Cum dicar ſubita voce fuiſſe tibi.
Hoc mihi contingat: jaceam tellure ſub æqua:
Nec tamen hoc ultra me potuiſſe velim.
Sed meminiſſe velim, vivam ſermonibus: illic
Semper ero: ſemper ſi meminiſſe voles.
Et docet, & certe vivam tibi ſemper amicus:
Nec tibi qui moritur, deſinit eſſe tuus.
Ipſe ego quidquid ero, cineres, interque favillas,
Tunc ego non potero non memor eſſe tui.
Exemplum vixi te propter molle beate:
Unus Mæcenas teque ego propter eram:
Arbiter ipſe fui: volui, quod contigit eſſe:
Pectus eram vere pectoris ipſe tui.
Vive diu mi care ſenex: pete ſidera ſero.
Eſt opus hoc terris: te quoque velle decet.
Et tibi ſuccreſcant juvenes bis Cæſare digni.
Et tradant porro Cæſaris uſque genus.
Sit ſecura tibi cum primum Livia conjux,
Expleat amiſſi munera rupta gener.
Cum Deus in terris Divis inſignis avitis,
Te Venus in patrio collocet alma ſinu.

EJUSDEM
DE NAVIGATIONE DRUSI GERMANICI, FRAGMENTUM
Ex Senecæ Suaſor. I.

JAmpridem poſt terga diem, ſolemque relictum,
Jampridem notis extorres fugimus oris
Per non conceſſas audaces ire tenebras,
Heſperii metas, extremaque litora mundi,
Nunc illum, pigris immania monſtra ſub undis
Qui ferat, Oceanum: qui ſævas undique Priſtes,
Æquoreoſque canes, ratibus conſurgere panſis.
Accumulat fragor ipſe metus: jam ſidere nullo
Navigia, & rapido deſertam flamine claſſem.
Seque feris tradunt per inertia fata marinis
Tam non felici laniandos ſorte relinqui.
Atque aliquis prora ſe dat ſublimis ab alta,
Aera pugnaci luctatus rumpere niſu.
Ut nihil erepto valuit dignoſcere mundo,
Obſtructo tales effundit pectore voces:
Quo ferimur? ruit ipſe dies, orbemque relictum
Ultima perpetuis claudit Natura tenebris.
Anne alio poſitas ultra ſub cardine gentes:
Atque alium libris intactum quærimus orbem?
Dii revocant, rerumque vetant cognoſcere finem
Mortales oculos: aliena quid æquora remis,
Et ſacras violamus aquas, Divumque quietas
Turbamus ſedes?

A. SABINI EPISTOLÆ TRES TRIBUS *OVIDII* EPISTOLIS RESPONDENTES.

Epistola Prima.

ULYSSES PENELOPÆ.

PErtulit ad miſerum tandem tua caſus Ulyſſem,
Penelope, chartis verba notata piis.
Agnovi caramque manum, gemmaſque fideles.
Solamen longis illa fuere malis.
Arguis ut lentum: mallem quoque forſitan eſſe;
Quam tibi quæque tuli dicere, quæque feram.
Non hoc objecit mihi Græcia: cum mea fictus
Detinuit patrio littore vela furor.
Sed thalamis nec velle tuis, nec poſſe carere:
Cauſaque fingendæ tu mihi mentis eras.
Nil tibi reſcribam curæ eſt, properemque venire.
Dum propero, adverſi vela tulere Noti.
Non me Troja tenet Graiis odioſa puellis;
Jam cinis, & tantum flebile Troja ſolum.
Deiphobuſque jacet, jacet Aſius, & jacet Hector:
Et quicumque tui cauſa timoris erat.
Evaſi & Thracum cæſo duce prælia Rheſo,
In mea captivis caſtra revectus equis:
Tutus & e media Phrygiæ Tritonidos arce
Fatalis palmæ pignora capta tuli.
Nec timui commiſſus equo; male ſedula quamvis
Clamabat vates, Urite Troes equum;
Urite, mendaci celantur robore Achivi:
Et Phrygas in miſeros ultima bella ferunt.
Perdiderat tumuli ſupremum munus Achilles:
Sed Thetidi eſt humeris redditus ille meis.
Nec laudem Danai tanto renuere labori:
Erepti pretium corporis arma tuli.
Quid refert? pelago ſunt obruta. non mihi claſſes,
Non ſocii ſuperant: omnia pontus habet.
Solus adhuc mecum, qui me tot caſibus unus
Duravit, patiens ad mala perſtat Amor.
Illum non avidis canibus Niſeia virgo
Fregit: non tumidis torta Charybdis aquis:
Non ferus Antiphates, nec in uno corpore diſſors
Parthenope, blandis inſidioſa modis.
Non quod Colchiacis Circe tentaverit herbis,
Non quod ſolennes altera Diva toros.
Utraque ſe nobis mortalia demere fila
Spondebat: Stygias utraque poſſe vias.
Te tamen hac etiam ſpreta mercede petivi,
Paſſurus terra tot mala, totque mari.
Sed tu femineo nunc forſan nomine tacta,
Non ſecura leges cætera verba mea.
Quæque mihi Circe, quæ ſit mihi cauſa Calypſo,
Jamdudum ignoto ſollicitere metu.
Certe ego cum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi;
Heu toto ſanguis corpore nullus erat!
Tot juvenes inter, tot vina licentia, ſemper
(Hei mihi! quo credam pignore?) caſta manes?
Curve placent ulli, ſi ſunt in fletibus ora,
Deperit & lacrimis non decor iſte tibi?
Pacta quoque es thalamo, niſi mendax tela moretur,
Et cœptum revoces callida ſemper opus.
Ars pia; ſed quoties oculos fruſtrabere lana,
Succeſſum toties ars dabit iſta tibi.
Ah melius, Polypheme, tuo ſuperatus in antro
Finiſſem ingratos ad mala tanta dies!
Threicio melius cecidiſſem milite victus,
Iſmaron errantes cum tenuere rates:
Crudelemve illo ſatiaſſem tempore Ditem,
Quo redii Stygiis fata moratus aquis.
Vidi ubi [nequidquam quod me tua littera celat]
Soſpes digreſſo quæ mihi mater erat.
Rettulit illa domus eadem mala: meque querentem
Fugit ab amplexu ter reſoluta meo.
Phyllaciden vidi. contemtis ſortibus ille
Primus in Hectoreas intulit arma domos.
Felix laudata cum conjuge! læta per umbras
Illa ſuum fortes it comitata virum.
Nec dum illi Lacheſis dictos numeraverat annos:
Sed juvat ante ſuum ſic cecidiſſe diem.
Vidi, nec lacrimas oculi tenuere cadentes,
Deformem Atriden [hei mihi!] cæde nova,
Illum Troja virum non læſerat: ille furentem
Nauplion, Euboicos tranſieratque ſinus.
Quid refert? animam per vulnera mille profudit,
Jam reduci ſolvens debita vota Jovi.
Tyndaris has illi læſo pro fœdere pœnas
Struxerat; externos ipſa ſecuta viros.
Ah! mihi quid prodeſt (captivas Teucridas inter
Dum ſtaret conjux Hectoris atque ſoror)
Defectis Hecuben potius legiſſe ſub annis,
Ne tibi ſuſpectus pellicis eſſet amor?
Prima meis omen metuendum puppibus illa
Fecit, non membris ipſa reperta ſuis.
Latratu miſeras finivit mœſta querelas;
Et ſtetit in rabidam protinus acta canem.
Prodigio tali placidum Thetis abſtulit æquor,
Æolus infuſis incubuitque Notis.
Pervagus hinc toto non felix differor orbe;
Et, quocumque vocat fluctus & aura, feror.
Sed ſi Tireſias tam læti providus augur,
Quam verax vates in mala noſtra fuit;
Et terra & pelago, quidquid mihi triſte canebat,
Emenſus fato jam meliore vagor.
Jam mihi neſcio quo comitem ſe in littore jungit
Pallas, & hoſpitibus per loca tuta trahit.
Nunc primum Pallas verſæ poſt funera Trojæ
Viſa mihi: medium temporis ira tulit.

Quidquid Oilides commiſerat, omnibus unus
Peccavit: Danais omnibus ira nocens.
Nec te, Tydide, cujus modo foverat arma,
Eximit: errato tu quoque ab orbe venis.
Non Telamone ſatum capta de conjuge Teucrum:
Non ipſum, pro quo mille fuere rates.
Felix Pliſtenide, quacunque in ſorte fuiſti
Conjuge cum cara: non gravis illa fuit.
Seu venti fecere moras, ſive æquora vobis;
Ad nulla eſt veſter damna retentus amor.
Oſcula nec venti certe tenuere, nec undæ:
Promtaque in amplexus brachia ſemper erant.
Sic utinam errarem! faceres tu mollia, conjux,
Æquora: te ſocia nil mihi triſte foret.
Nunc quoque, Telemacho tecum mihi ſoſpite lecto,
Omnia ſunt animo jam leviora mala.
Quem tamen infeſtas rurſus queror ire per undas,
Herculeam Sparten, Neſtoreamque Pylon.
Ingrata eſt pietas, cui tanta pericula ſubſunt:
Nam male commiſſus fluctibus ipſe fuit.
Sed labor in fine eſt. occurſum in litore vates
Dixit. in amplexus, care, ferere tuos.
Noſcendus ſoli veniam tibi. tu preme ſolers
Lætitiam, & tacito gaudia corde ſinu.
Non vi certandum, nec aperta in bella ruendum.
Sic cecinit laurus ille monere ſuas.
Forſitan ante dapes, interque vacantia vina,
Ultoris pharetris utile tempus erit.
Et modo deſpectum ſubito mirentur Ulyſſem.
Heu precor, ut properet ille venire dies!
Antiqui renovet qui lætus fœdera lecti:
Et tandem incipias conjuge cara frui.

EPISTOLA II.

DEMOPHOON PHYLLIDI.

Phyllidi Demophoon patria dimittit ab urbe:
Et patriam meminit muneris eſſe tui.
Nec face Demophoon alia, nec conjuge captus,
Sed tam non felix, quam tibi notus erat.
Theſea, (quo ſocero nequidquam, Phylli, tumebas;
Impuleritque ignes forſitan ille tuos)
Turpe pati nobis, regno ferus expulit hoſpes:
Hunc illi finem longa ſenecta dedit.
Qui modo peltiferas fudit Mæotidas armis,
Alcidæ magni, non minus ipſe, comes.
Qui ſocerum Minoa gravi ſibi fecit ab hoſte,
Mirantem monſtri cornua victa ſui.
Arguor exilii (quis credat?) cauſa fuiſſe:
Nec tacitum frater me ſinit eſſe reum:
Dum thalamos, inquit, dilectæ Phyllidos urges,
Et tuus externo ceſſat in igne furor;
Fluxere interea pede tempora lapſa fugaci;
Prævenitque tuas flebilis hora moras.
Forſitan aut nondum fractis occurrere rebus,
Aut poteras fractis utilis eſſe tamen.
Cur potiora tibi Rhodopeia regna fuere,
Quæque magis regnis cara puella fuit?
Intonat his Acamas: eadem mox objicit Æthra;
Infelix functæ jam prope ſortis anus.
Et quod non condant nati ſua lumina palmæ,
Feciſſe hæc noſtras arguit uſque moras.
Non equidem inficior: multum clamavit uterque;
Staret Threiciis cum mihi puppis aquis.
Poſcunt, Demophoon, [quid ceſſas?] carbaſa venti:
Demophoon patrios reſpice dure Deos.
Reſpice: & exemplum, qua gaudes, Phyllida ſume.
Sic amat, ut terra nolit abire ſua.
Utque redire velis, non ut comitetur euntem,
Te rogat: & præfert barbara regna tuis.
Me tamen hæc inter tacitum convicia ſæpe
Adverſis memini vota tuliſſe Notis.
Sæpe abitura tuo ponentem brachia collo,
Gaviſum in fluctus æquora mota truces.
Nec metuam hoc ipſo coram genitore fateri:
Libertas meritis eſt mihi facta tuis.
Dicere, non duro dilectam Phyllida liqui
Pectore: nec præceps vela ferenda dedi.
Et flevi; & flentem ſolando ſæpe, remanſi,
Cum ſtaret curſus jam mihi certa dies.
Denique Threicia veni rate. non dare Phyllis
Quam potuit, juſſit tardius ire ratem.
Ignoſce & faſſo: memor es Minoidos ipſe.
Antiquus necdum pectore ceſſit amor.
Et quoties oculis circumdat ſidera, dixit,
Quæ fulget cælo, noſtra puella fuit.
Illum dilecta Bacchus ſibi cedere juſſit
Conjuge: deſertæ crimen at ille ſubit.
Exemploque patris perjurus dicor & ipſe:
Nec quæris cauſas, Sithoni dura, moræ:
Nec ſatis ampla putas redituri pignora, ſi me
Non amor alterius, non amor ullus habet.
Nullane fama tibi turbatos, Phylli, penates
Theſeos, & miſeræ rettulit acta domus?
Non laqueos audis cari me flere parentis?
Flebilior laqueis [hei mihi!] cauſa ſubeſt.
Non fratrem Hippolytum: cecidit miſerabilis ille
Præceps attonitis per freta raptus equis.
Non tamen excuſo reditus. licet undique fata
Accumulent cauſas, tempora parva peto.
Theſea, quod ſupereſt, patrem tumulabimus ante:
Succedat tumulo non ſine honore decens.
Da ſpatium veniamque, peto: non perfidus abſum:
Nec mihi jam terra tutior ulla tua eſt.
Quidquid mite fuit poſt diruta Pergama, quidquid
Aut bella, aut pelagi detinuere moræ;
Sola fuit Thrace. patria quoque jactor in illa:
Auxilium ſuperes caſibus una meis.
Si modo mens eadem. nec quod ſit jam mihi dives
Regia, Cecropia non minor arce, movet:
Nec patris offendunt caſus, nec crimina matris;
Nec jam non felix omine Demophoon.
Quid ſi Phœbeam peterem te conjuge Trojam,
Perque annos ſequerer bella gerenda decem?
Penelopen audis: toto laudatur in orbe
Exemplum fidi non leve facta tori.
Illa piæ [ſic rumor ait] mendacia telæ
Struxit, & inſtantes diſtulit arte procos:
Cum properata palam revocaret ſtamina noctis,
Atque iterum in lanas omne rediret opus.
At tua ne fugiant ſpreti connubia Thraces,
Phylli, times, ulli nubere, dura, potes?
Eſtque tibi pectus cujuſquam accedere tædæ?
Obſtat perfidiæ nec metus iſte tuæ?
Ah tibi quantus erit facti rubor! ah tibi quantus
Tum dolor, aſpicies cum mea vela procul!
Damnabiſque tuos ſero temeraria queſtus!
Demophoon, dices, hei mihi, fidus erat!

Demo-

Demophoon rediit, & ſævos forſitan Euros
Paſſus, & hybernas dum quoque currit aquas.
Ah cur neſcio quam properavimus (hei mihi!) culpam?
Rupi, quam ruptam ſum mihi queſta, fidem.
Sic tamen ah potius, ſic perſtes; quam mihi de te
Ulterior tangat pectora, Phylli, dolor!
Quos tibi [me miſerum!] laqueos, quæ fata minaris?
Et nimis audaces gens habet iſta Deos.
Parce, precor: famamque domus mihi crimen habentis
Perfidiæ, gemina ne preme, dura, nota.
Excuſet patrem fatis in parte relicta
Gnoſſis: non merui, cur ferar ipſe nocens.
Nunc venti mea verba ferant, qui vela tulerunt.
Eſt animus reditus: ſed pia cauſa tenet.

EPISTOLA III.

PARIS OENONÆ.

QUæ ſatis apta tibi tam juſte, Nympha, querenti
Reſcribam, fateor quærere verba manum.
Quærit, nec ſubeunt. ſentit ſua crimina tantum:
Solvere, quæ ſentit, non finit alter amor.
Si levat hic iras, ipſo me judice damnor.
Quid refert? cauſa tu meliore cales.
Damnatumque tibi me ſub ſua jura Cupido
Retrahit. alterius ſic quoque præda ſumus.
Prima meis tu pacta toris: faſſuſque juventam
Te primum accepta eſt conjuge noſter amor.
Nondum tantus eram. quo me genitore ſuperbum
Arguis; hoc dominus tunc retinendus eram:
Non ego Deiphobum ſperabam, aut Hectora fratrem,
Cum paſtos agerem te comitante greges:
Reginamque Hecuben niſi matris nomine noram:
Et fueras illi digna manere nurus.
Sed non eſt rationis amor. te conſule, Nympha.
Læſa es: ſed læſam ſcribis amare tamen.
Cumque petant Satyri connubia, cum tua Panes:
Rejectæ memor es tu tamen uſque facis.
Adde, quod hic fatis amor eſt adjutus, & illum
Præſcia venturi viderat ante ſoror.
Nondum Tyndaridos nomen mihi ſederat aure,
Nec cecinit Grajos illa vocare viros.
Omnia vera vides. ſuperant mea vulnera tantum,
Utque tuam ſupplex poſcere cogar opem.
Te penes arbitrium noſtræ vitæque neciſque:
Victuri jam nunc pectora ſume tibi.
Flevisti, memini, tamen hac in voce canentis:
Et, Mala, dixiſti, ſint precor iſta procul.
Nec ſic fata ferant, tulerint ſic cætera quamvis,
Ut poſſim Oenone perdere læſa Parin.
Tot ſuperare metus, qui me, nec credere cogit,
[Ignoſcas] idem te quoque fallit Amor.
Imperat ille Deis: cum vult, in cornua tauri,
Cum vult, in pennas deſtruit ille Jovem.
Non foret in terris tanto miranda decore
Tyndaris; [heu flammis nata puella meis!]
Si ſua non cycno mutaſſet Jupiter ora.
Fluxerat in Danaes aureus ante ſinus:
Piniferamque Iden falſus luſtraverat ales:
Inter Agenoreas conſtiteratque boves.
Victorem Alciden dominæ quis penſa tenere
Crederet? at lana nere coegit Amor.
Dicitur & Coæ ſediſſe in veſte puellæ.
Illa Cleonæo tecta leone fuit.
Te memini Phœbum, Oenone, [mea crimina dico]
Fugiſſe, & noſtros præpoſuiſſe toros.
Non ego præſtabam Phœbo: ſed tela Cupido
His in te voluit legibus ire ſua.
Conſolare tamen digna tua pellice damna:
Quam tibi prætulimus, nata puella Jove eſt.
Sed quod nata Jove eſt, minimum me tangit in illa:
Quod non eſt facies pulcrior ulla, nocet.
Atque utinam formæ judex incallidus eſſem
Creditus Idæis, Pegaſi Nympha, jugis!
Non mihi Junonis, nec obeſſet Pallados ira;
Laudata eſt oculis quod Cytherea meis.
Dividit hæc aliis flammas celereſque pareſque:
Ut libitum eſt, nati temperat ipſa faces.
Non tamen evaluit vitare domeſtica tela.
Quos aliis arcus & ſibi dura tulit.
Deprenſam conjux illam in Mavorte dolebat.
Teſtibus hic Divis cum Jove queſtus erat.
Jam dolet & Mavors, terras ultroque reliquit;
Prætulit Anchiſen huic habitura ſuum.
Anchiſen propter voluit formoſa videri:
Viſaque poſt latam jacuit ulta Deam.
Quid mirum eſt potuiſſe Parin ſuccumbere Amori,
Immunis ſub quo non fuit ipſa Parens?
Quam læſus Menelaus amat, non læſus amavi.
Adjice, non læſo quod comes ipſa fuit.
Et magnos [video] cogit mihi rapta tumultus:
Armatæque petunt Pergama mille rates.
Non vereor belli ne non ſit cauſa probanda;
Eſt illi facies digna movere duces:
Si mihi nulla fides; armatos reſpice Atridas.
Quam ſibi ſic repetunt, ſic metuenda mihi eſt.
Quod ſi vertendæ ſpem mentis concipis hujus:
Cur ceſſant herbæ, carmina curve tua?
Nam te nec Phœbi ſolertior artibus ulla eſt;
Phœbeæque Hecates ſomnia vera vides.
Te cum ſideribus, te cum deducere Lunam
Nubibus, & memini ſurripuiſſe diem.
Paſcebam tauros: interque armenta leones
Obſtupui placidos vocibus ire tuis.
Quid retro Xanthum, retro Simoenta vocatum
Adjiciam curſus non tenuiſſe ſuos?
Ipſe pater Cebren, natæ male tutus ab ore,
Cantatas quoties reſtitit inter aquas.
Nunc locus Oenonæ eſt, nunc illam oſtende: parabis
Sive tuos ignes pellere, ſive meos.

GRATII FALISCI
CYNEGETICON
L I B E R.

DOna cano Divum, lætas venantibus artes,
Auſpicio, Diana, tuo. Prius omnis in armis
Spes fuit, & nuda ſilvas virtute movebant
Inconſulti homines; vitaque erat error in omni.
Poſt alia propiore via, meliuſque profecti,
Te ſociam, Ratio, rebus ſumpſere gerendis.
Hinc omne auxilium vitæ, rectuſque reluxit
Ordo: & contiguas didicere ex artibus artes
Proferre. hinc demens cecidit violentia retro.
Sed primum auſpicium Deus artibus, altaque circum
Firmamenta dedit. tum partes quiſque ſecutus
Exegere ſuas, tetigitque induſtria finem.
Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Qua primam quærebat opem, dignata repertis
Protegere auxiliis, orbemque hac ſolvere noxa.
Aſcivere tuo comites ſub nomine Divæ,
Centum omnes nemorum, centum de fontibus omnes
Najades, & Latii cultor qui Faunus amœni;
Mænaliuſque puer; domitrixque Idæa leonum
Mater, & inculto Sylvanus termite gaudens.
His ego præſidibus noſtram defendere ſortem
Contra mille feras, & non ſine carmine, niſus,
Carmine & arma dabo venanti, & perſequar artem
Armorum; caſſeſque, plagarumque ordiar aſtus.
Prima jubent tenui naſcentem jungere filo
Limbum, & quadruplices tormento aſtringere limbos.
Illa operum patiens, illa uſus linea longi.
Tunc ipſum medio caſſem qui naſcitur ore,
Per ſenos circum uſque ſinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo, ſi quiſquam eſt plurimus, hoſtem.
Et bis vicenos ſpatium prætendere paſſus
Rete velim, pleniſque decem conſurgere nodis.
Ingrati majora ſinus impendia ſument.
Optima Cinyphiæ, ne quid cunctere, paludes
Lina dabunt. bonus Æolia de valle Sibyllæ
Fœtus, & aprico Tuſcorum ſtupea campo
Meſſis, contiguum ſorbens de flumine rorem;
Qua cultor Latii per opaca ſilentia Tibris
Labitur, inque ſinus magno venit ore marinos.
At contra noſtris imbellia lina Faliſcis:
Hiſpanæque alio ſpectantur Sætabis uſu.
Vix operata ſuo ſacra ad Bubaſtia lino
Velatur ſonipes æſtivi turba Canopi.
Ipſe in materia damnoſus candor inerti
Oſtendit longe fraudem, atque exterruit hoſtes.
At vero per rigui cuſtos Alabandicus horti
Cinnabius nutrit ſilvas, quam commoda noſtro
Armamenta operi: gravis eſt tutela ſed illis.
Tu licet Hæmonios includas retibus urſos,
Tantum, ne ſubeat vitiorum peſſimus humor,
Ante cave: non eſt humentibus uſus in armis,
Nulla fides: ergo, (ſeu preſſa flumina valle,
Inter opus, clauſæque malum fecere paludes:
Sive improviſus cœlo perfuderit imber)
Illa vel ad flatus Helices oppande ſerenæ;
Vel caligineo laxanda reponito fumo.
Idcirco & primas linorum tangere meſſes
Ante vetant, quam maturis accenderit annus
Ignibus, & claro Plejas ſe prompſerit ortu.
Imbiberit, tanto reſpondet longius uſu,
(Magnum opus) & tangi, niſi cura vincitur, impar.
Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum
Semideos, illi aggeribus tentare ſuperbis,
Ire freta, & matres auſi tractare Deorum,
Quam magna mercede meo ſine munere ſilvas
Impulerint? flet adhuc, & porro flebit Adonin
Victa Venus, ceciditque ſuis Ancæus in arvis,
Ut prædexter erat, geminiſque ſecuribus ingens.
Ipſe Deus, cultorque feri Tirynthius orbis,
Quem mare, quem tellus, quem præceps janua Ditis
Omnia tentantem, qua laus erat obvia, paſſi,
Hinc decus, & famæ primus patravit honorem.
Exige, ſiqua meis reſpondet ab artibus ergo
Gratia, quæ vires fallat collata ferinas.
Sunt, quibus immundo decerptæ vulture plumæ
Inſtrumentum operis fuit, & non parva facultas.
Tantum inter nivei jungantur vellera cygni,
Et ſatis armorum eſt. hæc clara luce coruſcant
Terribiles ſpecies: ab vulture dirus avaro
Turbat odor ſilvas: meliuſque alterna valet res.
Sed quam clara tuis & pinguis pluma ſub armis,
Tam mollis tactu, & non ſit creberrima nexu:
Ne reprehenſa ſuis properantem linea pinnis
Implicet, atque ipſo mendoſa coarguat uſu.
Hic magis in cervos valuit metus. aſt ubi lentæ
Interdum Libyco fucantur ſandyce pinnæ,
Lineaque extructis lucent anconibus arma:
Rarum, ſiqua metus eludat bellua falſos.
Nam fuit & laqueis aliquis curracibus uſus:
Cervino juſſere magis contexere nervo;
Fraus tegat inſidias, habitu mentita ferino.
Quid qui dentatas iligno robore clauſit
Venator pedicas? cum diſſimulantibus armis
Sæpe habet imprudens alieni lucra laboris.
O felix, tantis quem primum Induſtria rebus
Prodidit auctorem! Deus ille, an proxima Divos
Mens fuit, in cæcas aciem quæ magna tenebras
Egit, & ignarum perfudit lumine Vulgus?
Dic age, Pierio, (fas eſt) Diana, miniſtro.
Arcadium ſtat fama ſenem, quem Mænalus alter

Et Lacedæmoniæ primum vidiſtis Amyclæ
Per non aſſuetas metantem retia valles,
Dercylon. haud illo quiſquam ſe juſtior egit,
Aut fuit in terris divum obſervantior alter.
Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,
Auctoremque operi dignata inſcribere magno,
Juſſit adire ſuas, & pandere gentibus artes.
Ille etiam valido primus venabula dente
Induit, & proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus. tum ſtricta verutis
Dentibus & geminas ſubiere haſtilia furcas.
Et quidam totos clauſerunt enſibus orbes,
Ne ceſſaret iners in vulnere maſſa ferino.
Blandimenta vagæ fugies novitatis; ibidem
Exiguo nimiove nocent. ſed lubricus errat
Mos, & ab expertis feſtinant uſibus omnes.
Quid, Macetum immenſos libeat ſi dicere contos,
Quam longa exigui ſpicant haſtilia dentes?
Aut contra ut tenero deſtrictas cortice virgas
Prægravat ingenti pernix Lucania cultro?
Omnia tela modi melius finxere ſalubres.
Quocirca & jaculis habilem perpendimus uſum,
Neu leve vulnus eat, neu ſit brevis impetus illi.
Ipſa arcu Lyciaque ſuas Diana pharetra
Armavit comites; nec tela relinquite Divæ,
Magnum opus & volucres quondam fecere ſagittæ.
Diſce agedum & validis delectum haſtilibus omnem.
Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri
Cornus, & umbroſæ Veneris per littora Myrtus,
Taxique, pinuſque, Altinateſque geniſtæ,
Et magis incomptus operæ Lutoſer agreſtis *
Termes, ab eois deſcendet virga Sabæis,
Mater odorati multum pulcherrima thuris.
Illa ſuos uſus, intractatumque decorem
[Sic nemorum juſſere Deæ] natalibus haurit
Arbitriis. at enim multo ſunt ficta labore
Cætera, quæ ſilvis errant haſtilia noſtris.
Numquam ſponte ſua procerus ad aera termes
Exiit, inque ipſa curvantur ſtirpe geniſtæ.
Ergo age luxuriam primo, fœtuſque nocentes
Detrahe: frondoſas gravat indulgentia ſilvas.
Poſt ubi proceris generoſa ſtirpibus arbor
Se dederit, tereteſque ferent ad ſidera virgæ;
Stringe notas circum, & gemmantes exige verſus.
His, ſiquis vitium nociturus ſufficit humor,
Ulceribus fluet, & venas durabit inertes.
In quinos ſublata pedes haſtilia plena
Cæde manu, dum pomiferis advertitur Annus
Frondibus, & tepidos Autumnus continet imbres.
Sed cur exiguis tantos in partibus orbes
Luſtramus? prima illa canum: non ulla per artes
Cura prior, ſive indomitos vehementior hoſtes
Nudo Marte premas, ſeu bellum ex arte miniſtres.
Mille canum patriæ, ductique ab origine mores
Cuique ſua. magna indocilis dat prælia Medus,
Magnaque diverſos extollit gloria Celtas.
Arma negant contra, Martemque odere Geloni,
Sed natura ſagax: Perſes in utroque paratus.
Sunt, qui Seras alunt, genus intractabilis iræ.
At contra faciles, magnique Lycaones armis.
Sed non Hyrcanæ ſatis eſt vehementia genti
Tanta: ſuis petiere ultro fera ſemina ſilvis.
Dat Venus acceſſus, & blando fœdere jungit.
Tunc & manſuetis tuto ferus errat adulter
In ſtabulis, ultroque gravis ſuccedere tigrim
Auſa canis, majore tulit de ſanguine fœtum.
Sed præceps virtus ipſa venabitur aula.
Ille tibi & pecudum multo cum ſanguine creſcet:
Paſce tamen, quæcumque domi ſibi crimina fecit,
Excutiet ſilva magnus pugnator adepta.
At fugit adverſos idem, quos repperit, hoſtes
Umber. quanta fides, utinam, & ſolertia naris,
Tanta foret virtus, & tantum vellet in armis!
Quid freta ſi Morinum, dubio refluentia ponto,
Veneris, atque ipſos libeat penetrare Britannos?
O quanta eſt merces, & quantum impendia ſupra!
Si non ad ſpeciem mentituroſque decores
Protinus: hæc una eſt catulis jactura Britannis.
Ad magnum cum venit opus, promendaque virtus,
Et vocat extremo præceps diſcrimine Mavors;
Non tunc egregios tantum admirere Moloſſos.
Comparat his verſuta ſuas Athamania fraudes,
Epiruſque Pheræque & clandeſtinus Acarnan.
Sicut Acarnanes ſubierunt prælia furto,
Sic canis illa ſuos taciturna ſupervenit hoſtes.
At clangore citat, quos nondum conſpicit, apros
Ætola quæcumque canis de ſtirpe, [malignum
Officium] ſive illa metus convicia rupit,
Seu fruſtra nimius properat furor; & tamen illud
Ne vanum totas genus aſpernere per artes,
Mirum quam celeres, & quantum nare merentur:
Tum non eſt victi cui conceſſere labori.
Idcirco variis miſcebo gentibus uſum.
Quondam inconſultis mater dabit Umbrica Gallis
Senſum agilem, traxere animos de patre Gelonæ
Hyrcano, & vanæ tantum Calydonia linguæ
Exibit vitium patre emendata Moloſſo.
Scilicet ex omni florem virtute capeſſunt,
Et ſequitur natura favens; at te leve ſi qua
Tangit opus, pavidoſque juvat compellere dorcas,
Aut verſuta ſequi leporis veſtigia parvi:
Petronios [ſcit fama] canes, volucreſque Sicambros,
Et pictam macula Vertraham delige falſa.
Ocyor affectu mentis, pinnaque cucurrit;
Sed premit inventas, non inventura latentes
Illa feras; quæ Petroniis bene gloria conſtat.
Quod ſi maturo preſſantes gaudia luſu
Diſſimulare feras, tacitique accedere poſſent:
Illis omne decus, quod nunc, Metagontes, habetis,
Conſtaret ſilvis: ſed virtus irrita damno eſt.
At veſtrum non vile genus, non patria vulgo,
Sparta ſuos & Creta ſuos promittit alumnos.
Sed primum celſa lorum cervice ferentem,
Glympice, te ſilvis egit Bœotius Hagnon,
Hagnon Aſtylides, Hagnon, quem plurima ſemper
Gratia per noſtros unum teſtabitur uſus.
Hic trepidas artes & vix novitate ſedentes
Vidit, qua propior patuit via: nec ſibi turbam
Contraxit comitem, nec vaſa tenentia longe.
Unus præſidium atque operi ſpes magna petito
Adſumptus Metagon luſtrat per nota ferarum
Paſcua, per fontes, per quas trivere latebras,
Primæ lucis opus: tum ſigna vapore ferino
Intemerata legens, ſi qua eſt qua fallitur ejus
Turba loci, majore ſecat ſpatia extera gyro.
Atque hic egreſſu jam tum ſine fraude reperto
Incubuit, ſpatiis qualis permiſſa Lechæis
Theſſalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, & primæ ſpes ambitioſa coronæ.
Sed nequa ex nimio redeat jactura favore,
Lex dicta officiis: ne voce laceſſeret hoſtem,
Neve levem prædam, aut propioris pignora lucri

Amplec

A[illegible], primos nequidquam effunderet actus.
Jam vero impenſum melior fortuna laborem
Cum ſequitur, juxtaque domus quæſita ferarum;
Ut ſciat, occultos & ſignis arguat hoſtes:
Aut effecta levi teſtatur gaudia cauda,
Aut ipſa infodiens uncis veſtigia plantis
Mandit humum, celſaſve adprenſat naribus auras:
Et tamen ut ne prima ardentem pignora fallant,
Circa [illegible]em, aſpretis medius qua clauditur orbis,
Ferre pedem, acceſſusque abitusque notare ferarum
Admonet; & ſi forte loci ſpes prima feſellit,
(Rarum opus) meditabit ſpatiis ad proſpera verſis,
Intacto repetens prima ad veſtigia gyro.
Ergo ubi plena ſuo rediit victoria fine,
In partem prædæ veniat comes, & ſua norit
Præmia: ſic operi juvet inſerviſſe benigno.
Hæc ingens meritum eſt, hæc ultima palma tropæi,
Hagnon magne, tibi divum conceſſa favore.
Ergo ſemper eris, dum carmina, dumque manebunt
Silvarum dotes, atque arma Diania terris.
Hic & ſemiferam Thoum de ſanguine prolem
Finxit. non alio major ſua pectore virtus;
Seu norit voces, ſeu nudi ad pignora Martis.
Thoes commiſſos (clariſſima fama) leones
Et ſubiere aſtu, & parvis domuere lacertis.
Nam genus exiguum, & pudeat quam informe fateri
Vulpina ſpecie, tamen huc exacta voluntas.
At non eſt alius, quem tanta ad munia fœtus
Exercere velis, aut te ſua culpa refellat
Inter opus, quo ſera cadit prudentia damno.
Junge pares ergo, & majorum pignore ſigna
Fœturam, prodantque tibi Metagonta parentes,
Qui genuere ſua pecus hoc immane juventa.
Et primum expertos animi, quæ gratia prima eſt,
In Venerem jungunt: tum ſortis cura ſecundæ,
Ne renuat ſpecies, aut quæ detrectet honorem.
Sint celſi vultus, ſint hirtæ frontibus aures,
Os magnum, & patulis agitatos morſibus ignes
Spirent, aſtricti ſuccingant ilia ventres:
Cauda brevis, longumque latus, diſcretaque collo
Cæſaries, non pexa nimis, non frigoris illa
Impatiens: validis tum ſurgat pectus ab armis,
Quod magnos capiat motus, magniſque ſuperſit.
Effuge qui lata pandit veſtigia planta,
Mollis in officio. ſiccis ego dura lacertis
Crura velim, & ſolidos hæc in certamina calces.
Sed fruſtra longus properat labor, abdita ſi non
Altas in latebras, unique incluſa marito
Femina, nec patitur Veneris ſub tempore magnos
Illa, nec emeritæ ſervat faſtigia laudis.
Primi complexus, dulciſſima prima voluptas:
Hunc Veneri dedit impatiens natura furorem.
Si renuit cunctos, & mater adultera non eſt,
Da requiem gravidæ, ſolitoſque remitte labores,
Vix oneri ſuper illa ſuo. tum deinde monebo,
Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
Percenſere notis, jamque inde excernere parvos.
Signa dabunt ipſi. teneris vix artubus hæret
Ille tuos olim non defecturus honores:
Jamque illum impatiens æquæ vehementia ſortis
Extulit, affectat materna regna ſub alvo.
Ubera tota tenet, a tergo liber aperto,
Dum tepida indulget terris clementia mundi:
Verum ubi Caurino perſtrinxit frigore Veſper,
Ira jacet, turbaque potens operitur inerti.
Illius e manibus vires ſit cura futuras
Perpenſare, leves deducet pondere fratres:
Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.
Protinus & cultus alios, & debita fœtæ
Blandimenta feres, curaque ſequere merentem:
Illa perinde ſuos, ut erit delata, minores,
Ac longam præſtabit opem. tum denique fœtu
Cum deſunt, operis fregitque induſtria matres,
Tranſeat in catulos omnis tutela relictos.
Lacte novam pubem, facilique tuebere maza:
Nec luxu alios, avidæque impendia vitæ
Noſcant. hæc magno redit indulgentia damno.
Nec mirum: humanos non eſt magis altera ſenſus:
Tollit ſe ratio, & vitiis adeuntibus abſtat.
Hæc illa eſt, Pharios quæ fregit noxia reges,
Dum ſervata cavis potant Mareotica gemmis,
Nardiferumque metunt Gangem, vitiiſque miniſtrant.
Sic & Achæmenio cecidiſti, Lydia, Cyro:
Atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.
Scilicet ad ſummam nequid reſtaret habendum,
Tu quoque luxuriæ fictas dum colligis artes,
Et ſequeris demens alienam, Græcia, culpam,
O quantum & quoties decoris fruſtrata paterni!
At qualis noſtris, quam ſimplex menſa Camillis!
Qui tibi cultus erat poſt tot, Serrane, triumphos?
Ergo illi ex habitu, virtutiſque indole priſcæ
Impoſuere orbi Romam caput: actaque ab illis
Ad cœlum virtus, ſummoſque tetendit honores.
Scilicet exiguis magna ſub imagine rebus
Proſpicies, quæ ſit ratio, & quo fine regendæ.
Idcirco imperium catulis, unuſque Magiſter
Additur: ille dapes, pœnamque operamque miniſtrans
Temperet: hunc ſpectet ſilvas domitura juventus.
Nec vile arbitrium eſt: cuicumque hæc regna dicantur,
Ille tibi egregia juvenis de pube legendus,
Utrumque & prudens, & ſumptis impiger armis.
Quod nisi & acceſſus, & agendi tempora belli
Noverit, & ſocios tutabitur hoſte minores;
Aut cedent, aut illa tamen victoria damno eſt.
Ergo in opus vigila, factuſque ades omnibus armis;
Arma acuere viam. tegat imas faſcia ſuras.
Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo
Mantica, curta chlamys, canaque e Mæle galeri:
Ima Toletano præcingant ilia cultro:
Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det ſonitum, & curva rumpant non pervia falce.
Hæc tua militia eſt: quin & Mavortia bello
Vulnera & errantes per tot divortia morbos,
Cauſſaſque, affectuſque canum tua cura tueri eſt.
Stat fatum ſupra, totumque avidiſſimus orcus
Paſcitur, & nigris orbem circumſonat alis.
Scilicet ad magnum major ducenda laborem
Cura: nec expertos fallet Deus: hinc quoque noſſe
Eſt aliud, quod præſtat opus placabile numen.
Nec longe auxilium, licet alti vulneris ora
Abſtiterint, atroque cadant cum ſanguine fibræ;
Inde rape ex ipſo, qui vulnus fecerit hoſte,
Viroſam eluviem, lacerique per ulceris ora
Sparge manu, venas dum ſuccus comprimat acer.
Mortis enim patuere viæ. tum pura monebo
Circum labra ſequi, tenuique includere filo.
At ſi pernicies anguſto paſcitur ore,
Contra pande viam, fallenteſque argue cauſſas.
Morborum in vitio facilis medicina recenti.
Aut tactu impoſitis mulcent pecuaria palmis,
(Id ſatis) aut nigræ circum picis unguine ſignant.
Quod ſi deſtricto levis eſt in vulnere noxa,

Ipſe

Ipſe habet auxilium validæ natale ſalivæ.
Illa gravis labes; & cura eſt altior illis,
Cum vitium cauſſæ totis egere latentes
Corporibus, ſeraque aperitur noxia ſumma.
Inde emiſſa lues, & per contagia morbus
Venere in vulgus, juxtaque exercitus ingens
Æquali ſub labe ruit: nec viribus ullis
Aut merito venia eſt, aut ſpes exire precanti.
Quod ſive a Stygia lethum Proſerpina nocte
Extulit, & Furiis commiſſam ulciſcitur iram:
Seu vitium ex alto, ſpiratque vaporibus æther
Peſtiferis; ſeu terra ſuos populatur honores:
Fontem averte mali. trans altas ducere valles
Admoneo: latumque fuga ſuperabitis amnem.
Hoc primum effugium lethi. tum dicta valebunt
Auxilia, & noſtra quondam redit uſus ab arte.
Sed varii motus, nec in omnibus una poteſtas:
Diſce vices, &, quæ tutela eſt proxima, tenta.
Plurima per catulos rabies, invictaque tardis,
Præcipitat lethale malum: ſic tutius ergo
Anteire auxiliis, & primas vincere cauſas.
Namque ſubit, nodis qua lingua tenacibus hæret,
(Vermiculum dixere) mala atque incondita peſtis.
Ille, ubi ſalſa ſiti percepit viſcera longa,
Æſtivos vibrans accenſis febribus ignes,
Moliturque fugas, & ſedem ſpernit amatam.
Scilicet hoc motu, ſtimuliſque potentibus acti
In furias vertere canes. ergo inſita ferro
Jam teneris elementa mali cauſaſque recidunt.
Nec longa in facto medicina eſt ulcere: purum
Sparge ſalem, & tenui permulce vulnus olivo.
Ante relata ſuas quam nox bene compleat umbras:
Ecce aderit; factique oblitus vulneris ultro
Blanditur menſis, Cereremque efflagitat ore.
Quid priſcas artes, inventaque ſimplicis anni
Si referam? non illa metus ſolatia falſi
Tam longam traxere fidem. collaribus ergo
Sunt qui lucifugæ criſtas inducere Mælis
Juſſere, aut ſacris conſerta monilia conchis,
Et vivum lapidem, & circa Meliteſia nectunt
Curalia, & magicis adjutas cantibus herbas.
Ac ſic offectus, oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata Deorum.
At ſi deformi lacerum dulcedine corpus
Perſequitur ſcabies, longi via peſſima lethi;
In primo acceſſu triſtis medicina; ſed una
Pernicies redimenda anima, quæ prima ſequaci
Sparſa malo eſt, ne dira trahant contagia vulgi.
Quod ſi dat ſpatium clemens, & promovet ortu
Morbus, diſce vias, &, qua ſinit, artibus exi.
Tunc & odorato medicata bitumina viro,
Imponaſque pices, immundæque unguen amurcæ,
Miſcuit, & ſummam complectitur ignis in unam.
Inde lavant ægros. eſt ira coercita morbi
Laxatuſque rigor; quæ te ne cura timentem
Differat, & pluvias & Cauri frigora vitent:
Sic magis, & nudis incumbunt vallibus æſtus,
A vento, clarique faces ad ſolis, ut omne
Exudent vitium, ſubeatque latentibus ultro,
Quæ facta eſt medicina, vadis: nec non tamen illum
Spumoſi catulos mergentem litoris æſtu
Reſpicit, & facilis Pæan adjuvit in artes.
O rerum prudens quantam experientia vulgo
Materiem largita boni, ſi vincere curent
Deſidiam, & gratos agitando prendere fines!
Eſt in Trinacria ſpecus ingens rupe, cavique
Introrſum reditus. circum atræ mœnia ſilvæ
Alta premunt, ruptique ambuſtis faucibus amnes;
Vulcano condicta domus, quam ſubter eunti
Stagna ſedent, venis oleoque madentia vivo.
Huc defecta mala vidi pecuaria tabe
Sæpe trahi, victoſque malo graviore magiſtros.
Te primum, Vulcane, loci pacemque precamur,
Incola Sancte, tuam, des ipſis ultima rebus
Auxilia: &, meriti ſi nulla eſt noxia tanti,
Tot miſerere animas, liceatque attingere fontes,
Sancte, tuos. ter quiſque vocant, ter pinguia libant
Thura foco: ſtruitur ramis felicibus ara.
Hic dictu mirum, atque alias ignobile monſtrum
Adverſis ſpecubus, ruptoque e pectore montis
Venit, ovans auſtris & multo flumine flammæ.
Emicat ipſe, manu ramum pallente ſacerdos
Termiteum quatiens: procul hinc extorribus ire
Edico præſente Deo, præſentibus aris,
Queis ſcelus aut manibus ſumptum, aut in pectore motum (eſt,
Inclamat: cecidere animis trepidantia membra.
O quiſquis miſero fas umquam in ſupplice fregit,
Qui pretio fratrum, melioriſve auſus amici
Sollicitare caput, patrioſve laceſſere Divos;
Illum agat infandæ comes huc audacia culpæ:
Diſcet commiſſa quantum Deus ultor in ira
Pone ſequens valeat. ſed cui bona pectore mens eſt,
Obſequiturque Deo, Deus illam molliter aram
Lambit, & ipſe, ſuos ubi contigit ignis honores,
Deſugit ab ſacris, rurſumque reconditur antro.
Huic fas auxilium, & Vulcania tangere dona.
Nec mora, ſi medias exedit noxia fibras,
His lave præſidiis, affectaque corpora mulce,
Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, & ipſa
Artem aluit natura ſuam. quæ robore peſtis
Acrior? aut leto propior via? ſed tamen illi
Hinc venit auxilium valida vehementius ira.
Quod primam ſi fallet opem dimiſſa facultas,
At tu præcipitem, qua ſpes eſt proxima, labem
Adgredere. in ſubito ſubita eſt medicina tumultu.
Stringendæ nares, ſcindenda ligamina ferro
Armorum, geminaque cruor ducendus ab aure.
Hinc vitium, hinc illa eſt avidæ vehementia peſti.
Ilicet auxiliis feſſum ſolabere corpus:
Subſiduaſque fraces, defuſaque Maſſica priſco
Sparge cado. Liber tenues e pectore curas
Exiget, eſt morbo Liber medicina furenti.
Quid dicam tuſſis, quid mœſti damna veterni,
Aut incurvatæ ſi qua eſt tutela podagræ?
Mille tenent peſtes, curaque potentia major.
Mitte age; non opibus tanta eſt fiducia noſtris.
Mitte, Anime; ex alto ducendum numen Olympo,
Supplicibuſque vocanda ſacris tutela Deorum.
Idcirco aeriis molimur compita lucis,
Spicataſque faces ſacrum, ad nemora alta, Dianæ
Siſtimus, & ſolito catuli velantur honore;
Ipſaque per flores medio in diſcrimine luci
Stravere arma, ſacris & pace vacantia feſta.
Tum cadus, & viridi fumantia liba feretro
Præveniunt, teneraque extendens cornua fronte
Hœdus, & ad ramos etiamnum hærentia poma,
Luſtralis de more ſacri, quo tota juventus
Luſtraturque Deæ, proque anno reddit honorem.
Ergo impetrato reſpondet multa favore
Ad partes, qua poſcis opem: ſeu vincere ſilvas,
Seu tibi fatorum labes exire minaſque
Cura prior, tua magna fides tutelaque Virgo.

Reſtat

Reſtat equos finire notis, quos arma Dianæ
Admittant. non omne meas genus audet in artes.
Eſt vitium ex animo; ſunt quos imbellia fallant
Corpora, præveniens quondam eſt incommoda virtus.
Conſule, Penei qualis perfunditur amne
Theſſalus, aut patriæ quem conſpexere Mycenæ
Glaucum. nempe ingens, nempe ardua fundit in auras
Crura. quis Eleas potior luſtravit arenas?
Ne tamen hoc attingat opus; jactantior illi
Virtus, quam ſilvas, durumque laceſſere Martem.
Nec ſævos miratur equos terrena Syene.
Scilicet & Parthis inter ſua mollia rura
Manſit honor, veniant Caudini ſaxa Taburni,
Garganumve trucem, aut Ligurinas deſuper Alpes,
Ante opus excuſſis cadet unguibus, & tamen illi
Eſt animus, fingetque meas ſe juſſus in artes.
Sed juxta vitium poſuit Deus. at tibi contra
Callæcis luſtratur equis ſcrupoſa Pyrene.
Non tamen Hiſpano Martem tentare minacem
Auſim. Murcibii vix ora tenacia ferro
Concedunt. at tota levi *Naſamonia virga*
Fingit equos. Pilis Numidæ ſolvere *jugales*,
Audax & patiens operum genus. ille vigebit
Centum actus ſpatiis, atque eluctabitur iram.
Nec magni cultus: ſterilis quodcumque remiſit
Terra, fuit; tenueſque ſitim producere rivi.
Sic & Strymonio facilis tutela Biſaltæ;
Poſſent Ætnæas utinam ſe ferre per artes;
Qui ludus Siculis. quid tum, ſi turpia colla,
Aut tenuis dorſo curvatur ſpina? per illos
Cantatus Graiis Agragas, victæque fragoſum
Nebroden liquere feræ. o quantus in armis
Ille meis, cujus dociles pecuaria fœtus
Sufficient, queis Chaonias contendere contra
Auſit, vix merita quas ſignat Achaia palma.
Spadices vix Pellæi valuere Ceraurii,
Et tibi devotæ magnum Pecuaria Cyrrhæ,
Phœbe, decus, noſtras agere in ſacraria tenſas.
Venanti melius pugnat color: optima nigri
Crura illi, badioſque legunt *in pectore crines*,
Et quorum feſſas imitantur terga favillas.
O quantum Italiæ, ſic Dii voluere, parentes
Præſtant, & terras omni præcepimus uſu!
Noſtraque quam pernix illuſtrat prata *juventus*.

CORNELII SEVERI
ÆTNA.

Ætna mihi, ruptique cavis fornacibus ignes,
Et quæ tam fortes volvant incendia cauſæ:
Quod fremat imperium, quid raucos torqueat æſtus,
Carmen erit: dexter venias mihi carminis auctor:
Seu te Cynthos habet, ſeu Delos gratior illa,
Seu tibi Dodone potior, tecumque faventes
In nova Pierio properent a fonte ſorores.
Vota per inclitam Phœbo duce cautius itur.
Aurea ſecuri quis neſcit ſecula regis?
Cum domitis nemo Cererem jactaret in arvis,
Venturiſque malas prohiberet frugibus herbas;
Annua ſed ſaturæ complerent horrea meſſes,
Ipſe ſuo flueret Bacchus pede, mellaque lentis
Penderent foliis, & pingui Pallas oliva,
Secretos amnes ageret cum gratia ruris.
Non ceſſit cuiquam melius ſua tempora noſſe.
Ultima quis tacuit juvenum certamina Colchos?
Quis non Argolico deflevit Pergamon igni
Impoſitam, & triſtem gnatorum funere matrem,
Averſumve diem ſparſumve in ſemine dentem?
Quis non perjuræ doluit mendacia puppis,
Deſertam vacuo Minoida litore queſtus?
Quicquid in antiquum jactata eſt fabula carmen,
Fortius ignotas molimur pectore curas:
Quis tantos operi ſudores, quæ cauſa perennes
Explicet in denſum flammas, & trudat ab imo
Ingenti ſonitu moles, & proxima quæque
Ignibus irriguis urat: mens carminis hæc eſt.
Principio, ne quem capiat fallacia vatum,
Sedes eſſe Dei, timidiſque e faucibus ignem
Vulcani ruere, & clauſis reſonare cavernis
Feſtinantis opus. non eſt tam ſordida Divis
Cura, neque extremas jus eſt dimittere in artes
Sidera: ſubducto regnant ſublimia cælo
Illa, neque artificum curant tractare laborem.
Diſcrepat a prima facies hæc altera vatum.
Illis Cyclopas memorant fornacibus uſos,
Cum ſuper incudem numeroſa in verbera fortes,
Horrendum magno quaterent ſub pondere fulmen,
Armarentque Jovem. turpe eſt ſine pignore carmen.
Proxima vivaces Ætnæi verticis ignes
Impia ſollicitat Phlegræis fabula caſtris.
Tentavere, nefas, olim detrudere mundo
Sidera, captivique Jovis transferre Gigantes
Imperium, & victo leges imponere cælo.
His natura ſua eſt alvo tenus: ima per orbes
Squameus intortos ſinuat veſtigia ſerpens.
Conſtruitur magnis ad prœlia montibus agger:
Pelion Oſſa terit: ſummus premit Oſſan Olympus,
Jam coacervatas nituntur ſcandere moles:
Impius & miles metuentia cominus aſtra
Provocat infeſtus cunctos ad prœlia Divos.
Provocat e * admotis *
Juppiter e cælo metuit: dextramque coruſca
Armatus flamma removet caligine mundum.
Incurſant vaſto primum clamore Gigantes.
Hic magno tonat ore pater, geminatque faventes
Undique diſcordes comitum ſimul agmine ventos.
Denſa per attonitas funduntur fulmina nubes:
Quin & in arma ruit quæcumque potentia Divum:
Et Mars ſævus erat, jam cetera turba Deorum.
Stant utrimque metus. validos tum Jupiter ignes
Incre-

Increpat, & jacto proturbat fulmine montes.
Illinc devictæ verterunt terga ruinæ,
Infeſtæ Divis acies, atque impius hoſtis
Preceps cum caſtris agitur, materque jacentes
Impellens victos. tum pax eſt reddita mundo:
Tum Liber celſa venit per ſidera cæli.
Defenſique decus mundi nunc redditur aſtris.
Gurgite Trinacrio morientem Jupiter Ætna
Obruit Enceladum: vaſti qui pondere montis
Æſtuat, & patulis exſpirat faucibus ignes.
Hæc eſt mendoſæ vulgata licentia famæ.
Vatibus ingenium eſt: hinc audit nobile carmen,
Plurima pars ſcenæ, verum eſt fallacia. vates
Sub terris nigros viderunt carmine manes,
Atque inter cineres Ditis pallentia regna:
Mentiti vates Stygias undaſque caneſque.
Hi Tityon ſeptem ſtravere in jugera fœdum.
Sollicitant magna te circum, Tantale, pœna,
Sollicitantque Scinim. Minos, tuaque, Æace, in umbris
Jura canunt, iidemque rotant Ixionis orbem,
Quidquid & interius falſi ſibi conſcia terra eſt.
Non eſt terra ſatis. ſpeculantur numina Divum:
Nec metuunt oculos alieno admittere cælo.
Norunt bella Deum: norunt abſcondita nobis
Conjugia, & falſa quoties ſub imagine peccent.
Taurus in Europen, in Ledam candidus ales:
Jupiter ut Danae pretioſus fluxerit imber.
Debita carminibus libertas iſta: ſed omnis
In vero mihi cura. canam quo fervida motu
Æſtuet Ætna, novoſque rapax ſibi congerat ignes.
Quacumque immenſus terræ ſe porrigit orbis,
Extremique maris curvis incingitur undis:
Non totum eſt ſolidum. deſit namque omnis hiatu.
Secta eſt omnis humus penituſque cavata latebris,
Exiles ſuſpenſa vias agit, utque animantis
Per tota errantes percurrunt corpora venæ,
Ad vitam ſanguiſque omnis qua commeat idem,
Terra voraginibus conceptas digerit auras.
Scilicet aut olim diviſo corpore mundi
In maria, ac terras & ſidera, ſors data cœlo
Prima: ſecuta maris, deſeditque infima tellus:
Sed totis rimoſa cavis, & qualis acervus
Exilit imparibus jactis ex tempore ſaxis,
Ut crebro intorſus ſpatio vacuata corymbos
Pendeat in ſeſe: ſimili quoque terra figura
In tenues laxata vias, non omnis in arctum
Nec ſtipata coit. ſive illi cauſa vetuſta eſt,
Nec nata eſt facies: ſeu liber ſpiritus intra
Effugiens molitur iter, ſeu lympha perenni
Edit humum limo, furtimque obſtantia mollit.
Aut etiam incluſi ſolidum exedere vapores,
Atque igni quæſita via eſt, ſive omnia certis
Pugnavere locis, non eſt hic cauſa docendi,
Dum ſtet opus cauſæ. quis enim non credat inanes
Eſſe ſinus penitus, tantos emergere fontes
Cum videt, ac torrentem imo ſe emergere hiatu?
Non ille ex tenui, vocemque agat acta neceſſe eſt,
Cum fluit: errantes arceſſant undique & undas,
Et trahat ex pleno quod fontem contrahat amne.
Flumina quin etiam latis currentia rivis
Occaſus habuere ſuos: aut illa vorago
Direpta in præceps fatali condidit ore:
Aut occulta fluunt tectis adoperta cavernis:
Atque inopinatos referunt procul edita curſus.
Quod ſi diverſos emittat terra canales
Hoſpitium fluviorum: aut ſemita nulla profecto
Fontibus & rivis conſtet via; pigraque tellus
Conferta in ſolidum ſegnis ſub pondere ceſſet.
Quod ſi præcipiti conduntur flumina terræ,
Condita ſi redeunt, ſi qua ante incognita ſurgunt:
Haud mirum clauſis etiam ſi libera ventis
Spiramenta latent. certis tibi pignora rebus,
Atque oculis hæſura vias dabit ordine tellus.
Immenſos plerumque ſinus, & jugera peſſum
Intercepta leges, denſæque abſcondita nocti.
Proſpectare procul Chaos ac ſine fine ruinæ
Cernis, & in ſilvis ſpatioſa cubilia retro,
Antraque demiſſis pedibus fodiſſe latebris,
Incomperta via eſt operum: tantum influit intra.
Argumenta dabunt ignoti vera profundi.
Tu modo ſubtiles animo duce percipe curas,
Occultamque fidem manifeſtis adſtrue rebus.
Nam quo liberior, quoque eſt animoſior ignis,
Semper & incluſus, nec vectus ſævior ira eſt
Sub terra, penituſque movens: hoc plura neceſſe eſt
Vincla magis ſolvant, magis hoc obſtantia pellant.
Nec tamen in rigidos exit contenta canales
Vis animæ: flamma avertit qua proxima cedunt:
Obliquumque ſecat, qua viſa tenerrima cauſſa eſt.
Hinc terræ tremor, hinc motus, ubi denſus hiatu
Spiritus exagitat venas, ceſſantiaque urget.
Quod ſi ſpiſſa foret, ſolidoque inſtaret inani;
Nulla daret miranda ſui ſpectacula tellus:
Pigraque, & in pondus confeſtim mobilis eſſet.
Sed ſummis ſi forte putas concredere cauſſis
Tantum opus, & ſummis alimentum viribus oris,
Quæ valida in promptu cernis, validoſque receſſus,
Fallere: ſed nondum tibi certa hæc lumine recto.
Namque illud quodcumque vacat ſpecus omnis hiatu,
Et res introitu ſolvunt, adituque patenti
Converſæ languent vires, animoſque remittunt.
Quippe ubi continuat ventos, qua quique morantes
In vacuo deſint, ceſſat, tantumque profundi
Explicat errantes, & in ipſo limine tardat.
Anguſtis opus eſt turbare in faucibus illos.
Fervet opus, denſique fremunt, premiturque ruina
Hinc furtim Borea, atque Noto: nunc unus uterque.
Hinc venti rabies, hinc ſævo quaſſat hiatu.
Fundamenta ſolo trepidant, urbeſque caducæ.
Inde, neque eſt aliud, ſi fas eſt credere, mundo
Venturam antiquam faciem, veracius omen.
Hæc primo ſpecies rerum, naturaque terræ,
Introrſus ceſſante ſolo trahit undique venas.
Ætna ſui manifeſta fides, & proxima vero eſt:
Non illic, duce me, occultas ſcrutabere cauſſas:
Occurrent oculis ipſæ, cogentque fateri.
Plurima namque patent illi miracula monti.
Hinc vaſti torrent aditus, merguntque profundo:
Corrigit hinc arctus, penituſque quod exigit ultra.
Hinc ſpiſſæ rupes obſtant, diſcordiaque ingens
Inter opus: nectunt varium, mediumque coercent:
Pars igni domitæ, pars ignes ferre coactæ,
Ut major ſpecies Ætnæ ſuccurrat inanis.
Hæc illis ſedes, tantarumque area rerum eſt.
Nunc opus artificem incendit cauſſamque repoſcit,
Non illam parvi, aut tenuis diſcriminis ignes
Mille ſub exiguo ponent tibi tempore veras
Res, oculique docent: res ipſæ credere cogunt.
Quin etiam tactu moneant contingere toto,
Si liceat: prohibent flammæ, cuſtodiaque ignis
Illi operum eſt: arcent aditu divinaque rerum.
Ut major ſpecies Ætnæ ſuccurrat inanis,

Cura ſine arbitrio eſt: eadem procul omnia cernis.
Nec tamen eſt dubium penitus quis torqueat Ætnam,
Aut qui mirandus tantæ faber imperet arti.
Pellitur exuſtæ glomeratus nimbus arenæ:
Flagrantes properant moles: volvuntur ab imo
Fundamenta: fragor tota nunc rumpitur Ætna:
Nunc fuſca pallent incendia miſta ruina.
Ipſe procul magnos miratur Jupiter ignes,
Neve ſepulta novi ſurgant in bella Gigantes,
Neu Ditem regni pudeat, neu Tartara cælo
Vertat: in occulto tantum premit omnia dextra.
Congeries operis, ſaxorum, & putris arena
(Quæ nec ſponte ſua faciunt; nec corporis ulli
Suſtentanta cadunt robuſtis viribus) omnis
Exigitur: vertit vaſa omnia vertice ſævo:
In denſum congeſta rotant, volvuntque profundo.
Hac cauſa expectata ruunt incendia montis.
Spiritus inflatis nomen, languentibus aer.
Nam prope natura par eſt violentia ſemper.
Ingenium velox illi motuſque perennis.
Verum opus auxilio eſt, ut pellat corpore: nullus
Impetus eſt ipſi: qua ſpiritus imperat, audit.
Nunc princeps, magnuſque ſub hoc duce militat ignis.
Nunc quoniam in promptu eſt operis natura, ſolique,
Una ipſi venti: quæ res incendia paſcit,
Cum ſubito cohibetur: ineſt quæ cauſa ſilenti,
Subſequar. immenſus labor eſt, ſed fertilis idem:
Digna laborantis reſpondent præmia curis.
Non oculis ſolum pecudum miranda fuere
More, nec effuſis in humum grave paſcere corpus:
Noſſe fidem rebus, dubiaſque exquirere cauſas
Sacra perurgentem, capitique attollere cœlum:
Scire quot, & quæ ſint: cur magno talia mundo
Principia occaſus metuunt, ad ſæcula pergunt:
Et firma æterno religata eſt machina mundo.
Solis ſcire modum, & quanto minor orbita lunæ eſt:
Cur illi brevior, cur iſti pervolet orbis
Annuus: ille monet, quæ certo ſidera currant
Ordine, quæve ſua careant incondita cura.
Scire vices etiam ſignorum & tradita jura:
Nubila cur cælo terræ denuntiet imbres,
Quo rubeat Phœbe, quo frater palleat igni:
Tempora cur variant anni, primaque juventa
Ver præit æſtatem cur æſtas ipſa ſeneſcit,
Autumnoque obrepit hiems, & in orbe recurrit:
Axem ſcire Helices, & triſtem noſſe cometen:
Lucifer unde micet, quave Heſperus, unde Bootes:
Saturni cur ſtella tenax, cur Martia pugnax:
Quo rapiant nautæ, quo ſidere lintea tendant.
Scire vias maris, & cæli prædicere curſus.
Quo volet Orion, quo Seirius incubet index,
Et quæcumque jacent tanto miracula mundo.
Non digeſta pati, nec acervo condita rerum,
Sed manifeſta notis certa diſponere ſede
Singula: divini eſt animi, ac jucunda voluptas.
Sed prior hæc hominis cura eſt cognoſcere terram,
Et quæ nunc miranda tulit natura notare:
Hæc nobis magna affinis cæleſtibus aſtris.
Nam quæ, mortales, ſpes eſt, quæ amentia major,
In Jovis errantem regno perquirere velle:
Tantum opus ante pedes tranſire & perdere ſegnes?
Torquemur miſeri in parvis, premimurque labantes,
Dum ſeſe pretio redimant: verumque profeſſæ,
Tum demum viles taceant, inopeſque relictæ.
Noctes atque dies feſtinant arva coloni:
Callent rure manus: glebarum uſu experiuntur.
Fertilis hæc, ſegetiſque feracior, altera vitis:
Hæc platanis humus, hæc herbis digniſſima tellus:
Hæc diti melior pecori, ſilviſque fidelis.
Aridiora tenent oleæ: ſuccoſior ulmis
Grata: leves cruciant animos, & corpora cauſæ,
Horrea uti ſaturent, tumeant & dolia muſto,
Plenaque defecto ſurgant fenilia campo.
Sic avidi ſemper, qua viſum eſt carius iſtis,
Implendus ſibi quiſque bonis eſt artibus. illæ
Sunt animi fruges: hæc rerum maxima merces,
Scire quid occulto naturæ terra coercet:
Nullum fallere opus, non multos cernere ſacros
Ætnæi montis fremitus, animumque furentis:
Non ſubito pallere ſono, non credere. ſubter
Scrutamur rimas, evertimus omne profundum.
Quæritur argenti ſemen, nunc aurea vena;
Torquentur flamma terræ, ferroque domantur,
Cæleſtes migraſſe minas ad Tartara mundi.
Noſſe quid impediat ventos, quid nutriat ignes:
Unde repente quies, & multo fœdere pax ſit.
Concreſcant animi penitus: ſeu forte cavernæ,
Introituſque ipſi ſervent: ſeu terra minutis
Rara foraminibus, ne venis abſtrahat auras.
Plenius hoc etiam rigido qua vertice ſurgit,
Illinc infeſtus, atque hinc obnoxius, intus
Undique diverſas admittere cogitat auras,
Et conjuratis addit concordia vires:
Sive introrſus agunt nubes, & nubilus Auſter:
Seu forſan flexere caput, tergoque feruntur.
Præcipiti delata ſono premit una, fugatque
Torrentes curas, pulſataque corpora denſat.
Nam veluti reſonante diu Tritone canoro,
Pellit opes collectus aquæ, victuſque movere
Spiritus, & longas emugit buccina voces,
Carmineque irriguo magni cortina theatri
Imparibus numeroſa modis canit arte regentis,
Quæ tenuem impellens animam ſubremigat undam:
Haud aliter ſubmota furens torrentibus aura
Pugnat in anguſto, & magnum commurmurat Ætna.
Credendum eſt etiam ventorum exiſtere cauſſas
Sub terris ſimiles harum quas cernimus extra.
Ut cum denſa cremant inter ſe corpora turba,
Eliſa in vacuum fugiant: & proxima ſecum
Nomina tota trahunt, tutaque in rede reſiſtunt.
Quod ſi forte mihi quædam diſcordia tecum eſt,
Principiiſque aliis credas conſurgere ventos:
Non dubium rupes aliquas penituſque cavernas
Proruere ingenti ſonitu, caſuque propinquas
Diffugere impellique animas: hinc cernere ventos,
Aut humore etiam nebulas effundere largo:
Ut campis, agriſque ſolent, quos obruit amnis.
Vallibus exoriens caligat nubilus aer.
Flumina parva ferunt auras: vis proxima vento eſt.
Eminus adſpirat fortis, & verberat humor,
Atque hæc in vacuo ſi tanta potentia rerum eſt,
Hoc plura efficiant infra clauſique neceſſe eſt.
His agitur cauſſis extra, penituſque coactis
Exagitant ventos, pugnant in faucibus arcte.
Pugnantes ſuffocant intus. ut unda profundo
Terque quaterque exhauſta graves ubi perbibit Euros,
Ingeminat fluctus, & primos ultimus urget:
Haud ſecus adſtrictus certamine tangitur ictu
Spiritus, involvenſque ſuo ſibi pondere vires,
Denſa per ardentes exercet corpora venas,
Et quacumque iter eſt properat, tranſitque morantem,
Donec confluvio revolutis æſtibus amnis

Exſi-

Exſilit, atque furens tota vomit igneus Ætna.
Quod ſi forte putas iiſdem decurrere ventos
Faucibus, atque iiſdem pulſos remeare: notandas
Res oculis locus ipſe dabit, cogetque negare.
Quamvis cæruleo ſiccus ſic frigeat æther,
Purpureoque rubens ſurgat jubar aureus oſtro,
Illinc obſcura ſemper caligine nubes,
Pigraque defuſo circumſtupet humida vultu:
Proſpectat ſublimis opus, vaſtoſque receſſus.
Non illam videt Ætna, nec ullo intercipit æſtu:
Obſequitur quàcumque jubet levis aura reditque.
Placantes etiam cæleſtia numina thure,
Summo cerne jugo, vel qua liberrimus Ætna
In proſpectus hiat, tantarum ſemina rerum,
Si nihil irritet flammas, ſtupeatque profundum.
Huic igitur credis, torrens ut ſpiritus ille,
Qui rupes terramque vorat, qui fulminat ignes,
Cur egit vires, & præceps flexit habenas.
Præſertim ipſa ſuo declivia pondere numquam
Corpora diripiant: validoque abſolveret arcu.
Quod, niſi fallor, adeſt ſpecies: tantuſque ruinis
Impetus attentos oculorum transfugit ictus.
Nec levitas tantos igitur ferit aura, movetque,
Sparſa liquore manus ſacros ubi ventilat ignes:
Verberat ore tamen, pulſataque corpora noſtra
Incurſant: adeo tenuis vim cauſa repellit,
Non cinerem ſtipulamve levem, non arida ſorbet
Gramina: non tenuis plantis liquor exit iiſdem.
Surgit odoratis ſublimis fumus ab aris,
Tanta quies illi eſt & pax innoxia parti.
Sive peregrinis igitur propriiſve potentes
Conjurant animæ cauſis: ille impetus ignis
Et montis partes atras ſubvertit arena,
Vaſtaque concurſu trepidantia ſaxa fragoris,
Ardenteſque ſimul flammas, ac fulmina rumpunt.
Haud aliter, quam cum prono jacuere ſub Auſtro,
Aut Aquilone fremunt ſilvæ, dant brachia nodo
Implicitæ, hæc ſerpunt junctis incendia ramis.
Nec te decipiant ſtolidi mendacia vulgi,
Exhauſtos ceſſare ſinus: dare tempora rurſus,
Ut rapiant vires, repetantque in prælia victi:
Pelle nefas animo, mendacemque exue famam.
Non eſt divinis tam ſordida rebus egeſtas:
Nec parvas mendicat opes, nec corrogat auras.
Præſto ſunt operi ventorum examina ſemper,
Cauſa latet, quærunt pariter, coguntque morari.
Sæpe premit fauces magnis exſtructa ruinis
Congeries, clauditque vias luctamine ab imo,
Et ſciſſo veluti tecto ſub pondere præſto eſt:
Haud ſecus ac teneros * cum ſecum frigida monti
Deſidia eſt, tutoque licet diſcedere montes:
Poſt ubi continuere moram, velocius urgent,
Pellunt oppoſitas moles, ac vincula rumpunt.
Quidquid in obliquum eſt, frangunt iter: acrior ictu
Impetus exoritur: magnis operata rapinis
Flamma micat, lætoſque ruens exundat in agros:
Si ceſſant a rure, ferunt ſpectacula venti:
Nunc ſuperant quæcumque regunt incendia ſilvæ,
Quæ flammas alimenta vocent, quid nutriat Ætna,
Incendi poterunt. illis vernacula cauſis
Materia, oppoſitumque igni genus utile terrent.
Uritur aſſidue calidus nunc ſulfuris humor,
Nunc ſpiſſus crebro præbetur vimine ſuccus:
Pingue bitumen adeſt, & quidquid cominus atras
Irritat flammas: illius corporis Ætna eſt.
Atque hanc materiam penitus diſcurrere fontes,
Infectæ erumpunt & aquæ radice ſub ipſa.
Pars oculis manifeſta jacet: quæ corpore dura eſt,
Ac lapis: in pingui fervent incendia ſucco.
Quin etiam varie quædam ſine nomine ſaxa
Toto monte liquant: illis cuſtodia flammæ
Vera, tenaxque data eſt: ſed maxima cauſa molaris
Illius incendii lapidis ſic vindicat Ætnam.
Quem ſi forte manu teneas, & robore cernas,
Nec ſervare putes ignem, nec ſpargere poſſe.
Sed ſimul ac ferro quæras, reſpondet, & ictu
Scintillat calor. hunc multis circumdare flammis,
Et potes extorquere animos. atque exue robur,
Fundetur ferro citius. nam mobilis illi,
Et metuens natura mali eſt, ubi cogitur igni.
Sed ſimul atque hauſit flammas, non tutior hauſtu
Ulla domus ſervans aciem, duramque tenaci
Septa fides: tutum eſt illi patientia victo,
Vix umquam redit in vires, atque evomit ignem.
Totus enim denſo ſtipatur robore: tarda
Per tenues admiſſa vias incendia nutrit,
Cunctanterque eadem, pigreque accepta remittit.
Nec tamen hoc uno quod montis plurima pars eſt,
Vincit, & incendi cauſam tenet: illa profecto
Miranda eſt lapidum vivax, animoſaque virtus.
Cætera materies, quæcumque eſt fertilis igni,
Ut ſemel accenſa eſt, moritur: nec reſtat in illa,
Quod repetas: tantum cinis, & ſine ſemine terra eſt.
Hic ſemel atque iterum patiens, ac mille perhauſtis
Ignibus inſtaurat vires: nec deſinit ante,
Quam levis excocto defecit robore pumex.
In cinerem, putreſque jacet delapſus arenas.
Cerne locis etiam ſimiles arſiſſe catervas.
Illic materiæ naſcentis copia major:
Sed genus hoc lapidis certiſſima ſigna coloris,
Quod nullas adjunxit opes, & languit ignis.
Dicitur inſidiis flagrans Ænaria quondam,
Nunc extincta ſuper: teſtiſque Neapolin inter
Et Cumas locus eſt, multis jam frigidus annis:
Quamvis æternum pingueſcat ab ubere ſulfur,
In mercem legitur; tanto eſt fœcundior Ætna
Inſula, cui nomen facies dedit ipſa rotunda.
Sulfur enim ſolum, nec obeſa cacumine terra eſt,
Et lapis accretus regerendis ignibus aptus.
Sed raro fumat, qui vix, ſi accenditur, ardet:
In breve mortales flammas quod copia nutrit,
Inſula durata Vulcani nomine ſacra.
Pars tamen incendi major refrixit, & alto
Jactatas recipit claſſes, portuque tuetur.
Quæ reſtat, minor & dives ſatis ubere terra eſt:
Sed non, Ætnæis vires quas conferat, illi.
Atque hæc ipſa tamen jam quondam extincta fuiſſet,
Ni furtim aggereret ſecretis callibus humor
Materiam, ſilvamque ſuam, preſſoque canali
Huc illuc ageret ventos, & paſceret ignes.
Sed melius res nota ipſa eſt, ſpectataque veris
Occurrit ſignis: nec tentat fallere peſtem.
Nam circa latera, atque imis radicibus Ætna
Candentes efflat lapides, disjectaque ſaxa
Intereunt venis, manifeſto ut credere poſſis
Pabula, & ardendi cauſam lapidem eſſe molarem:
Cujus defectus jejunus colligit ignis.
Ille, ubi collegit flammas, jacit, & ſimul ictu
Materiam accendit, cogitque liqueſcere ſecum.
Haud equidem mirum factu, quod cernimus extra.
Si lenitur opus, reſtat magis: uritur illic;
Sollicitatque magis vicina incendia ſaxum,

Certaque venturæ præmittit pignora flammæ.
Nam ſimul atque movet curis; turbamque minutas
Diffugit: extemploque ſolum trahit, ictaque ramis,
Et grave ſub terra murmur demonſtrat, & ignes.
Tum pavidum fugere, & ſacris tum credere rebus,
Parere, & tuto ſpeculaberis omnia colli.
Nam ſubito effervent oneroſa incendia raptis:
Accenſæ ſubeunt moles, truncæque ruinæ:
Provolvunt, atque atra ſonant examina arenæ:
Nec recipit flammas mons, hic defeſſus anhelat,
Atque aperit ſe hoſtis, decreſcit ſpiritus illic.
Haud aliter, quam cum læto devicta tropæo
Prona jacet campis acies, & caſtra ſub ipſa.
Tum ſi quis lapidum ſummo pertabuit igni,
Aſperior ſopita, & quædam ſordida fax eſt:
Qualem purgato cernes diſcedere ferro.
Verum ubi paullatim exſiluit ſublata caducis
Congeries ſaxis, anguſto vertice ſurgunt.
Sic veluti in fornace lapis torretur, & omnis
Exuitur penitus venis, ſubit altius humor
Amiſſis opibus, levis & ſine pondere pumex
Excoquitur: liquor ille magis ſervare magiſque
Fluminis in ſpeciem mitis procedere tandem
Incipit, & primis demittit collibus undas:
Illæ paullatim bis ſena in millia pergunt.
Quippe nihil revocat, curtis nihil ignibus obſtat:
Nulla tenet fruſtra moles: ſimul omnia pugnant.
Nunc ſilvas, rupeſque vorant hæc tela, ſolumque.
Ipſa adjutat opes, facileſque ſibi induit annos.
Quod ſi forte cavis cunctatus vaſibus hæſit,
Utpote inæquales volvens perpaſcitur agros,
Ingeminat fluctus, & ſtantibus increpat undis.
Sicut cum curvo rapidum mare cernitur æſtu,
Ac primum tenuis ſinus agit ulteriores
Progrediens late diffunditur, & ſuccernens.
Flumina conſiſtunt ripis, ac frigore durant,
Paullatimque ignes coeunt, ac flammea meſſis,
Exuitur facies tunc prima: ut quæque rigeſcit,
Effumat moles, atque ipſo pondere tracta
Volvitur ingenti ſtrepitu præcepſque ſonanti.
Cum ſolido inflexa eſt, pulſantes diſſipat ictus,
Et qua diſcluſa eſt, candenti robore fulget,
Et micat examen plagis: ardentia ſaxa
Scintillant. procul ecce fide, procul ecce ruentes
Incolumi fervore cadunt. verum impetus ignes
Si fumant quondam ut ripas trajecerit amnis:
Vix cunctis quiſquam fixo dimoverit illas.
Vicenos perſæpe dies jacet obruta moles.
Sed fruſtra certis diſponere ſingula cauſis
Tentamus, ſi firma manet tibi fabula mendax,
Materiam ut credas aliam, furere igne favillam,
Plurima proprietate ſimul concreſcere: ſicque
Commiſtum vento flagrare bitumine ſulphur.
Nam poſt exhauſtam cretam quoque robora fundit:
Et figulos huic eſſe fidem; dein frigoris uſu
Duritiem revocare ſuam, & conſtringere venas.
Sed ſignum commune leve eſt, atque irrita cauſa,
Quæ trepidat: verum ubi certo pignore conſtat.
Nam velut arguti natura eſt æris & ignis,
Cum domitum conſtat, eademque & robore ſalvo,
Utramque ut poſſis æris cognoſcere portam:
Haud aliter lapis ille tenet, ſeu forte madentes
Effluit in flammas, ſeu ſit ſecurus ab illis:
Conſervatque notas, nec vultu perdidit ignes.
Quin etiam externam multis color ipſe reſolvit,
Non odor aut levitas: putris magis ille, magiſque
Una operis facies, eadem perque omnia terra eſt.
Nec tamen inficior lapides ardeſcere certos,
Interius furere accenſos: hæc propria virtus.
Quin ipſis quædam Siculi cognomina ſaxis
Impoſuere: Fricas etiam ipſo nomine ſignant
Fuſilium eſſe notas: numquam tamen illa liqueſcunt,
Quamvis materies foveat ſuccoſior intus,
Nec penitus venæ fuerint commiſſa molari.
Quod ſi quis lapidis miratur fuſile robur:
Cogitet obſcuri veriſſima dicta libelli
Heracleiti, & ibi nihil inſuperabile gigni,
Omnia quæ rerum natura ſemina jacta.
Sed nimium hoc mirum; denſiſſima corpora ſæpe,
Et ſolido vicina, tamen compeſcimus igni.
Non animos æris flammis ſuccumbere cernis?
Lentitiem plumbi non exuit? ipſaque ferri
Materies prædura, tamen ſubvertitur igni,
Spiſſaque ſuſpenſis fornacibus aurea ſaxa
Exſudant pretium. quædam fortaſſe profundo
Incomperta jacent, ſimilique obnoxia ſorti.
Nec locus ingenio eſt: oculi te judice vincent.
Nec lapis ille riget perculſus: & ignibus obſtat,
Si parvis torrere velis: cæloque patenti
Candentem, preſſumque agedum fornace coerce:
Nec ſufferre poteſt; nec ſævum durat in hoſtem:
Vincitur, & ſolvit vires, captuſque liqueſcit.
Quæ majora putas autem tormenta moveri
Poſſe manu? quæ tanta putas incendia noſtris
Suſtentari opibus, quantis fornacibus Ætna
Uritur, a ſacro numquam non fertilis igne?
Sed non qui noſtro fervet moderatior uſu,
Sed cælo propior: vel quali Jupiter ipſe
Armatus flamma eſt, his viribus additus ingens
Spiritus, adſtrictis eliſus faucibus: ut cum
Fabriles operæ rudibus contendere maſſis
Feſtinant, ignes quatiunt, folleſque trementes
Exanimant, preſſoſque inſtigant agmine ventos.
Hæc operis fama eſt. ſic nobilis uritur Ætna.
Terra foraminibus vires trahit, urget in arctum,
Spiritus incendi vivit per maxima ſaxa.
Magnificas laudes, operoſaque viſere templa
Divitiis hominum, aut ſacra memorare vetuſta
Traduce materia, & tetris per proxima fatis
Currimus, atque avidi veteris mendacia famæ
Eruimus, cunctaſque libet percurrere gentes.
Nunc juvat Ogygiis circumdata mœnia Thebis,
Carnereque & fratres: ille impiger, ille canorus
Condere felices alieno interferit ævo.
Invitata pio nunc carmine ſaxa lyraque,
Nunc gemina ex uno fumantia ſaxa vapore
Miramur, ſeptemque Duces, raptumque profundo.
Detinet Eurotas illic & Sparta Lycurgi,
Et ſacer in bellum numerus ſua turba recenti.
Nunc hic Cecropiæ variis ſpectantur Athenæ
Carminibus, gaudentque ſua victrice Minerva.
Excidit hic reduci quondam tibi, perfide Theſeu,
Candida ſollicito permittere vela parenti.
Tu quoque Athenarum carmen jam nobile ſidus
Erigone: ſedes veſtra en Philomela canoris
Evocat in ſilvis, & tu ſoror hoſpita tectis
Acciperis: ſolis Tereus ferus exulat agris.
Miramur Trojæ cineres, & flebile victis
Pergamon, exſtinctoſque ſuos Phrygas: Hectora primum
Conſpicimus magni tumulum Ducis. hic & Achilles
Impiger, & victus magni jacet Hectoris ultor.
Quin etiam Graiæ fixos tenuere tabellæ,

Signa-

Signave, nunc Paphiæ rorantes parte capilli,
Sub truce nunc parvi ludentes Colchide gnati,
Nunc triſtes circa ſubjectæ altaria cervæ,
Velatuſque pater, nunc gloria viva Myronis:
* Quin etiam illa manus operum, turbæque morantem
Hæc viſenda putas terræ dubiuſque mariſque?
Artificis naturæ ingens opus adſpice. nulla
Cum tanta humanis * Phœbus ſpectacula cernes,
Præcipueque vigil, fervens, cum Seirius ardens.
Inſequitur miranda tamen ſua fabula montem:
Nec minus ille pius, quamquam ſors nobilis ignis.
Nam quando ruptis excanduit Ætna cavernis,
Et velut everſis penitus fornacibus, ignis
Evecta in longum rapidis fervoribus unda eſt:
Haud aliter ſævo quam cum Jove fulgurat æther,
Et nitidum obſcura cælum caligine torquet.
Ardebant arvis ſegetes, & mollia culta
Jugera cum dominis, ſilvæ, colleſque virentes.
Vix dum caſtra putant hoſtem moviſſe, tremebant:
Et jam finitimæ portas evaſerat urbis.
Tum vero ut cuique eſt animus vireſque, rapina
Tutari conantur opes. gemit ille ſub auro:
Colligit ille arma, & ſtulta cervice reponit.
Defectum raptis illum ſua carmina tardant.
Hic velox nimium properat ſub pondere pauper:
Et quod cuique fuit cari, fugit ipſe ſub illo.
Sed non incolumis dominum ſua præda ſecuta eſt.
Cunctantes vorat ignis, & undique torret avaros,
Conſequitur fugiſſe ratos, & præmia captis
Concrepat, ac nullis parſura incendia paſcunt,
Vel ſolis parſura piis. namque optima proles
Amphinomus fraterque pari ſub munere fortes,
Cum jam vicinis ſtreperent incendia tectis,
Adſpiciunt pigrumque patrem matremque ſenemque,
Eheu defeſſos poſuiſſe in limine membra.
Parcite avara manus dites attollere prædas:
Illis divitiæ ſolæ, materque paterque:
Hanc rapiunt prædam, mediumque exire per ignem
Ipſo dante fidem properant. o maxima rerum,
Et merito pietas, homini tutiſſima virtus!
Erubuere pios juvenes attingere flammæ:
Et quacumque ferunt illi veſtigia cedunt.
Felix illa dies, illa eſt innoxia terræ.
Dextra ſæva tenent, lævaque incendia fervent.
Ille per obliquos ignes, fraterque triumphans,
Tutus uterque pio ſub pondere ſufficit illa:
Et circa geminos avidus ſibi temperat ignis.
Incolumes abeunt tandem, & ſua numina ſecum
Salva ferunt: illos mirantur carmina vatum.
Illeque ſe poſuit claro ſub nomine Ditis.
Nec ſanctos juvenes attingunt ſordida fata:
Sed vere ceſſere domus, & jura piorum.

E J U S D E M.

CARMEN IN OBITUM M. T. CICERONIS EX LIBRIS DE BELLO CIVILI.

Seneca Suaſoria VII.

O Raque magnanimum ſpirantia pene virorum
In roſtris jacuere ſuis: ſed enim abſtulit omnes
Tamquam ſola foret rapti Ciceronis imago.
Tunc redeunt animis ingentia Conſulis acta,
Juratæque manus, deprenſaque fœdera noxæ:
Patritiumque nefas etiam tum, ut pœna Cethegi,
Dejectuſque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor, aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt, ſacris & vita quid artibus acta?
Abſtulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ,
Unica ſollicitis quondam tutela, ſaluſque,
Egregium ſemper patriæ caput: ille ſenatus
Vindex, ille fori, legum, rituſque togæque.
Publica vox ſævis æternum obmutuit armis.
Informes vultus, ſparſamque cruore nefando
Caniciem, ſacraſque manus, operumque miniſtras
Tantorum, pedibus civis projecta ſuperbis
Proculcavit ovans: nec lubrica fata, Deoſque
Reſpexit. nullo luet hoc Antonius ævo.
Hæc nec in Emathio mitis victoria Perſe,
Nec te, dire Syphax, non fecit in hoſte Philippo.
Inque triumphato ludibria cuncta Jugurtha
Abfuerant: noſtraque cadens ferus Annibal ira
Membra tamen Stygias tulit inviolata ſub umbras.

F R A G M E N T A A L I A.

Seneca ibidem.

C Onticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.

Soſipater Lib. I. Gramm. in verbo Antiſtita.

Stabat apud ſacras antiſtita Numinis aras.

Soſipater Lib. I. Gramm. in verbo Succeſſor.

Ignea nam cælo ducebat ſidera Phœbe
Fraternis ſucceſſor equis.

Soſipater ibidem in verbo Sibilum.

Et ſua concordes dant ſibila clara dracones.

Soſipater ibidem in verbo Galerus.

Fulvo prætexerat ora galero.

Soſipater ibidem in verbo Serta.

Huc ades Aonia crinem circumdata ſerta.

Cornutus, vel Probus in comment. in Perſium.

Pinea frondoſi dum murmurat Apennini.

Diomedes Lib. I. in verbo Luxurior.

Luxuriantur opes, atque otia longa gravantur.

MARCI

MARCI MANILII ASTRONOMICON.

LIBER PRIMUS.

CArmine Divinas artes, & conſcia Fati
Sidera, diverſos hominum variantia caſus,
Cæleſtis Rationis opus, deducere Mundo
Aggredior; primuſque novis Helicona movere
Cantibus, & viridi nutantes vertice ſilvas,
Hoſpita ſacra ferens nulli memorata priorum.
Nunc mihi tu, Cæſar, patriæ Princepſque Paterque,
Qui regis Auguſtis parentem legibus Orbem,
Conceſſumque Patri Mundum Deus ipſe mereris,
Das animum, vireſque facis ad tanta canendum.
Jam propiuſque favet Mundus ſcrutantibus ipſum,
Et rapit æthereos per carmina pandere cenſus.
Hoc ſub pace vacat tantum. juvat ire per ipſum
Aera, & immenſo ſpatiantem vivere Cælo:
Signaque, & adverſos ſtellarum noſcere curſus.
Quod ſolum noviſſe, parum eſt. impenſius ipſa
Scire juvat magni penitus præcordia Mundi;
Quæque tegat generetque ſuis animalia Signis
Cernere, & in numerum, Phœbo modulante, referre.
Bina mihi poſitis lucent altaria flammis.
Ad duo Templa precor duplici circumdatus æſtu,
Carminis & rerum: certa cum lege canentem
Mundus & immenſo Vatem circumſtrepit orbe;
Vixque ſoluta ſuis immittit verba figuris.
Quem primum infernis licuit cognoſcere terris
Munera Cæleſtum? quis enim condentibus illum
Clepſiſſet furto Mundum, quo cuncta reguntur?
Quis foret humano conatus pectore tantum,
Invitis ut Dis cuperet Deus ipſe videri?
Sublimes aperire vias, imumque ſub Orbem.
Et per Inane ſuis parentia legibus aſtra;
Nominaque & curſus Signorum, pondera, vires?
Tu princeps, auctorque ſacri, Cyllenie, tanti;
Per te jam Cælum in Terris, jam ſidera nota;
Major uti facies Mundi foret, & veneranda
Non ſpecies tantum: ſed & ipſa Potentia rerum;
Sentirentque Deum Gentes, quam maximus eſſet,
Qui ſua diſpoſuit per tempora, cognita ut eſſent
Omnibus, & Cæli faciem, Cælumque ſupernum:
Naturæque dedit vires, ſe quæ ipſa recluſit,
Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum faſtigia Cælo:
Qui domuere feras Gentes Oriente ſub ipſo,
Quas ſecat Euphrates, in quas & Nilus inundat,
Qua Mundus redit, & nigras ſuperevolat urbes.
Tum qui Templa Sacris coluerunt omne per ævum,
Delectique Sacerdotes in publica vota,
Officio junxere Deum; quibus ipſa potentis
Numinis accendit caſtam præſentia mentem;
Inque Deum Deus ipſe tulit, patuitque Miniſtris.
Hi tantum novere decus, primique per artem
Sideribus videre vagis pendentia Fata.
Singula nam proprio ſignarunt tempora caſu,
Longa per aſſiduas complexi ſecula curas.
Naſcendi quæ cuique dies, quæ vita fuiſſet:
In quas Fortunæ leges quæque hora valeret:
Quantaque quam parvi facerent diſcrimina motus.
Poſtquam omnis Cæli ſpecies redeuntibus aſtris
Percepta in proprias ſedes, & reddita certis
Fatorum ordinibus ſua cuique potentia formæ
Per varios uſus: artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam; ſpeculataque longe,
Deprendit tacitis dominantia legibus aſtra,
Et totum æterna Mundum ratione moveri,
Fatorumque vices certis diſcurrere Signis.
Nam rudis ante illos, nullo diſcrimine, vita
In ſpeciem converſa, operum ratione carebat;
Et ſtupefacta novo pendebat lumine Mundi.
Tum velut amiſſis mœrens, tum læta renatis
Sideribus; varioſque dies, incertaque noctis
Tempora, nec ſimiles umbras, jam Sole regreſſo,
Jam propiore, ſuis poterat diſcernere cauſſis.
Necdum etiam doctas ſolertia fecerat artes:
Terraque ſub rudibus ceſſabat vaſta Colonis:
Tuncque in deſertis habitabat montibus aurum:
Immotuſque novos Pontus ſubduxerat Orbes:
Nec vitam Pelago, nec ventis credere vela
Audebant; ſed quiſque ſatis ſe noſſe putabat.
Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miſeris dedit, & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit Fortuna premendo;
Seducta in varias certarunt pectora curas:
Et quodcumque ſagax tentando repperit uſus,
In commune bonum commentum læta dedere.
Tunc & lingua ſuas accepit barbara leges:
Et fera diverſis exercita frugibus arva:
Et vagus in cæcum penetravit Navita Pontum;
Fecit & ignotis itiner commercia Terris:
Tum belli pacique artes commenta vetuſtas;
Semper enim ex aliis alios proſeminat uſus.
Nec vulgata canam. volucrum prædiſcere linguas:
Conſultare fibras: & rumpere vocibus Angues:
Sollicitare umbras; imumque Acheronta movere:
In noctemque dies, in lucem vertere noctes.
Omnia conando docilis ſolertia vicit.
Nec prius impoſuit rebus finemque modumque,
Quam Cælum aſcendit ratio, cepitque profundis
Naturam rerum cauſſis, viditque quod uſquam eſt.
Nubila cur tanto quaterentur pulſa fragore:
Hiberna æſtiva nix grandine mollior eſſet:
Arderent terræ; ſoliduſque tremiſceret orbis:
Cur imbres ruerent: ventos quæ cauſſa moveret,
Pervidit, ſolvitque animis miracula rerum;
Eripuitque Jovi fulmen, vireſque tonandi,
Et ſonitum ventis conceſſit, nubibus ignem.

Quæ

Quæ poſtquam in proprias deduxit ſingula cauſſas,
Vicinam ex alto mundi cognoſcere molem
Intendit, totumqne animo comprendere Cælum;
Attribuitque ſuas formas, ſua nomina Signis;
Quaſque vices agerent certa ſub lege notavit;
Omniaque ad numen mundi, faciemque moveri,
Sideribus vario mutantibus ordine fata.
Hoc mihi ſurgit opus, non ullis ante ſacratum
Carminibus. faveat magno Fortuna labori;
Annoſa & molli contingat vita ſenecta,
Ut poſſim rerum tantas emergere moles,
Magnaque cum parvis ſimili percurrere cura.
Et quoniam Cælo carmen deſcendit ab alto,
Et venit in terras fatorum conditus ordo:
Ipſa mihi primum naturæ forma canenda eſt,
Ponenduſque ſua totus ſub imagine mundus.
Quem ſive ex nullis repetentem ſemina rebus
Natali quoque egere placet, ſemperque fuiſſe,
Et fore principio pariter fatoque carentem:
Seu permiſta chaos rerum primordia quondam
Diſcrevit partu, mundumque enixa nitentem
Fugit in infernas caligo pulſa tenebras:
Sive individuis, in idem reditura ſoluta,
Principiis natura manet, poſt ſecula mille;
Et pene ex nihilo ſummum, nihilumque futurum;
Cæcaque materies Cælum perfecit & orbem:
Sive ignis fabricavit opus, flammæque micantes,
Quæ mundi fecere oculos, habitantque per omne
Corpus, & in Cælo vibrantia fulmina fingunt:
Seu liquor hoc peperit, ſine quo riget arida rerum
Materies, ipſumque vorat, quo ſolvitur, ignem:
Aut neque terra patrem novit, nec flamma, nec aer,
Aut humor; faciuntque Deum per quatuor artus;
Et mundi ſtruxere globum; prohibentque requiri
Ultra ſe quidquam, cum per ſe cuncta creentur,
Frigida ne calidis deſint, aut humida ſiccis,
Spiritus aut ſolidis; ſitque hæc diſcordia concors,
Quæ nexus habiles, & opus generabile fingit,
Atque omnis partus elementa capacia reddit:
Semper erit genus in pugna, dubiumque manebit,
Quod latet, & tantum ſupra eſt hominemque Deumque.
Sed facies, quacumque tamen ſub origine, rerum
Convenit, & certo digeſtum eſt ordine corpus.
Ignis in æthereas volucer ſe ſuſtulit auras,
Summaque complexus ſtellantis culmina cæli,
Flammarum vallo naturæ mœnia fecit.
Proximus in tenues deſcendit ſpiritus auras,
Aeraque extendit medium per inania mundi.
Ignem flatus alit vicinum ſubditus aſtris.
Tertia ſors undas ſtravit, fluctuſque natantes,
Æquora perfundit toto naſcentia Ponto,
Ut liquor exhalet tenues atque evomat auras;
Aeraque ex ipſo ducentem ſemina paſcat.
Ultima ſubſedit glomerato pondere tellus,
Convenitque vagis limus commixtus arenis,
Paulatim ad ſummum tenui fugiente liquore.
Quoque magis puras humor ſeceſſit in undas,
Et ſiccata magis ſtrinxerunt æquora terras,
Adjacuitque cavis fluidum convallibus æquor,
Emerſere fretis montes, orbiſque per undas
Exiliit, vaſto clauſus tamen undique Ponto.
maque de cunctis mediam tenet undique ſedem.
dcircoque manet ſtabilis, quia totus ab illa
Tantumdem refugit mundus; fecitque cadendo
Undique, ne caderet. medium totius & imum eſt.
Itaque contractis conſiſtunt corpora plagis,

Et concurrendo prohibent in longius ire.
Quod niſi librato penderet pondere tellus,
Non ageret curſum mundi, ſubeuntibus aſtris,
Phœbus ad occaſum, & numquam remearet ad ortum:
Lunave ſubmerſos regeret per inania curſus:
Nec matutinis fulgeret Lucifer horis,
Heſperus immerſo dederat qui lumen Olympo.
Nunc quia non imo tellus dejecta profundo,
Sed medio ſuſpenſa manet, ſunt pervia cuncta,
Qua cadat & ſubeat Cælum, rurſumque reſurgat.
Nam neque fortuitos ortus ſurgentibus aſtris:
Nec toties poſſum naſcentem credere mundum:
Soliſve aſſiduos partus & fata diurna;
Cum facies eadem ſignis per ſecula conſtet:
Idem Phœbus eat Cæli de partibus iiſdem:
Et natura vias ſervet, quas fecerat ipſa:
Lunaque per totidem luces mutetur & orbes,
Nec tyrocinio peccet; circumque feratur
Æterna cum luce dies, quod tempora monſtret
Nunc his, nunc illis eadem regionibus orbis
Semper; & ulterius vadentibus ortus ad ortum,
Occaſumve obitus, Cælum & cum Sole perennet.
Nec vero tibi natura admiranda videri
Pendentis terræ debet, cum pendeat ipſe
Mundus, & in nullo ponat veſtigia fundo.
Quod patet ex ipſo motu curſuque volantis.
Cum ſuſpenſus eat Phœbus, curſumque reflectat
Huc illuc, agiles & ſervet in æthere metas:
Cum luna & ſtellæ volitent per inania mundi;
Terra quoque aerias leges imitata pependit.
Eſt igitur Tellus mediam ſortita cavernam
Aeris, & toto pariter ſublata profundo:
Nec patulas diſtenta plagas, ſed condita in orbem
Undique ſurgentem pariter, pariterque cadentem.
Hæc eſt naturæ facies: ſic mundus & ipſe
In convexa volans teretes facit eſſe figuras
Stellarum; ſoliſque orbem, lunæque rotundum
Aſpicimus tumido quærentis corpore lumen,
Quod globus obliquos totus non accipit ignes.
Hæc æterna manet, Diviſque ſimillima forma,
Cui neque principium eſt uſquam, nec finis in ipſo:
Sed ſimilis toto remanet, perque omnia par eſt.
Sic ſtellis glomerata manet mundoque figura.
Idcirco terris non omnibus omnia ſigna
Conſpicimus. nuſquam invenies fulgere Canopum,
Donec Niliacas per pontum veneris oras.
Sed quærent Helicen, quibus ille ſupervenit ignis,
Qui laterum tractus habitant, mediique tumores
Eripiunt terræ Cælum, viſuſque coercent.
Te teſtem dat, Luna, ſui glomerabilis orbis,
Quæ cum merſa nigris per noctem deficis umbris,
Non omnes pariter confundis ſidere gentes;
Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes;
Poſt medio ſubjecta Polo quæcumque coluntur;
Ultima ad Heſperios infectis volveris alis,
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.
Quod ſi plana foret tellus, ſimul icta per omnes
Deficeret, pariter toto miſerabilis orbe:
Sed quia per teretem deducta eſt terra tumorem,
His modo, poſt illis apparet Delia terris,
Exoriens ſimul atque cadens quia fertur in orbem
Ventris, & acclivis pariter declivia jungit,
Atque alios ſuperat gyros, alioſque relinquit.
Ex quo colligitur terrarum forma rotunda.
Hanc circum variæ gentes hominum atque ferarum,
Aeriæque colunt volucres. pars ejus ad Arctos
Eminet,

Qu

[illegible], Auſtrinis pars eſt habitabilis oris:
Sub pedibuſque jacet noſtris, ſupraque videtur
Ipſa, ſibi fallente ſolo declivia longa,
Et pariter ſurgente via, pariterque cadente.
Hanc ubi ad occaſus noſtros ſol aſpicit ortus,
Illic orta dies ſopitas excitat urbes,
Et cum luce refert operum vadimonia terris:
Nos in nocte ſumus, ſomnoſque in membra locamus.
Pontus utroſque ſuis diſtinguit & alligat undis.
Hoc opus immenſi conſtructum corpore mundi,
Membraque naturæ diverſa condita forma
Aeris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis,
Vis animæ divina regit, ſacroque meatu
Conſpirat Deus, & tacita ratione gubernat;
Et multa in multas diſpenſat fœdera partes,
Altera ut alterius vires faciatque feratque,
Summaque per varias maneat cognata figuras.
Nunc tibi ſignorum lucentes undique flammas
Ordinibus certis referam. primumque canentur
Quæ media obliquo præcingunt ordine mundum,
Solemque alternis vicibus per tempora portant.
Atque alia adverſo luctantia ſidera mundo,
Omnia quæ poſſis cælo variare ſereno.
E quibus & ratio fatorum ducitur omnis:
Ut ſit idem mundi primum, quod continet arcem.
Aurato Princeps Aries in vellere fulgens
Reſpicit admirans adverſum ſurgere Taurum,
Summiſſo vultu Geminos & fronte vocantem,
Quos ſequitur Cancer: Cancrum Leo: Virgo Leonem.
Æquato tum Libra die cum tempore noctis
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion aſtro,
In cujus caudam contentum dirigit arcum
Mixtus equo, volucrem miſſurus jamque ſagittam.
Tum venit anguſto Capricornus ſidere flexus.
Poſt hunc inflexam diffundit Aquarius urnam
Piſcibus aſſuetas avide ſubeuntibus undas,
Quos Aries tangit claudentes ultima ſigna.
At, qui fulgentes cælo conſurgit ad Arctos,
(Omnia quæ ſummo deſpectant ſidera Mundo,
Nec norunt obitus, unoque in vertice tantum
In diverſa ſitæ cœlumque & ſidera torquent,)
Aera per gelidum tenuis deducitur Axis,
Libratumque gerit diverſo cardine Mundum,
Sidereus circa medium quem volvitur orbis,
Æthereoſque rotat curſus. immotus at ille
In binas Arctos magni per inania mundi,
Perque ipſum terræ directus conſtitit orbem.
Nec vero e ſolido ſtat robur corporis ejus,
Nec grave pondus habet, quod onus ferat ætheris alti:
Sed cum aer omnis ſemper volvatur in orbem,
Quoque ſemel cœpit, totus volet undique in ipſum,
Quodcumque in medio eſt, circa quod cuncta moventur,
Uſque adeo tenue, ut verti non poſſit in ipſum,
Nec jam inclinari, nec ſe convertere in orbem,
Hoc dixere Axem, quia motum non habet ullum;
Ipſe videt circa volitantia cuncta moveri.
Summa tenent ejus miſeris notiſſima Nautis
Signa, per immenſum cupidos ducentia Pontum.
Majoremque Helice major decircinat arcum.
Septem illam ſtellæ certantes lumine ſignant,
Qua duce per fluctus Grajæ dant vela carinæ.
Anguſto Cynoſura brevis torquetur in orbe,
Tam ſpatio, quam luce minor. ſed judice vincit
Majorem Tyrio. Pœnis hæc certior auctor
Non apparentem Pelago quærentibus Orbem.
Nec paribus poſitæ ſunt frontibus. utraque caudam
Vergit in alterius roſtro, ſequiturque ſequentem.
Has interfuſus, circumque amplexus utramque
Dividit, & cingit ſtellis ardentibus Anguis,
Ne coeant, abeantve ſuis a ſedibus umquam.
Hunc inter, mediumque orbem, quo ſidera ſeptem
Per bis ſena volant contra nitentia ſigna,
Mixta ex diverſis conſurgunt viribus aſtra:
Hinc vicina Poli, cælique hinc proxima flammis;
Quæ quia diſſimilis, qua pugnant, temperat aer,
Frugiferum ſub ſe reddunt mortalibus orbem.
Proxima frigentes Arctos Boreamque rigentem
Nixa venit ſpecies genibus, ſibi conſcia cauſæ.
A tergo nitet Arctophylax, idemque Bootes,
Quod ſimilis junctis inſtat de more juvencis;
Arcturumque rapit medio ſub pectore ſecum.
At parte ex alia claro volat orbe Corona,
Luce micans varia. nam ſtella vincitur una
Circulus, in media radians quæ proxima fronte,
Candidaque ardenti diſtinguit lumina flamma;
Gnoſſia deſertæ hæc fulgent monimenta puellæ.
Et Lyra diductis per cælum cornibus inter
Sidera conſpicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne quod attigerat cantu, Maneſque per ipſos
Fecit iter, domuitque infernas carmine leges.
Huic cæleſtis honos, ſimiliſque potentia cauſæ:
Tunc ſilvas & ſaxa trahens, nunc ſidera ducit,
Et rapit immenſum mundi revolubilis orbem.
Serpentem magnis Ophiuchus nomine ſignis
Dividit, & toto mergentem corpore corpus
Explicat, & nodos ſinuataque terga per orbes,
[Reſpicit ille tamen molli cervice reflexus,]
Et didit fuſis per laxa volumina palmis.
Semper enim paribus bellum, quia viribus æquant.
Proxima ſors Cycni, quem cælo Jupiter ipſe
Impoſuit formæ pretium, qua cepit amantem,
Cum Deus in niveum deſcendit verſus Olorem,
Tergaque fidenti ſubjecit plumea Ledæ.
Nunc quoque diductas volitat ſtellatus in alas.
Hinc imitata nitent curſumque habitumque Sagittæ
Sidera. tum magni Jovis ales fertur in altum
Aſſueto volitans, geſtet ceu fulmina mundi,
Digna Jove, & cælo, quod ſacris inſtruit armis.
Tunc quoque de Ponto ſurgit Delphinus ad aſtra,
Oceani cælique decus, per utrumque ſacratus.
Quem rapido conatus Equus comprendere curſu
Feſtinat, pectus fulgenti ſidere clarus,
Et finitur in Andromeda, quam Perſeus armis
Eripit, & ſociat ſibi. cui forte ſit iniquo
Diviſum ſpatio, cui tertia lampada diſpar
Conſpicitur paribus, Deltoton nomine ſidus,
Ex ſimili dictum. Cepheuſque & Caſſiopea
In pœnas ſignata ſuas, juxtaque relictam
Andromedam vaſtos metuentem Piſcis hiatus;
Expoſitam Ponto deflet, ſcopuliſque relictam,
Ne veterem Perſeus cælo quoque ſervet amorem,
Auxilioque juvet, fugiendaque Gorgonis ora
Suſtineat, ſpoliumque ſibi, teſtemque videnti.
Tunc vicina ferens nixo veſtigia Tauro
Heniochus, ſtudio mundumque & nomen adeptus;
Quem primum curru volitantem Jupiter alto
Quadrijugis conſpexit equis, cæloque ſacravit.
Tum ſubeunt Hædi claudentes ſidere Pontum
Nubibus; & mundi nutrito Rege Capella,
Cujus ab uberibus magnum ille aſcendit Olympum,
Lacte fero creſcens ad fulmina, vimque tonandi.
Hanc ergo æternis merito ſacravit in aſtris

Jupi

Jupiter, & Cæli Cælum mercede rependit.
Pleiades Hyadeſque, feri pars utraque Tauri,
In Boream ſcandunt. hæc ſunt Aquilonia ſigna.
Aſpice nunc infra Solis ſurgentia curſus,
Quæ ſuper exuſtas labuntur ſidera terras;
Quæque intra gelidum Capricorni ſidus, & Axe
Imo ſubnixum vertuntur ſidera Mundum.
Cernere vicinum Geminis licet Oriona,
In magnam Cæli tendentem brachia partem,
Nec minus extento ſurgentem ad ſidera greſſu.
Singula fulgentes humeros cui lumina ſignant;
Et tribus obliquis demiſſus ducitur enſis.
At caput Orion excelſo immerſus Olympo,
Per tria ſubducto ſignatur lumina vultu;
Non quod clara minus, ſed quod magis illa recedant.
Hoc duce per totum decurrunt ſidera Mundum.
Subſequitur rapido contenta Canicula curſu,
Qua nullum terris violentius advenit aſtrum,
Nec gravius cedit. non horrens frigore ſurgit,
Nec vacuum Solis fulgentem deſerit orbem.
Sic in utrumque movet Mundum, & contraria reddit.
Hanc qui ſurgentem, primo cum redditur ortu,
Montis ab excelſo ſpeculantur vertice Tauri,
Eventus frugum varios, & tempora dicunt:
Quæque valetudo veniat: concordia quanta.
Bella facit pacemque refert, varieque revertens,
Sic movet, ut vidit, Mundum, vultuque gubernat.
Magna fides hoc poſſe, color curſuſque micantis
In radios. vix Sole minor, niſi quod procul hærens
Frigida cæruleo contorquet lumina vultu.
Cetera vincuntur ſpecie; nec clarius aſtrum
Tingitur Oceano, cælumve reviſit ab undis.
Tum Procyon, veloxque Lepus. tum nobilis Argo,
In Cælum ſubducta, mari quod prima cucurrit,
Emeritum magnis Mundum tenet acta procellis;
Servando Dea facta Deos. cui proximus Anguis
Squammea diſpoſitis imitatur lumina flammis.
Et Phœbo ſacer Ales. et una gratus Iaccho
Crater. et duplici Centaurus imagine fulget,
Pars hominis, tergo pectus commiſſus equino.
Ipſius hinc Mundi templum eſt, victrixque ſolutis
Ara nitet ſacris, vaſtos cum terra Gigantes
In Cælum furibunda tulit. tunc Di quoque magnos
Quæſivere Deos. dubitavit Jupiter ipſe,
Quod poterat, non poſſe timens, cum ſurgere terram
Cerneret, & verti naturam crederet omnem:
Montibus atque aliis aggeſtos creſcere montes:
Et tam vicinos fugientia ſidera colles,
Arma importantes, & rupta matre creatos,
Diſcordes vultu, permixtaque corpora, partus:
Hoſtiferum necdum ſibi quemquam Numina norant,
Si qua forent majora ſuis. tunc Jupiter Aræ
Sidera conſtituit, quæ nunc quoque maxima fulgent.
Quam propter Cetus convolvens ſquammea terga
Orbibus inſurgit tortis, & fluctuat alvo,
Intentans morſum, ſimilis jam jamque tenenti.
Qualis ad expoſitæ fatum Cepheidos undis
Expulit adveniens ultra ſua littora Pontum.
Tunc Notius piſcis, venti de nomine dictus,
Exurgit de parte Noti; cui cuncta feruntur
Flexa per ingentes ſtellarum flumina gyros.
Alterius capiti conjungit Aquarius undas
Amnis, & in medium coeunt, & ſidera miſcent.
His, inter Soliſque vias, Arctoſque latentes,
Axem quæ Mundi ſtridentem pondere torquent,
Orbe peregrino Cælum depingitur aſtris,
Quæ Notia antiqui dixerunt ſidera Vates.
Altera pars Orbis ſub aquis jacet invia nobis,
Ignotæque hominum gentes, nec tranſita regna,
Commune ex uno lumen ducentia Sole,
Diverſas umbras, lævaque cadentia Signa,
Et dextros ortus Cælo ſpectantia verſo.
Nec minor eſt illis Mundus, nec lumine pejor,
Nec numeroſa minus naſcuntur ſidera in Orbe.
Cætera non cedunt; uno vincuntur in aſtro
Auguſto, ſidus noſtro quod contigit Orbi,
Cæſar nunc terris, poſt Cælo maximus Auctor.
Ultima, quæ Mundo ſemper volvuntur in imo,
Queis innexa manent Cœli fulgentia templa,
Nuſquam in conſpectum redeuntia cardine verſo,
Sublimis ſpeciem Mundi, ſimileſque figuras
Aſtrorum referunt; & verſas frontibus Arctos
Uno diſtingui medias claudique Dracone
Credimus exemplo, quia vis fulgentia viſus
Nunc orbem Cæli vertentis ſidera curſu,
Cardine tam ſimili fultum, quàm vertice pingit.
Hæc igitur magno diviſas æthere ſedes
Signa tenent Mundi totum deducta per Orbem.
Tu modo corporeis ſimiles ne quære figuras,
Omniaque æquali fulgentia membra colore;
Deficiat nihil ut, vacuumque a lumine ceſſet.
Non poterit Mundus ſufferre incendia tanta,
Omnia ſi plenis ardebunt ſidera membris.
Quidquid ſubduxit flammis natura, pepercit
Succubitura oneri: formas diſtinguere tantum
Contenta, & ſtellis oſtendere ſidera certis.
Linea deſignat ſpecies; atque ignibus ignes
Reſpondent, media extremis, atque ultima ſummis.
Credantur, ſatis eſt, ſi ſe non omnia celant.
Præcipue medio cum Luna implebitur orbe,
Certa nitent Mundo cum Luna; conditur omne
Stellarum vulgus, fugiunt ſine nomine Signa.
Plura liquet vacuo tum cedere ſidera Cælo,
Nec fallunt numero, nec parvis mixta feruntur.
Et quo clara magis poſſis cognoſcere Signa,
Non varios obitus norunt, varioſque recurſus:
Certa ſed in proprias oriuntur ſidera luces,
Nataleſque ſuos, occaſumque ordine ſervant.
Nec quidquam in tanta magis eſt mirabile mole,
Quam ratio, & certis quod legibus omnia parent.
Nuſquam turba nocet, nihil ullis partibus errat,
Laxius aut levius, mutatove ordine fertur.
Quid tam confuſum ſpecie? quid tam vice certum eſt?
Ac mihi tam præſens ratio non ulla videtur,
Qua pateat Mundum divino numine verti,
Atque ipſum eſſe Deum; nec ſorte coiſſe magiſtra,
Ut voluit credi qui primus mœnia Mundi
Seminibus ſtruxit minimis, inque illa reduxit,
Atque his & maria, & terras, & ſidera Cæli,
Ætheraque immenſos fabricantem finibus orbes,
Solventemque alios conſtare; & cuncta reverti
In ſua principia, & rerum mutare figuras.
Quis credat tantas operum ſine Numine moles
Ex minimis, cæcoque creatum fœdere Mundum?
Si Fors iſta dedit nobis, Fors ipſa gubernat.
At cur diſpoſitis vicibus conſurgere Signa,
Et velut imperio præſcriptos reddere curſus
Cernimus, ac nullis properantibus ulla relinqui?
Cur eadem æſtivas exornant ſidera noctes
Semper, & hibernas eadem? certamque figuram
Quiſque dies reddit Mundo, certamque relinquit?
Jam tum, cum Graiæ verterunt Pergama gentes,

Arctos & Orion adverſis frontibus ibant.
Hæc contenta ſuos in vertice flectere gyros:
Ille ex diverſo vertentem ſurgere contra
Obvius, & toto ſemper decurrere Mundo.
Temporaque obſcuræ noctis deprendere Signis
Jam poterant; Cælumque ſuas diſtinxerat horas.
Quot poſt excidium Trojæ ſunt eruta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per Orbem
Servitium imperiumque tulit, varieque revertit?
Trojanos cineres in quantum oblita refovit
Imperium? Fatis Aſiæ jam Græcia preſſa eſt.
Secula dinumerare piget, quotieſque recurrens
Luſtravit Mundum vario Sol igneus Orbe.
Omnia mortali mutantur lege creata.
Nec ſe cognoſcunt Terræ vertentibus annis
Exutas. variant faciem per ſæcula gentes.
At manet incolumis Mundus, ſuaque omnia ſervat,
Quæ nec longa dies auget, minuitque ſenectus.
Nec motus puncto currit, curſuſque fatigat:
Idem ſemper erit, quoniam ſemper fuit idem.
Non alium videre Patres, aliumve Nepotes
Aſpicient. Deus eſt, qui non mutatur in ævo.
Numquam tranſverſas Solem decurrere ad Arctos;
Nec mutare vias, & in Ortum vertere curſus,
Auroramque novis naſcentem oſtendere terris;
Nec Lunam certos excedere luminis orbes,
Sed ſervare modum quo creſcat, quove recedat;
Nec cadere in terram pendentia ſidera Cælo,
Sed dimenſa ſuis conſumere tempora Signis.
Non caſus opus eſt, magni ſed Numinis ordo.
Hæc igitur texunt æquali ſidera tractu
Ignibus, in varias Cælum laqueantia formas.
Altius his nihil eſt. hæc ſunt faſtigia Mundi.
Publica naturæ domus his contenta tenetur
Finibus, amplectens pontum terraſque jacentes.
Omnia concordi tractu veniuntque caduntque,
Qua ſemel incubuit Cælum, verſumque reſurgit.
Ipſe autem quantum convexo Mundus Olympo
Obtineat ſpatium: quantis bis ſena ferantur
Finibus aſtra, docet ratio, cui nulla reſiſtunt
Clauſtra, nec immenſæ moles, ceduntque receſſus,
Omnia ſuccumbunt, ipſum eſt penetrabile Cælum.
Nam quantum a terris atque æquore Signa recedunt,
Tantum bina patent: quantumque inciditur orbis
Per medium, pars efficiet tum tertia gyri,
Exiguo dirimens ſolidam diſcrimine ſummam.
Summum igitur Cælum bis bina reſurgit ab imo,
Altera bis binis ut ſit pars tertia Signis.
Sed quia per medium eſt Tellus ſuſpenſa profundum,
Binis a ſummo Signis diſcedit & imo.
Hinc igitur quodcumque ſupra te ſuſpicis ipſe,
Qua per inane meant oculi, quaque ire recuſant,
Binis æquandum eſt Signis. ſex tanta rotundæ
Efficiunt orbem zonæ, qua Signa feruntur
Bis ſex æquali ſpatio texentia Cælum.
Nec mirere vagos partus eadem eſſe per aſtra,
Et mixtum ingenti generis diſcrimine Fatum:
Singula cum tantum teneant, tantoque ferantur
Tempore ſex tota ſurgentia ſidera luce.
Reſtat ut æthereos fines tibi reddere coner,
Filaque diſpoſitis vicibus comitantia Cælum,
Per quæ dirigitur Signorum flammeus ordo.
Circulus ad Boream fulgentem ſuſtinet Arcton,
Sexque fugit ſolidas a Cæli vertice partes.
Alter ad extremi decurrens ſidera Cancri,
In quo conſummat Phœbus lucemque moramque,
Tardaque per longos circumfert lumina flexus.
Æſtivum medio nomen ſibi ſumit ab æſtu,
Temporis & titulo potitur, metaque volantis
Solis; & extremos diſtinguit fervidus actus;
Et quinque in partes Aquilonis diſtat ab orbe.
Tertius in media Mundi regione locatus,
Ingenti ſpira totum præcingit Olympum,
Parte ab utraque videns Axem: quo limite Phœbus
Componit paribus numeris noctemque diemque,
Veris & Autumni currens per tempora mixta,
Cum medium æquali diſtinguit limite Cælum.
Quatuor & gradibus ſua fila reducit ab æſtu.
Proximus hunc ultra Brumalis nomine cingens
Ultima deſignat fugientis limina Solis,
Inviaque; obliqua radiorum munera flamma
Dat per iter minimum nobis: ſed finibus illis
Quos ſuper incubuit, longa ſtant tempora luce,
Vixque dies tranſit candentem extenſa per æſtum,
Biſque jacet binis ſummotus partibus orbis.
Unus ab his ſupereſt, extremo proximus Axi
Circulus, Auſtrinas qui ſtringit & obſidet Arctos.
Hic quoque Brumalem per partes quinque relinquit;
Et quantum a noſtro ſublimis cardine gyrus
Diſtat, ab adverſo tantumdem proximus illi.
Sic tibi per binas vertex a vertice partes
Diviſus, duplici ſumma circumdat Olympum,
Et per quinque notat ſignantes tempora fines.
His eadem eſt via, quæ Mundo: pariterque rotantur
Inclines, ſocioſque ortus occaſibus æquant;
Quandoquidem textu, quo totus volvitur Orbis,
Fila trahunt, alti curſum comitantia Cæli:
Intervalla pari ſervantes limite ſemper,
Diviſoſque ſemel fines, ſortemque dicatam.
Sunt duo, quos recipit ductos a vertice vertex,
Inter ſe adverſi, qui cunctos ante relatos
Seque ſecant, gemino coeuntes cardine Mundi,
Tranſverſoque polo rectum ducuntur in Axem,
Tempora ſignantes anni, Cælumque per aſtra
Quatuor in partes diviſum menſibus æquis.
Alter ab excelſo decurrens limes Olympo,
Serpentis caudam, ſiccas & dividit Arctos,
Et juga Chelarum medio volitantia Cælo.
Extremamque ſecans Hydram, mediumque ſub Auſtri
Centaurum, adverſus concurrit rurſus in Axe,
Et redit in Cetum, ſquammoſaque tergora Ceti,
Lanigerique notat fines, clarumque Trigonum,
Andromedæque ſinus imos, faſtigia matris,
Principiumque ſuum repetito cardine claudit.
Alter in hunc medium, ſummumque incumbit in Axem
Perque pedes primos, cervicem tranſit & Urſæ,
Quam ſeptem ſtellæ primam, jam Sole remoto,
Producunt nigræ præbentem lumina nocti:
Et Geminis Cancrum dirimit, ſtringitque flagrantem
Ore Canem, clavumque Ratis, quæ vicerat æquor.
Inde axem occultum per gyri Signa prioris
Tranſverſa, atque illo rurſus de limite tangit
Te, Capricorne, tuiſque Aquilam deſignat ab aſtris;
Perque Lyram inverſam currens, ſpiraſque Draconis,
Poſteriora pedum Cynoſuræ præterit aſtra,
Tranſverſamque ſecat vicino cardine caudam.
Hic iterum coit ipſe ſibi, memor unde profectus.
Atque hæc æternam fixerunt tempora ſedem,
Immotis per ſigna modis, ſtatione perenni.
Hos volucres fecere duos. namque alter ab ipſa
Conſurgens Helice, medium præcidit Olympum,
Diſcernitque diem, ſextamque examinat horam,

Et

Et paribus ſpatiis Occaſus cernit & Ortus.
Hic mutans per Signa vices; ſeu ſi quis Eoos,
Seu petit Heſperios, ſupra ſe circinat orbem
Verticibus ſuperaſtantem, mediumque ſecantem
Cælum, & diviſo ſignantem culmine Mundum;
Quando aliis aliud medium eſt, volat hora per Orbem,
Cumque loco terræ Cælumque ac tempora mutat.
Atque ubi ſe primis attollit Phœbus ab undis,
Illis ſexta manet, quos tunc premit aureus orbis.
Rurſus ad Heſperios ſexta eſt, ubi cedit in umbras.
Nos primam ac ſummam ſextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen ſentimus ab igne.
Alterius fines ſi vis cognoſcere gyri,
Circumfer faciles oculos, vultumque per Orbem,
Quidquid erit Cælique imum, terræque ſupremum;
Qua coit ipſe ſibi nullo diſcrimine Mundus,
Redditque aut recipit fulgentia ſidera ponto,
Præcingit tenui tranſverſum limite Mundum;
Hæc quoque per totum volitabit linea Cælum,
Nunc tantum ad medium vergens, mediumque repente
Orbem: nunc ſeptem ad ſtellas: nunc mota ſub aſtra.
Sed quocumque vagæ tulerint veſtigia plantæ,
Has modo terrarum, nunc has gradientis ad oras,
Semper erit novus & terris mutabitur arcus.
Quippe aliud Cælum oſtendens, aliudque relinquens,
Dimidium tegit atque refert, varioque notabit
Fine, & cum viſu pariter ſua fila moventem.
Hic terreſtris erit, quia terræ amplectitur Orbem,
Et medium plano præcingit limite gyrus,
Atque a fine trahens titulum memoratur Horizon.
His adice obliquos diverſaque fila trahentes
Inter ſe gyros: quorum fulgentia Signa
Alter habet, per quæ Phœbus moderatur habenas;
Subſequiturque ſuo Solem vaga Delia curru:
Et quinque adverſo luctantia ſidera Mundo
Exercent varias naturæ lege choreas.
Hunc tenet a ſummo Cancer, Capricornus ab imo:
Bis recipit, lucem qui circulus æquat & umbras,
Lanigeri & Libræ ſigno ſua latera ſecantem.
Sic per tres gyros inflexus ducitur orbis;
Rectaque devexo fallit veſtigia clivo.
Nec viſus aciemque fugit, tantumque notari
Mente poteſt, ſicut cernuntur mente priores;
Sed nitet ingenti ſtellatus balteus orbe,
Inſignemque facit cælato lumine Mundum:
Et ter vicenas partes patet atque trecentas
In longum: bis ſex lateſcit faſcia partes,
Quæ cohibet vario labentia ſidera curſu.
Alter in adverſum poſitas ſuccedit ad Arctos,
Et paulum a Boreæ gyro ſua fila reducit,
Tranſitque inverſæ per ſidera Caſſiopeæ.
Inde per obliquum deſcendens tangit Olorem:
Æſtivoſque ſecat fines, Aquilamque ſupinam:
Temperaque æquantem gyrum: Zonamque ferentem
Solis equos, intra caudam, qua Scorpius ardet,
Extremamque Sagittarii lævam, atque ſagittam.
Inde ſuos ſinuat flexus per crura pedeſque
Centauri alterius, rurſuſque aſcendere Cælum
Incipit: Argivamque ratem per apluſtria ſumma,
Et medium Mundi gyrum, Geminoſque per ima
Signa ſecans, ſubit Heniochum: teque, unde profectus,
Caſſiopea, petens, ſuper ipſum Perſea tranſit,
Orbemque ex illa cœptum concludit in illa.
Treſque ſecat medios gyros, & Signa ferentem
Partibus e binis, in quot præciditur ipſe.
Nec quærendus erit, viſus incurrit in ipſos
Sponte ſua, ſeque ipſe docet, cogitque notari.
Namque in cæruleo candens nitet orbita Mundo,
Ceu miſſura diem ſubito, Cælumque recludens.
Ac veluti virides diſcernit ſemita campos,
Quam terit aſſiduo renovans iter orbita tractu:
Inter diviſas æquabilis eſt via partes.
Ut freta caneſcunt ſulcum ducente carina,
Accipiuntque viam fluctus, ſpumantibus undis,
Quam tortus verſo movit de gurgite vortex:
Candidus in nigro lucet ſic limes Olympo,
Cæruleum findens ingenti lumine Mundum.
Utque ſuos arcus per nubila circinat Iris:
Sic ſuperincumbit ſignato culmine limes
Candidus, & reſupina facit mortalibus ora,
Dum nova per cæcam vibrantur lumina noctem;
Inquiruntque ſacras humano pectore cauſſas.
Num ſe diductis conetur ſolvere moles
Segminibus, raraque labent compagine rimæ,
Admittantque novum luxato tegmine lumen?
Quid? quaſi non timeant, magni cum vulnera Cæli
Conſpiciant, feriatque oculos injuria Mundi,
An coeat Mundus, duplicisque extrema cavernæ
Conveniant, Cælique oras & ſidera jungant?
Perque ipſos fiat nexus manifeſta cicatrix,
Fiſſuram faciens Mundi? ſtipatus, & orbis
Aeriam in nebulam clara compagine verſus,
In cuneos alti cogat fundamina Cæli?
An melius manet illa fides per ſecula priſca,
Illac Solis equos diverſis curſibus iſſe;
Atque aliam triviſſe viam; longumque per ævum
Exutas ſedes, incoctaque ſidera flammis
Cæruleam verſo ſpeciem mutaſſe colore,
Infuſumque loco cinerem, Mundumque ſepultum?
Fama etiam antiquis ad nos deſcendit ab annis,
Phaethontem patrio curru per Signa volantem,
Dum nova miratur propius ſpectacula Mundi,
Et puer in Cælo ludit, curruque ſuperbus
Luxuriat Mundo, cupit & majora parente,
Monſtratas liquiſſe vias, orbemque recentem
Impoſuiſſe Polo: nec Signa inſueta tuliſſe
Errantes nutu flammas: currumque ſolutum,
Deflexum ſolito curſu, curviſque quadrigis,
Quod querimur, flammas totum ſæviſſe per Orbem,
Terrarumque rogum cunctas arſiſſe per urbes,
Cum vaga diſperſi fluitarunt lumina currus,
Et Cælum exuſtum eſt: luit ipſe incendia Mundus,
Et nova vicinis flagrarunt ſidera flammis,
Nunc quoque præteriti faciem ſervantia caſus.
Nec mihi celanda eſt famæ vulgata vetuſtas
Mollior, e niveo lactis fluxiſſe liquorem
Pectore Reginæ Divum, Cælumque colore
Infeciſſe ſuo. quapropter Lacteus orbis
Dicitur, & nomen cauſſa deſcendit ab ipſa.
An major denſa ſtellarum turba corona
Contexit flammas, & craſſo lumine candet,
Et fulgore nitet collato clarior orbis?
An fortes animæ, dignataque nomina Cælo
Corporibus reſoluta ſuis, terræque remiſſa
Huc migrant ex Orbe, ſuumque habitantia Cælum
Æthereos vivunt annos, Mundoque fruuntur?
Atque hic Æacidas, hic & veneramur Atridas,
Tydidemque ferum; terræque mariſque triumphis
Naturæ victorem Ithacum; Pyliumque ſenecta
Inſignem triplici; Danaumque ad Pergama Reges,
Auroræque nigrum partum; ſtirpemque Tonantis
Rectorem Lyciæ. nec te, Mavortia virgo,

Prætercam; Regeſque alios, quos Græcia miſit,
Atque Aſiæ gentes, & Magni maxima bello.
Quique animi vires, & ſtrictas pondere mentes
Prudentes habuere viri, quibus omnis in ipſis
Cenſus erat; juſtuſque Solon; fortiſque Lycurgus;
Æthereuſque Plato; & qui fabricaverat illum,
Damnatuſque ſuas melius damnavit Athenas.
Perſidis & victor ſtrarat qui claſſibus æquor.
Romanique viri, quorum jam maxima turba eſt;
Tarquinioque minus Reges; & Horatia proles,
Tota acies partis: necnon & Scævola trunco
Nobilior: majorque viris & Clœlia virgo:
Et Romana gerens, quæ texit, mœnia Cocles:
Et commilitio volucris Corvinus adeptus
Et ſpolia & nomen, qui geſtat in alite Phœbum:
Et Jove qui meruit Cælum, Romamque Camillus
Servando poſuit: Brutuſque a Rege receptæ
Conditor, & Pirrhi per bella Papyrius ultor:
Fabricius Curiuſque pares: & tertia palma
Marcellus: Coſſuſque prior de Rege necato:
Certanteſque Decii votis, ſimileſque triumphis:
Invictuſque mora Fabius: victorque necati
Livius Haſdrubalis ſocio per bella Nerone:
Scipiadæque duces, fatum Carthaginis unum:
Pompeiuſque Orbis domitor, per treſque triumphos
Ante Deum princeps; & cenſu Tullius oris
Emeritus Cælum; & Claudia magna propago;
Æmiliæque domus proceres; clarique Metelli;
Et Cato fortunæ victor; matriſque ſub armis
Miles Agrippa ſuæ; Veneriſque ab origine proles
Julia deſcendit Cælo; Cælumque replevit,
Quod regit Auguſtus ſocio per ſigna Tonante.
Cernit & in cœtu Divum magnumque Quirinum.
Altius ætherei quam candet circulus orbis,
Illa Deum ſedes; hæc illi proxima Divum,
Qui virtute ſua ſimiles veſtigia tangunt.
Ac prius incipiam ſtellis quam reddere vires,
Signorumque canam fatalia carmine jura,
Implenda eſt mundi facies, corpuſque per omne
Quidquid ubique nitet, (vigeat quandoque) notandum eſt.
Sunt alia adverſo pugnantia ſidera mundo,
Quæ Cælum terramque inter volitantia pendent,
Saturni, Jovis, & Martis, Soliſque; ſub illis
Mercurius Venerem inter agit lunamque locatus.
Sunt etiam raræ ſortis natalis, euntes
Protinus & raptim. ſubitas candeſcere flammas
Aera per liquidum, tractoſque perire cometas
Rara per ingentes viderunt ſæcula motus.
Sive quod, ingenitum terra ſpirante vaporem,
Humidior ſicca ſuperatur ſpiritus aura:
Nubila cum longo ceſſant depulſa ſereno,
Et ſolis radiis areſcit torridus aer,
Apta alimenta ſibi demiſſus corripit ignis,
Materiamque ſui deprendit flamma rapacem.
Et quia non ſolidum eſt corpus, ſed rara vagantur
Principia aurarum, volucrique ſimillima fumo,
In breve vivit opus, cœptoque incendia fine
Subſiſtunt pariterque cadunt fulgente cometa.
Quod niſi vicinos agerent occaſibus ortus,
Et tam parva forent accenſis tempora flammis,
Alter nocte dies eſſet, Cœlumque rediret,
Immerſum & ſomno totum deprenderet orbem.
Tum quia non una ſpecie diſpergitur omnis
Aridior terræque vapor comprenditur igne,
Diverſas quoque per facies accenſa feruntur
Lumina, quæ ſubitis exiſtunt nata tenebris.

Nam modo ceu longi fluitent de vertice crines,
Flamma comas imitata volat, tenuiſque capillus
Diffuſos radiis ardentibus explicat ignes.
Nunc prior hæc ſpecies diſperſis ignibus exit,
Et globus ardentis ſequitur ſub imagine barbæ.
Interdum æquali laterum compagine ductus
Quadratamve trabem fingit, teretemve columnam.
Quin etiam tumidis exæquat dolia flammis
Procero diſtenta utero; parvoſque capillos
Mentitur parvos ignis glomeratus in orbes.
Hirta figuratur tremulo ſub lumine meſſis:
Lampadas & fiſſas ramoſos fundit in ignes.
Præcipites ſtellæ paſſimque volare videntur,
Cum vaga per liquidum ſcintillant lumina mundum;
Et tenues longis jaculantur crinibus ignes,
Exiliuntque procul volucres imitata ſagittas,
Arida cum gracili tenuatur ſemita filo.
Sunt autem cunctis permixti partibus ignes;
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes;
Et penetrant terras, Ætnamque minantur Olympo;
Et calidas reddunt ipſis in fontibus undas;
Ac ſilice in dura, viridique in cortice ſedem
Inveniunt, cum ſilva ſibi colliſa crematur.
Ignibus uſque adeo natura eſt omnis abundans.
Ne mirere faces ſubitas erumpere Cœlo;
Aeraque accenſum flammis lucere coruſcis,
Arida complexum ſpirantis ſemina terræ,
Quæ volucer paſcens ignis ſequiturque fugitque;
Fulgura cum videas tremulum vibrantia lumen
Imbribus in mediis; & Cælum fulmine ruptum.
Sive igitur ratio præbentis ſemina terræ,
Involvens ignes potuit generare cometas:
Sive illas natura faces ob juncta creavit
Sidera, per tenues Cælo lucentia flammas:
Seu trahit ad ſemet rapido Titanius æſtu,
Involvitque ſuo flammantes igne cometas,
Ac modo demittit, ſicut Cyllenius orbis,
Et Venus, accenſo cum ducit veſpere noctem,
Sæpe micant, falluntque oculos, rurſuſque reviſunt.
Seu Deus inſtantis fati miſeratus in orbem
Signa per affectus Cælique incendia mittit.
Numquam futilibus concanduit ignibus æther;
Squalidaque eluſi deplorant arva Coloni,
Et ſteriles inter ſulcos defeſſus arator
Ad juga mœrentes cogit fruſtrata juvencos.
Aut gravibus morbis, & lenta corpora tabe
Corripit exuſtis lethalis flamma medullis,
Tabenteſque rapit populos; totaſque per urbes,
Publica ſuccenſis peraguntur fata ſepulchris.
Qualis Erechtheos peſtis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cum fata ruebat.
Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant:
Ceſſerat officium morbis, & funera deerant
Mortibus & lacrimæ. feſſus defecerat ignis,
Et coacervatis ardebant corpora membris.
Ac tanto quondam populo vix contigit hæres.
Talia ſignificant lucentes ſæpe cometæ.
Funera cum facibus veniunt, terriſque minantur
Ardentes ſine fine rogos, cum mundus, & ipſa
Ægrotet natura novum ſortita ſepulchrum.
Quin & bella canunt ignes, ſubitoſque tumultus,
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.
Externas modo per gentes ut fœdere rupto
Cum fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitque trium legionum ſanguine campos,

Arſ

Arſerunt toto paſſim minitantia mundo
Lumina, & ipſa tulit bellum natura per ignes,
Oppoſuitque ſuas vires, finemque minata eſt.
Nec mirere graves hominum rerumque ruinas;
Sæpe domi culpa eſt. neſcimus credere Cælo.
Civiles etiam motus, cognataque bella
Significant. nec plura alias incendia mundus
Suſtinuit, quam cum ducibus jurata cruentis
Arma Philippæos implerunt agmine campos.
Vix etiam ſicca miles Romanus arena
Oſſa virum, laceroſque prius ſuperaſtitit artus:
Imperiumque ſuis conflixit viribus ipſum,
Perque Patris Pater Auguſtus veſtigia vicit.
Necdum finis erat, reſtabant Actia bella,
Dotali commiſſa acie, repetitaque rerum
Alea, & in ponto quæſitus rector Olympi,
Fœmineum ſortita jugum cum pompa pependit,
Atque ipſa Iſiaco certarunt fulmina ſiſtro.
Reſtabant profugo ſervilia milite bella,
Cum patrios armis imitatus filius hoſtes
Æquora Pompejus cepit defenſa parenti.
Sed ſatis hoc Fatis fuerit. jam bella quieſcant,
Atque adamanteis diſcordia cincta catenis
Æternos habeat frænos in carcere clauſa.
Sit Pater invictus patriæ, ſit Roma ſub illo:
Cumque Deum Cælo dederit, non quærat in orbe.

LIBER SECUNDUS.

Maximus Iliacæ gentis certamina Vates;
Et quinquaginta Regum Regemque Patremque;
Hectoreamque facem: tutamque ſub Hectore Trojam;
Erroremque ducis totidem, quot vicerat, annis
Inſtantis bello, geminata per agmina ponto;
Ultimaque in patria, captiſque penatibus, arma,
Ore ſacro cecinit, patria & cui jura petenti,
Dum dabat, eripuit: cujuſque ex ore profuſos
Omnis poſteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues auſa eſt deducere rivos
Unius fœcunda bonis. ſed proximus illi
Heſiodus memorat Divos, Divumque parentes:
Et Chaos enixum terras: Orbemque ſub illo
Infantem: primum titubantia ſidera corpus:
Titanas juviſſe Senis cunabula Magni:
Et ſub fratre viri nomen, ſine fratre, parentis:
Atque iterum patrio naſcentem corpore Bacchum:
Omniaque immenſo volitantia Numina mundo.
Quin etiam ruris cultus, legeſque rogavit,
Militiamque ſoli. quos colles Bacchus amaret:
Quos fœcunda Ceres campos: quod Bacchus utrumque:
Atque arbuſta vagis eſſent quod adultera pomis:
Silvarumque Deos, ſacrataque numina Nymphas:
Pacis opus, magnos naturæ condit in uſus.
Aſtrorum varias quidam dixere figuras,
Signaque diffuſo paſſim labentia Cælo,
In proprium cujuſque genus, cauſaſque tulere:
Perſea & Andromedæ pœnas; matremque dolentem;
Solventemque patrem: raptamque Lycaone natam
Officioque Jovis Cynoſuram; lacte Capellam:
Et furto Cycnum; pietate ad ſidera ductam
Erigonen; ictuque Nepam; ſpolioque Leonem;
Et morſu Cancrum; Piſces Cythereide verſa;
Lanigerum victo ducentem ſidera ponto.
Cæteraque ex variis pendentia caſibus aſtra,
Æthera per ſummum voluerunt fixa revolvi.
Quorum carminibus nihil eſt niſi fabula Cælum,
Terraque compoſuit Cælum, quæ pendet ab illo.
Quin etiam pecorum ritus, & Pana ſonantem
In calamos Sicula memorat tellure creatus:
Nec ſilvis ſilveſtre canit: perque horrida motus
Rura ferit dulces: Muſamque inducit in auras.
Ecce alius pictas volucres; & bella ferarum:
Ille venenatos angues: hic nata per herbas
Fata refert, vitamque ſua radice ferentes.
Quin etiam tenebris immerſum in Tartara natum
In lucem de nocte vocant, Orbemque revolvunt
Interius verſum, naturæ fœdere rupto.
Omne genus rerum doctæ cecinere ſorores:
Omnis ad acceſſus Heliconis ſemita trita eſt;
Et jam confuſi manant de fontibus amnes,
Nec capiunt hauſtum, turbamque ad nota ruentem.
Integra quæramus rorantes prata per herbas,
Undamque occultis meditantem murmur in antris,
Quam neque durato guſtarint ore volucres,
Ipſe nec æthereo Phœbus libaverit igne.
Noſtra loquar. nulli Vatum debebimus orſa.
Nec furtum, ſed opus veniet, ſoloque volamus
In Cælum curru: priva rate pellimus undas.
Namque canam tacita naturæ mente potentem,
Infuſumque Deum Cælo, terriſque, fretoque,
Ingentem æquali moderantem fœdere molem;
Totumque alterno conſenſu vivere mundum,
Et rationis agi motu, cum ſpiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget Orbem
Omnia pervolitans, corpuſque animale figuret.
Quod niſi cognatis membris contexta maneret
Machina, & impoſito pareret tota magiſtro,
Ac tantum mundi regeret prudentia cenſum:
Non eſſet ſtatio terris; non ambitus aſtris;
Hæreretque vagus mundus, ſtandoque rigeret;
Nec ſua diſpoſitos ſervarent ſidera curſus;
Noxque alterna diem fugeret, rurſumque fugaret;
Non imbres alerent terras; non æthera venti;
Non pontus gravidas nubes; nec flumina pontum;
Nec Pelagus fontes; nec ſtaret ſumma per omnes
Par ſemper partes æquo digeſta parente,
Ut neque deficerent undæ, nec ſidera nobis:
Nec Cælum juſto majuſve minuſve volaret.
Motus alit, non mutat opus. ſic omnia toto
Diſpenſata manent mundo, dominumque ſequuntur.
Hic igitur Deus & ratio, quæ cuncta gubernat,
Ducit ab æthereis terrena animalia ſignis,
Quæ cogit, quamquam longo ſummota receſſu,
Sentiri tamen, ut vitamque ac fata miniſtrent
Gentibus, ac proprios per ſingula corpora mores.
Nec minus eſt quærenda fides. ſic temperat arva
Cælum: ſic varias fruges redditque rapitque:
Sic pontum movet, & terris immittit & aufert.
Atqui hæc ſeditio Pelagi nunc ſidere Lunæ
Mota tumet, nunc diverſo ſtimulata receſſu:
Nunc anni ſpatio Phœbum comitata volantem.
Sic ſubmerſa fretis, concharum & carcere clauſa
Ad Lunæ motum variant animalia corpus:
Et cum damna tuas imitantur, Delia, vires,
Tu quoque fraternis reddis ſic oribus ora,
Atque iterum ex iiſdem repetis; quantumque reliquit,
Aut dedit ille, refers; & ſidus ſidere conſtat.
Denique ſic pecudes & muta animalia terris,

Cum

Cum maneant ignara ſui, legiſque per ævum,
Natura tamen ad Mundum revocante parentem,
Attollunt animos, cælumque ac ſidera ſervant;
Corporaque ad lunæ naſcentis cornua luſtrant:
Venturaſque vident hiemes, reditura ſerena.
Quis dubitet poſt hæc hominem conjungere cælo,
Cui eximiam natura dedit linguamque, capaxque
Ingenium, volucremque animum, quem denique in unum
Deſcendit Deus, atque habitat, ſeque ipſe requirit?
Mitto alias artes, quarum eſt permiſſa facultas,
Infidas adeo, nec noſtri munera cenſus.
Mitto quod æquali nihil eſt ſub lege tributum:
Mitto quod & certum eſt & inevitabile fatum:
Materiæque datum eſt cogi, ſed cogere mundo.
Quo patet auctoris ſummam, non corporis eſſe.
Quis cælum poſſit, niſi cæli munera noſſet,
Et reperire Deum, niſi quis pars ipſe Deorum eſt?
Atque hanc convexi molem* ſine fine parentis;
Signorumque Choros: ac mundi flammea tecta:
Æternum ac ſtellis adverſus ſidera bellum:
Ac terras cæloque fretum, ſubjectaque utrique
Cernere, & anguſto ſuo pectore claudere poſſit,
Ni tantos animis oculos natura dediſſet,
Cognatamque ſibi mentem vertiſſet ad ipſam,
Et tantum dictaſſet opus: cæloque veniret
Quod vocat in cælum, ſacra ad commercia rerum,
Et primas quas dant leges naſcentibus aſtra?
Quid neget eſſe nefas invitum prendere mundum,
Et velut in ſemet captum deducere in orbem?
Sed ne circuitu longo manifeſta probentur,
Ipſa fides operi faciet pondusque fidemque.
Nam neque decipitur ratio, nec decipit unquam.
Rite ſequenda via eſt a veris credita cauſis,
Eventuſque datus qualis prædicitur ante.
Quod fortuna ratum faciat, quis dicere falſum
Audeat, & tantæ ſuffragia vincere ſortis?
Hæc ego divino cupiam cum ad ſidera flatu
Ferre, nec in turbam, nec turbæ carmina dicam:
Sed ſolus vacuo veluti vectatus in orbe,
Verbere agam currus, non occurrentibus ullis;
Nec per iter ſocios commune gerentibus actus:
Sed cælo noſcenda canam, mirantibus aſtris,
Et gaudente ſui mundo per carmina vatis:
Vel quibus illa ſacros non invidere meatus,
Notitiamque ſui [minima eſt quæ turba per orbem].
Illa fluit, quæ divitias, quæ diligit aurum,
Imperia & faſces, mollemque per otia luxum,
Et blandis diverſa ſonis, dulcemque per aures
Affectum, at modico noſcenda ad Fata labore.
Hoc quoque Fatorum eſt legem prædiſcere Fati.
At primum aſtrorum varia eſt natura notanda
Carminibus per utrumque genus: nam maſcula ſunt ſex:
Diverſi totidem generis ſub principe Tauro
Alternant genus, & vicibus variantur in orbem.
Humanas etiam ſpecies in parte videbis:
Nec mores diſtant. pecudum pars atque ferarum
Ingenium facient. quin jam ſignanda ſagaci
Singula ſunt animo, propria quæ ſorte feruntur.
Nunc binis inſiſte: dabunt geminata potentes
Per ſocium effectus. multum comes addit & aufert:
Ambiguiſque valent, queis ſunt collegia, Fatis
Ad meritum noxamque. duos per ſidera Piſces,
Et totidem Geminos nudatis aſpice membris;
His conjuncta manent alterno brachia nexu.
Diſſimile eſt illis iter in contraria verſis.
Par numerus: ſed enim diſpar natura notanda eſt.
Atque hæc ex paribus toto gaudentia cenſu
Signa meant; nihil exterius mirantur in ipſis,
Amiſſumve dolent; quædam quod parte reciſa,
Atque ex diverſo commiſſis corpore membris,
Ut Capricornus, & hic qui tentum dirigit arcum
Junctus equo: pars huic hominis, ſed nulla priori.
Hoc quoque ſervandum eſt alta diſcrimen in arte:
Diſtat enim gemina duo ſint, duplave figura.
Quin etiam Erigone binis numeratur in aſtris,
Nec facie ratio duplex. nam deſinit Æſtas:
Incipit Autumnus media ſub Virgine utrimque.
Idcirco Tropicis præcedunt omnibus aſtra
Bina, ut Lanigero, Chelis, Cancroque, Caproque,
Quod duplices retinent connexo tempore vires.
Ut quod ſubſequitur Cancer per ſidera Fratres,
Ex Geminis alter florentia tempora Veris
Sufficit: Æſtatem ſubeuntem provehit alter.
Nudus uterque tamen, ſentit quia uterque calorem:
Ille ſeneſcentis Veris: ſubeuntis at ille
Æſtatis pars eſt, primæ ſors ultima partis.
Nec non Arcitenens, qui te, Capricorne, ſub ipſo
Præmittit, duplici formatus imagine fertur.
Mitior Autumnus molles ſibi vindicat artus
Materiamque hominis, fera tergo membra rigentem
Excipiunt hiemem, mittuntque in tempora ſignum.
Quoſque Aries præ ſe mittit duo, tempora Piſces
Bina dicant: hiemem claudit, ver inchoat alter.
Cum ſol æquoreis revolans decurrit in aſtris,
Hiberni coëant cum vernis roribus imbres.
Utraque ſors humoris habet fluitantia ſigna.
Quin tria ſigna novem ſignis conjuncta repugnant,
Et [illegible] aſpice Taurum,
C[illegible] ſurgat in [illegible]
Clunibus & Geminos pedibus, teſtudine Cancrum
Surgere, cum rectis oriantur cætera membris?
Nec mirere moram, cum ſol adverſa per aſtra
Æſtivum tardis attollat menſibus annum.
Nec te prætereat nocturna diurnaque ſigna
Quæ ſint perſpicere, & propria deducere lege,
Non tenebris aut luce ſuam peragentia ſortem,
[Nam commune foret nullo diſcrimine nomen,
Omnia quod certis vicibus per tempora fulgent,
Et nunc illa dies, nunc noctes illa ſequuntur:]
Sed quibus illa parens mundi natura ſacratas
Temporis attribuit partes ſtatione perenni.
Namque Sagittarii ſignum, rabidique Leonis,
Et ſua reſpiciens aurato vellere terga,
Nunc Piſces, nunc Cancer, & acri Scorpios ictu,
Aut vicina loco, diviſa aut partibus æquis,
Omnia dicuntur ſimili ſub ſorte diurna.
Cætera ſex numero, conſortia vel vice ſedis,
Interjecta locis totidem, nocturna feruntur.
Quin etiam ſex continuis dixere diurnas
Caſtris eſſe vices, quæ ſunt a principe ſigno
Lanigeri: ſex a Libra nocturna videri.
Sunt quibus eſſe diurna placet, quæ maſcula ſurgunt:
Feminea in noctem tutis gaudere tenebris.
Quin nonnulla tibi, nullo monſtrante, loquuntur
Neptuno debere genus, Scopuloſus ut undis
Cancer, & effuſo gaudentes æquore Piſces.
Ut quæ terrena cenſentur ſidera ſorte,
Princeps armenti Taurus, regnoque ſuperbus
Lanigeri gregis eſt Aries; Poſituſque duorum;
Prædatorque Leo; dumoſis Scorpius arvis.
Sunt etiam mediæ legis communia ſigna,
Humida terrenis æquali ſidere mixta:

Ambi-

Ambiguus terræ Capricornus & æquoris undis,
Parſque mari innitens fundentis ſemper Aquarii.
Non licet a minimis animum deflectere rebus:
Nec quidquam rationis eget, fruſtrave creatum.
Fœcundum eſt proprie Cancri genus: acer & ictu
Scorpius; & partu complentes æquora Piſces.
Sed ſterilis Virgo eſt ſimili conjuncta Leoni:
Nec capit, aut captos effundit Aquarius ortus.
Inter utrumque manet Capricornus corpore mixto;
Et qui contento fulget Centaurus in arcu;
Communiſque Aries æquantem tempora Libram,
Et Geminos Taurumque pari ſub ſorte recenſet.
Nec tu nulla putes in eo commenta vocaſſe
Naturam rerum, quod ſunt currentia quædam,
Ut Leo & Arcitenens, Arieſque in cornua tortus.
Aut quæ recta ſuis librantur ſtantia membris,
Ut Virgo & Gemini, fundens & Aquarius undas.
Vel quæ feſſa ſedent pigras referentia mentes;
Taurus depoſitis collo ſopitus aratris:
Libra ſub emerito confidens orbe laborum:
Tuque tuo, Capricorne, gelu contractus in aſtris:
Contra jacens Cancer patulam diſtentus in alvum:
Scorpius incumbens plano ſub corpore terræ:
In latus obliqui Piſces, ſemperque jacentes.
Quod ſi ſolerti circumſpicis omnia cura,
Fraudata invenies amiſſis ſidera membris:
Scorpius in Libra conſumit brachia: Taurus
Succidit in curvo claudus pede: lumina Cancro
Deſunt: Centauro ſupereſt & quæritur unum.
Sic noſtros caſus ſolatur mundus in aſtris,
Exemploque docet patienter damna ſubire,
Omnis cum cælo fortunæ pendeat ordo,
Ipſaque debilibus formentur ſidera membris.
Temporibus quoque ſunt propriis pollentia ſigna:
Æſtas a Geminis: Autumnus Virgine ſurgit:
Bruma Sagittifero: Ver Piſcibus incipit eſſe.
Quatuor in partes ſcribuntur ſidera terna:
Hyberna æſtivis, autumnis verna repugnant.
Nec ſatis eſt proprias ſignorum noſcere formas.
Conſenſu quoque Fata movent, & fœdere gaudent;
Atque aliis alia ſuccedunt ſorte locoque.
Circulus ut dextro ſignorum clauditur orbe,
In tres æquales diſcurrit linea ductus,
Inque vicem extremis jungit ſe finibus ipſa:
Et quæcumque ferit, dicuntur ſigna Trigona,
In tria partitus quod ter cadit angulus aſtra,
Quæ diviſa manent ternis diſtantia ſignis.
Laniger ut paribus ſpatiis duo ſigna, Leonis,
Atque Sagittarii, diverſo conſpicit ortu:
Virginis & Tauri Capricorno conſonat aſtrum.
Cætera ſunt ſimili ratione Triangula ſigna
Per totidem ſortes, quæ deſunt, condita mundo.
Sed diſcrimen erit dextris ſeu cauſa: ſiniſtra,
Quæ ſubeunt; quæ præcedunt, dextra eſſe feruntur.
Dexter erit Tauro Capricornus: Virgo, ſiniſtra.
Hoc ſatis exemplo eſt. ſic quæ diviſa quaternis
Partibus, æquali laterum ſunt condita ductu,
Quorum deſignat normalis virgula ſedes,
Dextra ferunt. Libram Capricornus ſpectat, & illum
Conſpicit hinc Aries: atque ipſum partibus æquis
Cancer: & hunc læva ſubeuntis ſidera Libræ.
Semper enim dextris cenſentur ſigna priora.
Sic licet in totidem partes deducere cuncta;
Ternaque bis ſenis quadrate fingere ſignis,
Quorum propoſito redduntur in ordine vires.
Sed ſi quis contentus erit numeraſſe quadrata,
Diviſum ut ſignis mundum putet eſſe quaternis:
Aut tria ſub quinis ſignis ornare Trigonum,
Ut ſocias vires & amicos exigat ortus,
Fœderaque inveniat mundi cognata per aſt ,
Falſus erit. nam quina licet ſint undique ſigna,
Qui tamen his ſignis, quæ quinto quoque feruntur
Aſtra loco, fuerint nati, ſentire Trigoni
Non poterunt vires; licet illud nomine ſervent,
Amiſere: loco dotes numeriſque repugnant.
Nam cum ſint partes orbis per ſigna trecentæ,
Et ter vicenæ, quas Phœbi circuit ardor,
Tertia pars ejus numeri latus efficit unum
In tres perducti partes per ſigna Trigoni.
Hanc autem numeri non reddit linea ſummam,
Si ſignum a ſigno, non pars a parte notetur;
Quod, quamvis duo ſint hæc a dirimentibus aſtra,
Si tamen extremam lævi primamve prioris
Inter ſe conferre voles, numerumque notare,
Ter quinquagenas implebunt ordine partes.
Tranſibit numerus formam, fineſque ſequentis
Conſumet ductus. licet ergo ſigna Trigona
Dicantur, partes non ſervant illa Trigoni.
Hæc eadem ſpecies fallet per ſigna Quadrata,
Quod cum totius numeri qui conſtruit orbem,
Ter triginta Quadrum partes per ſidera reddant,
Evenit, ut prima ſigni de parte prioris
Si partem ad ſummam ducatur virga ſequentis,
Bis ſexagenas faciat: ſin ſumma prioris,
Et pars confertur ſubjuncti prima, duorum
Signorum numerum medium tranſitque, refertque;
Triginta duplicat partes, pars tertia deerit:
Et quamvis quartum a quarto quis computet aſtrum,
Naufragium facient partes ipſius in ipſis.
Non igitur ſatis eſt ſignis numeraſſe Trigona:
Quadrative fidem cæli per ſigna quaterna.
Quadrati ſi forte voles effingere formam;
Aut trinis paribus facies cum membra Trigoni:
Hic poſcit quintam partem centeſima ſumma:
Illic amittit decimam. ſic convenit ordo.
Et queiſcumque quater cunctis favet angulus uſque,
Quæque loca in triplici ſignarit linea ductu,
Cum ſignata viæ linquet diſpendia rectæ,
His natura dedit communi fœdere legem,
Inque vicem affectus & mutua jura favoris.
Quocirca non omnis habens genitura Trigonos
Conſumet ductus. licet ergo ſigna Trigonæ
Dicantur partis: non ſervant illa Trigonis
Conſenſum ſignis. nec cum ſint ſorte Quadrata,
Continuo inter ſe ſervant commercia rerum.
Diſtat enim, an partes conſumat linea juſtas,
Detractetve modum numeri qyem circulus ambit:
Nunc tres efficiat, nunc quatuor undique ductus,
Quos in plura jubet ratio procedere ſigna
Interdum, quam ſint numeris memorata per orbem.
Sed longe major vis eſt per ſigna Trigoni,
Quam quibus eſt titulus ſub quarto quoque quadratus.
Altior eſt horum ſummoto linea Templo:
Illa magis vicina meat, cæloque recedit;
Et propius terras accedit viſus eorum,
Aeraque infectum noſtras dimittit ad auras.
Deviaque alternis data ſunt commercia ſignis:
Mutua nec magno conſenſu fœdera ſervant,
Invita anguſto quod linea flectitur orbe.
Nam tum per calles formantur ſingula limos
Sidera, & alterno divertitur angulus aſtro,
Sexque per anfractus curvatur virgula in orbem:

A Tau-

A Tauro venit in Cancrum : tum, Virgine tacta,
Scorpion ingreditur, quo te, Capricorne, rigentem,
Et geminos a te Piſces, adverſaque Tauro
Sidera contingens finit, qua cœperat, orbem.
Alterius ductus locus eſt per tranſita Signa.
Utque ea prætercam, quæ ſunt mihi ſingula dicta,
Flexibus hic totidem ſimilis fit circulus illi.
Tranſverſos igitur fugiunt ſubeuntia viſus,
Quod nimis inclinant, ac ne limiſque videntur,
Vicinoque latent. ex recto certior ictus.
Tertia convexo conduntur Signa receſſu;
Et quæ ſuccedit, connexa eſt linea Cælo,
Singula circuitu quæ tantum tranſeat aſtra.
Vis ejus procul eſt, altoque vagatur Olympo,
Et tenues vires ex longo mittit in Orbem.
Sed tamen eſt illis fœdus ſub lege propinqua,
Quod non diverſum genus eſt, quod euntibus aſtris,
Maſcula ſex Maribus reſpondent: cætera ſexus
Feminei ſic conjungunt commercia Mundi.
Sic, inquam, alternis paret natura figuris,
Et cognata jacent generis ſub legibus aſtra.
Jam vero nulla eſt hærentibus addita Signis
Gratia; nam conſenſus hebet, quia viſus ademptus.
In ſe cuncta ferunt animos, quæ cernere poſſunt.
Sunt & diverſi generis connexa per orbem
Maſcula Femineis, ſemperque obſeſſa viciſſim.
Diſparibus non ulla datur concordia Signis:
Sexta quoque in nullas memorantur commoda vires,
Virgula per totum quod par non ducitur orbem:
Sed duo Signa facit mediis ſummota quaternis,
Tertius abſumpto ductus non ſufficit orbe.
At quæ diverſis ex partibus aſtra refulgent,
Per medium adverſo Mundum pendentia vultu,
Et toto diviſa manent contraria Cælo.
Singula quæque loco quamvis ſummota ferantur,
Ex longo tamen illa valent, viresque miniſtrant
Vel bello, vel pace ſuas, ut tempora poſcunt;
Nunc Phœbo, ſtellis nunc & diſtantibus iras.
Quod ſi forte libet, quæ ſunt contraria Signa
Per titulos celebrare ſuos ſedeſque, memento
Solſtitium brumæ, Capricornum opponere Cancro:
Lanigerum Libræ, par nox in utroque dieſque:
Piſcibus Erigonen: Juvenique Urnæque Leonem:
Scorpius e ſummo cum fulget, Taurus in imo eſt:
Et cadit Arcitenens, Geminis orientibus orbi.
Obſervant inter ſeſe contraria curſus:
Sed quamquam adverſis fulgent contraria Signis,
Natura tamen interdum ſociata feruntur,
Et genere. exemplis Concordia mutua ſurgit,
Maſcula ſi paribus; vel ſi diverſa ſuorum
Reſpondent generi. Piſces & Virginis aſtrum
Adverſi volitant, ſed amant concordia jura,
Et vincit natura locum: ſed vincitur ipſa
Temporibus, Cancerque tibi, Capricorne, repugnat,
Femina femineo, quia Brumæ diſſidet æſtas.
Hinc rigor & glacies, nivibuſque albentia rura:
Hinc ſitis & ſudor, nuduſque in collibus Orbis,
Æſtivoſque dies æquat nox frigida brumæ.
Sic bellum natura gerit, diſcordat & annus.
Nec mirere in ea pugnantia ſidera parte.
At non Lanigeri Signum, Libræque repugnat
In totum, quia Ver Autumno tempore differt:
Fructibus hic implet maturis, floribus illud;
Sed ratione pares, æquali nocte diebus,
Temporaque efficiunt ſimili concordia textu,
Permixtoſque dies, mediis hiemem inter & æſtum
Articulis, uno ſervantia tempore utrimque,
Quo minus infeſto decertent ſidera Cælo.
Talis erit ratio diverſis addita Signis.
His animadverſis rebus, quæ proxima cura,
Noſcere tutelas, adjectaque Numina Signis;
Et quæ cuique Deo rerum natura dicavit,
Cum divina dedit magnis virtutibus ora,
Condidit & varias ſacro ſub nomine vires,
Pondus uti rebus perſona imponere poſſit.
Lanigerum Pallas: Taurum Cytherea tuetur:
Formoſos Phœbus Geminos: Cyllenie, Cancrum:
Juppiter & cum matre Deum regit ipſe Leonem:
Spiciferæ eſt Virgo Cereris: fabricataque Libra
Vulcano; pugnax Mavorti Scorpius hæret:
Venantem Diana virum, ſed partis equinæ;
Atque anguſta fovet Capricorni ſidera Veſta:
E Jovis adverſo Junonis Aquarius aſtrum eſt:
Agnoſcitque ſuos Neptunus in æquore Piſces:
Hinc quoque magna tibi veniant momenta futuri,
Cum ratio tua per ſtellas & ſidera curret,
Argumenta petes omni de parte, viaſque
Artis, ut ingenio Divina potentia ſurgat,
Exæquentque fidem Cæli mortalia corda.
Accipe diviſas hominis per ſidera partes,
Singulaque propriis parentia membra figuris,
In queis præcipuas toto de corpore vires
Exercent. Aries caput eſt ante omnia princeps
Sortitus: cenſuſque ſui pulcherrima colla
Taurus: & in Geminis æquali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris: pectuſque locatum
Sub Cancro eſt: laterum regnum, ſcapulæque Leonis,
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem:
Libra regit clunes: & Scorpius inguine gaudet:
Centauro femora accedunt: Capricornus utriſque
Imperat in genibus: crurum fundentis Aquarii
Arbitrium eſt: Piſceſque pedum ſibi jura repoſcunt.
Quin etiam propriis inter ſe legibus aſtra
Conveniunt, & certa gerunt commercia rerum:
Inque vicem præſtant viſus, atque auribus hærent:
Aut odium fœduſve gerunt: converſaque quædam
In ſemet proprio ducuntur plena favore.
Idcirco adverſis nonnumquam gratia Signis,
Et bellum ſociata gerunt, alienaque ſede
Inter ſe generant conjunctos omne per ævum:
Utrique & ſorti pugnant, fugiuntque viciſſim.
Sic Deus in leges Mundum cum conderet omnem,
Affectus quoque diviſit variantibus aſtris:
Atque aliorum oculos, aliorum contulit aures:
Junxit amicitias horum ſub fœdere certo,
Cernere ut inter ſe poſſint audireque quædam,
Diligerent alia, & noxas bellumque moverent:
His etiam propriæ foret indulgentia ſortis,
Ut ſe diligerent ſemper, ſibique ipſa placerent.
Sicut naturas hominum pleraſque videmus,
Qui genus ex Signis ducunt formantibus artus.
Conſilium ipſe ſuum eſt Aries, ut principe dignum eſt:
Audit ſe, Libramque videt, fruſtratur amando.
Taurus, Lanigero qui fraudem nectit, & ultra
Fulgentes videt atque audit per ſidera Piſces,
Virgine amans capitur. ſic quondam geſſerat ante
Europam dorſo retinentem cornua læva,
Indutuſque Jovi. Geminorum ducitur auris
Ad Juvenem æternas fundentem Piſcibus undas:
Inque ipſos animus Piſces; oculique Leonem.
Cancer (ut adverſo Capricornus conditur aſtro)
Vertitur in ſemet oculis; in mutua tendit

Auribus:

Auribus: at Cancri captatur Aquarius aſtro.
At Leo cum Geminis aciem conjungit, & aures
Centauro geminas; Capricorni diligit aſtrum.
Erigone Taurum ſpectat, ſed Scorpion audit,
Atque Sagittifero conatur nectere fraudem.
Libra ſuos ſequitur ſenſus, ſolumque videndo
Lanigerum, atque animo complexa eſt Scorpion infra.
Ille videt Piſces; audit, quæ eſt proxima Libræ.
Necnon Arcitenens magno parere Leoni
Auribus, atque oculis Signum fundentis Aquarii
Conſpicere aſſuevit; ſolamque ex omnibus aſtris
Diligit Erigonem. contra Capricornus in ipſum
Convertit viſus, (quid enim mirabitur ille
Majus, in Auguſti felix cum fulſerit ortum?)
Auribus & ſummi captat faſtigia Cancri.
Et nudus Geminis intendit Aquarius aurem,
Sublimemque colit Cancrum, ſpectatque reducta
Tela Sagittarii. Piſces ad Scorpion acrem
Direxere aciem, cupiuntque attendere Taurum.
Has natura vices tribuit, cum ſidera finxit.
His orti ſimiles referunt per mutua ſenſus,
Cum cupiunt audire alios, alioſque videre:
Horum odio, nunc horum iidem ducuntur amore:
Illis inſidias tendunt, captantur ab illis.
Quin adverſa meant etiamque Trigona Trigonis,
Altera quæ in bellum diverſo limite ducit
Linea. ſic veri per totum conſonat ordo:
Namque Aries, Leo & Arcitenens ſociata Trigono,
Signa negant Chelis fœdus, totique Trigono,
Quod Gemini excipiunt, fundens & Aquarius undas.
Idque duplex ratio cogit verum eſſe fateri.
Quod tria Signa tribus Signis contraria fulgent:
Quodque æterna manent hominum bella atque ferarum.
Humana eſt facies Libræ, diverſa Leonis.
Idcirco cedunt pecudes, queis viribus amplis
Conſilium eſt majus. victus Leo fulget in aſtris:
Aurea Lanigero conceſſit ſidera pellis:
Ipſe ſuæ parti Centaurus tergore cedit.
Uſque adeo eſt hominis virtus! quo mirer ab illis
Naſcentis Libræ ſuperari poſſe Trigonum.
Quin etiam brevior ratio eſt per Signa ſequenda:
Nam quæcumque nitent humana condita forma
Aſtra, manent illis inimica & victa ferarum.
Sed tamen in proprias ſecedunt ſingula mentes,
Et privata gerunt ſecretis hoſtibus arma.
Lanigero genitis bellum eſt cum Virgine natis,
Et Libra, & gemini Piſcis quos protulit unda.
In partes Tauri ſub Cancro nata feruntur
Pectora, & in Chelis, & quæ dat Scorpius acer,
Et Piſces. at quos Geminorum ſidera formant,
His cum Lanigero bellum eſt ejuſque Trigono.
In Cancro genitos Capricorni ſemina lædunt,
Et Libræ partus, & quos dat Virginis aſtrum.
Quique ſub adverſi numerantur ſidere Tauri.
Lanigeri communis erit rabidique Leonis
Hoſtis, ſed totidem bellum ſubſcribitur aſtris.
Erigone Taurumque timet, geminumque ſub arcu
Centaurum, & Piſces, & te, Capricorne, rigentem.
Maxima turba petit Libram, Capricornus, & illi
Adverſus Cancer, Chelis quod utrumque Quadratum eſt.
Quæque in Lanigeri numerantur Signa Trigono,
Scorpius in totidem fœcundus creditur hoſtis;
Æquoreum Juvenem, Geminos, Taurum atque Leonem,
Erigonen, Libramque fugit metuendus & ipſe.
Quique Sagittiferi veniunt de ſidere partus,
Hos Geminis nati, Libraque & Virgine & Urna
Depreſſiſſe volunt, natura & lege jubente.
Hæc eadem, Capricorne, tuis inimica feruntur.
Et quos æternis perfundit Aquarius undis,
Ad pugnam veniens agitat, totumque Trigonum
Turba, ſub unius Juvenis virtute, ferarum.
Piſcibus exortos vicinus Aquarius urget,
Et Gemini fratres, & quos dat Virginis aſtrum,
Quique Sagittiferi veniunt ſub ſidere nati.
Nec ſola hæc ratio, quæ dat naſcentibus arma,
Inque odium generat partus, & mutua velle:
Sed plerumque manent inimica tertia quæque
Lege, in tranſverſum vultu defixa maligno;
Quæque manent quocumque loco contraria Signa;
Adverſoſque gerunt inter ſe ſeptima viſus;
Tertia quæque illis utriſque Trigona feruntur.
Nec ſit mirandum, ſi fœdus non datur aſtris,
Quæ ſunt adverſis Signis cognata, Trigoni.
Per tot Signorum ſpecies contraria ſurgunt
Corpora, totque modis, quoties inimica creantur.
Perque tot ætates hominum, tot tempora & annos,
Tot bella, & varios etiam ſub pace labores,
Si Fortuna fidem quærat, vix invenit uſquam.
Ah! quanta eſt ſcelerum moles per ſæcula cuncta,
Quamque onus invidiæ non excuſabile terris!
Venales ad fata patres, matrumque ſepulchra:
Impoſuit Phœbus noctem, terraſque reliquit.
Quid loquar everſas urbes, & prodita Templa,
Et varias pacis clades, & mixta venena,
Inſidiaſque fori, cædes in mœnibus ipſis,
Et ſub amicitiæ graſſantem nomine turbam?
In populo ſcelus eſt, & abundant cuncta furore:
Et fas atque nefas mixtum, legeſque per ipſas
Sævit nequities. pœnas jam noxia vincit.
Scilicet, in multis quoniam diſcordia Signis
Corpora naſcuntur, pax eſt ſublata per Orbem,
Et fidei rarum fœdus, paciſque tributum.
Utque ſibi Cælum, ſic tellus diffidet ipſa;
Atque hominum gentes inimica ſorte feruntur.
Idcirco nihil ex ſemet Natura creavit
Pectore amicitiæ majus, nec rarius umquam.
Unus erat Pylades, unus qui mallet Oreſtes
Ipſe mori: lis una fuit per ſecula mortis,
Alter quod raperet fatum, non cederet alter.
Et duo quæ potuere ſequi vix noxia pœnis.
Optavitque reum ſponſor non poſſe reverti:
Sponſoremque reus timuit, ne ſolveret ipſum.
Si tamen & Cognata cupis dignoſcere Signa,
Quæ jungunt animos & amica ſorte feruntur;
Lanigeri partus cum toto junge Trigono.
Simplicior tamen eſt Aries, meliuſque Leone
Proſequitur genitos, & te, Centaure, creatos.
Qua colitur namque eſt natura mitius aſtrum,
Expoſitumque ſuæ noxæ ſine fraudibus ullis;
Nec minus ingenio molli, quam corpore conſtat.
Illis eſt feritas Signis, prædæque cupido,
Venaliſque animus nonnumquam excedere cogit
Commoditate fidem, nec longa eſt gratia facti.
At cum Lanigeri partui ſub utroque Trigono
Non parcit, ſed rara gerit pro tempore bella;
(Quod feritas utriuſque magis pro tempore cogit)
Plus tamen in duplici numerandum eſt roboris eſſe,
Cui commixtus homo eſt, quam te, Nemeææ, ſub uno.
Idcirco pax eſt Signis & mixta querela.
Quin etiam Tauri Capricorno jungitur aſtrum;
Nec magis illorum coeunt ad fœdera mentes.
Virgineos etiam partus, quicumque creantur

F Tauro,

Tauro, complecti cupiunt: ſed ſæpe queruntur.
Quosque dabunt Chelæ, & quos dat Aquarius ortus,
Unum pectus habent, fideique immobile vinclum.
Magnus erit Geminis amor & concordia duplex:
Magnus & in multos veniet ſucceſſus amicos.
Scorpius & Cancer fraterna in nomina ducunt
Ex ſemet genitos. illis, (nam ſæpe eſt ſubdolus actus,)
Scorpius aſpergit noxas ſub nomine amici.
At quibus in lucem Piſces venientibus adſunt,
His non una manet ſemper ſententia cordi:
Commutant animos interdum & fœdera rumpunt,
Ac repetunt: tectæque lues ſub fronte vagantur.
Sic erit ex Signis odium tibi paxque notanda.
In terris geniti tali ſub lege creantur.
  Nec ſatis eſt tantum ſolis inſiſtere Signis.
Contemplare locum Cæli, ſedemque Vagantum.
Parte genus variant; & vires linea mutat.
Nam ſua Quadratis veniunt, ſua jura Trigonis,
Et quæ per ſenos decurrit virgula ductus,
Quæque ſecant medium tranſverſo limite Cælum.
Hinc modo dat Mundus vires, modo detrahit idem:
Quæque illic ſumunt iras, hic acta reponunt;
Diſtat enim ſurgantne eadem, ſubeantne, cadantne.
Crebrius adverſis odium eſt: cognata Quadratis
Corpora cenſentur Signis: & amica trigonis.
  Nec ratio obſcura eſt, nam quartum quodque locavit
Ejuſdem generis Signum natura per orbem.
Quatuor æquali Cælum diſcrimine ſignant,
In quibus articulos anni Deus ipſe creavit.
Ver Aries: Cererem Cancer: Bacchumque miniſtrat
Libra: Caper Brumam genituſque ad frigora Piſcis.
Nec non & duplici quæ ſunt connexa figura,
Quartum quemque locum retinent. duo cernere Piſces
Et geminos Juvenes, duplicemque in Virgine formam,
Et duo Centauri licet uno corpore textos.
Sic & ſimplicibus Signis ſtat forma quadrata;
Nam neque Taurus habet comitem: nec jungitur ulli
Horrendus Leo: nec metuit ſine corpore quemquam
Scorpius: atque uno cenſetur Aquarius aſtro.
Sic quæcumque manent Quadrato condita templo
Signa, parem referunt numeris aut tempore ſortem;
Ac veluti cognata manent ſub fœdere tali.
Idcirco affines ſignant, gradibuſque propinquis
Accedunt, unaque tenent ſub imagine natos.
Quotquot Cardinibus proprio Quadrante moventur
Proxima, Vicinis ſubſcribunt. tertia quæque
Hoſpitibus. ſic aſtrorum ſervabitur ordo.
Quæ quamquam in partes diviſi quatuor orbis
Sidera Quadrata efficiunt, non lege Quadrati
Cenſentur: minor eſt numeri quam Cardinis uſus.
Longior in ſpatium porrecta eſt linea majus,
Quæ tribus emenſis Signis, facit aſtra Trigona.
Hæc ad amicitias imitantes jura gradumque
Sanguinis, atque animis hærentia pectora ducunt,
Utque ipſa ex longo coeunt ſummota receſſu:
Sic nos conjungunt majoribus intervallis.
Hæc meliora putant, mentes quæ jungere poſſunt,
Quam quæ nonnumquam fœdus ſub ſanguine fallunt.
  Jam nihil in totum ſervit ſibi, mixta feruntur.
Ipſis dant fines Aſtris, capiuntque viciſſim;
Quæ mihi mox certo digeſta ſub ordine ſurgent.
Adde ſuas partes Signis, ſua partibus aſtra:
Omnibus ex illis ratio eſt repetenda per artem,
Pacata infeſtis Signa ut perdiſcere poſſis.
  Perſpice nunc tenuem viſu rem, pondere magnam,
Quæ tantum Grajo ſignari nomine poſſit,
Dodecatemoria in titulo ſignantia cauſſas.
Nam cum tricenas per partes ſidera conſtent,
Rurſus bis ſenis numerus deducitur omnis.
Ipſa igitur ratio binas in partibus eſſe
Dimidiaſque docet partes. his finibus eſſe
Dodecatemorion conſtat, biſſenaque cuncta
Omnibus in Signis, quæ Mundi conditor ille
Attribuit totidem numero fulgentibus aſtris,
Ut ſociata forent alterna ſidera ſorte;
Et ſimilis Mundus ſibi, & omnia in omnibus aſtra,
Quorum mixturis regeret concordia corpus,
Et tutela foret communi mutua cauſſa.
  Idcirco quamquam Signis naſcuntur iiſdem,
Diverſos referunt mores, inimicaque vota:
Et ſæpe in pecudes errat natura, maremque
Femina ſubſequitur: miſcentur ſidere partus,
Singula diverſis variant quot partibus aſtra,
Dodecatemoriis proprias mutantia cauſſas.
Nam quid ſit, cujuſve canam, quove ordine conſtet,
Ne vagus ignotis Signorum partibus erres.
Ipſa ſuo retinent primas in corpore partes
Sidera: vicinis ſubeuntes attribuuntur:
Cetera pro numero ducunt ex ordine partes,
Ultima & extremis ratio conceditur aſtris.
Singula ſic retinent binas in ſidera quæque
Dimidiaſque ſui partes: & ſumma repletur
Sortibus exactis triginta ſidere in omni.
  Nec genus eſt unum, ratio nec prodita ſimplex,
Pluribus inque modis verum natura locavit,
Diduxitque vias, voluitque per omnia quæri.
  Hæc quoque comperta eſt ratio ſub nomine eodem:
Quacumque in parte, naſcentum tempore, Luna
Conſtiterit, numeris hanc ter diſpone quaternis,
(Sublimi totidem quia fulgent ſidera mundo:)
Inde ſuas illi Signo, quo Luna refulſit,
Et quæ dehinc fuerint, partes numerare memento.
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

  Proxima tricenas partes ſententia ducit:
Hic ubi deficiet numerus, tunc ſumma relicta
In binas ſortes adjecta parte locetur
Dimidia, reliquis tribuatur ut ordine Signis.
In qua deſtituet te, juſtum Luna tenebit
Dodecatemorion Signi. poſt cetera duces
Ordine quæque ſuo, ſicut ſtant aſtra locata.
  Hæc quoque te ratio ne fallat, perſpice paucis.
Major in effectu, minor eſt, quod partibus ipſis
Dodecatemorii quid ſit, quod dicitur eſſe
Dodecatemorion. namque id per quinque notatur
Partes; nam totidem præfulgent ſidera Cælo,
Quæ vaga dicuntur: ducunt & ſingula partes
Dimidias, vireſque in eis & jura capeſſunt.
  In quocumque igitur ſtellæ quandoque locatæ
Dodecatemorio fuerint, ſpectare decebit.
Cujus enim ſtellæ fines in ſidere quoque
Inciderint, dabit effectus in viribus ejus.
  Undique miſcenda eſt ratio, per quam omnia conſtant.
Verum hæc poſterius proprio cuncta ordine reddam.
Nunc ſatis eſt docuiſſe ſuos ignota per uſus,
Ut cum perceptis ſteterit fiducia membris,
Sic totum corpus facili ratione notetur.
Et bene de ſumma veniet poſt ſingula carmen.
  Ut rudibus pueris monſtratur littera primum
Per faciem nomenque ſuum; tum ponitur uſus:
Tum conjuncta ſuis formatur ſyllaba nodis:

Hinc

Hinc verbis ſtructura venit per verba legendi:
Tunc rerum vires atque artis traditur uſus,
Perque pedes proprios naſcentia carmina ſurgunt;
Singulaque in ſumma prodeſt didiciſſe priora.
Quæ niſi conſtiterint propriis fundata elementis,
Verſis, quæ propere dederint præcepta magiſtri,
Effluat in vanum rerum præpoſterus ordo.
Sic mihi per totum volitanti carmine Mundum
Erutaque obſtruſa penitus caligine Fata,
Pieridum numeris etiam modulata canenti,
Quaque Deus regnat revocanti numen ab arce,
Per partes ducenda fides, & ſingula rerum
Sunt gradibus tradenda ſuis, ut, cum omnia certa
Notitia ſteterint, proprios revocentur ad uſus.
Ac velut in nudis cum ſurgunt mœnibus urbes,
Conditor & vacuos muris circumdare colles
Deſtinat, ante manu quam tentet ſcindere foſſas,
Vertit opus; ruit ecce nemus; ſaltuſque vetuſti
Procumbunt, Solemque novum nova ſidera cernunt;
Pellitur omne loco volucrum genus atque ferarum,
Antiquaſque domos, & nota cubilia linquunt:
Aſt alii ſilicem in muros, & marmora Templis
Rimantur; ferrique rigor per tempora nota
Quæritur; hinc artes; hinc omnis convenit uſus;
Tunc demum conſurgit opus, cum cuncta ſuperſunt,
Ne medios rumpat curſus præpoſtera cura.
Sic mihi cunctanti tantæ ſuccedere moli,
Materies primum, rerum ratione remota,
Tradenda eſt, ratio ne ſit poſt irrita, neve
Argumenta novis ſtupeant naſcentia rebus.
Ergo age noſcendis animum compone ſagacem
Cardinibus, qui per Mundum ſunt quatuor omnes
Diſpoſiti ſemper, mutantque volantia Signa.
Unus ab exortu Cæli naſcentis in Orbem,
Qui primum terras æquali limite cernit.
Alter ab adverſa reſpondens ætheris ora,
Unde fugit Mundus, præcepſque in Tartara tendit.
Tertius excelſi ſignat faſtigia Cæli,
Quo defeſſus equis Phœbus ſubſiſtit anhelis,
Declinatque diem, mediaſque examinat umbras.
Ima tenet quartus fundato nobilis Orbe,
In quo principium eſt reditus, finiſque cadendi
Sideribus; pariterque Occaſus cernit & Ortus.
Hæc loca præcipuas vires, ſummoſque per artem
Fatorum effectus referunt, quod totus in illis
Nititur æthereis veluti compagibus Orbis,
Quæ niſi perpetuis alterna ſorte volantem
Curſibus excipiant, nectantque in vincula bina
Per latera, atque imum Templi, ſummumque cacumen,
Diſſociata fluat reſoluto machina Mundo.
Sed diverſa tamen vis eſt in Cardine quoque,
Et pro ſorte loci variant, atque ordine diſtant.
Primus erit ſummi qui regnat culmine Cæli,
Et medium tenui partitur limite Mundum,
Quem capit excelſa ſublimem gloria ſede.
Scilicet hæc tutela decet faſtigia ſumma,
Quidquid ut emineat ſibi vindicet, & deus omne
Adſerat, & varios tribuendo regnet honores.
Hinc favor & ſpecies, atque omnis gloria vulgi;
Reddere jura foro: componere legibus Orbem:
Fœderibuſque ſuis externas jungere Gentes:
Et pro ſorte ſua cujuſque extollere nomen.
Proximus, eſt ima quamquam ſtatione locatus,
Suſtinet æternis nixum radicibus Orbem:
Effectu minor in ſpecie, ſed major in uſu:
Fundamenta tenet rerum, cenſuſque gubernat:
Quam rata ſint foſſis ſcrutatur vota metallis,
Atque ex occulto quantum contingere poſſis.
Tertius æquali pollens in parte nitentem
Qui tenet exortum, qua primum ſidera ſurgunt:
Unde dies redit, & tempus deſcribit in horas;
Hinc inter Grajas Horoſcopus editur urbes,
Nec capit externum, proprio quia nomine gaudet.
Hic tenet arbitrium vitæ; atque hic regula morum eſt:
Fortunamque dabit rebus, ducetque per artes;
Qualiaque excipiant naſcentes tempora prima;
Quos capiant cultus; quali ſint ſede creati,
Utcumque admixtis ſubſcribant viribus aſtra.
Ultimus, emenſo qui condit ſidera Mundo,
Occaſumque tenens ſubmerſum reſpicit Orbem,
Pertinet ad rerum ſummas, finemque laborum;
Conjungitque epulas, extremaque tempora vitæ,
Otiaque & cœtus hominum, cultuſque Deorum.
Nec contentus eris percepto Cardine quoque,
Intercepta etiam memori ſunt mente notanda,
Per majus dimenſa, ſuas reddentia vires.
Quidquid ab exortu ſummum curvatur in Orbem,
Ætatis primæ, naſcentiſque aſſerit annos.
Quod ſummo premitur devexum culmine Mundi,
Donec ad Occaſus veniat, puerilibus annis
Succedit, teneramque regit ſub ſede juventam.
Quæ pars Occaſus interque imumque ſub Orbem
Deſcendit, regit hæc maturæ tempora vitæ,
Et propria ſerie, varioque exercita curſu.
At quæ perficitur curſu redeunte ſub imo.
Tarda ſupinatum laſſatis viribus arcum
Aſcendens, ſeros demum complectitur annos,
Labenteſque dies vitæ, tremulamque ſenectam.
Omne quidem Signum ſub qualicumque figura
Partibus inficitur Mundi; locus imperat aſtris,
Et dotes noxamque facit. vertuntur in orbem
Singula, & accipiunt vires, Cæloque remittunt.
Vincit enim natura genus, legeſque miniſtrat
Finibus in propriis, & prætereuntia cogit
Eſſe ſui moris, vario nunc dives honore,
Nunc ſterilis, pœnamque ferentia ſidera ſedis.
Quæ ſuper exortum eſt a ſummo tertia Cælo,
Infelix regio, rebuſque inimica futuris,
Et vitio fœcunda nimis. nec ſola, ſed illi
Par erit, adverſo quæ fulget ſidere ſedes
Juncta ſub Occaſu. ne præſtet Cardine Mundi,
Utraque præterita fertur dejecta ruina:
Porta laboris erit, ſcandendum eſt atque cadendum.
Nec melior ſuper Occaſum, contraque ſub Ortu
Sors agitur Mundi. præceps hæc, illa ſuperne
Pendens aut meruit vicino Cardine finem,
Aut fraudata cadet. merito Typhonis habentur
Horrendæ ſedes, quem Tellus ſæva profudit,
Cum bellum Cælo peperit, nec matre minores
Extiterunt partus: ſed fulmine rurſus in altum
Compulſi, monteſque ſuper rediere cadentes:
Ceſſit & in tumulum belli, vitæque Typhoeus:
Ipſa tremit mater flagranti monte ſub Ætna.
At quæ fulgenti ſequitur faſtigia Cælo
Proxima, [neve ipſi cedat qui fungitur alto,]
Spe melior, palmamque petens, victrixque priorum,
Altius inſurgit ſummæ comes addita fini:
Imperiiſque manent curſus, nec vota ſuperſunt.
Quocirca minime eſt mirum, ſi proxima ſummo,
Atque eadem interior veneranda ſorte dicatur:
Cui titulus felix, cenſum ſi proxima Grajæ
Noſtra ſubit linguæ, veterique a nomine nomen.

Jupiter hic habitat. Fortunæ crede regenti.
Huic in perverſum ſimilis dejecta ſub Orbe,
Imaque ſubmerſi contingens culmina Mundi,
Adverſa quæ parte nitet, defeſſa peracta
Militia, rurſuſque novo devota labori,
Cardinis & ſubitura jugum, ſortemque potentem,
Nondum ſentit onus Mundi, jam ſperat honorem.
Dæmoniem memorant Graii: Romana per ora
Quæritur inverſo titulus. ſub corde ſagaci
Conde locum, numenque Dei, nomenque potentis.
Quæ tibi poſterius magnos revocantur ad uſus,
His momenta manent noſtræ plerumque ſalutis,
Bellaque morborum tetris pugnantia telis.
Viribus ambiguum geminis, cauſaque diei,
Nunc huc, nunc illuc ſortem mutantis utramque.
Sed medium poſt caſtra diem, curvataque primum
Culmina nutantis ſummo de vertice Mundi,
Æthere Phœbus amat: ſub quo quoque corpora noſtra
Decernunt vitia, & fortunam ex viribus ejus
Concipiunt. Deus ille locus ſub nomine Graio
Dicitur. huic adverſa nitens, quæ prima reſurgit
Sedibus ex imis, iterumque reducit Olympum,
Pars Mundi, fulvumque nitet, noctemque gubernat,
Et dominam agnoſcit Phœben, fraterna videntem
Regna per adverſas Cœli fulgentia partes,
Fataque damnoſis imitantem finibus orbis.
Huic parti Dea nomen erit Romana per ora:
Græcia voce ſua titulum deſignat eumdem.
Arce ſed in Cæli, qua ſumma acclivia finem
Inveniunt, qua principium declivia ſumunt,
Culminaque inſurgunt Occaſus inter & Ortus,
Suſpenduntque ſuo libratum examine Mundum,
Aſſerit hanc Cytherea ſibi per ſidera ſedem,
Et veluti faciem Mundi ſua collocat ora,
Per quæ humana regit. propria huic eſt addita parti
Vis, ut connubia & thalamos, tædaſque gubernet.
Hæc tutela decet Venerem ſua tela movere.
Nomen erit Fortuna loco; quod percipe mente,
Ut brevia in longo compendia carmine præſtem.
At qua ſubſidit converſo Cardine Mundus
Fundamenta tenens, adverſum & ſuſpicit Orbem,
Ac media ſub nocte jacet, Saturnus in illa
Parte ſuas agitat vires, dejectus & ipſe.
Imperio quondam Mundi, ſolioque Deorum
Et pater in patrios exercet Numina caſus,
Fortunamque ſenum. prima eſt tutela duorum,
Naſcentum atque patrum, quæ Cæli condita pars eſt.
Aſperum erat tempus, titulum cui Græcia fecit
Dæmonium, ſignatque ſuas pro nomine vires.
Nunc age, ſurgentem primo de Cardine Mundum
Reſpice, qua ſolito naſcentia Signa recurſu
Incipiunt: udus gelidis & Phœbus ab undis
Enatat; & fulvo paulatim accenditur igne,
Et tua templa ferit, Maja Cyllenie nate,
O! facies ſignata nota, quod nomen & ipſi
Auctores tibi dant artis, quæ ducit Olympum,
In qua fortunam natorum condidit omnem
Natura, eque illa ſuſpendit vota parentum.
Unus in Occaſu locus eſt ſuper: ille ruentem
Præcipitat Mundum terris, & ſidera merſat,
Tergaque proſpectat Phœbi, qui viderat ora.
Ne mirere nigri ſi Ditis janua fertur,
Et finem vitæ retinet, mortique locatur.
Hinc etiam ipſe dies moritur, terraſque per Orbem
Subripit, & noctis captum ſub carcere claudit.
Nec non & Fidei tutelam vindicat ipſam,
Pectoris & pondus. tanta eſt in ſede poteſtas,
Quæ vocat & condit Phœbus, recipitque refertque,
Conſumitque diem. tali ſub lege notandæ
Templorum tibi ſunt vires, quas pervolat omnis
Aſtrorum ſeries, ducitque & commodat illis
Ipſa ſuas leges; ſtellæque ex ordine certo,
Ut natura ſinit, luſtrant, variaſque locorum
Efficiunt vires: utcumque aliena capeſſunt
Regna, & in extremis ſubſidunt hoſpita caſtris.
Hæc mihi ſub certa ſtellarum parte canentur.
Nunc ſatis eſt Cæli partes tituloſque notaſſe,
Effectuſque loci per ſe cujuſque, Deoſque,
Cui parti nomen poſuit, qui condidit artem,
Octotopos, per quos ſtellæ diverſa volantes,
Quos reddant motus, proprio venit ordine rerum.

LIBER TERTIUS.

IN nova ſurgentem, majoraque viribus auſum,
Nec per inacceſſos metuentem vadere ſaltus
Ducite Pierides; veſtros extendere fines
Conor, & indignos in carmina ducere cantus.
Non ego in excidium Cæli naſcentia bella,
Fulminis & flammas; partuſque in matre ſepultos;
Hectora venalem, cineri Priamumque ferentem;
Colchida nec referam vendentem regna parentis,
Et lacerum fratrem ſtupro; ſegeteſque virorum;
Taurorumque truces flammas; vigilemque Draconem;
Et reduces annos; auroque incendia facta;
Et male conceptos partus, pejuſque necatos.
Non annoſa canam Meſſanæ bella nocentis,
Septenoſque duces, ereptaque fulmine flammis
Mœnia Thebarum, & victam quæ vicerat urbem:
Germanoſque patris referam, matriſque nepotes:
Natorumque epulas, converſaque ſidera retro,
Ereptumque diem. nec Perſica bella profundo
Indicta, & magna Pontum ſub claſſe latentem,
Immiſſumque fretum terris, iter æquoris undis:
Non reges magnos. ſpatio majore canenda,
Quam ſi tacta loquar, Romanæ gentis origo;
Totque duces Orbis, tot bella, tot otia, & omnis
In populi unius leges ut ceſſerit Orbis,
Differtur. facile eſt ventis dare vela ſecundis:
Fœcundumque ſolum varias agitare per artes,
Auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipſa
Materies niteat. ſpecioſis condere rebus
Carmina vulgatum eſt opus, & componere ſimplex.
At mihi per numeros, ignotaque nomina rerum,
Temporaque & varios caſus, momentaque Mundi,
Quorum quæque vices, parteſque in partibus ipſis,
Luctandum eſt. quæ noſſe nimis: quod dicere quantum eſt
Carmine quod proprio, pedibus quod jungere certis!
Huc ades, o quicumque meis advertere cœptis
Aurem oculoſque potes, veras & percipe voces.
Non ad juratos Reges, Trojamque cadentem
Impendas animum, nec dulcia carmina quæras.
Ornari res ipſa negat contenta doceri,
Et ſi qua externa referentur nomina lingua,
Hoc operis, non Vatis erit. non omnia flecti
Poſſunt, & propria melius ſub voce notantur.
Nunc age, ſubtili rem ſummam perſpice cura,
Quæ tibi præcipuos uſus monſtrata miniſtrat,
Et certas dat in arte vias ad Fata canenda,

Si bene conſtiterit vigilanti condita ſenſu.
Principium rerum & cuſtos natura latentum,
Cum tantas ſtrueret moles per mœnia Mundi,
Et circumfuſis Orbem concluderet aſtris
Undique pendentem in medium, diverſaque membra
Ordinibus certis ſociaret corpus in unum,
Aeraque & terras, flammamque, undamque natantem
Mutua in alternum præbere alimenta juberet,
Ut tot pugnantes regeret concordia cauſas,
Staretque alterno religatus fœdere Mundus,
Exceptum a ſumma ne quid ratione maneret,
Et quod erat Mundi Mundo regeretur ab ipſo:
Fata quoque & vitas hominum ſuſpendit ab aſtris,
Quæ ſummas operum partes, quæ lucis honorem,
Quæ famam affererent, quæ numquam feſſa volarent,
Quæ quaſi per mediam Mundi præcordia partem
Diſpoſita obtineant; Phœbum Lunamque vagaſque
Evincant ſtellas, nec non vincantur & ipſa.
His regimen natura dedit, propriaſque ſacravit
Unicuique vices, ſanxitque per omnia ſummam,
Undique ne Fati ratio traheretur in unam.
Nam quodcumque genus rerum, quodcumque laborum,
Quæque opera, atque artes, quicumque per omnia caſus
Humana in vita poterant contingere, ſorte
Complexa eſt: tot & in partes, quot & aſtra locarat,
Res poſuit, certaſque vices: ſua nomina cuique
Attribuit, totumque hominis per ſidera cenſum
Ordine ſub certo duxit, pars ſemper ut eidem
Confinis parti vicinis ſtaret in arvis.
Horum operum ſortes ad ſingula Signa locavit,
Non ut in æterna Cæli ſtatione manerent,
Et cunctos hominum pariter traherentur in ortus
Ex iiſdem repetita locis: ſed tempore ſedes
Naſcentum acciperent proprias, Signiſque migrarent,
Atque aliis alio ſors quæque accederet aſtro,
Ut caperet genitura novam per ſidera formam,
Nec tamen incerto confunderet omnia motu:
Sed cum pars operum, quæ prima condita parte eſt,
Accepit propriam naſcentis tempore ſedem,
Cætera ſuccedunt, Signiſque ſequentibus hærent.
Ordo ducem ſequitur, donec venit orbis in orbem.
Has autem ſeries rerum per Signa locatas,
In quibus omnis erit fortunæ condita ſumma,
Ut quoniam ſtellæ ſeptem læduntve, juvantve,
Cardinibusque movet divina potentia Mundi:
Sic felix aut triſte venit per ſingula Fatum,
Talis & illius ſors eſt ſperanda Negoti.
Hæc mihi ſolemni ſunt ordine cuncta canenda,
Et titulis ſignanda ſuis, rerumque figuris,
Ut pateat poſitura operum, nomenque genuſque.
Fortunæ ſors prima data eſt. hoc illa per artem
Cenſetur titulo, qui proxima continet in ſe
Fundamenta domus, domuique hærentia cuncta:
Qui modus in ſervis, qui ſit conceſſus in arvis:
Quave datum magnas operum componere moles,
(Ut vaga fulgentis concordant ſidera Cæli.)
Poſt hanc militiæ locus eſt, qua quidquid in armis,
Quodque peregrinas inter verſantibus urbes
Accidere aſſuevit, titulo comprenditur uno.
Tertia ad Urbanos ſtatio eſt numeranda labores.
Hoc quoque militiæ genus eſt civilibus actis
Compoſitum, fideique tenet parentia vincla:
Format amicitias, & ſæpe cadentia fruſtra
Officia, & cultus: contingant præmia quanta
Edocet, [appoſitis Mundus cum conſonat aſtris.]
Judiciorum opus in quarto natura locavit,
Fortunamque fori: fundentem verba patronum;
Pendentemque reum lingua: Roſtriſque loquentem
Impoſitum, & populo nudantem condita jura:
Atque expenſa ſua ſolventem jurgia fronte,
Cum judex vero nihil amplius advocat ipſo.
Quidquid propoſitas inter facundia leges
Efficit, hoc totum partem conceſſit in unam,
Atque, (utcumque gerunt dominantia ſidera) paret.
Quintus Conjugio gradus eſt per Signa dicatus,
Et ſocios tenet, & comites, atque hoſpitium una
Jungitur, & ſimiles conjungens fœdus amicos.
In ſexta Dives numeratur copia ſede,
Atque adjuncta ſalus rerum. quarum altera, quanti
Contingant uſus, monet: altera, quam diuturni.
(Sidera ut inclinant vires, & templa gubernant.)
Septima cenſetur ſævis horrenda periclis,
(Si male ſubſcribunt ſtellæ per Signa locatæ.)
Nobilitas tenet octavam, quæ conſtat honoris
Conditio, & famæ modus, & genus, & ſpecioſo
Gratia prætextu. nonus locus occupat omnem
Natorum ſortem dubiam, patrioſque timores,
Omniaque infantum mixta nutritia turba.
Huic vicinus erit, vitæ qui continet actum:
In quo ſervorum mores, & qualibus omnis
Formetur domus exemplis; quoque ordine certo
Ad ſua compoſiti diſcedunt munera ſervi.
Præcipua undecima pars eſt in ſorte locata,
Quæ ſummam noſtri ſemper, vireſque gubernat:
Quaque valetudo conſtat, nunc libera morbis,
Nunc oppreſſa, (movent ut Mundum ſidera cumque.)
Non alia eſt ſedes, tempuſve genuſve medendi
Quæ ſibi depoſcat, vel cujus tempore præſtet
Auxilium, & vitæ ſuccos miſcere ſalubres.
Ultimus & totam concludens ordine ſummam
Rebus apiſcendis labor eſt, qui continet omnes
Votorum effectus; & quæ ſibi quiſque, ſuiſque
Proponit ſtudia, atque artes, hæc irrita ne ſint:
Seu ferat officium nutus blanditus in omnes:
Aſpera ſive foro per litem jurgia tentet,
Fortunamve petat pelago, ventiſque ſequatur:
Seu Cererem plenam, vincentemque horrea meſſem,
Aut repetat Bacchum per pinguia muſta fluentem.
Hac in parte dies atque hac momenta dabuntur,
Si bene conveniant ſtellæ per Signa ſequentes.
Quarum ego poſterius vires in utrumque valentes
Ordine ſub certo reddam, cum pandere earum
Incipiam effectus. nunc, ne permiſta legentem
Confundant, nudis ſatis eſt inſiſtere membris,
Et quoniam toto digeſtos orbe labores,
Nominaque in numerum, vireſque exegimus omnes,
(Athla vocant Graii) quæ cuncta negotia rerum
In genera & partes bis ſex diviſa cohærent.
Nunc quibus aſcendant Signis, quandoque canendum eſt;
Perpetuas neque enim ſedes, eademque per omnes
Sidera naſcentes retinent: ſed tempore mutant
Nunc huc, nunc illuc Signorum mota per orbem,
Incolumis tamen ut maneat, qui conditus ordo eſt.
Ergo age, nec falſa variet genitura figura,
Si ſua quemque voles revocare ad fata laborem,
Fortunæ perquire locum per ſidera cuncta,
(Quæ primo pars eſt numero ſic dicta ſub Athlis.)
Qui tibi cum fuerit certa ratione repertus,
Cætera prædicto ſubeuntibus ordine Signis
Conjunges, teneant proprias ut ſingula ſedes.
Et ne forte vagus Fortunæ quærere ſedem
Incipias, duplicem certa ratione capeſſe,

Cum

Cum tibi naſcentis percepto tempore forma
Conſtiterit Cæli ſtellis ad ſigna locatis,
Tranſverſo Phœbus ſi cardine celſior ibit,
Qui tenet exortum, vel qui demergit in undas,
Per tempus licet affirmes natum eſſe diei.
At ſi ſubjectis ſenis fulgebit in aſtris,
Inferior dextra lævaque tenentibus orbem
Cardinibus, noctis fuerit per tempora natus.
Hæc tibi cum fuerint certo diſcrimine nota,
Tunc ſi forte dies naſcentem exceperit alma,
A ſole ad Lunam numerabis in ordine partes
Signorum: Ortivo totidem de Cardine duces;
Quem bene partitis memorant Horoſcopon aſtris.
In quodcumque igitur numerus pervenerit aſtrum,
Hoc da fortunæ. junges tunc cætera Signis
Athla ſuis, certo ſubeuntibus ordine cunctis.
At cum obducta nigris nox orbem texerit alis,
Si quis erit, qui tum materna ceſſerit alvo,
Verte vias, ſicut naturæ vertitur ordo.
Conſule tunc Phœben imitantem lumina fratris
Semper, & in proprio regnantem tempore noctis.
Quotque ab ea Phœbus partes, & Signa recedit,
Tot numerare jubet fulgens Horoſcopus a ſe.
Hunc fortuna locum teneant, ſubeuntibus Athlis,
Ordine naturæ ſicut ſunt cuncta locata.
Forſitan & quæras agili rem corde notandam,
Qua ratione queas in tali tempore nati
Exprimere immenſo ſurgentem Horoſcopon orbe.
Quod niſi ſubtili viſum ratione tenetur,
Fundamenta ruunt artis, nec conſonat ordo.
Cardinibus quoniam falſis, qui cuncta gubernant,
Mentitur faciem mundus, nec conſtat origo,
Flexaque momento variantur ſidera templi.
Sed quanta effectu res eſt, tam plena laboris,
Curſibus æternis mundum per Signa volantem,
Ut totum luſtret curvatis arcubus orbem,
Exprimere, & vultus ejus componere certos,
Ac tantæ molis minimum deprendere punctum.
Quæ pars Exortum, vel quæ faſtigia mundi,
Aut ferat Occaſus, aut imo ſederit orbe.
Nec me vulgatæ rationis præterit ordo,
Quæ binas tribuit Signis ſurgentibus horas,
Et paribus ſpatiis æqualia digerit aſtra,
Ut parte ex illa, qua Phœbi cœperit orbis,
Diſcedat numerus, ſummamque accommodet aſtris,
Donec perveniat naſcentis tempus ad ipſum;
Atque ubi ſubſtiterit, Signum dicatur oriri.
Sed jacet obliquo Signorum circulus orbe,
Atque alia inflexis oriuntur ſidera membris:
Aſt illis magis eſt rectus ſurgentibus ordo,
Ut propius nobis aliquod, vel longius aſtrum eſt.
Vix finit luces Cancer, vix Bruma reducit:
Quam brevis illa jacet, tam longus circulus hic eſt.
Libra Arieſque parem reddunt noctemque diemque.
Sic media extremis pugnant, extremaque ſummis,
Nec nocturna minus variant, quam tempora lucis,
Sed tantum adverſis idem ſtat menſibus ordo.
In tam diſſimili ſpatio, variiſque dierum
Umbrarumque modis, quis poſſit credere in auras
Omnia ſigna pari mundi ſub lege meare?
Adde, quod incerta eſt horæ menſura, neque ullum
Altera par ſequitur: ſed ſicut ſumma dierum
Vertitur, & partes ſurgunt, rurſuſque recedunt,
Cum tamen in quocumque dies deducitur aſtro,
Sex habeat ſupra terras, ſex Signa ſub illis.
Quo fit, ut in binas non poſſint omnia naſci,
Cum ſpatium non ſit tantum pugnantibus horis,
Si modo bis ſenæ ſervantur luce ſub omni.
Quem numerum debet ratio, ſed non capit uſus.
Nec tibi conſtabunt aliter veſtigia veri,
Ni lucem noctemque pares dimenſus in horas,
In quantum vario pateant ſub tempore, noris;
Regulaque exactas primum formetur in horas,
Quæ ſegnemque diem, ſegnes perpendat & umbras.
Hæc erit in Libra, cum lucem vincere noctes
Incipiunt, vel cum medio concedere Vere.
Tunc etenim ſolum bis ſenis tempora in horas
Æqua patent, medio quod currit Phœbus Olympo.
Hic cum per gelidas hiemes, ſummotus in Auſtros,
Fulget in octava Capricorni parte biformis,
Tunc anguſta dies vernales fertur in horas
Dimidiam atque novem. ſed nox oblita diei
Bis ſeptem appoſita numerus ne claudicet hora
Dimidia. ſic in duodenas exit utrimque,
Et redit in ſolidum naturæ condita ſumma.
Inde cadunt noctes, ſurguntque in tempora luces;
Donec ad ardentis pugnarint ſidera Cancri.
Atque ibi, converſis vicibus, mutantur in horas
Brumales, noctemque dies, lucemque tenebræ
Hybernam referunt, alternaque tempora vincunt.
Nunc huc nunc illuc gradibus per ſidera certis
Impulſæ; quarum ratio manifeſta per artem
Collecta eſt, venietque ſuo per carmina textu.
Atque hæc eſt illas demum menſura per oras,
Quas rigat æſtivis gravidus torrentibus amnis
Nilus, & erumpens imitatur ſidera mundi
Per ſeptem fauces, atque ora fugantia pontum.
Nunc age, quot ſtadiis & quanto tempore ſurgant
Sidera, quotve cadant, animo cognoſce ſagaci,
Ne magna brevibus careant compendia dictis.
Nobile Lanigeri ſidus, quod cuncta ſequuntur,
Dena quater ſtadia exoriens: duplicataque ducit,
Cum cadit; atque horam ſurgens, ejuſque trientem
Occupat, occiduus geminat. cum cætera ſigna
Octonis creſcunt ſtadiis orientia in orbem;
Et totidem amittunt gelidas vergentia in umbras,
Hora novo creſcit per ſingula ſigna quadrante,
Tertiaque in quantas partes inducitur ejus.
Hæc ſunt ad Libræ ſidus ſurgentibus aſtris
Incrementa. pari momento damna trahuntur,
Cum ſubeant orbem; rurſuſque a ſidere Libræ,
Ordine mutato, paribus per tempora verſa
Momentis redeunt. nam per quot creverat aſtrum
Lanigeri ſtadia, aut horas, tot Libra recedit.
Occiduuſque Aries ſpatium, tempuſque cadendi,
Quod tenet, in tantum Chelæ conſurgere perſtant.
Ejus in exemplum ſe ſigna ſequentia vertunt.
Hæc ubi conſtiterint vigilanti condita mente,
Jam facile eſt, ſi quod quandoque horoſcopat aſtrum,
Noſcere, cum liceat certis ſurgentia ſigna
Ducere temporibus, propriiſque aſcribere in horas
Partibus, ut ratio ſignis ducatur ab illis,
In queis Phœbus erit, quorum mihi reddita ſumma eſt.
Illa etiam poterit naſcens via ducere ad aſtrum,
Quod quandoque vadis emiſſum redditur orbi.
Nam quota ſit lucis, ſi luce requiritur hora,
Aſpicies; atque hunc numerum revocabis in ipſum
Multiplicans decies, adjectis inſuper eidem
Quinque tamen ſummis, quia qualicumque ſub hora
Ter quinas mundi ſe tollunt ſidera partes.
Hic ubi conſtiterit numerus, conjungere & illas,
Quæ ſuperent Phœbo, partes per ſigna memento.

Ex hac

Ex hac tricenas ſumma per ſidera partes
Diſtribues; primamque vicem, quo Phœbus in aſtro
Fulſerit: hinc aliis, Solem quæcumque ſequentur.
Tum quo ſubſiſtet numerus conſumptus in aſtro,
Quave in parte ſuam ſummam, momenve relinquet,
Hæc erit exoriens & pars & forma. per ignes
Continua partes. ubi ſummam feceris unam,
Tricenas dabis ex illa per ſingula Signa,
Donec deficiat numerus, quaque illa ſub aſtri
Parte cadet, credas illam cum corpore natam
Eſſe hominis, pariterque orbem vidiſſe per ignes.
Sic erit ipſe tibi rapidis quærendus in aſtris
Natalis mundi, certoque Horoſcopus ortu,
Ut cum ex hoc ſedes ſteterit ſub Cardine primo,
Fallere non poſſit ſummi faſtigia Cæli
Signifer obliquus: ſtent fundamenta ſub Imo:
Stent veri ſtellarum ortus, verique ſubortus:
Denique ut in proprias vires, ſorteſque recedant.
Sed neque per terras omnes menſura dierum,
Umbrarumque eadem eſt; ſimili nec tempora ſumma
Mutantur. modus eſt varius. ratione ſub una
Numquam Phryxei ducuntur vellera Signi,
Chelarumque fides, juſtæque examina Libræ,
Omnia conſurgunt binas ſi Signa per horas.
Qua medius recto præcingitur ordine mundus,
Æqualiſque ſuper tranſverſum vertitur axem,
Illic perpetua junguntur pace diebus
Obſcuræ noctes: æquo ſtat fœdere tempus:
Nec manifeſta patet falſi fallacia mundi,
Et ſimilis ſimili toto non vertitur ævo:
Omnibus Autumnus Signis: Ver omnibus unum;
Una quod æquali luſtratur linea Phœbo.
Nec refert tunc quo Phœbus decurrat in aſtro:
Littoreumve coquat Cancrum; contrave feratur
Sideribus: mediis an quæ ſint quatuor inter.
Quod quamquam per tres Signorum circulus arcus
Obliquus jaceat, recto tamen ordine zonæ
Conſurgunt, ſupraque caput, terraſque feruntur:
Et paribus ſpatiis per ſingula luſtra reſurgunt:
Et bene diviſo mundus latet orbe, patetque.
At ſimul ex illa terrarum parte recedas,
Quidquid ab extremo temet præverteris axe,
Per convexa gradus greſſum veſtigia terræ,
Quam teretis natura ſoli decircinat orbem
In tumidum, & mediam mundo ſuſpendit ab omni:
Ergo ubi conſides, Orbem ſcandenſque rotundum
Digrediere, ſimul fugiet pars altera terræ,
Altera reddetur. ſed quantum inflexerit Orbis,
Tantum inclinabit Cæli poſitura volantis;
Et modo quæ fuerunt ſurgentia limite recto
Sidera, curvato ducuntur in æthera tractu:
Atque erit obliquus Signorum balteus orbe,
Qui tranſverſus erat ſpatio: quando illius una eſt,
Noſtræ mutantur ſedes. ergo ipſa moveri
Tempora jam ratio cogit, varioſque referre
Sub tali regione dies, cum ſidera flexo
Ordine conficiant curſus obliqua malignos;
Longius atque aliis aliud, propriuſve recumbat.
Pro ſpatio mora magna datur. quæ proxima nobis
Conſurgunt, longos Cæli viſuntur in orbes:
Ultima quæ effulgent, cæcis merguntur in umbris.
Et quanto ad gelidas propius quis venerit Arctos,
Tam magis officiunt oculis brumalia Signa,
Vixque ortus occaſus erit. ſi longius inde
Procedas, totis condentur ſingula membris,
Tricenaſque trahent connexo tempore noctes,
Et totidem luces adiment. ſic parva dierum
Efficitur mora, & attritis conſumitur horis,
Paulatimque perit ſtatio fulgentibus aſtris,
Pluraque per partes ſubrepto tempore Signa
Terræ quæruntur medio celata tumore,
Adducentque ſimul Phœbum, texentque tenebras,
Menſibus ereptis donec ſit debilis annus.
Si vero natura ſinat ſub vertice Cæli,
Quem gelidus rigidis fulcit compagibus axis,
Æternas ſuperare nives, Orbemque rigentem
Prona Lycaoniæ ſpectantem membra puellæ,
Stantis erit Cæli ſpecies: laterumque meatus
Turbinis in morem recta vertigine currit.
Inde tibi obliquo ſex tantum Signa patebunt
Circuitu, nullos umquam fugientia viſus,
Sed teretem acclivi Mundum comitantia ſemper.
Hic erit una dies per ſenos undique menſes,
Dimidiumque trahens contextis lucibus annum,
Numquam erit occiduus quod tanto tempore Phœbus,
Dum bis terna ſuis perluſtrat curſibus aſtra:
Sed circumvolitans recto verſatur ab orbe.
At ſimul e medio præceps deſcenderit orbe,
Inferiora petens dejecto ſidera curſu,
Et dabit in pronum laxas effuſus habenas,
Per totidem menſes junget nox una tenebras.
Vertice ſub Cæli nam quiſquis ſpectat ab omni,
Dimidium e toto Mundum videt Orbe rotundo:
Pars latet inferior. neque enim circumvenit illum
Recta acies, mediaque tenus diſtinguitur alvo.
Effugit ergo oculos ſummo ſpectantis ab Orbe,
Dum ſex ſubmerſis vectatur Phœbus in aſtris;
Adducitque ſimul luces, tenebraſque relinquit,
Sideribus donec totidem, quot menſibus actis,
Ceſſerat unde, redit; geminaſque aſcendit ad Arctos.
Hic locus in binas annum nocteſque dieſque
Per duo partitæ dirimit divortia terræ.
Et quoniam, quanto variantur tempora motu,
Et quibus e cauſis, dictum eſt; nunc accipe Signa
Quot ſurgant in quoque loco, cedantque per horas,
Partibus ut prendi poſſint orientia certis,
Ne falſus dubia ratione Horoſcopus erret.
Atque hoc in totum certa ſub lege ſequendum eſt,
Singula quod nequeant per tot diſtantia motus
Temporibus, numeriſque ſuis exacta referri,
A me ſumat iter poſitum ſibi quiſque, ſequatur,
Perque ſuos tendat greſſus, mihi debeat artem.
Quacumque hoc parti terrarum quiſque requirat,
Deducat proprias noctemque diemque per horas,
Maxima ſub Cancro minimis quæ cingitur umbris:
Et ſextam ſummæ, fuerit quæ forte, diurnæ
Vicino tribuat poſt Cancri templa Leoni.
At quæ nocturnis fuerit menſura tenebris,
In totidem partes ſimili ratione ſecanda eſt,
Ut quantum una ferat, tantum tribuatur ad ortus
Temporis adverſo naſcenti ſidere Tauro.
Has inter, quaſque accipiet Nemeæius horas,
Quod diſcrimen erit, per tres id divide partes,
Tertia ut accedat Geminis, quæ tempora Tauro
Vinciat; atque eadem Cancro; ſimiliſque Leoni.
Sic erit ad ſummam ratio perducta priorem,
Quomodo diviſis Nemeæus duxerit horis.
Inde pari Virgo procedat temporis auctu,
Sed certa ſub lege, prioris ſemper ut aſtri
Incolumem ſervet ſummam; creſcenſque novando.
His uſque ad denas horarum partibus auctis
Per totidem a Libra decreſcent ſidera partes.

Et

Et quantis in utrumque modis tollentur ad ortus,
Diverſam in ſortem tantis mergentur in umbras.
Hæc erit horarum ratio ducenda per Orbem,
Sidera ut in ſtadiis oriantur quæque, cadantque,
Quæ bis ter centum numeris, vicenaque conſtant.
Detrahitur ſummæ tota pars, quota demitur inde
Omnibus ex horis, æſtivæ nomine noctis
Solſtitium ſummo peragit cum Phœbus Olympo.
Quodque his exuperat demptis, id didito in æquas
Sex partes; ſextamque ardenti trade Leoni.
Rurſus qui ſteterit numerus ſub nomine noctis,
Ejus erit Signo Tauri pars ſexta dicanda.
Quodque hanc exuperat partem, ſuperatur ab illa,
Diſtinguitque duas medio diſcrimine ſummas:
Tertia pars ejus numero ſuperaddita Tauri,
Traditur & Geminis. ſimili tunc cetera lucro
Procedunt numeros ſemper turata priores,
Augebuntque novo vicinas momine ſummas,
Donec perveniant ad juſtæ tempora Libræ.
Ex illa totidem per partes ſic breviantur
Lanigeri ad fines: converſaque momina legem
Accipiunt, perduntque pares cedentia ſortes.
Hæc via monſtrabit ſtadiorum ponere ſummas,
Et numerare ſuos ortus per ſidera cuncta.
Quod bene cum propriis ſimul acceptaveris horis,
In nulla fallet regione Horoſcopus umquam,
Cum poterunt certis numerari ſingula ſigna
Temporibus parte ex illa, quam Phœbus habebit.
Nunc quibus hiberni momentis ſurgere menſes
Incipiant, [neque enim paribus per ſidera cuncta
Procedunt gradibus, nivei dum vellera Signi
Contingunt, æquum luces cogentia & umbras
Ferre jugum], magna eſt ratio breviterque docenda.
Principio capienda tibi eſt menſura diei,
Quam minimam Capricornus agit: noctiſque per horas
Quam ſummam. quoque ab juſto ſuperaverit umbra,
Et trepident luces, ejus pars tertia Signo
Tradenda eſt medio ſemper: qua ſorte retenta
Dimidio vincat primum, vincatur & ipſum
Extremo. totum in partes ſic digere tempus.
His opibus tria Signa valent, ſed ſumma prioris
Accedit numeri conjuncta ſequentibus aſtris.
Ceſſerit ut, ternis fuerit ſi longior horis
Brumali nox ſorte die, Capricornus ut hora
Dimidia attollat luces; & Aquarius horam
Ipſe ſuam proprie ducat, ſummæque priori
Adjungat; Piſces tantum ſibi temporis ipſi
Conſtituant, quantum accipiant de ſorte priorum.
Et tribus expletis horis noctemque diemque
Lanigero tradunt æquandam tempore Veris.
Incipit a ſexta tempus procedere parte
Dividuum: duplicant vires hærentia Signa,
Ultimaque acceptas triplicant. ita ſumma diebus
Cedere diverſa labentia tempora lege.
Jamque Aries totidem deducit noctibus horas,
Quot prius abſtulerant proprio ſub nomine Piſces.
Hora datur Tauro; cumulentque ut damna priora,
Dimidiam adjungunt Gemini. ſic ultima primis
Redditur. æquatæ ſolvuntur fœnore noctes.

* *

(Rurſus & incipiunt propria de ſorte diebus:
Reſpondent pariterque illis, quæ proxima fulgent,
Et media æquatis cenſentur viribus aſtra,
Præcipuoſque gerunt varianda ad tempora motus.)
Hac vice decedunt noctes a ſidere Brumæ,
Tolluntur que dies, annique invertitur orbis,
Solſtitium tardi cum ſit ſub ſidere Cancri;
Tuncque diem Brumæ nox æquat: tempora noctis
Longa dies: ſimilique redit, quam creverat, actu.
Nunc ſua reddentur generatim tempora Signis,
Quæ diviſa etiam proprios ducuntur in annos,
Et menſes, luceſque ſuas, horaſque dierum,
Per quos præcipuas oſtendunt ſingula vires.
Primus erit Signi, quo Sol effulſerit, annus,
Annum quod luſtrans conſummat tempora Mundi.
Proximus atque alii ſubeuntia Signa ſequuntur.
Luna dabit menſes, peragit quod menſtrua curſum.
Tutelæque ſuæ primas Horoſcopus horas
Aſſerit, atque dies, traditque ſequentibus aſtris.
Sic annum, menſeſque ſuos natura, dieſque
Atque ipſas voluit numerari Signa per horas,
Omnia ut omne foret diviſum tempus in aſtra;
Perque alterna ſuos variaret ſidera motus,
Ut cujuſque vices ageret redeuntis in orbem.
Idcirco tanta eſt rerum diſcordia in ævo,
Et ſubtexta malis bona ſunt, lacrimæque ſequuntur
Vota, nec in cunctis ſervat Fortuna tenorem:
Uſque adeo permixta fluit nec permanet uſquam:
Amiſitque fidem variando cuncta per omnes.
Non annis anni, non menſes menſibus uſque
Conveniunt, ſeque ipſe dies, aliumque requirit,
Horaque non ulli ſimilis perducitur horæ.
Tempora quod ſiſtant propriis parentia Signis,
Per numeros omnes ævi diviſa volantis;
Taleſque efficiunt menſes, caſuſque minantur,
Qualia ſunt, quorum vicibus convertimur, aſtra.
Sunt, quibus ut Cæli pateat naſcentis ab horæ
Sidere, quem memorat, Horoſcopus inventuris,
(Parte quod ex illa deſcribitur hora diebus,)
Omne genus rationis agi per tempora & aſtra,
Et capite ex uno menſes, annoſque dieſque
Incipere, atque horas, tradique ſequentibus aſtris;
Et, quamquam ſocia naſcantur origine cuncta,
Diverſas tamen eſſe vices, quod tardius illa,
Hæc citius peragunt orbem. venit omnis ad aſtrum
Hora die bis; menſe dies: ſemel unus in anno
Menſis; & exactis bis ſex jam Solibus annus.
Difficile eſt in idem tempus concurrere cuncta,
Unius ut Signi pariter ſit menſis & annus.
Aſperiorem ut agat menſem, ſi menſis in aſtrum
Lætius inciderit: Signum ſit triſte diei,
Si Fortuna diem foveat, ſit durior hora.
Idcirco nihil in totum ſibi credere fas eſt,
Non annos Signis, menſes vertentibus annis,
Menſibus aut luces, aut omnes lucibus horas;
Quod nunc illa nimis properant, nunc illa morantur,
Et modo deeſt aliud, modo adeſt, vicibuſque recedit,
Aut redit, atque alio mutatur tempore tempus
Interpellatum variata ſorte dierum.
Et quoniam dixi per ſingula tempora vitæ,
Quod quandoque genus venit, cujuſque ſit aſtri
Quiſque annus, cujus menſis, ſimul hora, dieſque:
Altera nunc ratio, quæ ſummam continet ævi,
Reddenda eſt; quot quæque annos dare Signa feruntur,
Quæ tibi, cum finem vitæ per ſidera quæris,
Reſpicienda manet ratio, numeriſque notanda.
Bis quinos annos Aries, unumque triente
Fraudatum dabit. appoſitis, tu, Taure, duobus
Vincis: ſed totidem Geminorum vinceris aſtro.
Tuque bis octavos, Cancer, binoſque trientes,
Biſque novem, Nemeæ, dabis, beſſemque ſub illis.
Erigone geminatque decem, geminatque trientem.

Nec

Nec plures fuerint Libræ, quam Virginis anni.
Scorpius æquabit tribuentem dona Leonem,
Centauri fuerint eadem, quæ munera Cancri.
Ter quinos, Capricorne, dares, ſi quatuor eſſent
Appoſiti menſes. triplicabit Aquarius annos
Quatuor, & menſes vitam producit in octo.
Piſces ac Aries & ſorte & finibus hærent:
Luſtra decem tribuent Solis cum menſibus octo.
Nec ſatis eſt annos Signorum noſcere certos;
Ne lateat ratio finem quærentibus ævi,
Templa quoque & partes Cæli ſua munera norunt,
Et proprias tribuunt certo diſcrimine ſummas,
Cum bene conſtiterit ſtellarum conditus ordo.
Sed mihi templorum tantum nunc jura canentur:
Mox veniet mixtura ſuis cum viribus omnis;
Cum bene materies fuerit præcognita rerum,
Non interpoſitis turbabitur undique membris.
Si bene conſtiterit primo ſub Cardine Luna,
Quo redit in terras Mundus, naſcenſque tenebit
Exortum, octonos decies ducetur in annos,
Si duo decedant. at cum ſub Culmine ſummo
Conſiſtet, tribus hic numerus fraudabitur annis.
Bis quadragenis Occaſus dives in actu
Solis erit, numero niſi deeſſet Olympias una.
Imaque tricenos bis fundamenta per annos
Cenſentur, bis ſex adjectis menſibus anno.
Quodque prius natum fuerit dextrumque Trigonum,
Hoc ſexagenos tribuit, duplicatque quaternos.
Quod fuerit lævum, prælataque Signa ſequetur,
Tricenos annos duplicat, tres inſuper addit.
Quæque ſuper Signum naſcens hoc ordine primum
Tertia forma eſt, & ſummo jam proxima Cælo,
Hæc ter vicenos geminat, tres attrahit annos.
Quæque infra veniet ſpatio diviſa ſub æquo,
Per quinquagenas complet ſua munera brumas.
Quemque locum ſuperat naſcens Horoſcopus, ille
Dena quater revocat vertentis tempora Solis,
Accumulatque duos curſus, juvenemque relinquit.
At qui præcedit ſurgentis Cardinis horam,
Vicenos ternoſque dabit naſcentibus annos,
Vix deguſtatam rapiens ſub flore juventam.
Quod ſuper Occaſus eſt, templum dena remittit
Annorum ſpatia, & decimam tribus applicat auctis.
Inferius puerum interimet, bis ſexque peractis
Immatura trahet fatalis corpora morbus.
Sed tamen imprimis memori ſunt mente notanda,
Partibus adverſis quæ ſurgunt condita Signa,
Diviſumque tenent æquo diſcrimine Cælum,
Quæ Tropica appellant, quod in illis quatuor anni
Tempora vertuntur Signis, nodoſque reſolvunt,
Totumque emittunt converſo Cardine Mundum,
Inducuntque novas Operum Rerumque figuras.
Cancer ad Æſtivæ fulget faſtigia zonæ,
Extenditque diem ſummum, parvoque receſſu
Deſtruit, ut, quanto fraudavit tempore luces,
In tantum noctes augeſcat ſumma per omnes.
Tum Cererem fragili properat diſtinguere culmo
Campus, & in varias diſtringunt membra palæſtras:
Et tepidum Pelagus ſedatis languet in undis.
Tunc & bella fero tractantur Marte cruenta;
Nec Scythiam defendit hiems: Germania ſicca
Jam tellure fugit; Niluſque tumeſcit in arva.
Hic rerum ſtatus eſt, Cancri cum ſidere Phœbus
Solſtitium facit, & ſummo verſatur Olympo.
Parte ex adverſa Brumam Capricornus inertem
Per minimas cogit luces, & maxima noctis
Tempora, producitque diem, tenebraſque reſolvit,
Inque vicem nunc damna facit, nunc tempora ſupplet.
Tunc riget omnis ager: clauſum mare: condita caſtra.
Nec tolerant medias hiemes ſudantia ſaxa:
Statque uno natura loco: paulumque quieſcit.
Proxima in effectu ſimiles referentia motus
Eſſe ferunt, noctes æquantia Signa diebus.
Namque Aries Phœbum repetentem ſidera Cancri
Inter principium reditus, finemque coercet,
Tempora diviſo jungens concordia Mundo:
Convertitque vices, victumque ad ſidera Brumæ
Exuperare diem jubet, & ſuccumbere noctes,
Æſtivi donec veniant ad ſidera Cancri.
Tum primum miti pelagus conſternitur unda;
Et varios audet flores emittere tellus.
Tunc pecudum, volucrumque genus per pabula læta
In Venerem, partumque ruit; totumque canora
Voce nemus loquitur, frondemque vireſcit in omnem.
Viribus in tantum ſegnis natura movetur.
Huic ex adverſo ſimili cum ſorte refulget
Libra diem noctemque pari cum fœdere ducens,
Tantum quod victas uſque ad ſe vincere noctes
Ex ipſa jubet ad Brumam, cum tempora vincunt.
Tunc Liber gravida deſcendit plenus ab ulmo,
Pinguiaque expreſſis deſpumant muſta racemis.
Mandant & ſulcis Cererem, dum terra tepore
Autumni reſoluta patet, dum ſemina ducit.
Quatuor hæc in arte valent, & tempora vertunt;
Sic hos atque illos rerum flectentia caſus,
Nec quidquam in prima patientia ſede manere.
Sed non per totas æqua eſt verſura figuras,
Omnia nec plenis vertuntur ſidera Signis.
Una dies ſub utroque æquat ſibi tempore noctem;
Nam Libra atque Aries Autumnum Verque figurant.
Una dies toto Cancri longiſſima Signo,
Cui nox æqualis Capricorni ſidere fertur.
Cætera nunc urgent vicibus, nunc tempora cedunt.
Una ergo in Tropicis pars eſt cernenda figuris,
Quæ moveat Mundum; quæ rerum tempora mutet;
Fata novet; conſulta alios declinet in uſus;
Momina in adverſum flectat, rurſuſque reſolvat.
Has quidam vires octava in parte reponunt,
Sunt quibus eſſe placet decima. nec defuit auctor,
Qui primæ momenta daret, frenoſque dierum.

LIBER QUARTUS.

Quid tam ſollicitis vitam conſumimus annis?
Torquemurque metu, cœcaque cupidine rerum?
Æterniſque ſenes curis, dum quærimus ævum,
Perdimus, & nullo votorum fine beati
Victuros agimus ſemper, nec vivimus umquam?
Pauperiorque bonis quiſque eſt, quo plura requirit;
Nec quod habet, numerat: tantum quod non habet, optat?
Cumque ſui parvos uſus natura repoſcat,
Materiam ſtruimus magnæ per vota ruinæ;
Luxuriamque lucris emimus, luxuque rapinas;
Et ſummum cenſus pretium eſt effundere cenſum?
Solvite, mortales, animos, curaſque levate,
Totque ſupervacuis vitam deplete querelis.
Fata regunt Orbem, certa ſtant omnia lege:
Longaque per certos ſignantur tempora caſus.
Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Tunc & opes, & regna fluunt & ſæpius orta
Paupertas, arteſque datæ, moreſque creati,
Et vitia, & clades, damna & compendia rerum.
Nemo caret damno, poterit nec habere negatum;
Fortunamve ſuis invitam prendere votis,
Aut fugere inſtantem. ſors eſt ſua cuique ferenda.
An niſi Fata darent leges vitæque neciſque,
Fugiſſent ignes Æneam? Troja ſub uno
Non everſa viro fatis viciſſet in ipſis?
Aut Lupa projectos nutriſſet Martia fratres?
Romaque ſic enata foret, pecudumque magiſtri
In Capitolinos auxiſſent culmina montes,
Includive ſua potuiſſet Jupiter arce?
Captus & a captis Orbis foret? igne ſepulto
Vulneribus victor repetiſſet Mutius Urbem?
Solus & oppoſitis clauſiſſet Horatius armis
Pontem Urbemque ſimul? rupiſſet fœdera Virgo?
Treſque ſub unius fratres virtute jacerent?
Nulla acies vicit tantum. pendebat ab uno
Roma viro, regnumque Orbis ſortita jacebat.
Quid referam Cannas, admotaque mœnibus arma?
Varronemque pigrum Magnum, quod vivere poſſet?
Poſtque tuos, Thraſymene, lacus? Fabiumque morantem?
Accepiſſe jugum victas Carthaginis arces?
Speratum Annibalem noſtris cecidiſſe catenis,
Exiliumque rei furtiva morte luiſſe?
Adde etiam vires Italas, Romamque ſuiſmet
Pugnantem membris? adice & civilia bella?
Et Cimbrum in Mario, Mariumque in carcere victum;
Quod conſul toties, exulque, ex exule conſul;
Et jacuit Libycis compar jactura ruinis,
Eque crepidinibus cepit Carthaginis urbem?
Hoc niſi fata darent, numquam Fortuna tuliſſet.
Quis te Niliaco periturum littore, Magne,
Poſt victas Mithridatis opes, pelaguſque receptum,
Et tres emenſo meritos ex orbe triumphos,
Cum jam etiam poſſes alium cognoſcere Magnum,
Crederet, ut corpus ſepeliret naufragus ignis,
Ejectæque rogum facerent fragmenta carinæ?
Quis tantum mutare poteſt ſine Numine Fati?
Ille etiam Cælo genitus, Cæloque receptus,
Cum bene compoſitis victor civilibus armis
Jura Togæ regeret, toties prædicta cavere
Vulnera non potuit, toto ſpectante Senatu,
Indicium dextra retinens, nomenque cruore
Delevit proprio, poſſent ut vincere Fata.
Quid numerem everſas urbes, Regumque ruinas?
Inque rogo Crœſum, Priamumque in littore truncum,
Cui nec Troja rogus? quid Xerxem, majus & ipſo
Naufragium Pelago? quid capto ſanguine Regem
Romanis poſitum? raptoſque ex ignibus ignes,
Cedentemque viro flammam, qui templa ferebat?
Quot ſubitæ veniunt validorum in corpore mortes?
Seque ipſæ rurſus fugiunt, errantque per ignes?
Ex ipſis quidam elati rediere ſepulchris:
Atque his vita duplex, illis vix contigit una:
Ecce levis perimit morbus, graviorque remittit;
Succumbunt artes, rationis vincitur uſus;
Cura nocet, ceſſare juvat: mora ſæpe malorum
Dat cauſſas: læduntque cibi, parcuntque venena.
Degenerant nati patribus, vincuntque parentes,
Ingeniumque ſuum retinent: tranſitque per illum,
Ex illo Fortuna venit: furit alter amore,
Et Pontum tranare poteſt, & vertere Trojam:
Alterius ſors eſt ſcribendis legibus apta:
Ecce patrem nati perimunt, natoſque parentes:
Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres.
Non noſtrum hoc bellum eſt: coguntur tanta moveri:
Inque ſuas ferri pœnas, lacerandaque membra.
Quod Decios non omne tulit, non omne Camillos
Tempus, & invictum devicta morte Catonem,
Materies in rem ſuperat, ſed lege repugnat.
Et neque paupertas breviores excipit annos:
Nec ſunt immenſis opibus venalia Fata:
Sed rapit ex ſceptro funus Fortuna ſuperbo,
Inducitque rogum Summis ſtatuitque ſepulchrum.
Quantum eſt hoc regnum, quod regibus imperat ipſis!
Quin etiam infelix virtus, & noxia felix:
Et male conſultis pretium eſt; prudentia fallit:
Nec Fortuna probat cauſſas, ſequiturque merentes;
Sed vaga per cunctos nullo diſcrimine fertur.
Scilicet eſt aliud, quod nos cogatque rogatque,
Maius, & in proprias ducat mortalia leges,
Attribuatque ſuos ex ſe naſcentibus annos,
Fortunæque vices. permiſcet ſæpe ferarum
Corpora cum membris hominum; non ſeminis ille
Partus erit (quid enim nobis commune feriſque,
Quiſve in portenti noxam peccarit adulter?)
Aſtra novant formas, Cælumque interſerit ora.
Denique ſi non eſt Fati, cur traditur, ordo?
Cunctaque temporibus certis ventura canuntur?
Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve ſuis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quiſquam minus oderit herbas,
Quod non arbitrio veniunt, ſed ſemine certo:
Gratia non levior tribuetur dulcibus eſcis,
Quod natura dedit fruges, non ulla voluntas.
Sic hominum menti tanto fit gloria major,
Quod Cælo gaudente venit; rurſuſque nocentes
Oderimus magis in culpam pœnaſque creatos.
Nec refert, ſcelus unde cadat: ſcelus eſſe fatendum.
Hoc quoque fatale eſt ſic ipſum expendere Fatum.
Quod quoniam docui, ſupereſt nunc ordine certo
Cæleſtes fabricare gradus, qui ducere flexo
Tramite prudentem valeant ad ſidera Vatem.
Nunc tibi Signorum mores, ſummumque colorem,
Et ſtudii varias artes ex ordine reddam.
Dives fœcundis Aries in vellera lanis,
Exutuſque novis rurſus ſpem ſemper habebit:
Naufragiumque inter ſubitum cenſuſque beatos
Creſcendo cadet, & natis in damna feretur;
In jugulumque dabit fructus, & mille per artes
Vellera diverſos ex ſe parientia quæſtus:
Nunc glomerare rudes, nunc rurſus ſolvere lanas,
Nunc tenuare levi filo, nunc ducere telas,
Nunc emere, & varias in quæſtum vendere veſtes,
Queis ſine non poterant ullæ ſubſiſtere gentes,
Vel ſine luxuria; tantum eſt opus! ipſa ſuimet
Aſſeruit Pallas manibus, dignumque putavit.
Seque in Arachnea magnum putat eſſe triumphum.
Hæc ſtudia & ſimiles ducet naſcentibus artes,
Et dubia in trepido præcordia pectore finget,
Seque ſua ſemper cupientia vendere laude.
Taurus ſimplicibus donabit rura colonis,
Pacatiſque labor veniet: nec præmia laudis,
Sed terræ tribuet partus: ſummittit aratris
Colla, jugumque ſuis poſcit cervicibus ipſe.
Ille, ſuis Phœbi portat cum cornibus orbem,
Militiam indicit terris, & ſegnia rura
In veteres revocat cultus dux ipſe laboris;
Nec jacet in ſulcis, ſolvitque in pulvere pectus.
Serranos Curioſque tulit, faſceſque per arva
Tradidit,

Tradidit, eque ſuo Dictator venit aratro.
Laudis amor, tacitæ mentes & corpora tarda
Mole valent, habitatque puer ſub fronte Cupido.
Mollius e Geminis ſtudium eſt, & mitior ætas
Per varios cantus modulataque vocibus ora,
Et graciles calamos, & nervis inſita verba,
Ingenitumque ſonum. labor eſt etiam ipſa voluptas.
Arma procul lituoſque volunt, triſtemque ſenectam:
Otia & æternam peragunt in morte juventam:
Inveniunt & in aſtra vias, numeriſque modiſque
Conſummant orbem, poſtquam ipſos ſidera linquunt.
Natura ingenio minor eſt, perque omnia ſervit.
In tot fœcundi Gemini commenta feruntur.
Cancer ad ardentem fulgens in Cardine vittam,
Quam Phœbus ſummis revocatus curribus ambit,
Articulum Mundi retinet, luceſque reflectit:
Ille tenax animi, nulloſque effuſus in uſus,
Attribuit varios quæſtus, artemque lucrorum:
Merce peregrina Fortunam ferre per urbes,
Et gravia annonæ ſpeculantem incendia, ventis
Credere opes, Orbiſque Orbi bona vendere poſſe,
Totque per ignotas commercia jungere terras,
Atque alio ſub Sole novas exquirere prædas,
Et rerum pretio ſubitos componere cenſus.
Navigat, & celeres optando ſortibus annos,
Dulcibus uſuris æquo quoque tempora vendit.
Ingenium ſolers, ſuaque in compendia pugnax.
Quis dubitet vaſti quæ ſit natura Leonis?
Quaſque ſuo dictet Signis naſcentibus artes?
Ille novas ſemper pugnas, nova bella ferarum
Apparat, & pecorum ſpolio vivitque rapinis.
Hoc habet in ſtudium, poſtes ornare ſuperbos
Pellibus, & capras domibus præfigere prædas,
Et pacare metu ſilvas, & vivere rapto.
Sunt quorum ſimiles animos nec mœnia frenent,
Sed pecorum membris media graſſentur in urbe,
Et laceros artus ſuſpendant fronte tabernæ,
Luxuriæque parent cædem, morteſque lucrentur.
Ingenium ad ſubitas iras, facileſque receſſus,
Ac quale eſt puero: ſententia pectore ſimplex.
At, quibus Erigone dixit naſcentibus ævum,
Ore, magiſterio nodoque coercita virgo,
Ad ſtudium ducit mores & pectora doctis
Artibus inſtituit: nec tam compendia cenſus,
Quam cauſas, vireſque dabit perquirere rerum.
Illa decus linguæ faciet, regnumque loquendi,
Atque oculos mentis, quæ poſſit cernere cuncta,
Quamvis occultis Naturæ condita cauſis.
Hic & ſcriptor erit velox, cui littera verbum eſt,
Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.
In vitio bonus: & teneros pudor impedit annos,
Magnaque naturæ cohibendo munera frænat.
Hinc fœcundus erit, quod mirum in Virgine, partus.
Librantes noctem Chelæ cum tempore lucis,
Per nova maturi poſt annum tempora Bacchi,
Menſuræ & tribuent uſus & pondera rerum,
Et Palamedeis certantem viribus ortum,
Qui primus numeros rebus, qui nomina ſummis
Impoſuit, certumque modum, propriaſque figuras.
Hic etiam legum tabulas, & condita jura
Noverit, atque notis levibus pendentia verba:
Et licitum ſciet, & vetitum quæ pœna ſequatur,
Perpetuus populi privato in limine Prætor.
Non alio potius genitus ſit Servius aſtro,
Qui leges potius poſuit, quam jura retexit,
Denique in ambiguo fuerit quodcumque locatum,
Et Rectoris egens, diriment examina Libræ.
Scorpius, armata violenta cuſpide cauda;
Qui (ſua cum Phœbi currum per ſidera ducit)
Rimatur terras & ſulcis ſemina miſcet,
In bellum ardentes animos, & Martia caſtra
Efficit & multo gaudentem ſanguine civem:
Nec præda, quam cæde magis; cumque ipſa ſub armis
Pax agitur, capiunt ſaltus, ſilvaſque pererrant:
Nunc hominum, nunc bella gerunt violenta ferarum:
Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ:
Atque hoſtem ſibi quiſque parat, cum bella quieſcunt.
Sunt quibus & ſimulacra placent, & ludus in armis,
(Tantus amor pugnæ eſt,) diſcuntque per otia bellum,
Et quodcumque pari ſtudium producitur arte.
At quibus in bifero Centauri corpore ſors eſt
Naſcendi conceſſa, libet ſubjungere currus,
Ardentes & equos ad mollia ducere fræna,
Et totis armenta ſequi paſcentia campis,
Quadrupedum omne genus poſitis domitare magiſtris,
Exorare tigres, rabiemque auferre leoni,
Cumque elephante loqui, tantamque aptare loquendo
Artibus humanis varia ad ſpectacula molem.
Quippe feræ mixtum eſt hominis per ſidera corpus,
Impoſitumque manet; quocirca regnat in illis.
Quodque intenta gerit curvato ſpicula cornu,
Et nervos tribuit membris, & acumina cordi,
Et celeres motus, nec delaſſabile pectus.
Veſta tuos, Capricorne, fovet penetralibus ignes:
Hinc artes ſtudiumque trahis. nam quidquid in uſus
Ignis agit, poſcitque novas ad munera flammas,
Sub te cenſendum eſt. ſcrutari cæca metalla,
Depoſitas & opes, terræque exurere venas,
Materiemque manu certa duplicarier arte:
Quidquid & argento fabricatur, quidquid & auro:
Quod ferrum calidi ſolvant, atque æra camini,
Conſumantque foci Cererem; tua munera ſurgent.
Addis & in veſtes ſtudium, mercemque fugantem
Frigora, brumalem ſervans per ſidera ſortem,
Qua retrahis ductas ſumma ad faſtigia noctes,
Naſcentemque facis revocatis lucibus annum.
Hinc eſt mobilitas rerum, mutataque ſæpe
Mens nutat. at melior juncto ſub Piſce ſenecta eſt.
Pars prior at Veneri mixto cum crimine ſervit.
Ille quoque inflexa fontem qui projicit urna,
Cognatas tribuit juvenilis Aquarius artes.
Cernere ſub terris undas, inducere terris,
Ipſaque converſis aſpergere fluctibus aſtra:
Littoribuſque novis per luxum ludere ponto;
Et varios fabricare lacus, & flumina ficta,
Et peregrinantes domibus ſuſpendere rivos.
Mille ſub hoc habitant artes, quas temperat unda,
Quæ per aquas veniunt, operum ponteſque ſequuntur.
Quippe etiam Mundi faciem ſedeſque movebit
Sidereas, Cælumque novum verſabit in orbem.
Mite genus, dociteſque fluunt ab ſidere partus:
Pectora nec ſordent: faciles in damna feruntur:
Nec deeſt, nec ſupereſt cenſus. ſic profluit Urna.
Ultima quos gemini producunt ſidera Piſces,
His erit in pontum ſtudium, vitamque profundo
Credent, & puppes, aut puppibus arma parabunt:
Quidquid & in proprios pelagus deſiderat uſus,
Innumeræ veniunt artes, vix nomina rebus
Sufficiunt. tot ſunt, parvæ quot membra carinæ,
Adde gubernandi ſtudium. pervenit in aſtra,
Et Pontum Cælo conjunxit. noverit Orbem

Fluminaque & portus Mundi, ventoſque neceſſe eſt:
Jamque huc atque illuc agilem convertere clavum,
Et frænare ratem, fluctuſque effindere rectos:
Aut remos agitare & lentas flectere tonſas.
Et placidum inductis evertere retibus æquor,
Littoribuſque ſuis populos exponere captos:
Aut uncos celare cibis, aut carcere fraudem.
Navales etiam pugnas, pendentia bella
Attribuunt, pelagique infectos ſanguine fluctus.
Fœcundum genus eſt natis & amica voluptas.
Et celeres motus, mutataque cuncta per ævum.
Hos tribuunt mores, atque has naſcentibus artes
Bis ſex materia propria pollentia Signa.
Sed nihil in ſemet totum valet. omnia vires
Cum certis ſociant Signis ſub partibus æquis,
Et velut hoſpitio mundi commercia jungunt,
Conceduntque ſuas partes retinentibus aſtris.
Quam partem decimam dixere Decania gentes;
A numero nomen poſitum eſt, quod partibus aſtra
Condita tricenis propria ſub ſorte feruntur,
Et tribuunt denas in ſe coeuntibus aſtris,
Inque vicem terris habitantur ſidera Signis.
Sic altis natura manet conſcpta tenebris,
Et verum in Cælo eſt multa cum ambagine rerum.
Nec brevis eſt uſus, nec amat compendia Cælum:
Verum aliis alia oppoſita eſt & fallit imago,
Mentiturque ſuas vires, & numina celat.
Quæ tibi non oculis, alta ſed mente fuganda eſt
Caligo, penituſque Deus, non fronte notandus.
Nunc quæ ſint conjuncta, quibus, quove ordine reddam,
Ne lateant aliæ vires aliena per aſtra.
Aſtrorum princeps primam ſervat ſibi partem:
Altera ſors Tauro: Geminis pars tertia cedit.
Sic inter denas diviſum ducitur aſtrum.
Tot ducit vires, dominos quotcumque recepit.
Diverſa in Tauro ratio eſt, nec parte ſub ulla
Cenſetur: Cancro primam: mediamque Leoni:
Extremam Erigonæ tribuit natura per aſtrum.
Stat tamen & proprias miſcet per ſingula vires.
Libra decem partes Geminorum prima capeſſit:
Scorpius adjunctas: Centauri tertia pars eſt.
Nec quiſquam numero diſcernitur: ordine cedit.
Cancer, qui adverſum Capricorni dirigit aſtrum,
Bis quinas primum partes dignatur in illo:
(Temporis articulo ſub quo cenſetur & ipſe,
Quod facit æquales luces brumalibus umbris,
Cognatamque gerit diverſo in Cardine legem:)
Alterius partis perfundit Aquarius ignes:
Quem ſubeunt Piſces extremo ſidere Cancri.
At Leo conſortis meminit ſub lege Trigoni,
Lanigerumque ducem recipit: Taurumque quadrato
Conjunctum ſibi: ſub Geminis pars tertia fertur.
Hos quoque conjungit per ſenos linea flexus.
Præcipuum Erigone Cancro concedit honorem,
Cui tribuit primam partem: vicina relicta eſt
Vicino, Nemeæe, tibi: pars ipſius ima eſt,
Quæ faſtidito conceſſa eſt jure potiri.
Sed Libra exemplo gaudet, pariterque regentem
Noctes atque dies diverſo in tempore ſecum
Lanigerum ſequitur. veris juga temperat ille,
Hæc Autumnales componit lancibus horas.
Nulli concedit primam: traditque ſequenti
Vicinam partem: Centauri tertia ſumma eſt.
Scorpius in prima Capricornum parte locavit:
Alterius dominum, qui nomen fecit ab undis:
Extremas voluit partes ſub Piſcibus eſſe.

At qui contento minitatur ſpicula nervo,
Lanigero primas tradit ſub lege Trigoni:
Et medias Tauro partes: Geminiſque ſupremas.
Nec manet ingratus Capricornus crimine turpi,
Sed munus reddit Cancro, recipitque receptus,
Principiumque ſui donat: conjuncta Leonis
Regna ferunt: ſummas partes at Virginis eſſe.
Fontibus æternis gaudens urnaque fluenti,
Jura ſui Libræ permittit prima regenda:
Hærenteſque decem partes Nepa vindicat ipſi:
Summas Centaurus retinet Juvenile per aſtrum.
Jam ſuperant gemini Piſces, qui ſidera claudunt.
Lanigero primos tradunt in finibus uſus:
Perque decem medias partes tu, Taure, receptus:
Quod ſupereſt, ipſi ſumunt; utque orbe feruntur
Extremo, ſic & ſortis pars ultima cedit.
Hæc ratio retegit latitantis tempora mundi,
In pluresque modos, repetitaque nomina Cælum
Dividit, & melius ſociat quoque. ſæpius Orbem,
Ne tua ſub titulis fallantur pectora notis,
Diſſimulant, non oſtendunt mortalibus aſtra.
Altius eſt acies animi mittenda ſagacis;
Inque alto quærenda manent, junctiſque ſequendum
Viribus. & cujus Signis quis parte creatur,
Ejus habet mores atque illo naſcitur aſtro.
Talis per denas ſortes natura feretur.
Teſtis erit varius ſub eodem ſidere fœtus,
Quodque in tam multis animantum millibus, uno
Quæ veniunt Signo, tot ſunt, quot corpora, mores,
Et genus extremum referunt aliena per aſtra,
Confuſique fluunt partus hominum atque ferarum.
Scilicet in partes junguntur condita plures,
Diverſaſque ferunt proprio ſub nomine leges:
Nec tantum lanas Aries, nec Taurus aratra,
Nec Gemini Muſas, nec merces Cancer amabit,
Nec Leo venator veniet, nec Virgo magiſtra,
Menſuris aut Libra potens, aut Scorpius armis,
Centauruſque feris, igni Capricornus, & undis
Ipſe ſuis Juvenis, geminique per æquora Piſces:
Mixta ſed in plures ſociantur ſidera vires.
Multum, inquis, tenuemque jubes me ferre laborem
Cernere cum facili lucem ratione viderer.
Quod quæris, Deus eſt. coneris ſcandere Cælum,
Fataque fatali genitus cognoſcere lege,
Et tranſire tuum pectus, Mundoque potiri.
Pro pretio labor eſt, nec ſunt immunia tanta.
Nec mirere viæ flexus, rerumque catenas.
Admitti potuiſſe ſat eſt: ſunt cætera noſtra.
At niſi perfoſſis fugiet te montibus aurum,
Rurſus & in magna mergis caligine mentem,
Obſtabitque ſuis opibus ſuperaddita tellus.
Ut veniant gemmæ, totus tranſibitur Orbis:
Nec lapidum pretio pelagus cepiſſe pigebit.
Annua ſolliciti conſumunt vota Coloni,
Et quantæ mercedis erunt fallacia rura?
Quæremus lucrum navi, Martemque ſequemur
In prædas? pudeat tanto bona velle caduca!
Luxuriæ quoque militia eſt vigil, atque ruinis:
Venter & ut parcat, ſuſpirant ſæpe nepotes.
Quid Cælo dabimus? quantum eſt, quo veneat omne?
Impendendus homo eſt, Deus eſſe ut poſſit in ipſo
Hac tibi naſcentum mores ſunt lege notandi.
Nec ſatis eſt Signis dominantia diſcere Signa
Per denos numeros, & quæ ſunt inſita cuique.
Sed proprias partes ipſas ſpectare memento,
Vel glacie rigidas, vel quas exuſſerit ignis;

Et (ſteriles utroque tamen) quas longior humor,
Quaſque minor jam ſuccus obit. namque omnia mixtis
Viribus, & vario conſurgunt ſidera textu.
Eſt æquale nihil. terrenos aſpice tractus,
Et maris, & notis fugientia flumina ripis;
Crimen ubique frequens, & laudi noxia juncta eſt.
Sic ſterilis terris lætis intervenit annus,
Ac ſubitos rumpit parvo diſcrimine fœtus;
Et modo portus erat pelagi, jam facta Charybdis,
Laudatique cadit poſt paulum gratia ponti.
Et nunc per ſcopulos, nunc campos labitur amnis,
Aut faciens iter, aut quærens venitve, reditve.
Sic etiam Cæli partes variantur in aſtris:
Ut Signum a Signo, ſic a ſe diſcrepat ipſum,
Momentoque negat vires, uſumque ſalubrem.
Quodque per has geritur partes, ſine fruge creatur,
Aut cadit, aut multis ſentit bona mixta querelis.
Hæ mihi ſignandæ proprio ſunt carmine partes.
Sed quis tot numeros toties ſub lege referre?
Tot partes iterare queat? tot dicere ſummas
Per varios caſus? faciem mutare loquendi?
Incinimus ſic verba, piget. ſed gratia deerit,
In vanumque labor cedit, quem deſpicit auris.
Sed mihi per carmen Fatalia jura ferenti,
Et ſacros Cæli motus, ad juſſa loquendum eſt:
Nec fingenda datur, tantum monſtranda figura.
Oſtendiſſe Deum nimis eſt, dabit ipſe ſibimet
Pondera. nec fas eſt verbis ſuſpendere Mundum;
Rebus enim major. nec parva eſt gratia noſtri
Oris, ſi tamen hæc poterit ſignare canendo.
Accipe, damnandæ quæ ſint per ſidera partes.
Lanigero pars quarta nocet, nec ſexta ſalubris.
Septima pars illi a decuma, decumæque ſecunda;
Quæque duas duplicat ſummas, ſeptemque novemque;
Unaque viginti numeris pars addita, lædit;
Et quinta, & duram conſummat ſeptima partem.
Tauri nona mala eſt; ſimilis quoque tertia pars eſt
Poſt decimam, nec non decumæ pars ſeptima juncta eſt:
Biſque undena nocens; & bis duodena nocens eſt;
Quæque decem treſque ingeminat; fraudatque duobus
Triginta numeris: & tu triceſima ſumma.
Peſtifera in Geminis pars prima, & tertia Signis;
Septima non melior; ter quina & noxia par eſt:
Unaque bis denis brevior nocet: unaque major:
Et ſimilis noxæ veniet viceſima quinta:
Cumque duæ ſubeunt; vel cum ſe quatuor addunt.
Nec Cancri prima immunis, nec tertia pars eſt:
Nec ſexta octavæ ſimilis: decumæque peractæ
Prima rapit; nec ter quinæ clementior uſus:
Septima poſt decimam luctum, & vigeſima portat:
Et quinta accedens, & ſeptima, nonaque ſumma.
Tu quoque contactu primo Nemeæe, timendus:
Et quarta ſub parte premis: bis quinta ſalubri
Terque caret Cælo: viceſima & altera lædit:
Et tribus appoſitis junctim, totidemque ſecutis:
Ultima nec prima melior triceſima pars eſt.
Erigones nec pars prima eſt, nec ſexta, nec una
Ad decumam, nec quarta, nec octava utilis umquam:
Proxima viginti numeris, & quarta, timendæ;
Et quæ ter decimam claudit ſors ultima partem.
Et quinta in Chelis, & ſeptima inutilis eſto:
Septima & undecima, decimæque & tertia juncta:
Quartaque bis denis actis, & ſeptima; & ambæ
Quæ numerum claudunt, nona & triceſima partes.
Scorpius in prima reus eſt, cui tertia pars eſt,
Et ſexta & decima, & quæ ter quoque quina notatur:
Undecimam geminans; & quæ viceſima quinta eſt,
Octavoque manet numero, nonumque capeſſit.
Si te Fata ſinant, quartam ne delige partem
Centauri; fuge & octavam: bis ſexque peractis,
Octo bis aut denis, metuendus dicitur aer:
Cumque iterum duodena refert; aut terna decemque;
Aut ſeptena quater: vel cum ter dena figurat.
Nec pars optanda eſt Capricorni ſeptima; nona
Conſentit. decimamque ſequens, quam tertia ſignat;
Et tribus, aut una quæ te, viceſima, fraudet;
Quæve auget quinta; numero vel ſexta feretur.

* * * *

Damnanda eſt decimæ ſuccedens prima peractæ;
Tertiaque, & quinta, & numero quæ condita non eſt:
Et poſt viginti prima; & viceſima quinta;
Cumque illa quartam accumulans viceſima nona.
Tertia per geminos, & quinta, & ſeptima Piſces,
Undecima, & decimæ metuenda eſt ſeptima juncta:
Et quinta in quinos numeros revocata; duaſque
Accipiens ultra ſummas metuenda feretur.
Hæ partes ſterilem ducunt & frigore & igne
Aera; vel ſicco, vel quod ſuperaverit humor.
(Si rapidus Mavors ignes jaculatur in illum,
Saturnus ſumet glaciem, Phœbuſque calores.)
Nec te perceptis Signorum cura relinquat
Partibus, in tempus quædam mutantur, & ortu
Accipiunt proprias vires, ultraque remittunt.
Namque ubi ſe ſummis Aries attollit ab undis,
Et cervice prior flexa, quam cornibus ibit,
Non contenta ſuo generabit pectora ſenſu:
Sed dabit in prædas animos, ſolvetque pudorem.
Tanta audere juvat. ſic ipſe in cornua fertur,
Et ruit, & mutat non ullis ſedibus idem.
Mollia per placidas delectant otia curas:
Sed juvat ignotas ſemper tranſire per urbes,
Scrutarique novum pelagus; totius & eſſe
Orbis in hoſpitio. teſtis tibi Laniger ipſe,
Cum vitreum findens aurato vellere Pontum,
Orbatumque ſua Phryxum per fata ſorore
Phaſidos ad ripas, & Colchida tergore vexit.
At quos prima creant naſcentis ſidera Tauri,
Feminei jaceant. nec longe cauſſa petenda eſt,
(Si modo per cauſas naturam quærere fas eſt)
Averſus venit in Cælum, diveſque Puellis,
Pleiadum parvo referens glomerabile ſidus.
Accedunt & ruris opes; propriaque juvencum
Dote per inverſos exornat vomere campos.
Sed Geminos æqua cum præfert unda tegitque
Parte, dabit ſtudia, & doctas producet ad artes.
Nec triſte ingenium, ſed dulci tincta lepore
Corda creat; vociſque bonis, cytharæque ſonantis
Inſtruit, & voces læto cum pectore jungit.
At niger obſcura Cancer cum nube feretur,
Quæ velut exutus Phœbeis ignibus ignis
Deficit, & multa fuſcat caligine ſidus,
Lumina deficient ortos, geminamque creatis
Mortem Fata dabunt. ſe quiſque, ut vivit, & effert.
Si cui per ſummas avidus produxerit undas
Ora Leo, & ſcandat malis hiſcentibus Orbem;
Ille patri natiſque reus, quas ceperit ipſe,
Non legabit opes, cenſumque immerget in ipſo.
Tanta fames animumque cibi tam dira cupido
Corripit, ut capiat ſemet, neque compleat umquam:
Inque epulas funus revocet pretiumque ſepulchri.
Erigone ſurgens, quæ rexit ſecula priſca
Juſtitia, rurſuſque eadem labentia fugit,

Alta

Alta per imperium tribuit faſtigia ſummum:
Rectoremque dabit legum juriſque ſacrati,
Sancta pudicitia Divorum templa colentem.
Sed cum autumnales cœperunt ſurgere Chelæ,
Felix æquato genitus ſub pondere Libræ,
Judex extremæ ſiſtet vitæque neciſque:
Imponetque jugum terris, legeſque rogabit.
Illum urbes & regna trement, nutuque regentur
Unius, & Cæli poſt terras jura manebunt.
Scorpius extremæ cum tollit lumina caudæ,
Si quis erit terris tum ſuffragantibus ortus,
Urbibus augebit terras, junctiſque juvencis
Mœnia ſuccinctus curvo deſcribet aratro,
Aut ſternet poſitas urbes, inque arva reducet
Oppida, & in domibus maturas reddet ariſtas.
Tanta erit & virtus, & cum virtute poteſtas.
Nec non Arcitenens, prima cum veſte reſurgit,
Pectora clara dabit bello, magniſque triumphis
Conſpicuum patrias victorem ducet ad arces:
Altaque nunc ſtatuet, nunc condita mœnia vertet.
Sed nimium indulgens rebus fortuna ſecundis
Invidet in faciem, ſævitque aſperrima fronti.
Horrendus bello Trebiam, Cannaſque, lacumque
Ante fugam tali penſabat imagine victor.
Ultimus in caudæ Capricornus acumine ſummo
Militiam ponto dictat, puppiſque colendæ
Dura miniſteria, & vitæ diſcrimen inertis.
Quod ſi quem ſanctumque velis caſtumque, probumque,
Hic tibi naſcetur, cum primus Aquarius exit.
Neve ſit in primos animus procedere Piſces;
Garrulitas odioſa datur, linguæque venenum
Verba maligna novas muſſantis ſemper ad aures:
Crimina per populum populi fert ore maligno:
Nulla fides inerit natis, ſed ſumma libido:
Ardentem medios animum libet ire per ignes.
Scilicet in Piſcem ſeſe Cytherea novavit,
Cum Babyloniacas ſubmerſa profugit in undas
Anguipedem alatis humeris Typhona furentem:
Inſeruitque ſuos ſquammoſis piſcibus ignes.
Nec ſolus fuerit geminis ſub Piſcibus ortus:
Frater erit, dulciſve ſoror, materve duorum.
Nunc age diverſis dominantia ſidera terris
Percipe. ſed ſumma eſt rerum repetenda figura.
Quatuor in partes Cæli deſcribitur Orbis,
Naſcentem, lapſumque diem, medioſque calores,
Teque, Helice. totidem venti de partibus iiſdem
Erumpunt, ſecumque gerunt per inania bellum.
Aſper ab Axe ruit Boreas: fugit Eurus ab Ortu:
Auſter amat Medium Solem: Zephyruſque profectum.
Hos inter binæ mediis e partibus auræ
Exſpirant ſimiles mutato nomine flatus.
Ipſa natat tellus pelagi luſtrata corona
Cingentis medium liquidis amplexibus Orbem.
Inque ſinus pontum recipit, qui veſpere ab atro
Admiſſus, dextra Numidas, Libyamque calentem
Abluit, & magnæ quondam Carthaginis arces;
Littoraque in ſyrtes revocans ſinuata vadoſas,
Rurſuſque ad Nilum directis fluctibus exit.
Læva freti cædunt Hiſpanas æquore gentes;
Teque in vicinis hærentem, Gallia, terris;
Italiæque urbes dextram inſinuantis in undam
Uſque canes ad, Scylla, tuos, avidamque Charybdim,
Ac ubi ſe primum porta mare fudit ab illa,
Enatat Ionio, laxaſque vagatur in undas:
Et prius in lævam ſe fundens circuit omnem
Italiam, atque Adriam comitatur nomine pontum,
Eridanique bibit fluctus, ſecat æquore lævum
Illyrium, Epirumque lavat; claramque Corinthum,
Et Peloponneſi patulas circumvolat oras.
Rurſus & in lævum refluit, vaſtoque receſſu
Theſſaliæ fines, & Achaica præterit arva.
Hic pontus, Juveniſque fretum merſæque Puellæ
Truditur invitum, fauceſque Propontidos arctæ
Euxino jungit ponto, Mœotis & undis,
Quæ tergo conjuncta manet, pontumque miniſtrat.
Inde ubi in anguſtas iterum ſe navita fauces
Helleſpontiacis revocatus fluctibus effert,
Icarium Ægæumque ſecat, lævaque nitentes
Miratur populos Aſiæ, totidemque Tropæa,
Quot loca; & innumeras gentes, arcumque minantem
Fluctibus; & Cilicum populos, Syriamque peruſtam,
Ingentique ſinu fugientes æquore terras,
Donec in Ægyptum redeant curvata per undas
Littora, Niliacis iterum morientia ripis.
Hæc medium terris circumdat linea pontum,
Atque his undarum tractum conſtringit habenis.
Mille jacent mediæ diffuſa per æquora terræ.
Sardiniam in Lybico ſignant veſtigia plantæ:
Trinacria Italia tantum præciſa receſſit:
Adverſa Euboicos miratur Græcia montes,
Et genitrix Crete civem ſortita Tonantem:
Ægypti Cypros pulſatur fluctibus omnis.
* * * * * * *
Totque minora ſolo tamen emergentia ponto
Littora; & æquales Cycladas; Delonque; Rhodonque;
Aulidaque. & Tenedon; vicinaque Corſica terræ
Littora Sardiniæ; primamque intrantis in Orbem
Oceani victricem Ebuſum, Balearica regna.
Innumeri ſurgunt ſcopuli, monteſque per altum.
Nec tantum ex una pontus ſibi parte recluſit
Faucibus abruptis Orbem. nam littora plura
Impulit Oceano pontus (ſed montibus altis
Eſt vetitus, totam ne vinceret æquore terram.)
Namque inter Borean, Ortumque æſtate nitentem,
In longum anguſto penetrabilis æquore fluctus
Pervenit, & patulis tum demum funditur arvis,
Caſpiaque Euxini ſimilis facit æquora ponti.
Altera ſub medium Solem duo bella per undas
Intulit Oceanus terris. nam Perſica fluctus
Arva tenet, titulum pelagi prædatus ab iiſdem,
Quæ rigat ipſe, locis; latoque infunditur Orbi.
Nec procul, in molles Arabes, terramque ferentem
Delicias, variæque novos radicis odores,
Leniter adfundit gemmantia littora pontus,
Et terræ mare nomen habet. media illa duobus.
* * * *
* * *
Quondam Carthago regnum ſortita ſub armis,
Igneus Albanas cum contudit Annibal arces,
Fecit & æternam Trebiam Cannaſque ſepulcris
Obruit, & Libyam Italicas infudit in urbes.
Huic varias ſpecies diverſaque monſtra ferarum
Conceſſit bellis natura infeſta futuris:
Horrendos angues, habitataque membra veneno,
Et mortis partus, viventia crimina terræ,
Et vaſtos Elephantas habet; ſævoſque leones
In pœnas fœcunda ſuas parit horrida tellus,
Et portentoſos Cercopum ludit in ortus;
Ac ſterilis pejor ſiccas infeſtat arenas,
Donec ad Ægypti ponat ſua jura colonos.
Inde Aſiæ populi diveſque per omnia tellus,
Auratique fluunt amnes, gemmiſque relucet
Pon-

Pontus: odoratæ ſpirant medicamina ſilvæ.
India notitia major: Parthique, vel Orbis
Alter; & in Cælum ſurgentis mœnia Tauri;
Totque illum circa diviſæ nomine gentes.
Ad Tanaim Scythicas dirimentem fluctibus urbes,
Mæotiſque lacus, Euxinique aſpera ponti
Æquora, & extremum Propontidos Helleſpontum,
Hic Aſiæ metam poſuit natura potentis.
  Quod ſupereſt, Europa tenet, quæ prima natantem
Fluctibus excepitque Jovem, taurumque reſolvit,
Condere paſſa ſibi ſigniſque humeriſque juvantem.
Ille puellari donavit nomine fluctus,
Et monumenta ſub hoc titulo ſacravit amoris.
  Maxima terra viris, & fœcundiſſima doctis
Urbibus: in regnum florentes oris Athenæ;
Sparta manu; Thebæ Divis; & rege vel uno
Illa domus princeps Trojani Graia belli;
Theſſalia; Epiruſque potens; vicinaque ripis
Illyris & Thrace Martem ſortita colonum:
Et ſtupefacta ſuos inter Germania partus:
Gallia per cenſus; Hiſpania maxima bellis:
Italia ſumma, quam rerum maxima Roma
Impoſuit terris; Cæloque adjungitur ipſa.
  Hos erit in fines OrbisPontuſque notandus,
Quem Deus in partes & ſingula dividit aſtra,
Ac ſua cuique dedit tutelæ regna per Orbem,
Ac proprias gentes, atque urbes addidit altas,
In quibus aſſererent præſtantes ſidera vires.
  Ac velut humana eſt Signis deſcripta figura,
Ut, quamquam communis eat tutela per omne
Corpus, & in proprium diviſis artubus extet:
Namque Aries capiti: Taurus cervicibus hæret:
Brachia ſub Geminis cenſentur: pectora Cancro:
Te ſcapulæ, Nemeæe, vocant: teque ilia, Virgo:
Libra colit clunes: & Scorpius inguine regnat:
Et femur Arcitenens: genua &Capricornus amavit:
Cruraque defendit Juvenis: veſtigia Piſces:
Sic alias aliud terras ſibi vindicat aſtrum.
  Idcirco in varias leges, variaſque figuras
Diſpoſitum genus eſt hominum: proprioque colore
Formantur gentes; ſociataque jura per artus,
Materiamque parem privato fœdere ſignant.
Flava per ingentes ſurgit Germania partus;
Gallia vicino minus eſt infecta rubore:
Aſperior ſolidos Hiſpania contrahit artus:
Martia Romanis Orbis Pater induit ora;
Gradivumque ſuum miſcens bene temperat artus.
Perque coloratas ſubtilis Græcia gentes
Gymnaſium præfert vultu, forteſque palæſtras:
At Syriam produnt torti per tempora crines:
Æthiopes maculant Orbem, tetriſque figuris
Perfuſas, hominum gentes: minus India toſtas
Progenerat, mediumque facit moderata tenorem:
Jam propior, telluſque natans Ægyptia Nilo
Lenius irriguis infuſcat corpora campis:
Pœnus arenoſis aſtrorum pulvere terris
Exſiccat populos; & Mauritania nomen
Oris habet, titulumque ſuum fert ipſa colore.
  Adde ſonos totidem vocum, totidem inſere linguas
Et mores pro ſorte pares rituſque locorum.
Adde genus proprium ſimili ſub ſemine frugum,
Et Cererem varia redeuntem meſſe per Orbem,
Nec paribus ſiliquas referentem viribus omnes:
Nec te, Bacche, pari donantem munere terras,
Atque alias aliis fundentem collibus uvas:
Cinnama nec totis paſſim naſcentia campis:
Diverſas pecudum facies, propriaſque ferarum,
Et duplici clauſos Elephantes carcere terræ.
Quot partes Orbis, totidem ſub partibus Orbes;
  Et certis deſcripta nitent regionibus aſtra,
Perfunduntque ſuo ſubjectas æquore gentes.
  Laniger in medio ſortitus ſidera Mundo
Caurum inter gelidum, tepidi per tempora Veris,
Aſſerit in vires pontum, quem vicerat ipſe,
Virgine delapſa cum fratrem ad littora vexit,
Et minui deflevit onus, dorſumque levari.
Illum etiam venerata colit vicina Propontis:
Et Syriæ gentes: & laxo Perſis amictu,
Veſtibus ipſa ſuis hærens: Niluſque tumeſcens
In Cancrum: & tellus Ægypti juſſa natare.
  Taurus habet Scythiæ montes, Aſiamque potentem;
Et molles Arabes ſilvarum ditia regna.
  Euxinus Scythicos pontus ſinuatus in arcus
Sub Geminis te, Phœbe, colit: poſt brachia fratris
Ultimus eſt poſitus Ganges. colit India Cancrum:
Ardent Æthiopes Cancro, cui plurimus ignis;
Hoc color ipſe docet. Phrygia, Nemeæe, potiris,
Idææ matris famulus, regnique ferocis
Cappadocum, Armeniæque: jugis Bithynia dives
Te colit, & Macedum tellus; quæ vicerat Orbem.
  Virgine ſub caſta felix terraque marique
Es, Rhodos, hoſpitium recturi principis Orbem:
Tuque domus vere Solis, cui tota ſacrata es,
Cum caperent lumen magni ſub Cæſare Mundi;
Ioniæ quoque ſunt Urbes, & Dorica rura,
Arcades antiqui, celebrataque Caria fama.
  Quod potius regat Italiam, ſi ſeligis, aſtrum
Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera movit,
Deſignat ſummas, & iniquum ſeparat æquo,
Tempora quo pendent, coeunt quo noxque dieſque.
Heſperiam ſua Libra tenet, qua condita Roma
Et propriis frænat pendentem nutibus Orbem;
Orbis & imperium retinet: diſcrimina rerum
Lancibus & poſitas gentes tollitque premitque:
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.
  Inferius victæ ſidus Carthaginis arces,
Et Libyam, Ægyptique latus, donataque regna
Eligit: Italiæque tamen reſpectat ad undas,
Tyrrhenas lacrimis radiatus Scorpius arces
Sardiniamque tenet, fuſaſque per æquora terras.
  Gnoſſia Centauro tellus circumdata ponto
Paret, & in Geminum Minois filius aſtrum
Ipſe venit geminus. celeres huic Creta ſagittas
Aſſerit intentoſque imitatur ſideris arcus.
Inſula Trinacriæ fluitantem ad jura ſororem
Subſequitur Creten, ſub eodem condita Signo:
Proximaque Italiæ & tenui diviſa profundo
Ora pares ſequitur leges, nec ſidere rupta eſt.
  Tu, Capricorne, regis, quidquid ſub Sole cadente
Eſt poſitum, gelidamque Helicen quod tangit ab illo
Hiſpanas gentes, & quod fert Gallia dives;
Teque feris dignam tantum, Germania, matrem
Aſſerit ambiguum ſidus terræque mariſque,
Æſtibus aſſiduis terram pontumque tenentem.
  Sed Juvenis nudo formatus mollior artu,
Ægypto ad Clydaſque arces Tyriaſque recedit,
Et Cilicum gentes, vicina & Aquarius arva.
  Piſcibus Euphrates datus eſt, ubi piſcis amator,
Cum fugeret Typhona Venus, ſubſedit in undis.
Magna jacet tellus magnis circumdata ripis,
Parthis; & a Parthis domitæ per ſæcula gentes;
Bactraque; & Arii; Babylon; & Suſa, Paroſque;
No-

Nominaque innumeris vix amplectenda figuris:
Et Tigris, & Rubri radiantia littora ponti.
Sic diverſa manet tellus per ſidera cuncta,
quibus in proprias partes ſunt jura petenda;
Namque eadem, quæ ſunt Signis, commercia ſervant.
Utque illa inter ſe coeunt, odioque repugnant,
Nunc diverſa polo, nunc & conjuncta trigono,
Quæque alia in varios effectus cauſſa gubernat,
Sic terræ terris reſpondent, urbibus urbes,
Littora littoribus, regnis contraria regna.
Sic erit & ſedes fugienda, petendaque cuique;
Sic ſperanda fides; ſic & metuenda pericla,
Ut genus in terram Cælo deſcendit ab alto.
Percipe nunc etiam, quæ ſint Ecliptica Grajo
Nomine, quæ certos quaſi delaſſata per annos
Nonnumquam ceſſant ſterili torpentia motu.
Scilicet immenſo nihil eſt æquale ſub ævo,
Perpetuoſque tenet flores, vivumque colorem:
Mutantur ſed cuncta diu, variantque per annos;
Et fœcunda ſuis ſubſiſtunt frugibus arva,
Continuoſque negant partus effœta creando:
Rurſus quæ fuerant ſteriles ad ſemina terræ,
Poſt nova ſufficiunt, nullo mandante, tributa:
Concutitur tellus validis compagibus hærens,
Subduxitque ſolum pedibus: natat Orbis in ipſo,
Et vomit Oceanus pontum, ſitienſque reſorbet,
Nec ſeſe ipſe capit: ſic quondam merſerat urbes,
Humani generis cum ſolus conſtitit hæres
Deucalion, ſcopuloque Orbem poſſedit in uno:
Nec non cum patrias Phaethon tentavit habenas,
Arſerunt gentes, timuitque incendia Cælum,
Fugeruntque novas ardentia ſidera flammas,
Atque uno timuit condi natura ſepulchro:
In tantum longo mutantur tempora curſu,
Atque iterum in ſemet redeunt: ut tempore certo
Signa quoque amittunt vires, ſumuntque receptas.
Cauſſa patet, quod Luna quibus deficit in aſtris
Orba ſui fratris, noctiſque immerſa tenebris,
Cum medios Phœbi radios intercipit Orbis,
Nec trahit in ſe tum, quo fulget, Delia lumen:
Hæc quoque Signa ſuo pariter cum ſidere languent
Incurvata ſimul, ſolitoque excepta vigore,
Et veluti elatam Phœben in funere lugent.
Ipſa, (docet titulus cauſſæ,) quæ Ecliptica Signa
Dixere antiqui, pariter ſubbina laborant,
Nec vicina loco, ſed quæ contraria fulgent:
Sicut Luna ſuo tunc tantum deficit Orbe,
Cum Phœbum adverſis currentem non videt aſtris.
Nec tamen æquali langueſcunt tempore cuncta;
Namque modo infectus totus producitur annus,
Nunc brevius laſſata manent, nunc longius aſtra,
Exceduntque ſuo Phœbeia tempora caſu.
Atque ubi perfectum eſt ſpatium, quod cuique dicatur,
Impleruntque ſuos certa ſtatione labores
Bina per adverſum Cælum fulgentia Signa,
Tunc vicina labant ipſis hærentia Signis,
Quæ prius in terras veniunt terraſque relinquunt;
Sidereo non ut pugnet contrarius Orbis:
Sed, qua Mundus agit curſus, inclinat & ipſe,
Amiſſaſque negat vires, nec munera tanta,
Nec ſimiles reddit noxas. locus omnia vertit.
Sed quid tam tenui prodeſt ratione nitentem
Scrutari Mundum, ſi mens ſua cuique repugnat,
Spemque timor tollit, prohibetque a limine Cæli?
Condit enim quidquid vaſto natura receſſu,
Mortaleſque fugit viſus & pectora noſtra,
Nec prodeſſe poteſt, quod Fatis cuncta reguntur,
Cum Fatum nulla poſſit ratione videri,
Quid juvat in ſemet ſua per convicia ferri,
Et fraudare bonis, quæ nec Deus invidet ipſe;
Quoſque dedit natura, oculos deponere mentis?
Perſpicimus Cælum, cur non & munera Cæli?
Inque ipſos penitus Mundi deſcendere cenſus,
Seminibuſque ſuis tantam componere molem,
Et pretium Cælo ſua per nutritia ferre,
Extremumque ſequi portum, terræque ſubire
Pendentis tractus, & toto vivere in Orbe?
Quanta at pars ſupereſt rationem diſcere noctis?
Jam nuſquam natura latet, pervidimus omnem:
Et capto potimur Mundo, noſtrumque Parentem
Pars ſua conſpicimus, genitique accedimus aſtris.
An dubium eſt habitare Deum ſub pectore noſtro?
In Cælumque redire animas, Cæloque venire?
Utque ſit ex omni conſtructus corpore Mundus
Aeris, atque ignis ſummi, terræque, mariſque;
Spiritus & Toto rapido qui juſſa gubernat:
Sic eſſe in nobis terrenæ corpora ſortis,
Sanguineaſque animas, animum, qui cuncta gubernat,
Diſpenſatque hominem. quid mirum noſcere Mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt & Mundus in ipſis?
Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parva?
An quoquam genitos, niſi Cælo, credere fas eſt
Eſſe homines? projecta jacent animalia cuncta
In terra, vel merſa vadis, vel in aere pendent:
Omnibus una quies; venter ſenſuſque per artus,
Et quia conſilium non eſt, & lingua remiſſa.
Unus at inſpectus rerum, vireſque loquendi,
Ingeniumque capax varias inducit in artes:
Hic partus, cui cuncta regit, ſeceſſit in Orbem,
Et domuit terram ad fruges, animalia cepit,
Impoſuitque viam ponto, ſtetit unus in arcem
Erectus capitis, victorque ad ſidera mittit
Sidereos oculos, propiuſque aſpectat Olympum,
Inquiritque Jovem, nec ſola fronte Deorum
Contentus manet, & Cælum ſcrutatur in alvo,
Cognatumque ſequens corpus ſe quærit in aſtris.
Hinc in tanta fidem petimus, quam ſæpe volucres
Accipiunt, trepidæque ſuo ſub pectore fibræ?
An minus eſt ſacris rationem ducere Signis,
Quam pecudum mortes, aviumque attendere cantus?
Atque ideo faciem Cæli non invidet Orbi
Ipſe Deus, vultuſque ſuos, corpuſque recludit
Semper volvendo, ſeque ipſum inculcat & offert,
Ut bene cognoſci poſſit, doceatque videndo
Qualis eat, doceatque ſuas attendere leges.
Ipſe vocat noſtros animos ad ſidera Mundus,
Nec patitur, quia non condit, ſua jura latere.
Quis putat eſſe nefas noſci, quod cernere fas eſt?
Ne contemne tuas quaſi parvo in corpore vires:
Quod valet, immenſum eſt, ſic auri pondera parvi
Exuperant pretio numeroſos æris acervos:
Sic Adamas, punctum lapidis, pretioſior auro eſt:
Parvula ſic totum pervidit pupula Cælum;
Quoque vident oculi minimum eſt, cum maxima cernant:
Sic animi ſedes tenui ſub corde locata,
Per totum anguſto regnat de limite corpus.
Materiæ ne quære modum, ſed perſpice vires,
Quas ratio, non pondus habet. ratio omnia vincit.
Ne dubites homini divinos credere viſus;
Jam facit ipſe Deos, mittitque ad ſidera Numen,
Majus & Auguſto creſcit ſub principe Cælum.

LIBER

LIBER QUINTUS.

HIc alius finiſſet iter, Signiſque relictis,
Queis adverſu meant ſtellarum lumina quinque,
Quadrijugis & Phœbus equis, & Delia bigis,
Non ultra ſtruxiſſet opus; Cœloque rediret,
Ac per deſcenſum medios decurreret ignes
Saturni, Jovis, & Martis, Soliſque; ſub illis,
(Poſt Venerem, & Maia natum), te, Luna, vagantem.
Me properare viam Mundi lubet; omnia circum
Sidera vectatum toto decurrere Cælo,
Cum ſemel æthereos juſſus conſcendere currus
Summum contigerim ſua per faſtigia culmen.
Hinc vocat Orion magni pars maxima Cæli:
Et ratis Heroum, quæ nunc quoque navigat aſtris;
Fluminaque errantes late ſinuantia flexus;
Semifer; & Cetus ſquammis atque ore tremendo;
Heſperidumque vigil cuſtos, & divitis auri;
Et Canis in totum portans incendia Mundum;
Araque divorum, cui vota exſolvit Olympus.
Illinc per geminas Anguis qui labitur Arctos;
Heniochuſque memor curſus; plauſtrique Bootes;
Atque Ariadneæ cæleſtia dona Coronæ,
Victor & inviſæ Perſeus cum falce Meduſæ,
Andromedamque ſecus genitor cum conjuge Cepheus,
Quique volat ſtellatus Equus, celerique Sagittæ
Delphinus certans, & Jupiter alite tectus,
Cæteraque in toto paſſim labentia Cælo.
Quæ mihi per proprias vires ſunt cuncta canenda,
Quid valeant ortu, quid cum merguntur in undas,
Et quid de bis ſex aſtris per quæque reducant.
Has ſtellis proprias vires & tempora rerum
Conſtituit magni quondam fabricator Olympi.
Vir gregis & ponti victor, cui parte relicta
Nomen onuſque dedit; nec pelle immunis ab ipſa;
Colchidis & magicas artes qui vertere Jolchon
Medeam juſſit, movitque venena per Orbem,
Nunc quoque vicinam puppim, ceu naviget, Argo
A dextris lateris ducit regione per aſtra.
Sed cum prima ſuos puppis conſurgit in ignes,
Quatuor in partes cum Corniger extulit ora,
Illo quiſquis erit terris oriente creatus,
Rector erit puppis, clavoque immobilis hærens
Mutabit Pelago terras, ventiſque ſequetur
Fortunam, totumque volet tranare profundum
Claſſibus, atque alios menſes, aliumque videre
Phaſin; & in cautes Tiphyn ſuperare trementem.
Tolle iſtos partus hominum ſub ſidere tali,
Suſtuleris bellum Trojæ, claſſemque ſolutam
Sanguine, & appulſam terris: non invehet undis
Sipara, nec pelagus Xerxes facietque tegetque:
Vera Syracuſis Salamis non merget Athenas:
Punica nec toto fluitabunt æquore roſtra,
Actiacoſque ſinus inter ſuſpenſus utrimque
Orbis, & in ponto Cæli fortuna natabit.
His ducibus cœco ducuntur in Æquore claſſes,
Et coit ipſa ſibi Tellus, totuſque per uſus
Diverſos rerum ventis accerſitur Orbis.
Sed ſumma lateris ſurgens de parte ſiniſtri
Maximus Orion magnum complexus Olympum,
(Quo fulgente ſuper terras Cælumque trahente,
Ementita diem nigras nox contrahit alas),
Solertes animos, velocia corpora finget,
Atque agilem officio mentem, curaſque per omnes
Indelaſſato properantia corda labore.
Inſtar erit populi, totaque habitabit in urbe,
Limina pervolitans, unumque per omnia verbum
Mane ſalutandi portans communis amicus.
Sed cum ſe terris Aries, ter quinque peractis
Partibus, extollit, primum juga tollit ab undis
Heniochus, clivoque rotas convellit ab imo,
Qua gelidus Boreas Aquilonibus inſtat acutis.
Ille dabit proprium ſtudium, Cæloque retentas,
Quas prius in terris agitator amaverat artes:
Stare levi curru moderantem quatuor ora
Spumigeris frænata lupis, & flectere equorum
Prævalidas vires, ac torto ſtringere gyro:
Aut cum laxato fugerunt cardine clauſtra,
Exagitare feros, pronumque anteire volantes,
Vixque rotis levibus ſummum contingere campum,
Vincentem pedibus ventos; vel prima tenentem
Agmina in obliquum currus agitare malignos,
Obſtantemque mora totum perludere Circum,
Vel medium turbæ: tunc dextros ire per orbes
Fidentem campo: nunc meta currere acuta,
Spemque ſub extremo dubiam ſuſpendere caſu:
Nec non alterno deſultor ſidere dorſo
Quadrupedum, & ſtabiles poterit defigere plantas
Per quos vadit equos: ludet per terga volantum:
Aut ſolo vectatus equo, nunc arma movebit,
Nunc, licet in longo per curſus præmia Circo,
Quidquid de tali ſtudio formatur, habebit.
Hinc mihi Salmoneus, qui Cælum imitatur in Orbe
Pontibus impoſitis, miſſiſque per æra quadrigis,
Expreſſiſſe ſonum Mundi ſibi viſus, & ipſum
Admoviſſe Jovem terris de fulmine fingit:
Senſit at immenſos ignes ſuper ipſe ſecutus,
Morte Jovem didicit generatus quid ſit haberi.
Hoc genitum credas de genere Bellerophontem
Impoſuiſſe viam Mundo per Signa volantem:
Cui Cælum campus fuerat, terræque fretumque
Sub pedibus, non ulla tulit veſtigia campus.
Hæc erit Heniochi ſurgens tibi forma cavenda.
Cumque decem partes Aries duplicaverit ortus,
Incipient Hœdi tremulum producere mentum,
Hirtaque tum demum terris promittere terga,
Qua dexter Boreas ſpirat. nec crede ſeveræ
Frontis opus Signo, ſtrictos nec crede Catones,
Aut Brutum, atque parem Torquatum, & Horatia facta.
Majus onus Signo eſt, Hœdis nec tanta petulcis
Conveniunt: levibus gaudent, laſcivaque ſignant
Pectora, & in luſus agiles agilemque vigorem
Deſudant: vario ducunt in amore juventam:
In vulnus numquam virtus, ſed ſæpe libido
Impellit, turpiſque emitur vel morte voluptas;
Et minimum cecidiſſe malum eſt, ſed crimine victum.
Nec non & cultus pecorum naſcentibus addunt,
Paſtoremque ſuum generant, cui fiſtula collo
Hæreat, & voces alterna per oſcula ducat.
Sed cum bis denas augebit ſeptima partes
Lanigeri, ſurgunt Hyades: quo tempore natis
Nulla quies placet: in nullo ſunt otia fructu:
Sed populum turbamque petunt, rerumque tumultus;
Seditio clamorque juvat, Gracchoſque tenentes
Roſtra volunt, monteſque ſacros, raroſque Quirites;
Pacis bella probant, curæque alimenta miniſtrant:
Immundoſque greges agitant per ſordida rura.
Et fidum in terris alium genuere Booten.
Hos generant Hyades mores, ſurgentibus aſtris.
Ultima Lanigeri cum pars excluditur Orbi,
Quæ totum oſtendit terris, atque eruit undis,
Olenie ſervans prægreſſos tollitur Hœdos

E gelido ſtellata polo, quæ dextera pars eſt,
Officio magni mater Jovis. illa Tonanti
Fundamenta dedit, pectuſque implevit hiantis
Lacte ſuo, dedit & dignas ad fulmina vires.
Hinc timidæ mentes tremebundaque corda creantur
Suſpenſa in trepidis, levibuſque obnoxia cauſis.
His etiam ingenium, viſendi ignota cupido.
Ut nova per montes quærunt arbuſta capellæ
Semper, & ulterius paſcentes tendere gaudent.
Taurus in averſos præceps ut tollitur ortus
Sexta parte ſui, certantes lucis ad oras
Pleiades ducit, quibus aſpirantibus almam
In lucem eduntur Bacchi Veneriſque ſequaces;
Perque dapes menſaſque ſuper petulantia corda;
Et ſale mordaci dulces quærentia riſus.
Illis cura ſui cultus frontiſque decoræ
Semper erit: tortos in fluctum ponere crines,
Aut vinclis revocare comas, & vertice denſo
Fingere; & appoſitis caput emutare capillis:
Pumicibuſque cavis horrentia membra polire,
Atque odiſſe virum, ſterileſque optare lacertos.
Femineæ veſtes: nec inſunt tegmina plantis,
Sed ſpecies, fictique placent ad mollia greſſus.
Naturæ pudet: atque habitat ſub pectore cœco
Ambitio, & morbum virtutis nomine jactant.
Semper amare parum eſt, cupiunt & amare videri.
Jam vero Geminis fraterna ferentibus aſtra
In Cælum, ſummoque natantibus æquore ponti,
Septima pars Leporem tollit, quo ſidera natis
Vix alas natura negat, volucreſque meatus;
Tantus erit per membra vigor referentia ventos.
Ille prius victor ſtadio, quam miſſus abibit;
Ille cito motu rigidos eludere cæſtus:
Nunc exire levis miſſas, nunc mittere palmas:
Ille pilam celeri fugientem reddere planta,
Et pedibus penſare manus & ludere ſaltu,
Mobilibuſque citos ictus glomerare lacertis:
Ille potens turbam perfundere membra pilarum,
Per totumque vagas corpus diſponere palmas,
Ut teneat tantos orbes, ſibique ipſe reludat,
Et velut edoctos jubeat volitare per ipſum:
Invigilat ſomnis: curas induſtria vincit:
Otia per varios exercet dulcia luſus.
Nunc Cancro vicina canam, cui parte ſiniſtra
Conſurgunt Jugulæ; quibus aſpirantibus orti
Te, Meleagre, colunt flammis latitantibus uſtum,
Reddentemque tuæ per mortem munera matri;
Cujus & ante necem paulatim vita ſepulta eſt;
Atque Atalanteos conatum ferre labores,
Et Calydoniaca bellantem rupe puellam,
Vincentemque viros; & quam potuiſſe videri
Virgine majus erat ſternentem vulnere primo;
Quamque erat Actæon ſilvis imitandus & ante
Quam canibus nova præda fuit. ducuntur & ipſi
Retibus, & claudunt campos formidine mortis,
Mendaceſque parant foveas, laqueoſque tenaces.
Currenteſque feras pedicarum compede nectunt,
Aut canibus, ferrove necant, prædaſque reportant.
Sunt quibus in ponto ſtudium eſt cepiſſe ferarum
Diverſas facies, & cœco merſa profundo
Sternere littoreis monſtrorum corpora arenis,
Horrendumque feris in bella laceſſere pontum,
Et colare vagos inductis retibus amnes,
Ac per nulla ſequi dubitant veſtigia prædas.
Luxuriæ quia terra parum, faſtidiet Orbem
Venter, & ipſe gulam Nereus ex æquore paſcet.

At Procyon oriens cum jam viceſima Cancri
Septimaque ex undis pars ſeſe emergit in aſtra,
Venatus non ille quidem, verum arma creatis
Venandi tribuit: catulos nutrire ſagaces;
Et genus a proavis, mores numerare per artes:
Retiaque, & valida venabula cuſpide fixa,
Lentaque contextis formare haſtilia nodis;
Et quodcumque ſolet venandi poſcere cura,
In proprios fabricare dabit venalia quæſtus.
Cum vero in vaſtos ſurgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque Canis, latratque Canicula flammas,
Et rabit igne ſuo, geminatque incendia Solis;
Qua ſubdente facem terris, radioſque movente,
Dimicat in cineres Orbis, fatumque ſupremum
Sortitur, languetque ſuis Neptunus in undis:
Et viridis nemori ſanguis decedit, & herbis:
Cuncta peregrinos Orbes animalia quærunt,
Atque eget alterius mundus: natura ſuiſmet
Ægrotat morbis nimios obſeſſa per æſtus,
Inque rogo vivit. tantus per ſidera fervor
Funditur, atque uno ceu ſint in lumine cuncta.
Hæc ubi ſe ponto per pronas extulit oras,
Naſcentem ſi quem pelagi perſtrinxerit unda,
Effrænos animos, violentaque pectora fingit,
Irarumque dabit fluctus, odiumque metumque
Totius vulgi: præcurrunt verba loquentis,
Ante os eſt animus: nec magnis concita cauſis
Corda micant, & lingua rabit, latratque loquendo,
Morſibus in crebris dentes in voce relinquit.
Ardeſcit vitio vitium, vireſque miniſtrat
Bacchus, & in flamma ſævas exſuſcitat iras:
Nec ſilvas rupeſque timet, vaſtoſque leones,
Aut ſpumantis apri dentes, atque arma ferarum;
Effunditque ſuas conceſſa in robora flammas.
Nec tales mirere artes ſub ſidere tali;
Cernis, ut ipſum etiam ſidus venetur in aſtris,
Prægreſſum quærit Leporem comprendere curſu.
Ultima pars magni cum tollitur Orbe Leonis,
Crater auratis ſurgit cælatus ab aſtris.
Inde trahit quicumque genus moreſque, ſequetur
Irriguos ruris campos, amneſque, lacuſque:
Et te, Bacche, tuas nubentem junget ad ulmos;
Diſponetque jugis imitatas fronde choreas,
Robore vel proprio fidentem in brachia ducet,
Teque tibi credet ſemper; quin matre reſectum
Adjunget calamis, ſegetemque interſeret uvis:
Quæque alia innumeri cultus eſt forma per Orbem,
Pro regione colet. nec parce vina recepta
Hauriet emiſcens, & fructibus ipſe fruetur,
Gaudebitque mero, mergetque in pocula mentem.
Nec ſolum terræ ſpem credet; inania vota,
Annonæ quoque vectigal, merceſque ſequetur,
Præcipue quas humor alit, nec deſeret undas.
Tales effinget Crater humoris amator.
Jam ſubit Erigone, quæ cum ter quinque feretur
Partibus ereptis ponto, tollentur ab undis
Clara Ariadneæ quondam monumenta Coronæ;
Et molles tribuent artes. hinc dona Puellæ
Namque nitent: illinc oriens eſt ipſa Puella.
Ille colet nitidis gemmantem floribus hortum,
Pallentes violas, & purpureos hyacinthos,
Liliaque, & Tyrias imitata papavera luces,
Vernantiſque roſæ rubicundo ſanguine florem.
Cæruleum foliis viridemque in gramine collem
Conſeret, & veris depinget prata figuris:
Aut varios nectet flores ſertiſque locabit,

Effin-

Effingetque ſinu ſimiles: in mutua preſſos
Incoquet, eque Arabum ſilvis miſcebit odores:
Et medicos unguenta dabit referentia flatus,
Ut ſit adulterio ſuccorum gratia major:
Munditiæ cultuſque adſunt, arteſque decoræ,
Et lenocinium vitæ, præſenſque voluptas.
Virginis hoc anni poſcunt, floreſque Coronæ.
At cum per decimam conſurgens horrida partem
Spica feret præ ſe ſquallentis corpus ariſtæ,
Arvorum ingenerat ſtudium, ruriſque colendi:
Seminaque in fœnus ſulcatis credere terris;
Uſuramque ſequi majorem ſorte, receptis
Frugibus innumeris; atque horrea quærere meſſi.
Quod ſolum decuit mortales noſſe metallum;
Nulla fames, non ulla forent jejunia terris.
Dives erat cenſus, ſaturatis gentibus, Orbis,
Et ſi forte labor ruris tardaverat artes,
Queis ſine nulla Ceres, non ullus ſeminis uſus:
Subdere fracturo ſilici frumenta, ſuperque
Ducere pendentes orbes, & mergere farra,
Ac torrere focis, hominumque alimenta parare,
Atque unum genus in multas variare figuras.
Et quia diſpoſitis aptatur Spica per artem
Frugibus, inſtructus ſimilis componitur ordo,
Seminibuſque ſuis cellas atque horrea præbet.
Sed parte octava ſurgentem cerne Sagittam
Chelarum; dabit & jaculum torquere lacertis,
Et calamum nervis, glebas & mittere virgis,
Pendentemque ſuo volucrem deprendere Cælo;
Cuſpide vel triplici ſecurum figere piſcem.
Quod potius dederim Teucro ſiduſve genuſve?
Teve, Philoctete, cui malim credere parti?
Hectoris ille faces arcu teloque fugavit,
Mittebat qui ſuos ignes in mille carinas:
Hic autem & pharetram Trojæ bellumque gerebat,
Major & armatis hoſtis ſubſederat exul.
Quin etiam ille pater tali de ſidere cretus
Eſſe poteſt, qui ſerpentem ſuper ora cubantem
Infelix nati ſomnumque animamque bibentem
Suſtinuit miſſo petere, & proſternere telo.
Ars erat eſſe patrem, vicit natura periclum,
Et pariter juvenem ſomnoque, ac morte levavit
Tunc iterum natum, & fato per ſomnia raptum.
At cum ſecretis improvidus Hœdus in aſtris
Erranti ſimilis fratrum veſtigia quærit,
Poſtque gregem longo producitur intervallo,
olertes animos, agitataque pectora in uſus
Effingit; variis nec deficientia curis:
Nec contenta domo, populi ſunt illa miniſtra,
Perque magiſtratus & publica jura feruntur:
Non ullo careat digito, quaque iverit haſta,
Defueritque bonis ſector, pœnamque lucretur
Noxius, & patriam fraudarit debitor æris:
Cognitor eſt: verbis nec non laſcivit amores
n varios, ponitque forum, ſe datque Lyæo:
Mobilis in ſaltus, & ſcenæ mollior arte.
Nunc ſurgente Lyra, teſtudinis enatat undis
orma, per hæredem tantum præſata ſonantis;
ua quondam ſonitum referens Oeagrius Orpheus
t ſenſus ſcopulis, & ſilvis addidit aures,
t Diti lacrimas, & morti denique finem.
inc venient vocis dotes, Boreæque ſonantis
arrula quæ modulos diverſos tibia format;
quodcumque manu loquitur, flatuque movetur.
le dabit cantus inter convivia dulces,
ulcebitque ſono Bacchum, nocteſque tenebit.

Quin etiam curas inter, ſecreta movebit
Carmina, furtivo modulatus murmure vocem;
Solus & ipſe ſuas ſemper cantabit ad aures.
Hinc diſtante Lyra, cum pars viceſima ſexta
Chelarum ſurget, quæ cornua ducit in aſtra,
E regione Nepæ vix partes octo trahentis,
Ara ferens thuris ſtellis imitantibus ignem,
In qua devoti quondam cecidere Gigantes.
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Jupiter, ante Deos quam conſtitit ipſe ſacerdos.
Quos potius finget partus, quam Templa colentes;
Atque auctoratos in tertia jura miniſtros,
Divorumque ſacra venerantes numina voce;
Pene Deos, & qui poſſunt ventura videre?
Quatuor appoſitis Centaurus partibus effert
Sidera, & ex ipſo mores naſcentibus addit.
Aut mulos aget, aut mannos, miſtoſque jugabit
Semine quadrupedes, aut curru celſior ibit:
Aut onerabit equos armis, aut ducet in arma:
Ille tenet medicas artes ad membra ferorum,
Et non auditos mutorum tollere morbos.
Hoc eſt artis opus, non expectare gementes,
Et ſibi non ægrum jamdudum credere corpus.
Nunc ſubit Arcitenens, cujus pars quinta nitentem
Arcturum oſtendit ponto; quo tempore natis
Fortuna ipſa ſuos audet committere cenſus,
Regales ut opes & ſancta æraria ſervent,
Regnantes ſub rege ſuo, rerumque miniſtri;
Tutelamque gerent populi, domibuſque regendis
Præpoſiti curas alieno limine claudent.
Arcitenens cum ſe totum produxerit undis,
Ter decuma ſub parte feri, formantibus aſtris,
Plumeus in Cælum nitidis Olor evolat alis:
Quo ſurgente trahens lucem matremque relinquens
Ipſe quoque aerios populos, Cæloque dicatum
Alituum omne genus, ſtudium cenſuſque vocabit.
Mille fluent artes, aut bellum indicere Mundo,
Et medios inter volucrem prenſare meatus:
Aut nido damnare ſuo; ramove ſedentem,
Paſcentemve ſuper ſurgentia tendere lina.
Atque hæc in luxum. jam ventri longius itur
Quam modo militiæ. Numidarum paſcimur oris,
Phaſidos & damnis. arceſſitur inde macellum,
Unde aurata novo convecta eſt æquore pellis.
Quin etiam linguas hominum ſenſuſque docebit
Aerias volucres, novaque in commercia ducet,
Verbaque præcipiet naturæ lege negata.
Ipſe Deum Cycnus condit, vocemque ſub illo
Non totus volucer, ſecumque immurmurat intus.
Nec te prætereant clauſas qui culmine ſummo
Paſcere aves gaudent Veneris, & reddere cæcas,
Aut certis revocare notis: totamque per urbem
Qui geſtant caveis volucres ad juſſa paratas;
Quorum omnis parvo conſiſtit paſſere cenſus.
Has erit & ſimiles tribuens Olor aureus artes.
Anguitenens magno circumdatus orbe Draconis
Cum venit in regione tuæ, Capricorne, figuræ,
Non inimica facit ſerpentum membra creatis.
Accipiunt ſinibuſque ſuis, peploque fluenti,
Oſculaque horrendis jungunt impune venenis.
At cum ſe patrio producit ab æquore Piſcis
In Cælumque ferens alienis finibus ibit,
Quiſquis erit tali capiens ſub tempore vitam,
Littoribus ripiſque ſuos circumferet hamos,
Pendentem & cæco captabit in æquore piſcem,
Cumque ſuis domibus Conchas valloque latentes

Protrahit immerſus. nil eſt audere relictum.
Quæſitus naufragio petitur, corpuſque profundo
Immiſſum pariter cum præda exquiritur ipſa.
Nam ſemper tanti merces eſt parva laboris.
Cenſibus æquantur Conchæ, rapidumque notari
Vix quidquam eſt. locuplès oneratur terra profundo.
Tali ſorte ſuas artes per littora tractat.
Aut emit externos pretio mutatque labores
Inſtitor æquoreæ varia ſub imagine mercis.
  Cumque Fidis magno ſuccedunt ſidera mundo,
Quæſitor ſcelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commiſſa ſuis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet tacita latitantia fraude.
Hinc etiam immitis tortor, pœnæque miniſter,
Et quiſquis vero favit, culpamve perodit,
Proditur, atque alto qui jurgia pectore tollat.
  Cæruleus ponto cum ſe Delphinus in aſtra
Erigit, & ſquammam ſtellis imitantibus exit,
Ambiguus terræ partus pelagoque creatur.
Par ex diverſo ſtudet, & ſociatur utrumque
In genus, atque uno digeſtus ſemine ſurgit.
Nam velut ipſe citis perlabitur æquora pinnis,
Nunc ſummum ſcindens pelagus, nunc alta profundi,
Et ſinibus vires ſumit, fluctumque figurat:
Sic venit ex illo quiſquis, volitabit in undis,
Nunc alterna ferens in lentos brachia tractus,
Et plauſa reſonabit aqua: nunc æquore merſas
Deducet palmas furtivo remus in ipſo:
Nunc in aquas rectus veniet, paſſimque natabit,
Et vada mentitus reddet ſuper æquora campum:
Aut immota ferens in tergus membra latuſque,
Non onerabit aquas, ſummiſque accumbet in undis,
Pendebitque ſuper totum ſine remige pontum.
Illis in ponto jucundum eſt quærere pontum;
Corpora qui mergunt undis, ipſumque ſub antris
Nerea, & æquoreas conantur viſere Nymphas:
Exportantque maris prædas, & rapta profundo
Naufragia, atque imas avidi ſcrutantur arenas.
Adnumeres etiam illa licet cognata per artem
Corpora, quæ valido ſaliunt excuſſa petauro,
Alternoſque cient motus; elatus & ille
Nunc jacet, atque hujus caſu ſuſpenditur ille:
Membraque per flammas Orbeſque emiſſa flagrantes
Molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis;
Delphinumque ſuo per inane imitantia motu,
Et viduata volant pinnis, & in aere ludunt.
At ſi deficient artes, remanebit in illis
Materies tamen apta. dabit natura vigorem,
Atque alacres curſus, campoque volantia membra.
  Sed regione means Cepheus humentis Aquarii
Non dabit in luſum mores. facit ora ſevera:
Frontes ac vultus componit pondere mentis.
Paſcentur curis, veterumque exempla revolvent
Semper, & antiqui laudabunt verba Catonis,
Tutoriſve ſupercilium, patruive vigorem.
Componet teneros etiam qui nutriat annos,
Et dominum dominus prætextæ lege ſequatur,
Quodque aget, id credat ſtupefactus imagine juris.
Quin etiam tragico præſtabunt verba cothurno,
Cujus erit quamquam in chartis ſtylus ipſe cruentus,
Nec minus & ſcelerum facie, rerumque tumultu
Gaudebunt: atri luctum memorare ſepulchri,
Ructantemque patrem natos, Solemque reverſum,
Et cæcum ſine Sole diem: Thebana juvabit
Dicere bella uteri: mixtumque in fratre parentem:
Quærere Medeæ natos, fratremque patremque:
Hinc veſtes, flammas illinc pro munere miſſas;
Aeriamque fugam; vectoſque ex ignibus annos.
Mille alias rerum ſpecies in carmine dicent.
Forſitan ipſe etiam geſtus referetur in actis.
At ſi quis ſtudio ſcribendi mitior ibit,
Comica componet lætis ſpectacula ludis:
Ardentes juvenes, raptaſque in amore puellas,
Eluſoſque ſenes, agileſque per omnia ſervos,
Queis in cuncta ſuam produxit ſæcula vitam
Doctor in urbe ſua linguæ ſub flore Menander,
Qui vita oſtendit vitam, chartiſque ſacravit.
Et ſi tanta operum vires commenta negarint,
Externis tamen aptus erit nunc voce Poetis,
Nunc ſaturo geſtu; referetque affectibus ora,
Et ſua dicendo faciet; ſoluſque per omnes
Ibit perſonas & turbam reddet in uno:
Aut magnos heroas aget, ſceniſque togatas.
Omnis fortunæ vultum per membra reducet,
Æquabitque choros geſtu, cogetque videre
Præſentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem.
  Nunc Aquilæ ſidus referam, quæ parte ſiniſtra
Rorantis Juvenis, quem terris ſuſtulit ipſa,
Fertur, & extenſis prædam circumvolat alis:
Fulmina miſſa refert, & Cælo militat ales;
Bis ſextamque notat partem fluvialis Aquarii.
Illius in terris orientis tempore natus
Ad ſpolia & partas ſurget vel cæde rapinas.
Cumque hominum dederit ſtrages, dabit ille ferarum:
Nec pacem a bello, civem diſcernet ab hoſte:
Ipſe ſibi lex eſt, & qua fert cumque voluntas,
Præcipitat vires; laus eſt contendere cuncta.
Et ſi forte bonis acceſſerit impetus auſis,
Improbitas fiet virtus. & condere bella,
Et magnis patriam poterit ornare triumphis.
Et quia non tractat volucris, ſed ſuggerit, arma,
Immiſſoſque refert ignes, & fulmina reddit,
Regis erit, magnive Ducis per bella miniſter;
Ingenteſque ſuis præſtabit viribus uſus.
  Verum ubi Caſſiope, bis denis partibus actis
Æquorei juvenis, dextra de parte reſurgit,
Artifices auri faciet, qui mille figuris
Vertere opus poſſint, caræque acquirere dotem
Materiæ, & lapidum vivos miſcere colores.
Sculpentem faciet ſanctis laquearia Templis,
Condentemque novum Cælum per tecta Tonantis.
Hæc fuerat quondam Divis conceſſa figura:
Nunc jam luxuriæ pars eſt. triclinia Templis
Concertant; tectique auro jam veſcimur auro.
Hinc Auguſta nitent ſacratis munera Templis:
Et Mithridateos vultus induta tropæa:
Aurea Phœbeis certantia lumina flammis:
Gemmarumque Juli radiantes lucibus ignes.
Hinc Pompeja manent veteris monimenta triumphi,
Et quod erat Regum decus, id fuit una malorum
Non extincta lues, ſemperque recens ea flammis.
Hinc lenocinium formæ, cultuſque repertus
Corporis, atque auro quæſita eſt gratia frontis;
Perque caput ducti lapides, per colla manuſque,
Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.
Quid potius matrona velit tractare creatos
Quam factum revocare ſuos quod poſſit ad uſus?
Ac ne materies tali ſub munere deſit,
Quærere ſub terris aurum, furtoque latentem
Naturam eruere omnem, Orbemque evertere terræ
Imperat, & glebas inter deprendere gazam,
Invitamque novo tandem perducere Cælo.

Ille

Ille etiam fulvas avidus numerabit arenas,
Perfundetque novo ſtillantia littora ponto,
Parvaque ramentis faciet momenta minutis.
Pertulit, ut legeret cenſus ſpumantis in aurum
Et perlucentes cuperet prenſare lapillos.
Vorticibus mediis oculos immittet avaros;
Et coquet argenti glebas, venamque latentem
Eruet, & ſilicem rivo ſaliente liquabit.
Et facti mercator erit per utrumque metalli,
Alterum & alterius ſemper mutabit in uſus.
Tallia Caſſiope naſcentum pectora fingit.
Andromedæ fidus ſequitur, quæ Piſcibus ortis
Bis ſex in partes Cælo venit aurea dextro.
Hanc quondam pœnæ dirorum culpa parentum
Prodidit. infeſtis totus cum viribus omnis
Incubuit pontus, timuit tum naufraga tellus.
Propoſita eſt merces, veſano dedere ponto
Andromedam, teneros ut bellua manderet artus.
Hic Hymenæus erat, ſolaque in publica damna
Pro natis lacrymans ornatur victima pœna:
Induiturque ſinus non hæc in vota paratos;
Virginis & vivæ rapitur ſine funere funus.
At ſimul infeſti ventum eſt ad littora ponti,
Mollia per duras panduntur brachia cautes.
Aſtrinxere pedes ſcopulis, injectaque vincla,
Et cruce virginea moritura puella pependit.
Servatur tamen in pœna vultuſque pudorque.
Supplicia ipſa decent. nivea cervice reclivis
Molliter, ipſa ſuæ cuſtos eſt ſola figuræ.
Defluxere ſinus humeris, fugitque lacertos
Veſtis, & effuſi ſcopulis hæſere capilli.
Te circum Alcyones pennis planxere volantes,
Fleveruntque tuos miſerando carmine caſus,
Et tibi contextas umbram fecere per alas.
Ad tua ſuſtinuit fluctus ſpectacula pontus,
Aſſuetaſque ſibi deſiit perfundere ripas.
Extulit & liquido Nereis ab æquore vultum,
Et caſus miſerata tuos roravit & undas.
Ipſa levi flatu refovens pendentia membra
Aura, per extremas reſonavit flebile rupes.
Tandem Gorgonei victorem Perſea monſtri
Felix illa dies redeuntem ad littora duxit;
Iſque, ubi pendentem vidit de rupe puellam,
Diriguit facie, quem non ſtupefecerat hoſtis;
Vixque manu ſpolium tenuit, victorque Meduſæ
Victus in Andromeda eſt. jam cautibus invidet ipſis;
Feliceſque vocat, teneant quæ membra, catenas.
At poſtquam pœnæ cauſam cognovit ab ipſa,
Deſtinat in thalamos per bellum vadere ponti,
Altera ſi Gorgon veniat, non territus ire.
Concitat aerios curſus, flenteſque parentes
Promiſſu vitæ recreat, pactuſque maritum
Ad littus remeat. gravidus jam ſurgere pontus
Cœperat, & longo fugiebant agmine fluctus
Impellentis onus monſtri. caput eminet undas
Scindentis, pelaguſque movet. circumſonat æquor
Dentibus, inque ipſo rapidum mare navigat ore.
Hinc vaſtis urgent immenſi torquibus orbes,
Tergaque conſumunt pelagus. ſonat undique Syrtis,
Atque ipſi metuunt montes, ſcopulique ruentem.
Infelix virgo, quamvis ſub vindice tanto,
Quæ tua tunc fuerat facies? ut fugit in auras
Spiritus! ut toto caruerunt ſanguine membra!
Cum tua fata cavis e rupibus ipſa videres,
Adnantemque tibi pœnam pelaguſque ferentem,
Quantula præda maris! ſed pennis ſubvolat alte
Perſeus & Cælo pendens jaculatur in hoſtem,
Gorgoneo tinctum defigens ſanguine ferrum.
Illa ſubit contra aſſurgens, converſaque frontem
Erigit, & tortis innitens orbibus alte
Emicat, ac toto ſublimis corpore fertur.
Sed quantum illa ſubit ſemper jaculata profundo,
In tantum revolat, laxumque per æthera ludit
Perſeus, & Ceti ſubeuntis verberat ora.
Nec cedit tamen illa viro, ſed ſævit in auras
Morſibus, & vani crepitant ſine vulnere dentes.
Efflat & in Cælum pelagus, mergitque volantem
Sanguineis undis, pontumque extollit in aſtra.
Spectabat pugnam pugnandi cauſſa puella,
Jamque oblita ſui metuit pro vindice tali
Suſpirans, animoque magis quam corpore pendet.
Tandem confoſſis ſubſedit bellua membris,
Plena maris, ſummas iterumque renavit ad undas,
Et magnum vaſto contexit corpore pontum,
Tunc quoque terribilis, nec virginis ore videnda.
Perfudit liquido Perſeus in marmore corpus,
Major & ex undis ad cautes pervolat altas,
Solvitque hærentem vinclis de rupe puellam,
Deſponſam pugna, nupturam dote mariti.
Hic dedit Andromedæ Cælum, ſtelliſque ſacravit,
Mercedem tanti belli, quod condidit ipſa:
Gorgone non levius monſtrum, pelaguſque levavit.
Quiſquis in Andromedæ ſurgentis tempore ponto
Naſcitur, immitis veniet, pœnæque miniſter,
Carceris & duri cuſtos, quo ſtante ſuperbe
Proſtratæ jaceant miſerorum in limine matres,
Per noctesque patres cupiant extrema ſuorum
Oſcula, & in proprias animam transferre medullas;
Carnificiſque venit mortem ducentis imago,
Accenſiſque rogis & ſtricta ſæpe ſecuri.
Supplicium vectigal erit. qui denique poſſit
Pendentem e ſcopulis ipſam ſpectare puellam,
Vinctorum dominus, ſociuſque in parte catenæ.
Interdum pœnis innoxia corpora ſervat.
Piſcibus exortis cum pars viceſima prima
Signatur, terræ lumen fulgebit, & Orbi
Aerius naſcetur Equus, Cæloque volabit,
Veloceſque dabit ſub tali tempore partus,
Omne per officium vigilantia membra ferentes.
Hic glomerabit equo gyros, dorſoque ſuperbus
Ardua bella geret rector cum milite mixtus.
Nunc ſtadio fraudare fidem, poteritque videri
Mentiri paſſus, & campo tollere curſum;
Quamvis extremo citius revolaverit Orbe
Nuncius, extremum vel bis penetraverit Orbem.
Vilibus ille etiam ſanabit vulnera ſuccis
Quadrupedum: medicas artes ad membra ferarum
Noverit, humanos & quæ naſcentur ad uſus.
Nixa genu ſpecies, & Grajo nomine dicti
Engonaſi, ingenicla juvenis ſub imagine conſtans,
Dextra per extremos attollit lumina Piſces.
Hinc fuga naſcentum, dolus, inſidiæque creantur,
Graſſatorque venit media metuendus in urbe,
Et ſi forte aliquas animo conſurget in artes,
In prærupta dabit ſtudium, vincetque periclo
Ingenium; aut tenues auſus ſine limite greſſus,
Certa per extenſos ponit veſtigia funes,
Et Cæli meditatus iter faſtigia pendet
Apennina petens, populum ſuſpendit ab ipſo.
Læva ſub extremis conſurgunt ſidera Ceti
Piſcibus Andromedam ponto Cæloque ſequentis.
Hinc trahit in pelagi cædes & vulnera natos

Squam-

Squammigeri gregis. extentis laqueare profundum
Retibus, & pontum vinclis arctare furentem.
Et velut in laxo ſecuras æquore Phocas
Carceribus claudunt raris, & compede nectunt,
Incautoſque trahunt macularum vimine Thynnos.
Nec cepiſſe ſat eſt. luctantur corpora nodis,
Expectantque novas acies, ferroque necantur,
Inficiturque ſuo permixtus ſanguine pontus
Totus, cum toto jacuerunt littore prædæ.
Altera fit cædis cædes; ſcinduntur in artus
Corpora, & ex uno varius deſcribitur uſus:
Illa datis melior ſuccis pars: illa retentis:
Hinc ſanies pretioſa fluit, floremque cruoris
Evomit, & mixto guſtum ſale temperat oris.
Illa putris turba eſt, ſtrages confunditur omnis,
Permiſcetque ſuas alterna in damna figuras.
Communemque cibis uſum, ſuccumque miniſtrat.
At dum cæruleo ſtetit ipſa ſimillima ponto
Squammigerum nubes, terræque immobilis hæret,
Excipitur vaſta circumvallata ſagina,
Ingenteſque lacus, & Bacchi dolia complet,
Humoreſque vomit, ſocia per mutua dote,
Et fluit in liquidas tabes reſoluta medullas.
Quin etiam magnas poterunt celebrare ſalinas,
Et pontum coquere, & ponti ſecernere virus,
Cum ſolidum certo diſtendunt margine campum,
Adpelluntque ſuo deductum ex æquore fluctum,
Claudendoque negant. tum demum ſuſcipit undas
Area, tum pontus per Solem humore niteſcit.
Congeritur ſiccum pelagus, merſique profundi
Canities emota, maris ſpumæque rigentis
Ingentes faciunt tumulos, pelagique venenum.
Quodque erat uſus aquæ ſucco corruptus amaro,
Vitali ſale permutant, redduntque ſalubrem.
At revoluta polo cum primis vultibus Arctos
Ad ſua perpetuos revocat veſtigia paſſus,
Numquam tincta vadis, ſed ſemper flexilis Orbe:
Ac Cynoſura minor cum prima luce reſurgit,
Et pariter vaſtuſve Leo, tum Scorpius acer.
Nocte ſub extrema permittunt jura diei;
Non inimica feræ tali ſub tempore natus
Ora feret; placiduſque geret commercia gentis.
Ille manu vaſtos poterit frænare leones,
Et palpare lupos, pantheris ludere captis,
Nec fugiet validas cognati ſideris urſas,
Inque artes hominum, perverſaque munera ducet.
Ille elephanta premet dorſo, ſtimuliſque movebit,
Turpiter in tanto cedentem pondere cunctis.
Ille tigrim rabie ſolvet, pacique domabit;
Quæque alia infeſtant ſilvis animalia terras
Junget amicitia ſecum, catuloſque ſagaces.
* * * *
* * * * *
* * * *
Tertia Pleiades dotabit forma ſorores,
Femineum rubro vultum ſuffuſa pyropo,
Invenitque parem ſub te, Cynoſura, colorem:
Et quos Delphinus jaculatur quatuor ignes;
Deltotonque tribus facibus, ſimilique nitentem
Luce Aquilam; & flexos artus per lubrica terga:
Tum quartum quintumque genus diſcernitur omne
E numero, ſummaque gradus; qui jungitur Angui.
Maxima per minimos cenſu concluditur uno,
Quæ neque per cunctas noctes, neque tempore in omni
Reſplendent alto Cæli ſummota profundo.
Sed cum clara ſuos avertit Delia curſus,
Cumque vaga eſt illa, & terris ſua lumina condit:
Merſit & ardentes Orion aureus ignes;
Signaque tranſgreſſus mutat per tempora Phœbus,
Effulget tenebris, & nocte accenditur atra;
Tunc conferta licet Cæli fulgentia templa
Cernere ſeminibus denſis, totiſque micare
Floribus, ut ſiccæ curvum per littus arenæ:
Nec ſpatium ſtellis, mundo nec cedere ſummam;
Sed quot eant ſemper naſcentes æquore fluctus,
Quot delapſa cadant foliorum millia ſilvis,
Amplius hoc ignes numero volitare per Orbem.
Utque per ingentem populus deſcribitur urbem,
Præcipuumque Patres retinent, & proximum Equeſter
Ordo locum; populumque Equiti, populoque ſubire
Vulgus iners videas etiam ſine nomine turbam:
Sic etiam magno quædam reſpondere Mundo
Hæc natura facit, quæ Cæli condidit orbem.
Sunt ſtellæ procerum ſimiles; ſunt proxima primis
Sidera; ſuntque gradus; atque omnia juncta priori.
Maximus eſt populus, ſummo qui culmine fertur,
Cui ſi pro numero vires natura dediſſet,
Ipſe ſuas æther flammas ſufferre nequiret,
Totus & accenſo Mundus flagraret Olympo.

GERMANICI CÆSARIS
ARATI PHÆNOMENA
IN LATINUM CONVERSA.

AB Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis: at nobis genitor tu maximus auctor:
Te veneror, tibi ſacra fero, doctique laboris
Primitias. probat ipſe deum rectorque ſatorque,
Quantum etenim poſſint anni certiſſima ſigna,
Qua Sol ardentem Cancrum rapidiſſimus ambit,
Diverſaſque ſecat metas gelidi Capricorni:
Quæve Aries & Libra æquant divortia lucis:
Si non parta quies, te præſide, puppibus æquor,
Cultorique daret terras, procul arva ſilerent.
Nunc vocat audaces in Cælum tollere vultus,
Sideraque & varios Cæli cognoſcere motus,
Navita quid caveat, quid vitet doctus arator,
Quando ratem ventis, aut credat ſemina terris.
Hæc ego dum lætis cogor prædicere muſis,
Pax tua tuque adſis nato, numenque ſecundes.
Cetera quæ toto fulgent vaga ſidera mundo,

Indeſeſſa

Indefeſſa trahit proprio cum pondere Cælum:
Axis at immotus ſemper veſtigia ſervat,
Libratasque tenet terras, & cardine firmo
Orbem agit extremum. Geminus determinat axem,
Quem Graii dixere polon: pars merſa ſub undas
Oceani, pars celſa ſub horrifero aquilone.
Axem Cretææ dextra lævaque tuentur,
Sive Arcti, ſeu Romani cognominis Urſæ
Plauſtrumve: & facies ſtellarum eſt proxima vero,
Tres temone rotiſque micant, ſublime quaternæ:
Si melius dixiſſe fetas, obverſa refulgent
Ora feris, caput alterius ſuper horrida terga
Alterius lucet: pronas rapit orbis, in ipſos
Declives humeros. veteris ſi gratia formæ,
Creſſia vos tellus aluit, moderator olympi
Donavit Cælo: meritum cuſtodia fecit:
Quod fidæ comites prima incunabula magni
Viderunt Jovis, attonitæ cum furta parentis
Ærea pulſantes mendaci cymbala dextra,
Vagitus pueri patrias ne tangeret aures,
Dictæi exercent dominæ famuli Corybantes.
Hinc Jovis altrices, Helice Cynoſuraque fulgent.
Dat Graiis Helice curſus majoribus aſtris,
Phœnicas Cynoſura regit. ſed candida tota,
Et liquido ſplendore Helice nitet, haud prius ulla,
Cum Sol Oceano fulgentia condidit ora,
tella micat Cælo, ſeptem quam Creſſia flammis.
Certior eſt Cynoſura tamen ſulcantibus æquor:
Quippe brevis totam fido ſe cardine vertit,
idoniamque ratem numquam ſpectata fefellit.
Has inter medias, abrupti fluminis inſtar,
mmanis ſerpens ſinuoſa volumina torquet
Hinc atque hinc, ſuperatque illas mirabile monſtrum.
Cauda Helicen ſuperat, tendit ſimul ad Cynoſuram
quammigero lapſu qua deſinit ultima cauda,
ac caput eſt Helices, flexu comprenditur alto
erpentis: Cynoſuræ ille explicat amplius orbes,
ublatuſque retro majorem reſpicit Arcton.
rdent ingentes oculi, cava tempora claris
rnantur flammis, mento ſedet unicus ignis,
empus dexterius quæ ſignat ſtella Draconis,
uæque ſedet mento: lucet noviſſima cauda,
xtremumque Helices ſidus micat, ac radiatur
rpentis declive caput, quæ proxima ſigna
ccaſus ortuſque uno tanguntur ab ore,
ceani tumidis ignotæ fluctibus Arcti,
mper in occiduis ſervantes ignibus axem.
Haud procul effigies inde eſt defecta labore,
on illi nomen, non magni cauſſa laboris:
extro namque genu nixus, diverſaque tendens
achia, ſuppliciter panſis ad numina palmis,
rpentis capiti figit veſtigia ſæva.

CORONA.

Clara Ariadnææ propius ſtant ſigna Coronæ.
Hinc illi Bacchus thalami memor addit honorem.

OPHIUCHUS.

Terga nitens ſtellis, a quo ſe vertice tollit
ccidius genibus lapſum & miſerabile monſtrum,
Ophiuchus erit, longe caput ante nitendo
vaſtos humeros, tum cetera membra ſequuntur:
s languet honor humeris, manus integer ardor.
a etiam menſem cum pleno dividit Orbe,
Lux tenuis manibus per quas elabitur Anguis
Preſſus utraque manu, medium cingens Ophiuchum.
Scorpius ima pedum tangit, ſed planta ſiniſtra
In tergo reſidet, veſtigia dextera pendent.
Eſt impar manibus pondus, nam dextera parvam
Partem anguis retinet: per lævam attollitur omnis:
Quantumque a læva diſtantia Serta notantur,
Erigitur tantum Serpens, atque ultima mento
Stella ſub æthereа lucet crinita Corona,
Ad quam ſi dorſo pervadit lubricus Anguis,
Inſignes Cælum perfundunt lumine Chelæ.

ARCTOPHYLAX.

Inde Helicen ſequitur ſenior, baculoque minatus
Se velle Arctophylax, brachiorum munera cæcus
Icarus, ereptam penſavit munere ripam.
Non illi obſcurum caput eſt, non triſtia membra:
Sed proprio tamen una micat ſub nomine flamma,
Arcturum dixere, ſinus qua vincula nodant.

VIRGO.

Fulget ſpica manu, maturiſque ardet ariſtis,
Quam te diva vocant: tangunt mortalia ſi te
Carmina, nec ſurdam præbes venerantibus aurem,
Exoſa heu mortale genus, medio mihi curſu
Stabunt quadrupedes, & flexis lætus habenis,
Teque tuumque canam terris venerabile numen.
Aurea pacati regeres cum ſecula mundi
Juſtitia, inviolata malis, placidiſſima virgo,
Seu genus Aſtræi fueris, quem fama parentem
Tradidit aſtrorum, ſeu vero intercidit ævo
Ortus fama tui, mediis te læta ferebas
Sublimis populis, nec dedignata ſubire
Tecta hominum & pueros mores ſine crimine, diva
Jura dabas, cultuque novo rude vulgus in omnem
Formabas vitæ ſinceris artibus uſum.
Nondum veſanos rabies nudaverat enſes,
Nec conſanguineis fuerat diſcordia nota,
Ignotique maris curſus, privataque tellus
Grata ſatis, neque per dubios avidiſſima ventos,
Spes procul amotas fabricata nave petebat
Divitias, fructuque dabat placata colono
Sponte ſua tellus, nec parvi terminus agri
Præſtabat dominis ſigno tutiſſima rura.
At poſtquam argenti crevit deformior ætas,
Rarius inviſit maculatas fraudibus urbes,
Seraque ab excelſis deſcendens montibus, ore
Velato, triſtiſque genas abſcondita ripa,
Nulliuſque larem, nullos adit illa penates.
Tantum cum trepidum vulgus cœtuſque notavit,
Increpat, O patrum ſoboles oblita priorum,
Degeneres quæ habuit ſemperque habitura minores,
Quid me nunc habitus ſuper & mala vota vocatis?
Quærenda eſt ſedes nobis nova: ſecula veſtra,
Artibus indomitis tradent ſcelerique cruento.
Hæc effata, ſuper montes abit alite curſu,
Attonitos linquens Populos, graviora paventes.
Ærea ſed poſtquam proles terris data, nec jam
Semina virtutis vitiis demerſa reſiſtunt:
Quiſque priora tenet veſtigia, quiſque ſecunda:
Ferrique invento mens eſt lætata metallo,
Polluit & taurus menſas, aſſuetus aratro.
Deſeruit propere terras juſtiſſima Virgo,
Et Cæli ſortita locum, qua proximus illi

Tardus

Tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra Bootes.
Virginis at placidæ præſtanti lumine ſignat
Stella humeros, Helicenque ignis non clarior ambit,
Quique micat cauda, quique armum fulget ad ipſum,
Quique priora tenent veſtigia, quique ſecunda
Clunibus hirſutis & qui ſua ſidera reddit:
Namque aliæ, quibus expletum cervixque caputque,
Vatibus ignotæ priſcis, ſine honore feruntur.

GEMINI.

Qua media Helice, ſubjectum reſpice Cancrum:
At capiti ſuberunt Gemini,

LEO.

. . . Qua poſterior pes,
Horrenteſque jubas & fulvum cerne leonem,
Hunc ubi contigerit Phœbi violentior axis,
Accenſa in Cancro jam, tunc geminabitur æſtas.
Tunc lymphæ tenues, tunc eſt triſtiſſima tellus.
Et denſas lætus ſegetes bene condit arator.
Ne mihi tunc remis pulſet vaga cærula puppis:
Dem potius ventis excluſo vela rudente.
Excipiam ſinu zephyris ſpirantibus auras,

ERIOHTHONIUS.

Eſt etiam Aurigæ facies, ſive inclyta forma,
Natus Erichthonius, qui curru ſub juga duxit
Quadrupedes, ſeu Myrtoas demerſus in undas
Myrtilos hunc potius ſpecies in ſidera reddit.
Sic nulli curſus, ſic ruptis mœſtus habenis,
Perfidia Pelopis raptam gemit Hippodamiam,
Ipſe ingens tranſverſus abit lævam Geminorum,
Majoriſque Urſæ contra delabitur ora.
Numina præterea ſecum trahit: una putatur
Nutrix eſſe Jovis, ſi vere Jupiter infans
Ubera Cretææ mulſit fidiſſima capræ:
Sidere quæ claro gratum te geſtat alumnum,
Hanc auriga humero totam gerit: at manus hœdos
Oſtendit, nautis inimicum ſidus in undis.
Orbis ab oceano celſus rapit. haud ſemel hœdi
Jactatam videre ratem nautaſque paventes,
Sparſaque per ſævos morientum corpora fluctus.

TAURUS.

Aurigæ pedibus trux adjacet ignea Taurus
Cornua fronte gerens, & lucidus igne minaci,
Quem Liber ignarum Cæli formando docebat:
Et caput, & patulas nares, & cornua Tauri:
Fronte micant Hyades: quæ cornua flamma ſiniſtri
Summa tenet. ſub hæc eadem, veſtigia dextra
Aurigæ, mediaque ligant compagine divos.
Myrtilos exoritur ſummo cum Piſcibus ore,
Totus cum Tauro lucet, ruit oceano bos
Ante, ſuper terras cum fulget Myrtilus ore,

CEPHEUS.

Jaſides etiam Calum cum conjuge Cepheus
Aſcendit, totaque domo: quia Jupiter auctor
Eſt generis: prodeſt majeſtas ſæpe parentis.
Ipſe brevem patulis manibus ſtat poſt Cynoſuram,
Diducto paſſim quantum latus a pede dextro,
Cepheus extremum tangit Cynoſurida caudam:
Tantumdem a lævo diſtat minor. utraque jungit
Regula. Cepheos veſtigia baltheus ambit.

CASSIEPEIA.

Qua latus afflexum ſinuoſi reſpicit Anguis,
Caſſiepeja virum reſidet ſublimis ad ipſum,
Clara etiam, pernox cælo cum Luna refulget,
Sed brevis & paucis decorata in ſidere flammis,
Qualis ferratos ſubicit clavicula dentes,
Succutit, & foribus producit vincula clauſtri:
Talis diſpoſitis ſtellis ipſa horrida vultu,
Sic tendit palmas ceu ſit planctura relictam
Andromedam, meritæ non juſta piacula matris.

ANDROMEDE.

Nec procul Andromede, totam quam cernere nondu[m]
Obſcura ſub nocte licet, ſic emicat ore,
Sic magnis humeris candens nitet, ac media ambit,
Ignea ſubſtricta fulget qua zonula palla,
Sed pene facies remanet, diſtrictaque pandit
Brachia, ceu magni teneantur robore ſaxi.

EQUUS DIMIDIUS.

Andromedæ vero radiat qua ſtella ſub ipſa
Alvo, fulget Equus: tres armo, ſed latera æquis
Diſtinguunt ſpatiis: capiti triſtiſſima forma,
Et cervix ſine honore obſcuro lumine ſordet.
Spumanti mandit ſed qua ferus ore lupato,
Et capite & longe cervice inſignior exit
Stella nitens, armis laterique ſimillima magno.
Nec totam ille tamen formam per ſingula reddit.
Primo præſtat equo, medio rapta ordine membra
Deſtituunt, viſus radiis hinc ſurgit imago.
Gorgonis hinc proles in Pierio Helicone,
Vertice cum ſummo nondum decurreret unda,
Muſæos fontes dextri pedis ictibus hauſit.
Inde liquor genitus nomen tenet Hippocrenen.
Fontes nomen habent, ſed Pegaſus æthere ſummo
Veloces agitat pennas, & ſidere gaudet.

ARIES.

Inde ſubeſt Aries, qui longe maxima torrens
Orbis, & ad finem ſpatiis non tardior oram
Pervenit, & quando graviore Lycaonis Arctos
Axem vel tutor quem tanto gratior ille
Diſtantes cornu properat contingere metas,
Claraque non illi eſt facies, nec ſidera poſſunt,
Officiat ſi Luna, ſua virtute nitere.
Sed quærendus erit zonæ ratione micantis,
Ut chelæ, candens aut baltheus Orionis.

DELTOTON.

Eſt etiam propiore Deum cognoſcere ſigno,
Deltoton, ſi quis donum hoc ſpectabile Nili,
Divitibus veneratum undis in ſede notarit.
Tres illi laterum ductus, æquata duorum
Sunt ſpatia, unius brevior, ſed clarior ignis.
Hinc Aries juxta medium Deltoton habebit,

PISCES.

PISCES.

Inter Lanigeri tergum, & Cepheida mœſtam
Hinc ultra gemini Piſces, quorum alter in auſtrum
Tendit, Threicium boream petit alter, & audit
Stridentes auras, niveus quas procreat Hæmus.
Non illis liber curſus, ſed vincula cauda
Singula utrumque tenent uno coeuntia nodo.
Nodum ſtella premit Piſcis, qui reſpicit auras
Threicias. dextram Andromedæ cernuntur ad ulnam.

PERSEUS.

Tantus & ille micat, tantum occupat ab Jove cæli.
Dextra ſublata ſimilis, prope Caſſiopejam:
Sublimis fulget pedibus: properare videtur,
Et velle aligeris purum æthera tangere palmis.

PLEIADES.

Sidera communem oſtendunt ex omnibus ignem.
Septem traduntur numero, ſed carpitur una,
Deficiente oculo diſtinguere corpora parva.
Nomina ſed cunctis ſervavit fida vetuſtas.
Electra, Alcyoneque, Celænoque, Taygeteque,
Et Sterope, Meropeque ſimul, formoſaque Maja,
Cælifero genitæ, ſi vere ſuſtinet Atlas
Regna Jovis ſuperoſque, atque ipſo pondere gaudet.
Lumine non multo Plejas certaverit aſtris:
Præcipuo ſed honore oſtendit tempora bina:
Cum primum agricolam ventus ſupereminet auſter,
Et cum ſurgit hiems portu fugienda peritis.

LYRA.

Tempora læva premit Parthi ſubjecta draconis,
Summa genu ſubverſa tenet qua ſe Lyra volvit.

CYCNUS.

Contra ſpectat avem, vel Phœbi quæ fuit olim,
Cycnus de thalamis candens, qui lapſus adulter
Furta Jovis falſa volucer ſub imagine texit.
Haud medii fulgoris erunt pennæ: utraque læta,
Dexterior juxta regalem Cepheos ulnam,
At læva fugit inſtantem ſibi Pegaſon ala.

AQUARIUS.

Oceano merſus, ſopitas condere flammas,
Imbres, occaſus ortuſque intercipit ora.
Et cum terrores auget nox atra marinos,
Multum clamatos fruſtra ſpectaveris ortus.
Tunc rigor, aut rapidus ponto tunc incubat auſter,
Tarda miniſteria, & nautis tremor alligat artus,
Et rationem animi temeraria pectora ſolvent.
Nulla dies oritur, quæ jam vacua æquora cernat,
Puppibus & ſemper tumidis ratis innatat undis.
Interea tentare undas juvat, aſpera ſed cum
Aſſultat lateri deprenſæ ſpuma carinæ,
Tunc alti curvos proſpectant littore portus:
Inventaſque alii terras pro munere narrant.
Interea exanimat pavidos inſtantis aquæ mons:
Aſt alii procul e terra jactantur in altum:
Munit & hos breve lignum, & fata inſtantia pellit,
Et tantum a leto, quantum rate fluctibus, abſunt.

SAGITTARIUS.

Belligerum Titan etiam cum contigit arcum,
Ducentemque ferunt ſinuato ſpicula nervo,
Jam clauſum ratione mare eſt, jam navita portu
Infeſtam noctem fugit, ad longaſque tenebras,
Signum erit exoriens nobis tum nocte ſuprema.
Scorpius ille micat ſuper freta cærula cauda:
Inſequitur gravis Arcus, & in lucem magis exit.
Tunc alte Cynoſura repit, tunc totus in undas
Mergitur Orion, humeris & vertice Cepheus.

AQUILA.

Unguibus innocuis Phrygium rapuit Ganymedem
Et Cælo appoſitos cuſtos quo Jupiter arſit
In puero, fuit excidio quem Troja furorem.

DELPHINUS.

Sidera quæ mundi pars celſior æthere volvit,
Quæque vident boream, ventis aſſueta ſerenis
Diximus: hinc alius declivis ducitur ordo,
Sentit & inſanos obſcuris flatibus auſtros.

ORION.

Tela, caput, magniſque humeris ſic balteus ardet,
Sic vagina enſis, pernici ſic pede fulget.

CANIS.

Cum tetigit Solis radios, accenditur æſtas,
Diſcernitque: ortu longe ſata vivida firmat:
At quibus arctatæ frondes, aut languida radix,
Exanimat: nullo gaudet majuſve minuſve
Agricola: & ſidus primo ſpeculatur ab ortu.

DASYPUS.

Sic utrumque oritur, ſic occidit in freta ſidus:
Tu parvum Leporem perpende ſub Orione.

ARGO NAVIS

At cum decurrens inhibet jam navita remos,
Averſamque ratem votis damnatus ab ore
Perlegit, optatam cupiens contingere terram:
Sed quia pars violata fuit, coeuntia ſaxa
Numine Junonis tutus cum fugit Iaſon,
Hæc micat in Cælo lateri non amplior, actus
Qua ſurgit malus, qua debet reddere proram,
Intercepta perit nulla ſub imagine forma:
Puppis demiſſo tantum ſtat lucida clavo.

CETUS.

Diverſo poſita & boreæ vicina legenti,
Auſter piſtris agens duo ſidera, perlegit unum.
Namque Aries ſupra Piſtrim Piſceſque feruntur.
Bellua ſed ponti non multum præterit Amnem.

ERIDANUS FLUVIUS.

Planxere ignotis Aſiæ Phaetontides undis.
Eridanus medius liquidis interjacet aſtris.

Hujus pars undæ lævum ferit Orionis
Lapſa pedem, procul a motis qui Piſcibus uſus,
Vincula conjectat nodus: criſtam ſuper ipſam,
Æquore Piſtris adit. ſunt illi libera cælo
Sidera, nonnullam ſpecie reddentia formam:
Sub Leporiſque latus, verſam poſt denique puppim,
Inter & Eridanum, flexuſque cavumque carinæ.
Atque hæc ipſa notat ſi nullam ferre figuram,
Sunt etiam toto ſparſi ſine nomine mundi
Inter ſigna ignes etiam, quibus & ſua deſit
Forma, per oppoſiti noſcuntur lumina ſigni.

PISCIS.

Infimus Hydrochoos ſed qua veſtigia figit,
Sunt aliæ ſtellæ, qua caudam bellua flectit,
Quaque caput Piſcis, media regione locatæ:
Nullum nomen habent, nec cauſam nominis ullam:
Sic tenuis cunctis jam pene evanuit ardor:
Nec procul hinc dextra diffundit Aquarius undas,
Atque imitata cadunt errantis ſigna liquoris.
E quibus una magis ſub cauda flamma relucet
Squammigeræ piſtris: pedibus ſubit altera ſigni
Fundentis latices: eſt & ſine honore corona,
Ante Sagittiferi multum pernicia crura.
Oceanum occaſu tangit tanto & magis arte,
Thuribulum metæ vim Cælo ſuſcipit, & jam
Præcipiti tractu vaſtis dimittitur undis.
Multa dedit natura homini rata ſigna ſalutis,
Venturamque novis cladem depellere ſuaſit.
Inter certa licet numeres ſub nocte cavenda
Thuribulum. nam ſi ſordebunt cætera cæli
Nubibus obductis, illo ſplendore timeto,
Ne pacem pelagi ſolvat violentior auſter:
Tunc mihi ſiccentur aſtricto cornua velo,
Erigat, emittatque latus per inane rudentes.
Quod ſi deprenſa turbavit lintea puppis,
Incubuitque ſinu laxo, vel mergitur undis
Prora ratis, ſolvetque inimicum Nerea prora:
Vel ſi perſpexit ſervator Jupiter æger,
Ultima perſolvunt jactatæ vota ſalutis:
Nec metus ante fugit, quam pars eſtinxerit orbis,
Quæ Boream cælum ſpectantibus indicet ortum.

CENTAURUS.

Inde per ingentes coſtas, per crura, per armos,
Naſcitur intacta Sonipes ſub Virgine dextra,
Seu prædam e ſilvis portat, ſeu dona propinqua
Placatura deos, cultor Jovis admovet aræ.
Hic erit ille pius Chiro, tutiſſimus omnes
Inter nubigenas, & magni doctor Achillis.
Hic humero medium ſcindens iter ætheris alti,
Si tenuem traxit nubem ſtellaſve recondit,
Toto clarus equo, venientes nunciat euros.

HYDRA.

Hic primos ortus Crater premit ulterioris,
Vocalis roſtro Corvi, ſuper Hydraque lucet.

* * * *

Ætherium venit thalamum ſuper imbribus atrum,
Et tonitru, crebraque abſcondit grandine terras.
Temperat in Geminis annum, nec crede ſereno,
Nubila nec diuturna putes cum ſidere Cancri.
Fons erit ardentis, tamen hoc in litore certum
Flagrantis placide lucens hic temperat annum.
Cum poſuit ſedem Nemeæis finibus aſtrum,
Virgineque & Libra, ſemper pendentia tantum
Nubila continua magis in ſtatione manebunt.
Nunc quoque nulla fides, cælum cum Scorpion acer
Stat ſuper: incerta namque omnia lege feruntur:
Heu quantis terras tum Jupiter ignibus omnes
Obruet, aut glomerata cadet quam denſa per aſtra
Immitis grando cælo, quam ſæpe ſonabit,
Cum ſpatium attigerit tendentis ſingulaque ignis!
Non terris imbres, ponto non flamina deerunt,
Et cæli terret ſonitus mortalia corda,
Cum ſedem Ægoceri Cythereius attigit ignis.
Horridus at gelidos portendit Aquarius ignes,
Hibernæque cadunt pluviæ, concretaque grando.
Piſcibus a geminis ſub prima recurrerit aſtra
Heſperus, hæc tibi ſigna feret, cum lucifer ora
Ingreditur Venus alma polum, ſed ubi Heſperus ignes
Provocat ætherios, & noctem ducere terris
Incipit, exoriens ecce hæc Cytherea movebit.
Vere caveto imbres, & fulmina culmine ab alto,
Phryxeum rutilo pecus irradiaverit aſtro
Nubila, commixtuſque fragor pluvialibus undis,
Flaminaque aſſiduo terris tum ſtantia pulſu.
E cælo diri dejecti grandinis ictus,
Vere magis nitido Tauri cum ſidere fulſit.
Appota Geminis eadem conſtantia præſtat,
Cum dederit ſoles, inducit nubila cælo:
Nubila cum fuerint, ſubitos mirabere ſoles:
Et modo te vento gelido, modo protinus imber
Lucens alterna ſuperabit nube ſerena.
Sin levis ingreſſa eſt ſpatioſi ſidera Cancri,
Pacem mundus habet, nonnulli corpore ſoles
Peſtiferi incendunt, non ſidera denſa ſolutos
Aſtringunt artus: alieno tempore lenis
Omnia pacato tum ſidere temperat aer.
Ac rapidis idem ne ſolibus æſtuet orbis,
Efficient magni conſpectu ſigna Leonis.
Virgine erunt pluviæ, plerique in nube fragores,
Concava quos reddunt incluſo nubila vento.
Detrahit autumno pluvias, eademque repellit,
Nubibus aſſiduis, cælumque ob frigora prima,
Extremum autumni ſuperent glacialia terræ.
Scorpios at raris ne quis cava terra gravetur,
Horrebit pluviis. ad diros omnia nimbos,
Continuoſque ruit, cum per ſinuoſa tenetur
Cornua Centauri rapida diſtincta ſagitta.
Ægoceros imbres, & crebro lumine ruptos
Nubibus elidet ſonitus, tremuloque nitore
Flagrantis teli mortalia numina vincent.
Hæc eadem fundens prædicit Aquarius imbrem.
Extremis ſævis maria increbreſcere ventis,
Oſtendunt Piſces Veneris quos ſtella notarit.
Et quoniam certis extat via cognita ſignis,
Accipe quid moveat mundo Cyllenius ignis,
Si modo Phœbei flammas evaſerit axis,
Matutina ferens ſolitos per ſidera curſus.
Cum pecudum vilis auratum fulſerit aſtrum,
Ventorumque graves, & diræ grandinis iræ,
Non intermiſſo patienti tempore ſurgent.
Quin pluvias alias etiam in regione notabis
Aſtore non omni: namque eſt tunc imber in arvis.
Aſt ubi ſe Taurus ſinuatis cornibus effert,
Grandine ſignificat. Geminis tranquilla ſereni
Et placidum nautis ſpondet cælumque fretumque,
Nubila atque imbres, æſtus ac frigora miſcet.

Certior ardor erit, quamvis juvet aura Favoni,
Cum vaſti calida radiabit ſede Leonis.
Templa ſed ætherei ſimul ac poſſederit ignis,
Omnia mixta feret, pluvias meditabitur ingens,
Undique grando venit, rumpuntur culmina nimbis.
Centauri attigerit cum jam Cyllenius arcus,
Aut ubi conſurgit Capricornus & ipſe biformis,
Aut ſubitos Cælo deducet crebrius imbres,
Fulminis aut jactu magnum perrumpit Olympum.
Nulla ſerenato Capricornus nubila Cælo
Comparat, aut gelidos flatus, Cælique fragores
Non alio melius ſigno prædicere poſſis.
Piſcibus hæc eadem quamvis cognoſcere fas ſit,
Quandoquidem exoritur mundo Cyllenius ignis.
Quid faceret primum moto cum lumine Solis,
Tempus & occaſus moneat quoque diſcere Phœbi.
Ver erit hibernis totum execrabile nimbis,
Et crebro tonitru junget florentia rura,
Speſque novæ ſegetis quatientur grandinis ictu,
Uretur Cælum, magni cum regna Tonantis
Ingrediens pecudis ingreditur aurea terga.
Hinc & Agenorei ſtellantia cornua Tauri,
Quidve ferant Gemini, rapido quid ſidere Cancer,
Si penitus quæras: Taurum ſævire videbis,
Grandine nec contra ferri ratione probanda,
Aut Cancro, aut Geminis. calidus veſtigia ſervat
Hic quo dicta Leo ſæviſque caloribus ardet.
Flatus at Geminis miſcet tranquilla ſerena,
Spiciferæque manu tendenti libera nutu
Diſſentit Divæ, ſed ut hæc ventura ſerena
Nunciat, & ventis ceſſat mare, ceſſat & aer.
Scorpios iu pluvias rarus, ſed nubibus atris
Creber agit nimbos: & ſæva tonitrua portat,
Clara Sagittiferi tetigit cum lumina Signi.
Ægocero ſemper cælo levis excidit imber.
Frigidus at rapidis horrebit Aquarius euris,
Brumaleſque dabit pluvias, atque igne perenni
Cum ſonitu quatiet nubes ſecura laboris,
Non fruſtrans animum certo me limite ducat.
Hæc eadem tibi ſigna dabunt non irrita Piſces.

EPIGRAMMA GERMANICI

Ad Hectoris Tumulum.

Ex Pithœo.

Martia Progenies, Hector, tellure ſub ima
  (Fas audire tamen ſi mea verba tibi.)
Reſpira, quoniam vindex tibi contigit hæres,
  Qui patriæ famam præferat uſque tuæ.
Ilios en ſurgit rurſum inclyta, gens colit illam,
  Te Marte inferior, Martis amica tamen.
Myrmidonas periiſſe omnes dic Hector Achilli,
  Theſſaliam & magnis eſſe ſub Æneadis.

EJUSDEM.

Ex eodem.

Thrax puer adſtricto glacie cum ludit in Hebro,
  Pondere concretas frigore rupit aquas.
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne,
  Abſcidit tenerum lubrica teſta caput.
Orba quod inventum mater dum conderet urna,
  Hoc peperi flammis, cetera, dixit, aquis.

PHÆDRI
AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI
FABULARUM ÆSOPIARUM
LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

AEſopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi verſibus ſenariis.
Duplex libellis os eſt: quod riſum movet,
Et quod prudenti vitam conſilio monet.
Calumniari ſi quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum feræ,
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

FABULA I.

LUPUS & AGNUS.

Ad rivum eumdem Lupus & Agnus venerant
Siti compulſi: ſuperior ſtabat Lupus,
Longeque inferior Agnus. tunc fauce improba
Latro incitatus jurgii cauſſam intulit.
L. *Cur*, inquit, *turbulentam mihi feciſti aquam
Iſtam bibenti?* Laniger contra timens:
A. *Qui poſſum, quæſo, facere, quod quereris, Lupe?*

A. *Qui poſſum, quæſo, facere, quod quereris, Lupe?*
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
L. *Ante hos ſex menſes at maledixiſti mihi.*
Reſpondit Agnus: *Equidem natus non eram.*
L. *Pater hercule tuus*, inquit, *maledixit mihi.*
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.
" Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,
" Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

FAB. II.

RANÆ REGEM POSTULANTES.

Athenæ quum florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miſcuit,
Frænumque ſolvit priſtinum licentia.
Hinc conſpiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus.
Quum triſtem ſervitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille, ſed quoniam grave
Omnino inſuetis onus, & cœpiſſent queri,
Æſopus talem tum fabellam rettulit.
Ranæ vagantes liberis paludibus,
Clamore magno Regem petiere a Jove,
Qui diſſolutos mores vi compeſceret.
Pater Deorum riſit, atque illis dedit
Parvum tigillum, miſſum quod ſubito vadis
Motu ſonoque terruit pavidum genus.
Hoc merſum limo cum jaceret diutius,
Forte una tacite profert e ſtagno caput,
Et, explorato rege, cunctas evocat.
Ille timore poſito certatim adnatant,
Lignumque ſupra turba petulans inſilit:
Quod quum inquinaſſent omni contumelia,
Alium rogantes regem miſere ad Jovem,
Inutilis quoniam eſſet qui fuerat datus.
Tum miſit illis hydrum, qui dente aſpero
Corripere cœpit ſingulas: fruſtra necem
Fugitant inertes: vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Afflictis ut ſuccurrat. tunc contra Deus.
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, *bonum*,
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc ſuſtinete, majus ne veniat malum.

FAB. III.

GRACULUS SUPERBUS.

" Ne gloriari libeat alienis bonis,
" Suoque potius habitu vitam degere,
Æſopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus ſuperbia,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, ſuſtulit,
Seque exornavit: deinde contemnens ſuos,
Immiſcuit ſe pavonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque roſtris. malo multatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus.
A quo repulſæ triſtem ſuſtinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius deſpexerat:
Gr. *Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,*
Et quod natura dederat voluiſſes pati:
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

FAB. IV.

CANIS NATANS.

" Amittit merito proprium, qui alienum appetit.
Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulacrum ſuum,
Aliamque prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta aviditas,
Et, quem tenebat, ore demiſit cibum;
Nec, quem petebat, potuit adeo attingere.

FAB. V.

VACCA, CAPELLA, OVIS & LEO.

" Numquam eſt fidelis cum potente ſocietas.
" Teſtatur hæc fabella propoſitum meum.
Vacca & Capella, & patiens Ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone in ſaltibus.
Hi quum cepiſſent Cervum vaſti corporis,
Sic eſt locutus, partibus factis, Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi:
Tum quia plus valeo, me ſequetur tertia:
Malo adficietur, quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam ſola improbitas abſtulit.

FAB. VI.

RANÆ ad SOLEM.

„ Vicini furis celebres vidit nuptias
„ Æſopus, & continuo narrare incipit
Uxorem quondam Sol quum vellet ducere.
Clamorem Ranæ ſuſtulere ad ſidera.
Convicio permotus quærit Jupiter
Cauſam querelæ: quædam tum ſtagni incola
Nunc, inquit, *omnes unus exurit lacus,*
Cogitque miſeras arida ſede emori:
Quidnam futurum eſt, ſi crearit liberos?

FAB. VII.

VULPES ad PERSONAM TRAGICAM.

Perſonam tragicam forte vulpes viderat:
O quanta ſpecies, inquit, *cerebrum non habet!*
" Hoc illis dictum eſt, quibus honorem & gloriam
" Fortuna tribuit, ſenſum communem abſtulit.

FAB. VIII.

LUPUS & GRUS.

" Qui pretium meriti ab improbis deſiderat
" Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat,
" Impune abire deinde quia jam non poteſt.
Os devoratum fauce quum hæreret Lupi,
Magno dolore victus cœpit ſingulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem perſuaſa eſt jurejurando Gruis;
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam Lupo.
Pro quo quum pactum flagitaret præmium:
L. *Ingrata es*, inquit, *ore quæ noſtro caput*
Incolume abſtuleris, & mercedem poſtulas.

FAB. IX.

PASSER & LEPUS

" Sibi non cavere & aliis conſilium dare
" Stultum eſſe paucis oſtendamus verſibus.
Oppreſſum ab Aquila fletus edentem graves
Leporem objurgabat Paſſer. *Ubi pernicitas*
Nota, inquit, *illa eſt? quid ita ceſſarunt pedes?*
Dum loquitur, ipſum accipiter nec opinum rapit,
Queſtuque vano clamitantem interficit.
Lepus ſemianimus mortis in ſolatio:
L. *Qui modo ſecurus noſtra inridebas mala,*
Simili querela fata deploras tua.

FAB. X.

LUPUS & VULPES JUDICE SIMIO.

" Quicumque turpi fraude ſemel innotuit,
" Etiam ſi verum dicit, amittit fidem.
" Hoc adteſtatur brevis Æſopi fabula.
Lupus arguebat Vulpem furti crimine,
Negabat illa ſe eſſe culpæ proximam.
Tunc judex inter illos ſedit Simius.
Uterque cauſſam cum peroraſſent ſuam,
Dixiſſe fertur Simius ſententiam:
Tu non videris perdidiſſe quod petis:
Te credo ſubripuiſſe quod pulchre negas.

FAB. XI.

ASINUS & LEO VENANTES.

" Virtutis expers verbis jactans gloriam,
" Ignotos fallit, notis eſt deriſui.
Venari Aſello comite quum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit ſimul,
Ut inſueta voce terreret feras,
Fugientes ipſe exciperet. hic auritulus
Clamorem ſubitum tollit totis viribus,
Novoque turbat beſtias miraculo;
Quæ dum paventes, exitus notos petunt;
Leonis affliguntur horrendo impetu.
Qui poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum evocat,
Jubetque vocem premere: tunc ille inſolens:
A. *Qualis videtur tibi opera hæc vocis meæ?*
L. *Inſignis*, inquit, *ſic ut niſi noſſem tuum*
Animum, genuſque, ſimili fugiſſem metu.

FAB. XII.

CERVUS CORNIBUS IMPEDITUS.

" Laudatis utiliora quæ contempſeris
" Sæpe inveniri, hæc exerit narratio.
Ad fontem cervus, quum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum ſubito vocibus conterritus
Per campum fugere cœpit, & curſu levi
Canes eluſit: ſilva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari cœpit morſibus ſævis canum.
Tunc moriens, vocem hanc edidiſſe dicitur:
O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
Ut illa mihi profuerint, quæ deſpexeram,
Et quæ laudaram, quantum luctus habuerint!

FAB. XIII.

VULPES & CORVUS.

" Qui ſe laudari gaudent verbis ſubdolis,
" Seræ dant pœnas turpes pœnitentiæ.
Quum de feneſtra Corvus raptum caſeum
Comeſſe vellet celſa reſidens arbore,
Hunc vidit Vulpes, deinde ſic cœpit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor.
" Hac re probatur, quantum ingenium valet;
" Virtute ſemper prævalet ſapientia.

FAB. XIV.

EX SUTORE MEDICUS.

Malus quum Sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cæpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſivit ſibi famam ſtrophis.
Hic, quum jaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, ejus experiendi gratia,
Scyphum popoſcit; fuſa dein ſimulans aqua
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Hoc bibere juſſit ipſum, poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis ulla medicum ſe prudentia,
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione hæc addidit:
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
" Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
" Quorum ſtultitia quæſtus impudentiæ eſt.

FAB. XV.

ASINUS EGREGIE CORDATUS.

" In principatu commutando civium
Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id eſſe verum parva hæc fabula indicat.
Aſellum in prato timidus paſcebat ſenex;
Is hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat Aſino fugere, ne poſſent capi.
At ille lentus: *Quæſo, num binas mihi*
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negavit. A. *Ergo, quid refert mea,*
Cui ſerviam, clitellas dum portem meas?

FAB. XVI.

OVIS & CERVUS.

" Fraudator nomen quum locat ſponſu improbo,
" Non rem expedire, ſed malam dare expetit.
Ovem rogabat Cervus modicum tritici
Lupo ſponſore. at illa præmetuens dolum;
Rapere atque abire ſemper adſuevit Lupus:
Tu de conſpectu fugere veloci impetu:
Ubi vos requiram, quum dies advenerit?

FAB. XVII.

FAB. XVII.

OVIS, CANIS, & LUPUS.

" SOlent mendaces luere pœnas maleficii.
Calumniator ab Ove quum peteret Canis,
Quem commodaſſe panem ſe contenderet,
Lupus citatus teſtis, non unum modo
Deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis damnata falſo teſtimonio,
Quod non debebat, ſolvit. poſt paucos dies
Bidens jacentem in fovea conſpexit Lupum:
Hæc, inquit, *merces fraudis a ſuperis datur.*

FAB. XVIII.

MULIER PARTURIENS.

" NEmo libenter recolit, qui læſit, locum.
Inſtante partu mulier, actis menſibus,
Humo jacebat flebiles gemitus ciens.
Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturæ melius quo deponeret.
Minime, inquit illa, *poſſe confido loco
Malum finiri quo conceptum eſt initio.*

FAB. XIX.

CANIS PARTURIENS.

" HAbent inſidias hominis blanditiæ mali,
" Quas ut vitemus, verſus ſubjecti monent.
Canis parturiens, quum rogaſſet alteram,
Ut fœtum in ejus tugurio deponeret,
Facile impetravit, dein repoſcenti locum
Preces admovit: tempus exorans breve,
Cum firmiores catulos poſſet ducere.
Hoc quoque conſumpto, flagitare validius
Cubile cœpit: *Si mihi & turbæ meæ
Par*, inquit, *eſſe potueris, cedam loco*.

FAB. XX.

CANES FAMELICI.

" STultum conſilium non modo effectu caret,
" Sed ad pernicem quoque mortales devocat.
Corium depreſſum in fluvio viderunt Canes;
Id ut comeſſe extractum poſſent facilius,
Aquam cœpere ebibere, ſed rupti prius
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

FAB. XXI.

LEO SENIO CONFECTUS.

" QUicumque amiſit dignitatem priſtinam
" Ignavis etiam jocus eſt in caſu gravi.
Defectus annis & deſertus viribus
Leo quum jaceret ſpiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam,
Infeſtis Taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus ut vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem extudit.
At ille exſpirans: *Fortes indigne tuli
Mihi inſultare; te, naturæ dedecus,
Quod ferre cogor, certe bis videor mori.*

FAB. XXII.

MUSTELA & HOMO.

MUſtela ab homine prenſa quum inſtantem necem
Effugere vellet: *M. quæſo*, inquit, *parcas mihi*,
Quæ tibi moleſtis muribus purgo domum.
Reſpondit ille: *H. faceres ſi cauſa mea,
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici:
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quæ ſunt roſuri, ſimul & ipſos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.*
Atque ita locutus improbam leto dedit.
" Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere,
" Quorum privata ſervit utilitas ſibi,
" Et meritum inane jactant imprudentibus.

FAB. XXIII.

CANIS FIDELIS.

" REpente liberalis ſtultis gratus eſt,
" Verum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus quum fur panem miſiſſet Cani,
Objecto tentans an cibo poſſet capi:
Heus, inquit, *linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini? multum falleris.
Namque iſta me jubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.*

FAB. XXIV.

RANA RUPTA.

" INops potentem dum vult imitari, perit.
In prato quodam Rana conſpexit Bovem,
Et tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos
Interrogavit, *an Bove eſſet latior*.
Illi negarunt. rurſus intendit cutem
Majore niſu, & ſimili quæſivit modo,
Quis major eſſet? illi dixerunt: *Bovem*.
Noviſſime indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

FAB. XXV.

CANIS & CROCODILUS.

" COnſilia qui dant prava cautis hominibus,
" Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Crocodilis ne rapiantur, traditum eſt.
Igitur quum currens bibere cœpiſſet canis,
Sic Crocodilus: *Quamlibet lambe otio,
Noli vereri*. at ille; *Facerem mehercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meæ.*

FAB. XXVI.

VULPES & CICONIA.

" NUlli nocendum: ſi quis vero læſerit,
" Multandum ſimili jure fabella admonet.
Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitaſſe, & illi in patina liquidam
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit Ciconia:
Quæ Vulpem quum revocaſſet, intrito cibo

Ple-

Plenam lagonam poſuit: huic roſtrum inſerens
Satiatur ipſa, & torquet convivam fame:
Quæ quum lagonæ fruſtra collum lamberet,
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

FAB. XXVII.

CANIS, THESAURUS, & VULTURIUS.

" HÆc res avaris eſſe conveniens poteſt,
" Et qui humiles nati, dici locupletes ſtudent.
Humana effodiens oſſa, theſaurum Canis
Invenit: & violavit quia Manes Deos,
Injecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut ſanctæ religioni penderet.
Itaque aurum dum cuſtodit, oblitus cibi
Fame eſt conſumptus: quem ſtans Vulturius ſuper
Fertur locutus: *O Canis, merito jaces,*
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore.

FAB. XXVIII.

VULPES & AQUILA.

" QUamvis ſublimes debent humiles metuere:
" Vindicta docili quia patet ſolertiæ.
Vulpinos catulos Aquila quondam ſuſtulit:
Nidoque poſuit pullis, eſcam ut carperent:
Hanc perſecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miſeræ luctum importaret ſibi.
Contempſit illa, tuta quippe ipſo loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hoſti dolorem damno miſcens ſanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet ſuos,
Incolumes natos ſupplex Vulpi tradidit.

FAB. XXIX.

ASINUS IRRIDENS APRUM.

" PLerumque ſtulti riſum dum captant levem,
" Gravi deſtringunt alios contumelia,
" Et ſibi nocivum concitant periculum.
Aſellus Apro cum fuiſſet obvius:
Salve, inquit, *Frater.* ille indignans repudiat
Officium, & quærit, cur ſic mentiri velit.
Aſinus demiſſo pene; *ſi ſimilem negas*
Tibi me eſſe, certe ſimile eſt hoc roſtro tuo.
Aper cum vellet facere generoſum impetum,
Repreſſit iram: &, *Facilis vindicta eſt mihi,*
Sed inquinari nolo ignavo ſanguine.

FAB. XXX.

RANÆ METUENTES TAURORUM PRÆLIA.

" HUmiles laborant, ubi potentes diſſident.
Rana in palude pugnam Taurorum intuens;
Heu quanta nobis inſtat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu quum illi certarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves:
Natio, ait, *ſeparata, ac diverſum eſt genus.*
Sed pulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

FAB. XXXI.

MILVIUS & COLUMBÆ.

" QUi ſe committit homini tutandum improbo,
" Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbæ ſæpe quum fugiſſent Miluum,
Et celeritate pennæ vitaſſent necem,
Conſilium raptor vertit ad fallaciam:
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare ſollicitum potius ævum ducitis,
Quam regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præſtem injuria?
Illæ credentes, tradunt ſeſe Milvio:
Qui regnum adeptus cœpit veſci ſingulas,
Et exercere imperium ſævis unguibus.
De reliquis tunc una: *Merito plectimur.*

LIBER SECUNDUS.

EXemplis continetur Æſopi genus.
Nec aliud quidquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.
Quicumque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem & ſervet propoſitum ſuum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem ſervabo Senis:
Sed ſi libuerit aliquid interponere,
Dictorum ſenſus ut delectet varietas,
Bonas in partes (lector) accipias velim.
Sic iſtam tibi rependet brevitas gratiam,
Cujus verboſa ne ſit commendatio,
Attende cur negare cupidis debeas;
Modeſtis etiam offerre, quod non petierint.

FABULA I.

LEO SAPIENS.

SUper Juvencum ſtabat dejectum Leo:
Prædator intervenit partem poſtulans:
Darem (inquit) *niſi ſoleres per te ſumere:*
Et improbum rejecit. forte innoxius
Viator eſt deductus in eumdem locum,
Feroque viſo rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: *Non eſt quod timeas*, ait:
Et, quæ debetur pars tuæ modeſtiæ,
Audacter tolle. Tunc diviſo tergore,
Silvas petivit, homini ut acceſſum daret.
" Exemplum egregium prorſus & laudabile;
" Verum eſt aviditas dives, & pauper pudor.

FAB. II.

REPENTE CALVUS.

A Feminis utcumque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus:
Ætatis mediæ quemdam mulier non rudis
Regebat, annos celans elegantia:
Animoſque ejuſdem pulcra juvenis ceperat.

Ami-

Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpere invicem.
Quum ſe putaret pingi cura mulierum,
Calvus repente factus eſt; nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

FAB. III.

HOMO & CANIS.

LAceratus quidam morſu vehementis Canis,
Tinctum cruore panem miſit malefico,
Audierat eſſe quod remedium vulneris.
Tunc ſic Æſopus: *Noli coram pluribus*
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Quum ſcierint eſſe tale culpæ præmium.
Succeſſus improborum plures allicit.

FAB. IV.

AQUILA, FELIS & APER.

AQuila in ſublimi quercu nidum fecerat:
Felis cavernam nacta, in media pepererat:
Sus nemoricultrix fœtum ad imam poſuerat.
Tum fortuitum Felis contubernium
Fraude & ſceleſta ſic evertit malitia:
Ad nidum ſcandit volucris: *Pernicies*, ait,
Tibi paratur, forſan & miſeræ mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum inſidioſum, quercum vult evertere,
Ut noſtram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuſo, & perturbatis ſenſibus,
Derepit ad cubile ſetoſæ ſuis;
Magno, inquit, *in periclo ſunt nati tui.*
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore poſtquam complevit locum,
Doloſa tuto condidit ſeſe cavo.
Inde evagata noctu ſuſpenſo pede,
Ubi eſca ſe replevit & prolem ſuam,
Pavorem ſimulans proſpicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis deſidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia ſunt conſumpti cum ſuis,
Feliſque catulis largam præbuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis ſæpe concinnet mali,
Documentum habere ſtulta credulitas poteſt.

FAB. V.

CÆSAR ad ATRIENSEM.

ESt Ardelionum quædam Romæ natio,
Trepide concurſans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi moleſta, & aliis odioſiſſima.
Hanc emendare, ſi tamen poſſum, volo
Vera fabella: pretium eſt operæ attendere.
Cæſar Tiberius quum petens Neapolim,
In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,
Quæ monte ſummo poſita Luculli manu,
Proſpectat Siculum & proſpicit Tuſcum mare;
Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humeris linteo Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridaria,
Alveolo cœpit ligneo conſpergere
Humum æſtuantem, come officium jactitans:
Sed deridetur: inde notis flexibus
Præcurrit alium in Xyſtum, ſedans pulverem.
Agnoſcit hominem Cæſar, remque intelligit.
Id ut putavit eſſe neſcio quid boni,
Heus, inquit Dominus. ille enimvero adſilit
Donationis alacer certe gaudio.
Tum ſic jocata eſt tanti majeſtas Ducis:
Non multum egiſti, & opera nequidquam perit:
Multo majoris alapæ mecum veneunt,

FAB. VI.

AQUILA, CORNIX, & TESTUDO.

" COntra potentes nemo eſt munitus ſatis:
" Si vero acceſſit conſiliator maleficus,
" Vis & nequitia quidquid oppugnant, ruit.
Aquila in ſublime ſuſtulit Teſtudinem,
Quæ quum abdidiſſet cornea corpus domo,
Nec ullo pacto lædi poſſet condita,
Venit per auras cornix, & propter volans:
C. *Opimam ſane prædam rapuiſti unguibus,*
Sed niſi monſtraro, quid ſit faciendum tibi,
Gravi nequidquam te laſſabis pondere.
Promiſſa parte, ſuadet, ut ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facile veſcatur cibo.
Inducta verbis Aquila monitis paruit,
Simul & magiſtræ large diviſit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit triſti nece.

FAB. VII.

MULI & LATRONES.

MUli gravati ſarcinis ibant duo;
Unus ferebat fiſcos cum pecunia,
Alter tumentes multo ſacco hordeo.
Ille onere dives celſa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum:
Comes quieto ſequitur & placido gradu.
Subito Latrones ex inſidiis advolant,
Interque cædem ferro mulum truſitant.
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus quum fleret ſuos,
Equidem, inquit alter, *me contemptum gaudeo,*
Nam nil amiſi, nec ſum læſus vulnere.
" Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas,
" Magnæ periclo ſunt opes obnoxiæ.

FAB. VIII.

CERVUS & BOVES.

CErvus nemoroſis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret inſtantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et opportuno ſe bovili condidit.
Hic bos latenti: *Quidnam voluiſti tibi,*
Infelix ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto ſpiritum commiſeris?
At ille ſupplex: C. *Vos modo*, inquit, *parcite,*
Occaſione rurſus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices;
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt ſubinde & redeunt omnes ruſtici,

Nen

Nemo animadvertit: tranſit etiam villicus,
Nec ille quidquam ſentit; tum gaudens ferus
Bobus quietis agere cœpit gratias,
Hoſpitium adverſo quod præſtiterint tempore.
Reſpondit unus: B. *Salvum te cupimus quidem,*
Sed ille, qui oculos centum habet, ſi venerit,
Magno in periculo vita verſatur tua.
Hæc inter, ipſe dominus a cœna redit:
Et quia corruptos viderat nuper Boves,
Accedit ad præſepe: D. *Cur frondis parum eſt?*
Stramenta deſunt. tollere hæc aranea
Quantum eſt laboris? Dum ſcrutatur ſingula,
Cervi quoque alta eſt conſpicatus cornua;
Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit. hæc ſignificat fabula,
" Dominum videre plurimum in rebus ſuis. "

FAB. IX.

INVIDIA VIRTUTUM COMES.

ÆSopo ingentem ſtatuam poſuere Attici,
Servumque collocarunt æterna in baſi,
Patere honoris ſcirent ut cuncti viam,
Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne ſolus eſſet ſtudui, quod ſuperfuit:
Nec hæc invidia, verum eſt æmulatio.
Quod ſi labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Græciæ.
Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.
Si noſtrum ſtudium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus ſentit fabulas,
Omnem querelam ſubmovet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor,
Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quidquam poſſunt niſi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec Fortunam criminis pudeat ſui.

LIBER TERTIUS.

PHÆDRUS ad EUTYCHUM.

PHædri libellos legere ſi deſideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus ſentiat vim carminis.
Verum, inquis, *tanti non eſt ingenium tuum,*
Momentum ut horæ pereat officii mei.
Non ergo cauſſa eſt manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortaſſe dices? *Aliquæ venient feriæ,*
Quæ me ſoluto pectore ad ſtudium vocent:
Legeſne, quæſo, potius viles nænias,
Impendas curam quam rei domeſticæ,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori;
Ut adſuetam fortius præſtes vicem?
Mutandum tibi propoſitum eſt, & vitæ genus,
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo Tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fœcunda novies artium peperit chorum,
Quamvis in ipſa natus ſim pene ſchola,
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude invita in hanc vitam incubuerim,
Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia,
Docto labori dulce præponens lucrum?
Sed jam *quodcumque fuerit* (ut dixit Sinon,
Ad regem quum Dardaniæ perductus foret)
Librum exarabo tertium Æſopi ſtilo,
Honori meritis dedicans illum tuis:
Quem ſi leges, lætabor; ſin autem minus,
Habebunt certe, quo ſe oblectent poſteri.
Nunc fabularum cur ſit inventum genus,
Brevi docebo. ſervitus obnoxia,
Quia quæ volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.
Ergo porro illius ſemita feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.
Quod ſi accuſator alius Sejano foret,
Si teſtis alius, judex alius denique,
Dignum faterer eſſe me tantis malis,
Nec his dolorem delinirem remediis.
Suſpectione ſi quis errabit ſua,
Et rapiet ad ſe, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conſcientiam.
Huic excuſatum me velim nihilominus.
Neque enim notare ſingulos mens eſt mihi,
Verum ipſam vitam & mores hominum oſtendere.
Rem me profeſſum dicet fors aliquis gravem;
Si Phryx Æſopus potuit, Anacharſis Scytha
Æternam famam condere ingenio ſuo:
Ego litteratæ qui ſum propior Græciæ,
Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?
Threiſſa quum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo,
Qui ſaxa cantu movit, & domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abeſto, livor, ne fruſtra gemas:
Quoniam mihi ſolemnis debetur gloria.
Induxi te ad legendum: ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium peto.

FAB. I.

ANUS ad AMPHORAM.

ANus jacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna fæce & teſta nobili
Odorem quæ jucundum late ſpargeret.
Hunc poſtquam totis avida traxit naribus:
O ſuavis anima! qualem te dicam bonam
Antehac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

FAB. II.

PANTHERA & PASTORES.

" SOlet a deſpectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foveam decidit.
Videre agreſtes: alii fuſtes congerunt,
Alii onerant ſaxis; quidam contra miſeriti,
Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,
Miſere panem, ut ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt, abeunt ſecuri domum,

Quaſi inventuri mortuam poſtridie.
At illa vires ut refecit languidas,
Veloci ſaltu fovea ſeſe liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpoſitis, provolat,
Pecus trucidat, ipſos paſtores necat,
Et cuncta vaſtans ſævit irato impetu.
Tum ſibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnum haud recuſant, tantum pro vita rogant.
At illa; *Memini, qui me ſaxo petierint,*
Qui panem dederint: vos timere abſiſtite;
Illis revertor hoſtis, qui me læſerant.

FAB. III.

ÆSOPUS & RUSTICUS.

" USu peritus hariolo velocior
" Vulgo eſſe fertur: cauſſa ſed non dicitur:
Noteſcet quæ nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt Oves
Agnos humano capite: monſtro exterritus
Ad conſulendos currit mœrens hariolos.
Hic pertinere ad domini reſpondit caput,
Et avertendum victima periculum.
Ille autem affirmat conjugem eſſe adulteram,
Et inſitivos ſignificari liberos;
Sed expiari poſſe majori hoſtia.
Quid multa? variis diſſident ſententiis,
Hominiſque curam cura majore aggravant.
Æſopus ibi ſtans naris emunctæ ſenex,
Natura numquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis oſtentum, ruſtice,
Uxores, inquit, *da tuis paſtoribus.*

FAB. IV.

SIMII CAPUT.

PEndere ad Lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque opſonia.
Quæſivit, *quidnam ſaperet;* tum Lanius jocans:
Quale, inquit, *caput eſt, talis præſtatur ſapor.*
" Ridicule magis hoc dictum quam vere æſtimo,
" Quando & formoſos ſæpe inveni peſſimos,
" Et turpi facie multos cognovi optimos.

FAB. V.

ÆSOPUS & PETULANS.

" SUcceſſus ad perniciem multos devocat.
Æſopo quidam petulans lapidem impegerat:
Tanto, inquit, *melior;* aſſem deinde illi dedit,
Sic proſequutus: *Plus non habeo mehercule;*
Sed unde accipere poſſis, monſtrabo tibi.
Venit ecce dives & potens: huic ſimiliter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Perſuaſus ille fecit, quod monitus fuit.
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam,
Comprenſus namque pœnas perſolvit cruce.

FAB. VI.

MUSCA & MULA.

MUſca in in temone ſedit, & Mulam increpans,
Quam tarda es, inquit: *non vis citius progredi?*
Vide, ne dolone collum compungam tibi.
Reſpondit illa: *Verbis non moveor tuis,*
Sed iſtum timeo, ſella qui prima ſedens
Jugum flagello temperat lento meum,
Et lora frænis continet ſpumantibus.
Quapropter aufer frivolam inſolentiam:
Namque ubi ſtrigandum eſt, & ubi currendum, ſcio.
" Hac derideri fabula merito poteſt,
" Qui ſine virtute vanas exercet minas.

FAB. VII.

CANIS & LUPUS.

" QUam dulcis ſit libertas, breviter proloquar.
Cani perpaſto macie confectus Lupus
Forte occurrit: ſalutantes dein invicem
Ut reſtiterunt: L. *Unde ſic quæſo nites,*
Aut quo cibo feciſti tantum corporis?
Ego, qui ſum longe fortior, pereo fame.
Canis ſimpliciter: *Eadem eſt conditio tibi,*
Præſtare domino ſi par officium potes.
L. *Quod?* inquit ille. C. *Cuſtos ut ſis liminis,*
A furibus tuearis & noctu domum.
L. *Ego vero ſum paratus: nunc patior nives*
Imbreſque, in ſilvis aſperam vitam trahens.
Quanto eſt facilius, mihi ſub tecto vivere,
Et otioſum largo ſatiari cibo?
C. *Veni ergo mecum.* Dum procedunt, aſpicit
Lupus a catena collum detritum Canis.
L. *Unde hoc amice?* C. *Nihil eſt.* L. *Dic quæſo tamen.*
C. *Quia videor acer, alligant me interdiu,*
Luce ut quieſcam, & vigilem, nox quum venerit:
Crepuſculo ſolutus, qua viſum eſt, vagor.
Adfertur ultro panis, de menſa ſua
Dat oſſa dominus, fruſta jactat familia,
Et quod faſtidit quiſque pulmentarium.
Sic ſine labore venter impletur meus.
L. *Age, ſi quo abire eſt animus, eſt licentia?*
C. *Non plane eſt*, inquit. L. *Fruere, quæ laudas, Canis*
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

FAB. VIII.

FRATER & SOROR.

" PRæcepto monitus ſæpe te conſidera.
" Habebat quidam filiam turpiſſimam,
Idemque inſigni & pulchra facie filium.
Hi, ſpeculum in cathedra matris ut poſitum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inſpexerant.
Hic ſe formoſum jactat: illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit læſura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus utrumque ille, & carpens oſcula,
Dulcemque in ambos charitatem partiens:
Quotidie, inquit, *ſpeculo vos uti volo:*
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis:
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

FAB. IX.

SOCRATIS DICTUM.

" VUlgare amici nomen, ſed rara eſt fides.
Quum parvas ædes ſibi fundaſſet Socrates,
(Cujus non fugio mortem, ſi famam adſequar,
Et cedo invidiæ, dummodo abſolvar cinis)

E popul

E populo ſic neſcio quis, ut fieri ſolet.
Quæſo tam anguſtam talis vir ponis domum?
Utinam, inquit, *veris hanc amicis impleam*.

FAB. X.

RES GESTA SUB AUGUSTO.

" PEriculoſum eſt credere & non credere,
Utriuſque exemplum breviter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia novercæ creditum eſt:
Caſſandræ quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda eſt veritas multum prius,
Quam ſtulta prave judicet ſententia.
Sed fabuloſa ne vetuſtate elevem,
Narrabo tibi memoria quod factum eſt mea.
Maritus quidam quum diligeret conjugem,
Togamque puram jam pararet filio,
Seductus in ſecretum a liberto ſuo
Sperante hæredem ſuffici ſe proximum:
Qui dum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis caſtæ mulieris,
Adjecit id, quod ſentiebat maxime
Doliturum amanti, *ventitare adulterum*,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incenſus ille falſo uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subſedit, deinde noctu ſubito januam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum juſſerat,
Ætatem adultam ſervans diligentius.
Dum quærunt lumen, dum concurſat familia,
Iræ furentis impetum non ſuſtinens
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Ut ſentit tonſum, gladio pectus tranſigit,
Nihil reſpiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna adlata, ſimul aſpexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quæ nil ſomno ſenſerat:
Repræſentavit in ſe pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas ſtrinxerat.
Accuſatores poſtularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros.
Maligna inſontem deprimit ſuſpicio,
Quod bona poſſideat. ſtant patroni fortiter
Cauſſam tuentes innocentis feminæ.
A Divo Auguſto tunc petiere judices,
Ut adjuvaret juris jurandi fidem,
Quod ipſos error implicuiſſet criminis,
Qui poſtquam tenebras diſpulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis repperit:
Luat, inquit, *pœnas cauſa libertus mali*,
Namque orbam nato ſimul & privatam viro,
Miſerandam potius quam damnandam exiſtimo.
Quod ſi damnanda perſcrutatus crimina
Paterfamilias eſſet, ſi mendacium
Subtiliter limaſſet a radicibus,
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.
Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim.
Quandoquidem & illi peccant, quos minime putes;
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere ſimplices etiam poteſt,
Opinione alterius ne quid ponderent:
Ambitio namque diſſidens mortalium
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Hæc executus ſum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quoſdam offendimus.

FAB. XI.

EUNUCHUS ad IMPROBUM.

EUnuchus litigabat cum quodam improbo:
Qui ſuper obſcœna dicta & petulans jurgium,
Damnum inſectatus eſt amiſſi corporis.
En, ait, *hoc unum eſt, cur laborem validius*,
Integritatis teſtes quia deſunt mihi.
Sed quid fortunæ, ſtulte, delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

FAB. XII.

MARGARITA IN STERQUILINIO.

IN Sterquilinio pullus gallinaceus
Dum quærit eſcam, margaritam repperit.
Jaces indigno quanta res (inquit) *loco!*
O ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui!
Olim rediſſes ad ſplendorem maximum.
Ego qui te inveni, potior cui multo eſt cibus,
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quidquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

FAB. XIII.

APES & FUCI VESPA JUDICE.

APes in alta quercu fecerant favos:
Hos Fuci inertes eſſe dicebant ſuos:
Lis ad forum deducta eſt, Veſpa judice:
Quæ genus utrumque noſſet cum pulcherrime,
Legem duabus hanc propoſuit partibus:
Non inconveniens corpus, & par eſt color,
In dubium plane res ut merito venerit:
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alvos accipite & ceris opus infundite,
Ut ex ſapore mellis, & forma favi,
De queis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recuſant, Apibus conditio placet.
Tunc illa talem ſuſtulit ſententiam:
Apertum eſt, quis non poſſit, aut quis fecerit,
Quapropter Apibus fructum reſtituo ſuum.
Hanc præteriſſem fabulam ſilentio,
Si pactam Fuci non recuſaſſent fidem.

FAB. XIV.

ÆSOPUS LUDENS.

PUerorum in turba quidam ludentem Atticus
Æſopum nucibus quum vidiſſet, reſtitit,
Et quaſi delirum riſit: quod ſenſit ſimul
Deriſor potius quam deridendus ſenex,
Arcum retenſum poſuit in media via;
Heus, inquit, *ſapiens, expedi quid fecerim?*
Concurrit populus: ille ſe torquet diu,
Nec quæſtionis poſitæ cauſam intelligit.
Noviſſime ſuccumbit: Tum victor ſophus:
Cito rumpes arcum, ſemper ſi tenſum habueris.
At ſi laxaris; quum voles, erit utilis.
" Sic luſus animo debet aliquando dari,
" Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FAB. XV.

AGNUS a CAPELLA NUTRITUS.

INter capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, *erras: non eſt hic mater tua:*
Oveſque ſegregatas oſtendit procul.
A. *Non illam quæro, quæ, quum libitum eſt, concipit,*
Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Noviſſime prolapſam effundit ſarcinam:
Verum illam, quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.
C. Tamen illa eſt potior, quæ te peperit. A. *Non ita eſt.*
Unde illa ſcivit, niger an albus naſcerer?
Age porro ſciſſet: quum crearer maſculus,
Beneficium magnum ſane natali dedit,
Ut expectarem lanium in horas ſingulas.
Cujus poteſtas nulla in gignendo fuit,
Cur hac ſit potior, quæ jacentis miſerita eſt,
Dulcemque ſponte præſtat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non neceſſitas.
“ His demonſtrare voluit auctor verſibus,
“ Obſiſtere homines legibus, meritis capi.

FAB. XVI.

CICADA & NOCTUA.

“ HUmanitati qui ſe non accommodat,
“ Plerumque pœnas oppetit ſuperbiæ.
“ Cicada acerbum noctuæ convicium
Faciebat, ſolitæ victum in tenebris quærere,
Cavoque ramo capere ſomnum interdiu.
Rogata eſt, ut taceret: multo validius
Clamare cœpit. rurſus admota prece,
Accenſa magis eſt. noctua ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba contemni ſua,
Hac eſt adgreſſa garrulam fallacia:
Dormire quia me non ſinunt cantus tui,
Sonare cithara quos putes Apollinis.
Potare eſt animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: ſi non faſtidis, veni;
Una bibamus. Illa, quæ ardebat ſiti,
Simul cognovit vocem laudari ſuam,
Cupide advolavit. noctua egreſſa cavo
Trepidantem conſectata eſt, & leto dedit.
Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

FAB. XVII.

ARBORES IN DEORUM TUTELA.

OLim quas vellent eſſe in tutela ſua,
Divi legerunt arbores. quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celſa Herculi.
Minerva admirans, quare ſteriles ſumerent,
Interrogavit. cauſſam dixit Jupiter;
Honore fructum ne videantur vendere.
M. *At mehercule narrabit quod quis voluerit,*
Oliva nobis propter fructum eſt gratior.
Tunc ſic Deorum genitor atque hominum ſator:
O nata, merito ſapiens dicere omnibus:
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.
“ Nil agere, quod non proſit, fabella admonet.

FAB. XVII.

PAVO ad JUNONEM.

PAvo ad Junonem venit, indigne ferens,
Cantus luſcinii quod ſibi non tribuerit:
Illum eſſe cunctis avibus admirabilem,
Se derideri, ſimul ac vocem miſerit.
Tunc conſolandi gratia, dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine,
Nitor ſmaragdi collo præfulget tuo,
Pictiſque plumis gemmeam caudam explicas.
P. *Quo mi*, inquit, *mutam ſpeciem, ſi vincor ſono?*
J. *Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ:*
Tibi forma, vires aquilæ, luſcinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina.
Omneſque propriis ſunt contentæ dotibus.
“ Noli adfectare quod tibi non eſt datum,
“ Deluſa ne ſpes ad querelam recidat.

FAB. XIX.

ÆSOPUS ad GARRULUM.

ÆSopus domino ſolus cum eſſet familia,
Parare cœnam juſſus eſt maturius.
Ignem ergo quærens, aliquot luſtravit domos,
Tandemque invenit ubi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque recta per forum
Cœpit redire: & quidam e turba garrulus:
Æſope, medio ſole quid cum lumine?
Hominem quæro, inquit, & abit feſtinans domum.
“ Hoc ſi moleſtus ille ad animum rettulit,
“ Senſit profecto ſe hominem non viſum ſeni,
“ Intempeſtive qui occupato adluſerit.

FAB. XX.

ASINUS & GALLI.

“ QUi natus eſt infelix, non vitam modo
“ Triſtem decurrit, verum poſt obitum quoque
“ Perſequitur illum dura fati miſeria.
“ Galli Cybeles circum quæſtus ducere
Aſinum ſolebant bajulantem ſarcinas.
Is quum labore & plagis eſſet mortuus,
Detracta pelle ſibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, *delicio ſuo*
Quidnam feciſſent, hoc locuti ſunt modo:
Putabat ſe poſt mortem ſecurum fore,
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

LIBER QUARTUS,

PROLOGUS.

JOculare tibi videtur: & ſane leve:
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nenias,
Quantam ſub illis utilitatem reperies?
Non ſemper ea ſunt quæ videntur: decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus ſine mercede exiſtimer,
Fabellam adjiciam de muſtela & muribus.

FAB.

FAB. I.

MUSTELA & MURES.

Muſtela quum annis & ſenecta debilis,
Mures veloces non valeret adſequi,
Involvit ſe farina, & obſcuro loco
Abjecit negligenter. Mus eſcam putans,
Adſiluit, & compreſſus occubuit neci:
Alter ſimiliter; deinde periit tertius.
Aliquot ſecutis, venit & retorridus,
Qui ſæpe laqueos & muſcipulam effugerat,
Proculque inſidias cernens hoſtis callidi:
Sic valeas, inquit, *ut farina es, quæ jaces.*

FAB. II.

VULPES & UVA.

Fame coacta Vulpis alta in vinea
Uvam adpetebat ſummis ſaliens viribus.
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt, nolo acerbum ſumere.
" Qui facere quæ non poſſunt, verbis elevant,
Adſcribere hoc debebunt exemplum ſibi.

FAB. III.

EQUUS & APER.

Equus ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe Aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis eſt. Sonipes iratus fero,
Auxilium petiit hominis, quem dorſo levans
Rediit ad hoſtem: jactis hunc telis eques
Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur:
H. *Lætor tuliſſe auxilium me precibus tuis;*
Nam prædam cepi, & didici quam ſis utilis.
Atque ita coegit frænos invitum pati.
Tum mœſtus ille: E. *Parvæ vindictam rei*
Dum quæro demens, ſervitutem repperi.
" Hæc iracundos admonebit fabula,
" Impune potius lædi, quam dedi alteri.

FAB. IV.

ÆSOPUS INTERPRES TESTAMENTI.

Plus eſſe in uno ſæpe, quam in turba, boni,
Narratione poſteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias,
Unam formoſam, & oculis venantem viros:
At alteram lanificam & frugi ruſticam:
Devotam vino tertiam, & turpiſſimam.
Harum autem matrem fecit hæredem ſenex
Sub conditione, *totam ut fortunam tribus*
Æqualiter diſtribuat, ſed tali modo,
Ne data poſſideant aut fruantur: tum ſimul
Habere res deſierint, quas acceperint,
Centena matri conferant ſeſtertia.
Athenas rumor implet: mater ſedula
Juriſperitos conſulit: nemo expedit,
Quo pacto non poſſideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant: deinde quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Poſtquam conſumata eſt temporis longi mora,
Nec teſtamenti potuit ſenſus colligi,
Fidem advocavit, jure neglecto, parens:
Seponit mœchæ veſtem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos glabros:
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & inſtrumentum ruſticum:
Potrici, plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, & delicatos hortulos.
Sic deſtinata dare quum vellet ſingulis,
Et adprobaret populus, qui illas noverat,
Æſopus media ſubito in turba conſtitit:
Æ. *O ſi maneret condito ſenſus patri,*
Quam graviter ferret, quod voluntatem ſuam
Interpretari non potuiſſent Attici!
Rogatus deinde, ſolvit errorem omnium.
Domum & ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ ruſticæ:
Veſtem, uniones, pediſſequos, & cætera
Illi adſignate, vitam quæ luxu trahit:
Agros, vites, & pecora cum paſtoribus
Donate mœchæ: nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abjiciet mœcha, ut ornatum paret;
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quacumque ſumma tradet luxuriæ domum:
Sic nulla poſſidebit quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint ſingulæ.
" Ita quod multorum fugit imprudentiam,
" Unius hominis repperit ſolertia.

FAB. V.

PUGNA MURIUM & MUSTELLARUM.

Quum victi Mures Muſtelarum exercitu
(Hiſtoria quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, & arctos circum trepidarent cavos,
Ægre recepti, tamen evaſerunt necem.
Duces eorum, ut qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conſpicuum in prælio
Haberent ſignum quod ſequerentur milites,
Hæſere in portis, ſuntque capti ab hoſtibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi merſit tartareo ſpecu.
" Quemcumque populum triſtis eventus premit,
" Periclitatur magnitudo principum.
" Minuta plebes facili præſidio latet.

FAB. VI.

PHÆDRUS IN FABULARUM ÆSOPIARUM CENSORES.

Tu qui naſute ſcripta deſtringis mea,
Et hoc jocorum legere faſtidis genus,
Parva libellum ſuſtine patientia;
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æſopus novis.
Utinam nec umquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidiſſet Theſſala,
Nec ad profeſſæ mortis audacem viam
Fabricaſſet Argus opere Palladio ratem,
Inhoſpitalis prima quæ Ponti ſinus
Patefecit, in perniciem Graium & Barbarum.
Namque & ſuperbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ ſcelere Medeæ jacent,
Quæ ſævum ingenium variis involvens modis;

Illis

Illic per artus fratris explicuit fugam,
Hic cæde Patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? *Hoc quoque inſulſum eſt*, ais,
Falſoque dictum; longe quia vetuſtior
Ægea Minos claſſe perdomuit freta,
Juſtoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergo poſſum facere tibi, lector Cato,
Sic nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?
Noli moleſtus eſſe omnino literis,
Majorem exhibeant ne tibi moleſtiam,
" Hoc illis dictum eſt, ſi qui ſtulti nauſeant:
" Et ut putentur ſapere, Cælum vituperant.

FAB. VII.

VIPERA & LIMA.

" Mordaciorem qui improbo dente appetit,
Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.
In officinam fabri venit Vipera.
Hæc quum tentaret, ſi qua res eſſet cibi;
Limam momordit: illa contra contumax,
Quid me, inquit, *ſtulta dente captas lædere*,
Omne adſuevi ferrum quæ conrodere?

FAB. VIII.

VULPES & HIRCUS.

" Homo in periclum ſimul ac venit callidus,
" Reperire effugium alterius quærit malo.
Quum decidiſſet Vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine;
Devenit Hircus ſitiens in eumdem locum,
Simul rogavit, *eſſet an dulcis liquor*,
Et copioſus? Illa fraudem moliens;
Deſcende, amice: tanta bonitas eſt aquæ,
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe barbatus: tum Vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus:
Hircumque clauſo liquit hærentem vado.

FAB. IX.

PERA.

Peras impoſuit Jupiter nobis duas;
Propriis repletam vitiis poſt tergum dedit,
Alienis ante pectus ſuſpendit gravem.
" Hac re videre noſtra mala non poſſumus:
" Alii ſimul delinquunt, cenſores ſumus.

FAB. X.

FUR ARAM COMPILANS.

Lucernam fur accendit ex ara Jovis,
Ipſumque compilavit ad lumen ſuum;
Onuſtus qui ſacrilegio quum deſcederet,
Repente vocem ſancta miſit religio:
Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa, ut non offendar ſubripi;
Tamen, ſceleſte, ſpiritu culpam lues,
Olim quum adſcriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noſter facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto eſſe tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deum,
Nec de lucerna fas eſt accendi ſacrum,
Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius quam qui repperit.
" Significat primo, ſæpe quos ipſe alueris,
" Tibi inveniri maxime contrarios.
" Secundo oſtendit, ſcelera non ira Deum,
" Fatorum dicto ſed puniri tempore.
" Noviſſime interdicit, ne cum malefico
" Uſum bonus conſociet ullius rei.

FAB. XI.

HERCULES & PLUTUS.

" Opes inviſæ merito ſunt forti viro,
" Quia dives arca veram laudem intercipit.
Cælo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes perſalutaſſet Deos,
Veniente Pluto, qui Fortunæ eſt filius,
Avertit oculos: cauſam quæſivit Pater:
H. *Odi*, inquit, *illum, quia malis amicus eſt,*
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

FAB. XII.

LEO REGNANS.

" Utilius homini nihil eſt quam recte loqui.
" Probanda cunctis eſt quidem ſententia:
" Sed ad perniciem ſolet agi ſinceritas.
Quum ſe ferarum regem feciſſet Leo,
Et æquitatis vellet famam conſequi,
A priſtina deflexit conſuetudine:
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta jura reddebat fide.

* * *

Poſtquam levare cœpit penis tentia
A fictione veretri linguam mulieris;
Adfinitatem traxit inde obſcœnitas.

FAB. XIII.

Rogavit alter tribadas & molles mares
Quæ ratio procreaſſet: expoſuit ſenex.
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
Qui ſimul offendit ad naturam frangitur:
Naturæ partes, veſte quas celat pudor,
Cum ſeparatim toto finxiſſet die,
Aptare mox ut poſſet corporibus ſuis;
Ad cœnam eſt invitatus ſubito a Libero,
Ubi irrigatus multo venas nectare
Sero domum eſt reverſus titubanti pede.
Tum ſemiſomno corde, & errore ebrio
Adplicuit virginale generi maſculo,
Et maſculina membra adplicuit feminis:
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FAB. XIV.

CAPELLÆ & HIRCI.

Barbam Capellæ quum impetraſſent ab Jove,
Hirci mœrentes indignari cœperant,
Quod dignitatem feminæ æquaſſent ſuam,
Sinite, inquit, *illas gloria vana frui,*
Et uſurpare veſtri ornatum muneris:
Pares dum non ſint veſtra fortitudini.
" Hoc argumentum monet, ut ſuſtineas tibi
" Habitu eſſe ſimiles, qui ſint virtute impares.

FAB. XV.

GUBERNATOR & NAUTÆ.

QUum de fortunis quidam quereretur ſuis,
Æſopus finxit conſolandi gratia.
Vexata ſævis navi tempeſtatibus,
Inter vectorum lacrimas & mortis metum,
Faciem ad ſerenam ſubito mutatur dies,
Ferri ſecundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum gubernator ſophus;
" G. *Parce gaudere oportet, & ſenſim queri:*
" *Totam quia vitam miſcet dolor & gaudium.*

FAB. XVI.

CANES LEGATI ad JOVEM.

CAnes legatos olim miſere ad Jovem,
Melioris vitæ tempus oratum ſuæ,
Ut ſeſe eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus ſibi conſperſum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti ſunt legati non celeri pede,
Dum naribus ſcrutantur eſcam in ſtercore.
Citati non reſpondent: vix tandem invenit
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulſi vero fuſtibus, vadunt foras;
Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
Mirati ſibi legatos non revertier,
Turpe æſtimantes aliquid commiſſum a ſuis,
Poſt aliquod tempus alios adſcribi jubent.
Rumor legatos ſuperiores prodidit:
Timentes rurſus aliquid ne ſimile accidat,
Odore canibus anum, ſed multo, replent;
Mandata dant; legati mittuntur: ſtatim
Adeunt: rogantes aditum, continuo impetrant.
Conſedit genitor tum Deorum maximus,
Quaſſatque fulmen, tremere cœpere omnia;
Canes [confuſus ſubito quod fuerat fragor)
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes vindicandam injuriam.
Sic eſt locutus ante pœnam Jupiter:
Non eſt legatos regis non dimittere,
Nec eſt difficile pœnas culpæ imponere:
Non vero dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non poſſint ſuum:
Sed hoc feretis pro judicio præmium,
Illi autem, qui miſerunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos expectant & poſteri;
Novumque venire qui videt, culum olfacit.

FAB. XVII.

HOMO & COLUBRA.

QUi fert malis auxilium, poſt tempus dolet.
Gelu rigentem quidam Colubram ſuſtulit,
Sinuque fovit, contra ſe ipſe miſericors.
Namque, ut refecta eſt, necuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret cauſam facinoris,
Reſpondit: *Ne quis diſcat prodeſſe improbis.*

FAB. XVIII.

VULPES & DRACO.

VUlpis cupile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad Draconis ſpeluncam ultimam,
Cuſtodiebat qui theſauros abditos.
Hunc ſimul aſpexit; V. *Oro ut imprudentiæ*
Des primum veniam, deinde ſi pulchre vides,
Quam non conveniens aurum ſit vitæ meæ,
Reſpondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum eſt præmium,
Ut careas ſomno & ævum in tenebris exigas?
D. *Nullum*, inquit ille: *verum hoc a ſummo mihi*
Jove adtributum. V. *Ergo nec ſumis tibi,*
Nec ulli donas quidquam? D. *Sic fatis placet.*
V. *Nolo iraſcaris, libere ſi dixero:*
Diis eſt iratis natus, qui eſt ſimilis tibi.
Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente cæca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, avare, gaudium hæredis tui,
Qui thure ſuperos, ipſum te fraudas cibo,
Qui triſtis audis muſicum citharæ ſonum;
Quem tibiarum macerat jucunditas:
Obſoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas ſordido perjurio;
Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

FAB. XIX.

PHÆDRUS de FABULIS.

QUid judicare cogitet Livor modo,
Licet diſſimulet, pulcre tamen intelligo.
Quidquid putabit eſſe dignum memoriæ,
Æſopi dicet: ſi quid minus adriſerit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli jam nunc reſponſo meo:
Sive hoc ineptum, ſive laudandum eſt opus,
Invenit ille, noſtra perfecit manus.
Sed exequamur cœptum propoſiti ordinem.

FAB. XX.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

" HOmo doctus in ſe ſemper divitias habet.
Simonides, qui ſcripſit egregium melos,
Quo paupertatem ſuſtineret facilius,
Circumire cœpit urbes Aſiæ nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quæſtus poſtquam locuples factus eſt,
Venire in patriam voluit curſu pelagio.
(Erat autem natus, ut aiunt, in Ceo inſula)
Aſcendit navem, quam tempeſtas horrida
Simul & vetuſtas medio diſſolvit mari.
Hi zonas, illi res pretioſas colligunt,
Subſidium vitæ. quidam curioſior:
Simonide, tu ex opibus nihil ſumis tuis?
S. *Mecum*, inquit, *mea ſunt cuncta*. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Prædones adſunt, rapiunt quod quiſque extulit,
Nudos relinquunt. forte Clazomenæ prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam ſtudio deditus,

Simo-

Simonidis qui ſæpe verſus legerat,
Eratque abſentis admirator maximus,
Sermone ab ipſo cognitum, cupidiſſime
Ad ſe recepit, veſte, nummis, familia
Hominem exornavit. cæteri tabulam ſuam
Portant, rogantes victum: quos caſu obvius
Simonides ut vidit: *Dixi*, inquit, *mea*
Mecum eſſe cuncta, vos quod rapuiſtis, perit.

FAB. XXI.

MONS PARTURIENS.

MOns parturiebat, gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima expectatio:
At ille murem peperit. hoc ſcriptum eſt tibi,
" Qui magna quum minaris, extricas nihil.

FAB. XXII.

FORMICA & MUSCA.

FOrmica & Muſca contendebant acriter,
Quæ pluris eſſet: Muſca ſic cœpit prior.
M. *Conferre noſtris tu potes te laudibus?*
Ubi immolatur, exta prægusto Deum.
Moror inter aras, templa perluſtro omnia,
In capite regis ſedeo, cum viſum eſt mihi,
Et matronarum caſta delibo oſcula;
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum ſimile tibi contingit, ruſtica?
F. *Eſt glorioſus ſane convictus Deum,*
Sed illi qui invitatur, non qui inviſus eſt.
Reges commemoras & matronarum oſcula:
Ego granum in hyemem quum ſtudioſe congero,
Te circa murum video paſci ſtercore:
Aras frequentas, nempe abigeris quo venis:
Nihil laboras; ideo quum opus eſt, nihil habes:
Superba jactas, tegere qnod debet pudor.
Æſtate me laceſſis; quum bruma eſt, ſiles:
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copioſa recipit incolumem domus.
Satis profecto retudi ſuperbiam.
" Fabella talis hominum diſcernit notas
" Eorum, qui ſe falſis ornant laudibus,
" Et quorum virtus exhibet ſolidum decus.

FAB. XXIII.

SIMONIDES a DIIS SERVATUS.

QUantum valerent inter homines literæ
Dixi ſuperius: quantus nunc illis honos
A ſuperis ſit tributus, tradam memoriæ.
Simonides idem ille, de quo rettuli,
Victoris laudem cuidam pyctæ ut ſcriberet,
Certo condixit pretio: ſecretum petit:
Exigua quum frænaret materia impetum,
Uſus poetæ, ut moris eſt, licentia,
Atque interpoſuit gemina Ledæ ſidera,
Auctoritatem ſimilis referens gloriæ.
Opus adprobavit: ſed mercedis tertiam
Accepit partem. quum reliquam poſceret:
Illi, inquit, *reddent, quorum ſunt laudes duæ,*
Verum ne irate dimiſſum te ſentiam,
Ad cœnam mihi promitte; cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis & dolens injuria,
Ne male dimiſſam gratiam corrumperet,
Promiſit. rediit hora dicta; recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium,
Magno apparatu læta reſonabat domus;
Repente duo quum juvenes ſparſi pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora,
Humanam ſupra formam, cuidam ſervulo
Mandant, ut ad ſe provocet Simonidem:
Illius intereſſe, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina cameræ ſubito oppreſſit cæteros;
Nec juvenes ſunt reperti ad januam.
Ut eſt vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes ſcierunt, numinum præſentiam
Vati dediſſe vitam, mercedis loco.

EPILOGUS ad EUTYCHUM

SUperſunt mihi quæ ſcribam, ſed parco ſciens:
Primum, eſſe ne tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas:
Dein ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui:
Quamvis materiæ tantæ abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.
Brevitatis noſtræ præmium ut reddas peto,
Quod es pollicitus. exhibe vocis fidem:
Nam vita morti propior eſt quotidie:
Et hoc minus tui veniet ad me muneris,
Quo plus conſumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, uſus fiet longior:
Fruar diutius, ſi celerius cepero.
Languentis ævi dum ſunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus eſt: olim ſenio debilem
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua,
Quum jam deſierit eſſe beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces ſexcenties,
Proclivis ultro quum miſericordia.
Sæpe impetravit veniam confeſſus reus,
Quanto innocenti juſtius debet dari?
Tuæ ſunt partes, fuerunt aliorum prius,
Dein ſimili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus quem propoſuit terminum:
Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius
A noxiorum premitur inſolentiis.
Qui ſint requires: apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer ſententiam,
" Palam mutire plebeio periculum eſt,
Dum ſanitas conſtabit, pulchre meminero.

LIBER QUINTUS.

PROLOGUS ad PARTICULONEM.

QUum deſtinaſſem terminum operi ſtatuere,
In hoc, ut aliis eſſet materiæ ſatis,
Conſilium tacito corde damnavi *meum*.
Nam ſi quis talis etiam eſt tituli *artifex*,
Quo pacto divinabit, quidnam omiſerim,

U

Ut illud ipſum cupiam famæ tradere:
Sua cuique quum ſit animi cogitatio,
Colorque privus. ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Æſopeas, non Æſopi, nomino;
(Quas paucas ille oſtendit, ego plures diſſero,
Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis)
Quartum libellum dum vacive perleges,
Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.
Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.
Illiteratum plauſum nec deſidero.

FAB. I.

DEMETRIUS & MENANDER.

Æſopi nomen ſicubi interpoſuero,
Cui reddidi jampridem, quidquid debui,
Auctoritatis eſſe ſcito gratia:
Ut quidam artifices noſtro faciunt ſæculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adſcripſerunt Praxitelem ſuo,
Detrito Myronem argento: fabulæ exaudiant *
Adeo fugatæ. plus vetuſtis nam favet
Invidia mordax, quam bonis præſentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.
" Demetrius, qui dictus eſt Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Feliciter, ſubclamant; ipſi principes
Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi, manum,
Tacite gementes triſtem fortunæ vicem.
Quin etiam reſides & ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat, reptant ultimi;
In queis Menander, nobilis comœdiis,
(Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri)
Unguento delibutus, veſtitu adfluens,
Veniebat greſſu delicato & languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Effeminatus quid hic in conſpectu meo
Audet venire? reſponderunt proximi:
Hic eſt Menander ſcriptor: Mutatus ſtatim,
Compellat hominem blande, dextramque arripit. *

FAB. II.

VIATORES & LATRO.

Viam *expediti pariter carpebant duo;*
Imbellis alter, alter at promptus manu.
Occurrit illis Latro, & intentans necem,
Aurum popoſcit: audax confeſtim irruens
(Vim vi repellit, ac ferro incautum occupat,)
Et vindicavit ſeſe forti dextera.
Latrone occiſo, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein rejecta penula:
Cedo, inquit, *illum; jam curabo ſentiat*
Quos adtentarit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem iſtis verbis ſaltem adjuviſſes modo,
Conſtantior fuiſſem vera exiſtimans:
Tunc conde ferrum, & linguam pariter futilem,
Ut poſſis alios ignorantes fallere:
Ego qui ſum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quod virtuti non ſit credendum tuæ.
" Illi adſignari debet hæc narratio,
" Qui re ſecunda fortis eſt, dubia fugax.

FAB. III.

CALVUS & MUSCA.

Calvi momordit Muſca nudatum caput;
Quam opprimere captans, alapam ſibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
Voluiſti morte ulciſci: quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam?
Reſpondit: *Mecum facile redeo in gratiam,*
Quia non fuiſſe mentem lædendi ſcio:
Sed te contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum ſanguinem,
Optem necare; vel majore incommodo.
" Hoc argumentum veniam mage dari docet,
" Qui caſu peccat, quam qui conſilio eſt nocens:
" Illum eſſe quamvis pœna dignum judico.

FAB. IV.

HOMO & ASINUS.

Quidam immolaſſet verrem quum ſancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſua,
Aſello juſſit reliquias poni hordei.
Quas aſpernatus ille ſic locutus eſt:
Tuum libenter prorſus adpeterem cibum,
Niſi qui nutritus illo eſt, jugulatus foret.
" Hujus reſpectu fabulæ deterritus
" Periculoſum ſemper vitavi lucrum.
Sed dicis: *Qui rapuere divitias, habent.*
Numeremus agedum, qui deprenſi perierint,
Majorem turbam punitorum reperies.
"*Paucis temeritas eſt bono, multis malo.*

FAB. V.

SCURRA & RUSTICUS.

" Pravo favore labi mortales ſolent,
" Et, pro judicio dum ſtant erroris ſui,
" Ad pœnitendum rebus manifeſtis agi.
" Facturus ludos quidam dives nobilis,
Propoſito cunctos invitavit præmio,
Quam quiſque poſſet, ut novitatem oſtenderet.
Venere artifices laudis ad certamina,
Quos inter Scurra, notus urbano ſale,
Habere dixit ſe genus ſpectaculi,
Quod in theatro numquam prolatum foret.
Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
In ſcena vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipſa fecit expectatio.
Ille in ſinum repente demiſit caput,
Et porcelli vocem eſt imitatus ſua,
Verum ut ſubeſſe pallio contenderent,
Et excuti juberent: quo facto ſimul
Nihil eſt repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plauſu proſequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Ruſticus: *Non mehercule*
Me vincet, inquit, *& ſtatim profeſſus eſt*
Idem facturum melius ſe poſtridie.
Fit turba major. jam favor mentes tenet,

Et deriſuri, non ſpectaturi ſedent.
Uterque prodit. ſcurra digrunnit prior,
Movetque plauſus, & clamores ſuſcitat.
Tunc ſimulans ſeſe veſtimentis Ruſticus
Porcellum obtegere, (quod faciebat ſcilicet,
Sed in priore quia nil compererant, latens)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Adclamat populus: *Scurram multo ſimilius
Imitatum*, & cogit Ruſticum trudi foras.
At ille proferr ipſum porcellum e ſinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans,
En, hic declarat, quales ſitis judices.
" Adhuc ſuperſunt multa, quæ poſſim loqui,
Et copioſa abundat rerum varietas:
" Sed temperatæ ſuaves ſunt argutiæ;
" Immodicæ offendunt. quare, vir ſanctiſſime
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe brevitatem adproba;
Quæ commendari tanto debet juſtius,
Quanto Poetæ ſunt moleſti validius.

FAB. VI.

DUO CALVI.

INvenit Calvus forte in trivio pectinem:
Acceſſit alter æque defectus pilis:
Heia, inquit, *in commune, quodcumque eſt lucri.*
Oſtendit ille prædam, & adjecit ſimul:
*Superum voluntas favit, ſed fato invido,
Carbonem, ut ajunt, pro theſauro invenimus.*
" Quem ſpes deluſit, huic querela convenit.

FAB. VII.

PRINCEPS TIBICEN.

" UBi vanus animus aura captus frivola
" Arripuit inſolentem ſibi fiduciam,
" Facile ad deriſum ſtulta levitas ducitur.
" Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcena dare.
Is forte ludis (non ſatis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit caſu gravi
Nec opinans, & ſiniſtram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluiſſet perdere.
Inter manus ſublatus, & multum gemens
Domum refertur. aliquot menſes tranſeunt,
Ad ſanitatem dum venit curatio.
Ut ſpectatorum mos eſt, lepidum genus,
Deſiderari cœpit, cujus flatibus
Solebat excitari ſaltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat Princeps ingredier: eum
Adducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.
Qui ſimul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conſpectum proditurum ſine mora.
Aulæo miſſo, devolutis tonitrubus,
Dii ſunt locuti more translatitio.
Tunc chorus ignotum modo reducto canticum
Impoſuit, cujus hæc fuit ſententia:
Lætare incolumis Roma ſalvo Principe.
In plauſus conſurrectum eſt, jactat baſia
Tibicen. gratulari fautores putat.
Equeſter ordo ſtultum errorem intelligit,
Magnoque riſu canticum repeti jubet:
Iteratur illud; homo meus ſe in pulpito
Totum proſternit; plaudit inludens eques;
Rogare populus hunc coronam exiſtimat.
Ut vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps ligato crure nivea faſcia,
Niveiſque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinæ domus,
Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

FAB. VIII.

OCCASIO DEPICTA.

CUrſu volucri pendens in novacula,
Calvus comoſa fronte, nudo corpore,
Quem ſi occuparis, teneas; elapſum ſemel
Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere:
Occaſionem rerum ſignificat brevem.
" Effectus impediret ne ſegnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem temporis.

FAB. IX.

TAURUS & VITULUS.

ANguſto in aditu Taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare poſſet ad præſepia,
Monſtrabat Vitulus quo ſe pacto plecteret:
Tace, inquit, *ante hoc novi quam tu natus es.*
" Qui doctiorem emendat, ſibi dici putet.

FAB. X.

VENATOR & CANIS.

ADverſus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino ſemper feciſſet ſatis,
Languere cepit annis ingravantibus.
Aliquando objectus hiſpidi pugnæ ſuis,
Adripuit aurem: ſed carioſis dentibus
Prædam dimiſit. hic tum Venator dolens
Canem objurgabat: cui ſenex contra latrans:
*Non te deſtituit animus, ſed vires meæ.
Quod fuimus, laudas, ſi jam damnas, quod ſumus.*
" Hoc cur, Philete, ſcripſerim, pulcre vides.

L. JUNII MODERATI COLUMELLÆ
DE CULTU HORTORUM
L I B E R.

HOrtorum quoque te cultus, Sylvine, docebo,
Atque ea, quæ quondam ſpatiis excluſus iniquis,
Cum caneret lætas ſegetes, & munera Bacchi,
Et te, magna Pales, necnon cæleſtia mella,
Virgilius nobis poſt ſe memoranda reliquit.
Principio ſedem numeroſo præbeat horto
Pinguis ager, putres glebas, reſolutaque terga
Qui gerit, & foſſus graciles imitatur arenas.
Atque habilis natura ſoli, quæ gramine læto
Parturit, & rutilas ebuli creat uvida baccas.
Nam neque ſicca placet, nec quæ ſtagnata palude
Perpetitur querulæ ſemper convitia ranæ.
Tum quæ ſponte ſua frondaſas educat ulmos,
Palmitibuſque feris lætatur, & aſpera ſilvis
Achrados, aut pruni lapidoſis obruta pomis
Gaudet, & injuſſi conſternitur ubere mali:
Sed negat helleboros, & noxia galbana ſucco,
Nec patitur taxos, nec ſtrenua toxica ſudat,
Quamvis ſemihominis veſano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœſtamque cicutam,
Nec manibus mites ferulas, nec cruribus æque,
Terga rubi, ſpiniſque ferat paliuron acutis.
Vicini quoque ſint amnes, quos incola durus
Attrahat auxilio ſemper ſitientibus hortis,
Aut fons illacrimet putei non ſede profunda,
Ne gravis hauſturis tendentibus ilia vellat.
Talis humus, vel parietibus, vel ſepibus hirtis
Claudatur, neu ſit pecori, neu pervia furi.
Neu tibi Dædaleæ quærantur munera dextræ,
Nec Polycletea, nec Phradmonis, aut Ageladæ
Arte laboretur: ſed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ityphalli
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.
Ergo age nunc cultus, & tempora quæque ſerendis
Seminibus, quæ cura ſatis, quo ſidere primum
Naſcantur flores, Pæſtique roſaria gemment,
Quo Bacchi genus, aut aliena ſtirpe gravata
Mitis adoptatis curvetur frugibus arbos,
Pierides tenui deducite carmine Muſæ.
Oceani ſitiens cum jam Canis hauſerit undas,
Et paribus Titan Orbem libraverit horis,
Cum ſatur Autumnus quaſſans ſua tempora pomis,
Sordibus & muſto ſpumantes exprimet uvas,
Tum mihi ferrato verſetur robore palæ
Dulcis humus, ſi jam pluviis defoſſa madebit.
At ſi cruda manet Cælo durata ſereno,
Tum juſſi veniant declivi tramite rivi,
Terra bibat fontes, & hiantia compleat ora.
Quod ſi nec Cæli, nec campi competit humor,
Ingeniumque loci, vel Jupiter abnegat imbrem;
Expectetur hyems, dum Bacchi Gnoſius ardor
Æquore cæruleo celetur, vertice mundi,
Solis & adverſos metuant Atlantides ortus.
Atque ubi jam tuto necdum confiſus olympo,
Sed trepidus profugit chelas & ſpicula Phœbus
Dira Nepæ, tergoque Croti feſtinat equino,
Neſcia plebs generis, matri ne parcite falſæ.
Iſta Prometheæ genitrix fuit altera Cretæ,
Altera nos enixa parens, quo tempore ſævus
Tellurem ponto merſit Neptunus, & imum
Concutiens baratrum Letheas terruit undas.
Tumque ſemel Stygium regem videre trementem
Tartara, cum pelagi ſtreperent ſub pondere manes.
Nos fœcunda manus viduo mortalibus orbe
Progenerat, nos abruptæ tum montibus altis
Deucalioneæ cautes peperere. ſed ecce
Durior, æternuſque vocat labor: eia age ſegnes
Pellite nunc ſomnos, & curvi vomere dentis
Jam virides lacerate comas, jam ſcindite amictus.
Tu gravibus raſtris cunctantia perfode terga,
Tu penitus clatris eradere viſcera matris
Ne dubita, ſummique frequentia ceſpite miſta
Ponere, quæ canis jaceant urenda pruinis,
Verberibus gelidis, iræque obnoxia Cauri,
Alliget & ſævus Boreas, Euruſque reſolvat.
Poſt ubi Riphææ torpentia frigora brumæ
Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura,
Sidereoque polo cedet Lyra merſa profundo,
Veris & adventum nidis cantarit hirundo,
Rudere tum pingui, ſolido vel ſtercore aſelli,
Armentive fimo ſatures jejunia terræ
Ipſe ferens olitor diductos pondere qualos.
Pabula nec pigeat feſſo præbere novali
Immundis, quæcumque vomit latrina, cloacis.
Denſaque jam pluviis, durataque ſumma pruinis
Æquora dulcis humi, repetat mucrone bidentis.
Mox bene cum glebis vivacem ceſpitis herbam
Contundat marræ, vel fracti dente ligonis,
Putria maturi ſolvantur ut ubera campi.
Tunc quoque trita ſolo ſplendentia ſarcula ſumat,
Anguſtoſque foros adverſo limite ducens
Rurſus in obliquum diſtinguat tramite parvo.
Verum ubi jam puro diſcrimine pectita tellus,
Depoſito ſqualore nitens ſua ſemina poſcit,
Pingit & in varios terreſtria ſidera flores,
Candida leucoia, & flaventia lumina calthæ,
Narciſſique comas, & hiantis ſæva leonis
Ora feri, calathiſque virentia lilia canis,
Nec non vel niveos, vel cæruleos hyacinthos:
Tum quæ pallet humi, quæ frondes purpurat auro,
Ponatur viola, & nimium roſa plena pudoris.
Nunc medica panacem lacrima, ſuccoque ſalubri
Glaucea, & profugos vinctura papavera ſomnos
Spargite: quæque viros acuunt, armantque puellas,
Jam Megaris veniant genitalia ſemina bulbi:
Et quæ ſicca legit Getulis obruta glebis,
Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,
Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.

Jam breve chærophylum, & torpenti grata palato
Intyba, jam teneris frondens lactucula fibris,
Alliaque infractis ſpicis, & olentia late
Ulpica, quæque fabis habilis fabrilia miſcet;
Jam Siſer, Aſſyrioque venit quæ ſemine radix,
Sectaque præbetur madido ſociata lupino,
Ut Peluſiaci proritet pocula Zythi.
Tempore non alio vili quoque ſalgama merce
Capparis, & triſtes inulæ, ferulæque minaces
Plantantur: necnon ſerpentia gramina mentæ,
Et bene odorati flores ſparguntur aneti,
Rutaque Palladiæ baccæ victura ſaporem,
Seque laceſſenti fletum factura ſinapis,
Atque oleris pulli radix, lacrimoſaque cepa
Ponitur, & lactis guſtum quæ condiat herba,
Dejectura quidem fronti data ſigna fucorum,
Vimque ſuam idcirco profitetur nomine Graio;
Tum quoque conſeritur, toto quæ plurima terræ
Orbe virens pariter plebi, regique ſuperbo
Frigoribus caules, & veri cymata mittit.
Quæ pariunt veteres ceſpoſo littore Cumæ,
Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino,
Pinguis item Capua, & Caudinis faucibus horti,
Fontibus & Stabiæ celebres, & Veſvia rura,
Doctaque Parthenope Sebetide roſcida lympha,
Quæ dulcis Pompeia palus vicina Salinis
Herculeis, vitreoque Siler qui defluit amni.
Quæ duri præbent cymoſa ſtirpe Sabelli,
Et Turni lacus, & pomoſi Tyburis arva,
Brutia quæ tellus, & mater Aritia porri.
Hæc ubi credidimus reſolutæ ſemina terræ,
Aſſiduo gravidam cultu, curaque fovemus
Ut redeant nobis cumulato fœnore meſſes.
Et primum moneo largos inducere fontes,
Ne ſitis exurat concepto ſemine partum.
At cum fœta ſuos nexus adoperta reſolvit,
Florida cum ſoboles materno pullulat alvo,
Primitiis plantæ modicos tum præbeat imbres
Sedulus irrorans olitor, ferroque bicorni
Pectat, & angentem ſulcis exterminet herbam:
At ſi dumoſis poſiti ſunt collibus horti,
Nec ſummo nemoris labuntur vertice rivi,
Aggere præpoſito cumulatis area glebis
Emineat, ſicco ut conſueſcat pulvere planta,
Nec mutata loco ſiccos exhorreat æſtus.
Mox ubi nubigenæ Phryxi, nec portitor Helle,
Signorum, & pecorum princeps caput efferet undis,
Alma ſinum tellus jam pandet, adultaque poſcens
Semina depoſitis cupiet ſe nubere plantis:
Invigilate viri, tacito nam tempora greſſu
Diffugiunt, nulloque ſono convertitur annus.
Flagitat ecce ſuos genitrix mitiſſima fœtus,
Et quos enixa eſt partus jam quærit alendos,
Privignaſque rogat proles, date nunc ſua matri
Pignora, tempus adeſt, viridi redimite parentem
Progenie, tu cinge comam, tu digere crines.
Nunc apio viridi criſpetur florida tellus,
Nunc capitis porro longo reſoluta capillo
Lætetur, mollemque ſinum ſtaphilinus inumbret.
Nunc & odoratæ peregrino munere plantæ
Sicaniis croceæ deſcendant montibus Hyblæ,
Nataque jam veniant hilari ſampſuca Canopo,
Et lacrymas imitata Cynereia virgo,
Sed melior ſtactis ponatur Achaica myrrha,
Et male damnati mœſto qui ſanguine ſurgunt
Æacii flores, immortaleſque amaranthi,
Et quos mille parit dives natura colores,
Diſponat plantis olitor, quos ſemine ſevit.
Nunc veniat quamvis oculis inimica coramble.
Jamque ſalutari properet lactuca ſapore,
Triſtia quæ relevat longi faſtidia morbi.
Altera crebra viret, fuſco nitet altera crine,
Utraque Cæcilii de nomine dicta Metelli.
Tertia, quæ ſpiſſo, ſed puro vertice pallet,
Hæc ſua Cappadocæ ſervat cognomina gentis.
Et mea, quam generant Tarteſi litore Gades,
Candida vibrato diſcrimine, candida thyrſo eſt.
Cypros item Paphio, quam pingui nutrit in arvo
Punicea depexa coma, ſed lactea crure eſt.
Quot facies, totidem ſunt tempora quamque ferendi.
Cæciliam primo deponit Aquarius anno,
Cappadocamque premit ferali menſe Lupercus.
Tuque tuis Mavors Tarteſida pange Calendis,
Tuque ſuis Paphien iterum jam pange Calendis,
Dum cupit, & cupidæ quærit ſe jungere matri,
Et mater facili molliſſima ſubjacet arvo.
Ingenera, nunc ſunt genitalia tempora mundi.
Nunc amor ad coitus properat, nunc ſpiritus orbis
Bacchatur Veneri, ſtimuliſque cupidinis actus
Ipſe ſuas adamat partes, & fœtibus implet.
Nunc pater æquoreus, nunc & regnator aquarum,
Ille ſuam Tethyn, hic pellicit Amphitriten:
Et jam cæruleos partus enixa marito
Utraque nunc reſerat, pontumque natantibus implet.
Maximus ipſe Deum poſito jam fulmine fallax
Acriſioneos veteres imitatur amores,
Inque ſinus matris violento depluit imbre.
Nec genitrix nati nunc aſpernatur amorem,
Sed patitur nexus flammata cupidine tellus.
Hinc maria, hinc montes, hinc totus denique mundus
Ver agit: hinc hominum, pecudum, volucrumque cupid
Atque amor igneſcit menti, ſævitque medullis,
Dum ſatiata Venus fœcundos compleat artus,
Et generet varias ſoboles, ſemperque frequentet
Prole nova mundum, vacuo ne torpeat ævo.
Sed quid ego infræno volitare per æthera curſu
Paſſus equos audax ſublimi tramite raptos?
Iſta canat majora deo, quem Delphica laurus
Impulit, & rerum cauſas, & ſacra moventem
Orgia naturæ, ſecretaque fœdera cæli.
Extimulet vatem per Dindyma caſtra Cybelles,
Perque Cythæronem, Nyſeaque per juga Bacchi,
Per ſua Parnaſſi, per omiſſa ſilentia Muſis
Pierii nemoris, Bacchea voce frementem
Delie te Pæan, & te evie evie Pæan.
Me mea Calliope cura leviore vagantem
Jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro,
Et ſecum gracili connectere carmina filo,
Quæ canat inter opus muſa modulante putator
Pendulus arbuſtis, olitor viridantibus hortis.
Quare age quod ſequitur, parvo diſcrimine ſulci
Spargantur cæcis naſturcia dira colubris,
Indomito male ſana cibo, quas educat alvos,
Et ſatureia thymi referens, thymbræque ſaporem,
Et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.
Hiſpida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho
Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti.
Hæc modo purpureo ſurgit glomerata corymbo,
Myrtiolo modo crine viret, deflexaque collo
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc ſimilis calatho, ſpiniſque minantibus horret,
Pallida nonnumquam tortos imitatur achantos.

Mo

Mox ubi ſanguineis ſe floribus induit arbos
Punica, quæ rutilo miteſcit tegmine grani,
Tempus haris ſatio, famoſaque tunc coriandra
Naſcuntur, gracilique melantia grata cumino,
Et bacca aſparagi ſpinoſa proſilit herba,
Et malache, prono ſequitur quæ vertice ſolem,
Quæque tuas audax imitatur, Nyſie, vites,
Nec metuit ſentes, nam vepribus improba ſurgens
Achrados, indomitaſque bionias alligat alnos.
Nomine tum Grajo, ceu littera proxima primæ,
Pangitur in cera docti mucrone magiſtri,
Sic & humo pingui ferratæ cuſpidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida, beta.
Quin & odoratis meſſis jam floribus inſtat,
Jam ver purpureum, jam verſicoloribus anni
Fœtibus alma parens cingi ſua tempora gaudet.
Jam Phrygiæ loti gemmantia lumina promunt,
Et conniventes oculos violaria ſolvunt,
Oſcitat & leo, & ingenuo confuſa rubore
Virgineas adoperta genas roſa prabet honores
Cælitibus, templiſque Sabæum miſcet odorem.
Nunc vos Pegaſidum comites Acheloidas oro,
Mænaliumque choros Dryadum, nymphaſque Napeas,
Quæ colitis nemus Amphryſi, quæ Theſſala Tempe,
Quæ juga Cyllenes, & opaci rura Lycæi,
Antraque Caſtaliis ſemper rorantia guttis,
Et quæ Sicanii flores legiſtis Haleſi,
Cum Cereris proles veſtris intenta choreis
Æquoris Ætnæi vernantia lilia carpſit,
Raptaque Lethæi conjux mox facta tyranni
Sideribus triſtes umbras, & tartara Cælo
Præpoſuit, Ditemque Jovi, lethumque ſaluti,
Et nunc inferno potitur Proſerpina regno.
Vos quoque jam poſito luctu, mœſtoque timore
Huc facili greſſu teneras advertite plantas,
Telluriſque comas ſacris aptate caniſtris.
Hic nullæ inſidiæ nymphis, non ulla rapina,
Caſta fides nobis colitur, ſanctique penates,
Omnia plena jocis, ſecuro plena cachinno,
Plena mero, lætiſque virent convivia pratis.
Nunc ver egelidum, nunc eſt molliſſimus annus,
Dum Phœbus tener, ac tenera decumbere in herba
Suadet, & arguto fugientes gramine fontes
Nec rigidos potare juvat, nec ſole tepentes.
Jamque Dionæis redimitur floribus hortus.
Jam roſa miteſcit, Sarrano clarior oſtro.
Nec tam nubifugo Borea Latonia Phœbe
Purpureo radiat vultu, nec Sirius ardor
Sic micat, aut rutilus Pyrous, aut ore coruſco
Heſperus, Eoo remeat cum Lucifer ortu,
Nec tam ſidereo fulget Thaumantias arcu,
Quam nitidis hilares collucent fœtibus horti.
Quare age vel jubare exorto jam nocte ſuprema,
Vel cum Phœbus equos in gurgite merſat Hibero,
Sicubi odoratas prætexit amaracus umbras,
Carpite, narciſſique comas, ſteriliſque balauſi.
Et tu, ne Corydonis opes deſpernat Alexis,
Formoſo Nais puero formoſior ipſa
Fer calathis violam, & nigro permiſta liguſtro
Balſama cum caſia nectens, croceoſque corymbos,
Sparge mero Bacchi, nam Bacchus condit odores.
Et vos agreſtes, duro qui pollice molles
Demetitis flores, cano jam vimine textum
Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.
Jam roſa diſtendat contorti ſtamina junci,
Preſſaque flammeola rumpatur fiſcina caltha,
Mercibus & vernis dives Portumnus abundet,
Et titubante gradu multo madefactus Iaccho
Ære ſinus gerulus plenos gravis urbe reportet.
Sed cum maturis flavebit meſſis ariſtis,
Atque diem gemino Titan extenderit aſtro,
Hauſerit & flammis Lernæi brachia Cancri,
Allia cum cepis, cereale papaver aneto
Jungite, dumque virent, nexos deferte maniplos,
Et celebres fortis fortunæ dicite laudes
Mercibus exactis, hilareſque recurrite in hortos.
Tum quoque proſciſſo, riguoque inſperſa novali
Ozyma comprimite, & gravibus denſate cylindris,
Exurat ſata ne reſoluti pulveris æſtus,
Parvulus aut pulex irrepens dente laceſſat,
Neu formica rapax populari ſemina poſſit.
Nec ſolum teneras audent erodere frondes
Implicitus conchæ limax, hirſutaque campe:
Sed cum jam valido turgeſcit lurida caule
Braſſica, cumque tument pallentia robora betæ,
Mercibus atque olitor gaudet ſecurus adultis,
Et jam maturis quærit ſupponere falcem,
Sæpe ferus duros jaculatur Jupiter imbres,
Grandine dilapidans hominumque boumque labores:
Sæpe etiam gravidis irrorat peſtifer undis,
Ex quibus infeſtæ Baccho, glauciſque ſalictis
Naſcuntur volucres, ſerpitque eruca per hortos,
Quos ſuper ingrediens exurit ſemina morſu,
Quæ capitis viduata coma, ſpoliataque nudo
Vertice, trunca jacent triſti conſumpta veneno.
Hæc ne ruricolæ paterentur monſtra, ſalutis
Ipſa novas artes varia experientia rerum,
Et labor oſtendit miſeris, uſuſque magiſter
Tradidit agricolis, ventos ſedare furentes,
Et tempeſtatem Thuſcis avertere ſacris.
Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aſelli
Tyrhenus fixiſſe Tages in limite ruris.
Utque Jovis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe ſuas ſedes percinxit vitibus albis.
Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas crucibus volucres ſuſpendit, & altis
Culminibus metuit feralia carmina flere.
Sed ne dira novas ſegetes animalia carpant,
Profuit interdum medicantem ſemina pingui
Palladia ſine fruge ſalis conſpergere amurca,
Innatave laris nigra ſatiare favilla.
Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubii, multoque ſedi contingere ſucco.
At ſi nulla valet medicina repellere peſtem,
Dardaniæ veniant artes, nudataque plantas
Femina, quæ juſtis tum demum operata juventæ
Legibus, obſcœno manat pudibunda cruore,
Sed reſoluta ſinus, reſoluto mœſta capillo,
Ter circum areolas, & ſepem ducitur horti.
Quæ cum luſtravit gradiens (mirabile viſu)
Non aliter quam decuſſa pluit arbore nimbus,
Vel teretis mali, vel tectæ cortice glandis,
Volvitur ad terram diſtorto corpore campe.
Sic quondam magicis ſopitum cantibus anguem
Vellere Phryxeo delapſum vidit Iolchos.
Sed jam prototomos tempus decidere caules,
Et Tartheſiacos, Paphioſque revellere thyrſos,
Atque apio faſces, & ſecto cingere porro.
Jamque eruca ſalax fœcundo provenit horto.
Lubrica jam lapatos, jam thalli ſponte vireſcunt,

Et

Et ſcylla, hirſuta ſpes nunc horrida ruſco
Prodit, & aſparagi corruda ſimilima filo,
Humidaque andrachne ſitientes protegit antes,
Et gravis atriplici conſurgit longa faſelus.
Tum modo dependens trichili, modo more chelydri
Sole ſub æſtivo gelidas per graminis umbras
Intortus cucumis, prægnanſque cucurbita ſerpit.
Una neque eſt illis facies: nam ſi tibi cordi
Longior eſt, gracili capitis quæ vertice pendet,
E tenui collo ſemen lege: ſive globoſi
Corporis, atque utero nimium quæ vaſta tumeſcit,
Ventre leges medio, ſobolem dabit illa capacem
Naricia picis, aut actæi mellis Hymetti,
Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagœnam:
Tum pueros eadem fluviis innare docebit,
Lividus ac cucumis gravida qui naſcitur alvo,
Hirtus & ut coluber nodoſo gramine tectus
Ventre cubat flexo, ſemper collectus in orbem,
Noxius exacuit morbos æſtatis iniquæ,
Fœtidus hic ſucco, pingui quoque ſemine fartus.
At qui ſub trichila manantem repit ad undam;
Labentemque ſequens nimio tenuatur amore
Candidus effœtæ tremebundior ubere porcæ.
Mollior infuſo calathis modo lacte gelato,
Dulcis erit, riguoque madeſcit luteus arvo,
Et feret auxilium quondam mortalibus ægris.
Cum canis Erigones flagrans Hyperionis æſtu
Arboreos aperit fœtus, cumulataque moris
Candida ſanguineo manat fiſcella cruore,
Tunc præcox bifera deſcendit ab arbore ficus
Armeniiſque, & cereolis, pruniſque Damaſci
Stipantur calathi, & pomis quæ barbara Perſis
Miſerat (ut fama eſt) patriis armata venenis.
At nunc expoſiti parvo diſcrimine leti
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.
Quin etiam ejuſdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant miteſcere Perſica malo.
Tempeſtiva manent, quæ maxima Gallia donat,
Frigoribus pigro veniunt Aſiatica fœtu.
At gravis Arcturi ſub ſidere parturit arbos
Livia, Chalcidicis & caunis æmula Chiis,
Purpureæque Chelidoniæ, pingueſque Mariſcæ,
Et Challiſtrutis roſeo quæ ſemine ridet,
Albaque, quæ ſervat flavæ cognomina ceræ,
Sciſſa Libyſca ſimul, picto quoque Lydia tergo.
Quin & Tardipedi ſacris jam rite ſolutis
Nube nova ſeritur, Cœli pendentibus undis
Congilis illuſtri mittit quam Nurſia campo,
Quæque Amiterninis defertur bunias arvis.
Sed jam maturis nos flagitat anxius uvis
Euius, excultoſque jubet claudamus ut hortos.
Claudimus, imperioque tuo paremus agreſtes,
Ac metimus læti tua munera, dulcis Iacche,
Inter laſcivos Satyros, Panaſque biformes
Bracchia jactantes vetulo marcentia vino.
Et te Mænalium, te Bacchum, teque Lyæum,
Lenæumque patrem canimus ſub tecta vocantes,
Ferveat ut lacus, & multo completa falerno
Exudent pingui ſpumantia dolia muſto.
Hactenus arvorum cultus, Silvine, docebam
Siderei vatis referens præcepta Maronis,
Qui primus veteres auſus recludere fontes
Aſcræum cecinit Romana per oppida carmen.

PETRONII ARBITRI CARMINA

EX SATYRICO.

ARtis ſeveræ ſi quis amat effectus,
Mentemque magnis applicat, prius mores
Frugalitatis lege poliat exacta:
Nec curet alto regiam trucem vultu,
Clienſque cœnas impotentium captet:
Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem, neve plauſor in ſcena
Sedeat redemptus hiſtrioniæ addictus.
Sed ſive armigeræ rident Tritonidis arces,
Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,
Sirenumque domus, det primos verſibus annos,
Mæoniumque bibat felici pectore fontem;
Mox & Socratico plenus grege, mutet habenas
Liber, & ingentis quatiat Demoſthenis arma.
Hunc Romana manus circumfluat, & modo Graio
Exonerata ſono mutet ſuffuſa ſaporem:
Interdum ſubducta foro det pagina curſum,
Et fortuna ſonet celeri diſcincta meatu.
Dent epulas, & bella truci memorata canore:
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.
His animum ſuccinge bonis, ſic flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba.

Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla poteſt?
Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.
Ergo judicium nihil eſt niſi publica merces,
Atque Eques in cauſſa qui ſedet, empta probat.

Nolo quod cupio, ſtatim tenere,
Nec victoria mi placet parata.
* * *

Contemni turpe eſt; legem donare, ſuperbum.
Hoc amo, quod poſſum qualibet ire via.
Nam ſane ſapiens, contemptus, jurgia flectit;
Et qui non jugulat, victor abire dolet.

Huc huc convenite nunc ſpatalocinædi,
Pede tendite, curſum addite, convolate planta,
Femore facili, clune agili, & manu procaces,
Molles, veteres, Deliaci manu reciſi.

Heu, heu nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt!
Sic erimus cuncti; poſtquam nos auferet Orcus.
Ergo vivamus, dum licet eſſe bene.

Quod non expectes ex tranſverſo fit,
Et ſuper nos fortuna negotia curat.
Quare da nobis vina falerna puer.

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia.
Tuo palato clauſus pavo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico:

Gal-

Gallina tibi Numidica, tibi gallus ſpado,
Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exſul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.
Quo margarita cara tibi bacca Indica?
An ut matrona ornata phaleris pelagiis
Tollat pedes indomita in ſtrato extraneo?
Smaragdum ad quam rem, viridem, pretioſum vitrum?
Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Niſi ut ſcintillent? probitas eſt carbunculos.
Æquum eſt induere nuptam ventum textilem?
Palam proſtare nudam in nebula linea?

Qualis nox fuit illa, dii, deæque!
Quam mollis torus! hæſimus calentes,
Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas. Valete curæ!
Mortalis ego ſic perire cœpi.

Nomen amicitiæ, ſi quatenus expedit, hæret,
  Calculus in tabula mobile ducit opus.
Quum fortuna manet, vultum ſervatis amici;
  Quum cecidit, turpi vertitis ora fuga,
Grex agit in ſcena mimum, pater ille vocatur,
  Filius hic, nomen divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
  Vera redit facies, diſſimulata perit.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
  Tantalus infelix, quem ſua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
  Qui timet, & ſicco concoquit ore famem.

* * * *

Qui pelago credit, magno ſe fenore tollit;
Qui pugnas & caſtra petit, præcingitur auro;
Vilis adulator picto jacet ebrius oſtro;
Et qui ſollicitat nuptas, ad præmia peccat:
Sola pruinoſis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua deſertas invocat artes.

Jam decuma mæſtos inter ancipites metus
Phrygas obſidebat meſſis; & vatis fides
Calchantis atro dubia pendebat metu:
Quum, Delio profante, cæſi vertices
Idæ trahuntur; ſciſſaque in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarent equum.
Aperitur ingens cloſtrum, & obducti ſpecus,
Qui caſtra caperent. huc decenni prælio
Irata virtus abditur; ſtipant graves
Equi receſſus Danai, & in voto latent.
O patria! pulſas mille credidimus rates,
Solumque bello liberum: hoc titulus fero
Inciſus, hoc ad fata compoſitus Sinon
Firmabat, & mendacium in damnum potens.
  Jam turba portis libera, ac bello carens
In vota properant: fletibus manant genæ,
Mentiſque pavidæ gaudium lacrumas habet,
Quas metus abegit. jamque Neptuno ſacer,
Crinem ſolutus, omne Laocoon replet
Clamore vulgus; mox reducta cuſpide
Uterum notavit: fata ſed tardant manus,
Ictuſque reſilit, & dolis addit fidem,
Iterum tamen confirmat invalidam manum,
Altaque bipenni latera pertemptat. fremit
Captiva pubes intus, &, dum murmurat,
Roborea moles ſpirat alieno metu.
Ibat juventus capta, dum Trojam capit,
Bellumque totum fraude ducebat nova.
  Ecce alia monſtra. celſa qua Tenedos mare
Dorſo repellit, tumida conſurgunt freta,
Undaque reſultat ſciſſa tranquillo minor.
Qualis ſilenti nocte remorum ſonus
Longe refertur, quum premunt claſſes mare,
Pulſumque marmor abiete impoſita gemit.
Reſpicimus, angues orbibus geminis ſecant
Ad ſaxa fluctus: tumida quorum pectora,
Rates ut altæ, lateribus ſpumas agunt:
Dant caudæ ſonitum; liberæ ponto jubæ
Conſentiunt luminibus, fulmineum jubar
Incendit æquor, ſibiliſque undæ tremunt.
Stupuere mentes. infulis ſtabant Sacri
Phrygioque cultu gemina nati pignora
Laocoonte, quos repente tergoribus ligant
Angues coruſci. parvulas illi manus
Ad ora referunt: neuter auxilio ſibi,
Uterque fratri tranſtulit pias vices,
Morſque ipſa miſeros mutuo perdit metu.
Accumulat ecce liberum funus parens;
Infirmus auxiliator; invadunt virum
Jam morte paſti, membraque ad terram trahunt.
Jacet ſacerdos inter aras victima,
Terramque plangit. ſic profanatis ſacris,
Peritura Troja perdidit primum Deos.
  Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar,
Minora ducens aſtra radianti face,
Quum inter ſepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant cloſtra, & effundunt viros.
Temptant in armis ſe duces, ceu uti ſolet
Duro remiſſus Theſſali quadrupes jugo
Cervicem, & altas quatere ad excurſum jubas.
Gladios retractant, commovent orbes manu,
Bellumque ſumunt. hic graves alius mero
Obtruncat, & continuat in mortem ultimam
Somnos, ab aris alius accendit faces,
Contraque Troas invocat Trojæ ſacra.

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non ſunt faciles: at albus anſer,
Et pictis anas enovata pennis.
Plebeium ſapit. ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt. amica vincit
Uxorem: roſa cinnamum veretur.

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deum, nec ab æthere numina mittunt;
Sed ſibi quiſque facit. nam quum proſtrata ſopore
Urget membra quies, & mens ſine pondere ludit;
Quidquid luce fuit, tenebris agit. oppida bello
Qui quatit, & flammis miſerandas ſævit in urbes;
Tela videt, verſaſque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuſo ſanguine campos.
Qui cauſas orare ſolent; legeſque forumque,
Et pavido cernunt incluſum corde tribunal.
Condit avarus opes, defoſſumque invenit aurum.
Venator ſaltus canibus quatit. eripit undis,
Aut premit everſam periturus navita puppim.
Scribit amatori meretrix. dat adultera munus.
Et canis in ſomnis leporis veſtigia latrat.
In noctis ſpatio miſerorum vulnera durant.

Quis

Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?
Quid noſtræ meruere manus? non Troius hoſtis
Hac in claſſe vehit decepti pignus Atridæ;
Nec Medea furens fraterno ſanguine pugnat.
Sed contemptus amor vires habet, & mihi fata
Hos inter fluctus quis raptis evocat armis?
Cui non eſt mors una ſatis? ne vincite pontum,
Gurgitibuſque feris altos immittite fluctus.

Quod ſummum formæ decus eſt, cecidere capilli:
  Vernanteſque comas triſtis abegit hyems.
Nunc umbra nudata ſua jam tempora mœrent:
  Areaque attritis ridet aduſta pilis.
O fallax natura Deum! quæ prima dediſti
  Ætati noſtræ gaudia, prima rapis.
Infelix, modo crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior, & ſorore Phœbi:
At nunc lævior ære, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda,
Ridentes fugis, & times puellas.
Ut mortem citius venire credas,
Scito jam capitis periſſe partem.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua ſidus currit utrumque,
Nec ſatiatus erat. gravidis freta pulſa carinis
Jam peragrabantur; ſi quis ſinus abditus ultra,
Si qua foret tellus quæ fulvum mitteret aurum,
Hoſtis erat: fatiſque in triſtia bella paratis,
Quærebantur opes, non vulgo nota placebant
Gaudia: non uſu plebejo trita voluptas.
Aſſyria concham laudabat miles in unda,
Quæſitus tellure nitor certaverat oſtro.
Hinc Numidæ cruſtas, illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus ſua deſpoliaverat arva.
Ecce aliæ clades, & læſæ vulnera pacis.
Quæritur in ſilvis Mauris fera: & ultimus Ammon
Afrorum excutitur. ne deſit bellua dente,
Ad mortes pretioſa ſuas, premit advena claſſes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem,
Heu pudet effari, perituraque prodere fata!
Perſarum ritu male pubeſcentibus annis
Subripuere viros; exſectaque viſcera ferro
In venerem fregere: atque ut fuga mobilis ævi
Circumſcripta mora properantes differat annos,
Quærit ſe natura, nec invenit. omnibus ergo
Scorta placent; fractique enervi corpore greſſus,
Et laxi crines, & tot nova nomina veſtis,
Quæque virum quærunt. ecce Afris eruta terris
Citrea menſa, greges ſervorum, oſtrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,
Quæ turbant ſenſum, hoſtile ac male nobile lignum
Turba ſepulta mero circumvenit: omniaque orbis
Præmia, conceptis miles vagus extruit armis.
Ingenioſa gula eſt. Siculo ſcarus æquore merſus
Ad menſam vivus perducitur, inque Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia cœnas,
Ut renovent per damna famem. jam Phaſidos unda
Orbata eſt avibus: mutoque in litore tantum
Solæ deſertis adſpirant frondibus auræ.
Nec minor in campo furor eſt, emptique Quirites
Ad prædam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia Patrum.
Eſt favor in pretio: ſenibus quoque libera virtus
Exciderat, ſparſiſque opibus converſa poteſtas,
Ipſaque majeſtas auro corrupta jacebat.
Pellitur a populo victus Cato: triſtior ille eſt,
Qui vicit, faſceſque pudet rapuiſſe Catoni.
Namque hoc dedecus eſt populi, morumque ruina.
Non homo pulſus erat; ſed in uno victa poteſtas,
Romanumque decus. quare tam perdita Roma
Ipſa ſui merces erat, & ſine vindice præda.
Præterea gemino deprenſam gurgite prædam
Fœnoris ingluvies, uſuſque exederat æris.
Nulla eſt certa domus, nullum ſine pignore corpus:
Sed veluti tabes tacitis concepta medullis
Intra membra furens curis latrantibus errat.
Arma placent miſeris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur. inops audacia tuta eſt:
Hoc merſam cœno Romam ſomnoque jacentem
Quæ poterant artes ſana ratione movere,
Ni furor, & bellum, ferroque excita libido?
Tres tulerat Fortuna Duces, quos obruit omnis
Armorum ſtrue diverſa feralis Enyo.
Craſſum Parthus habet, Lybico jacet æquore Magnus,
Julius ingratam perfudit ſanguine Romam.
Et, quaſi non poſſet tot tellus ferre ſepulcra,
Diviſit cineres. hos gloria reddit honores.
Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu,
Parthenopen inter magnæque Dicarchidos arva,
Cocyti perfuſus aqua. nam ſpiritus extra
Qui furit, effuſus funeſto ſpargitur æſtu.
Non hæc autumno tellus viret, aut alit herbas
Ceſpite lætus ager: non verno perſona cantu
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos, & nigro ſquallentia pumice ſaxa
Gaudent ferali circum tumulata cupreſſu,
Has inter ſedes Ditis pater extulit ora,
Buſtorum flammis, & cana ſparſa favilla,
Ac tali volucrem Fortunam voce laceſſit:
  Rerum humanarum, divinarumque poteſtas,
Fors, cui nulla placet nimium ſecura poteſtas,
Quæ nova ſemper amas, & mox poſſeſſa relinquis;
Ecquid Romano ſentis te pondere victam?
Nec poſſe ulterius perituram extollere molem?
Ipſa ſuas vires odit Romana juventus,
Et quas ſtruxit opes, male ſuſtinet. adſpice late
Luxuriam ſpoliorum, & cenſum in damna furentem.
Ædificant auro, ſedeſque ad ſidera mittunt,
Expelluntur aquæ ſaxis; mare naſcitur arvis;
Et permutata rerum ſtatione rebellant.
En etiam mea regna petunt. perfoſſa dehiſcit
Molibus inſanis tellus, jam montibus hauſtis
Antra gemunt: &, dum varios lapis invenit uſus,
Inferni manes Cœlum ſperare jubentur.
Quare age, Fors, muta pacatum in prælia vultum,
Romanoſque cie, ac noſtris da funera regnis.
Jam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tiſiphone ſitientes pertulit artus,
Ex quo Syllanus bibit enſis, & horrida tellus
Extulit in lucem nutritas ſanguine fruges.
  Hæc ubi dicta dedit, dextræ conjungere dextram
Conatus, rupto tellurem ſolvit hiatu.
Tum Fortuna levi defudit pectore voces;
  O genitor, cui Cocyti penetralia parent,
Si modo vera mihi fas eſt impune profari,
Vota tibi cedent. nec enim minor ira rebellat
Pectore in hoc, leviorve exurit flamma medullas.
Omnia, quæ tribui Romanis arcibus, odi;
Muneribuſque meis iraſcor: deſtruet iſtas
Idem, qui poſuit, moles Deus. & mihi cordi
Quippe cremare viros, & ſanguine paſcere luxum.

Cer-

Cerno equidem gemino jam ſtratos Marte Philippos,
Theſſaliæque rogos, & funera gentis Iberæ:
Et Lybiæ cerno, & tua Nile gementia cloſtra.
Jam fragor armorum trepidantes perſonat aures,
Actiacoſque ſinus, & Apollinis arma timentes.
Pande age terrarum ſitientia regna tuarum,
Atque animas arceſſe novas: vix navita Porthmeus
Sufficiet ſimulacra virum traducere cymba.
Claſſe opus eſt. tuque ingenti ſatiare ruina,
Pallida Tiſiphone, conciſaque vulnera mande.
Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis.
Vix dum finierat, quum fulgure rupta coruſco
Intremuit nubes, eliſoſque abſcidit ignes.
Subſedit pater umbrarum, gremioque reducto
Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuo clades hominum venturaque damna
Auſpiciis patuere Deum; namque ore cruento
Deformes Titan vultus caligine texit.
Civiles acies jam tum ſpirare putares.
Parte alia plenos exſtinxit Cynthia vultus,
Et lucem ſceleri ſubduxit. rupta tonabant
Verticibus lapſis montis juga, nec vaga paſſim
Flumina per notas ibant morientia ripas.
Armorum ſtrepitu cælum furit, & tuba Martem
Sideribus tremefacta ciet: jamque Ætna voratur
Ignibus inſolitis, & in æthera fulmina mittit.
Ecce inter tumulos, atque oſſa carentia buſtis,
Umbrarum facies diro ſtridore minantur.
Fax ſtellis comitata novis incendia ducit.
Sanguineoque repens deſcendit Jupiter imbre.
Hæc oſtenta brevi ſolvit Deus. exuit omnes
Quippe moras Cæſar, vindictæque actus amore
Gallica projecit, civilia ſuſtulit arma.
Alpibus aereis, ubi Graio nomine vulſæ
Deſcendunt rupes, nec ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer. hunc nive dura
Claudit hiems, canoque ad ſidera vertice tollit.
Cælum illinc cecidiſſe putes; non ſolis adulti
Manſueſcit radiis, non verni temporis aura:
Sed glacie concreta rigens, hiemiſque pruinis
Totum ferre poteſt humeris minitantibus orbem.
Hæc ubi calcavit Cæſar juga milite læto,
Optavitque locum, ſummo de vertice montis
Heſperiæ campos late proſpexit, & ambas
Intentans cum voce manus ad ſidera, dixit:
Jupiter omnipotens, & tu Saturnia Tellus,
Armis læta meis, olimque onerata triumphis:
Teſtor ad has acies invitum arceſſere Martem,
Invitas me ferre manus, ſed vulnere cogor,
Pulſus ab urbe mea, dum Rhenum ſanguine tingo,
Dum Gallos iterum Capitolia noſtra petentes
Alpibus excludo: vincendo, certior exul:
Sanguine Germano, ſexagintaque triumphis,
Ecce nocens cœpi. quamquam quos gloria terret,
At qui ſunt, qui bella volunt? mercedibus emptæ,
Ac viles operæ: quorum eſt mea Roma noverca,
Ut reor, haud impune; nec hanc ſine vindice dextram
Vinciet ignavus. victores ite furentes,
Ite mei comites, & cauſam dicite ferro.
Namque omnes unum crimen vocat, omnibus una
Impendet clades. reddenda eſt gratia vobis:
Non ſolus vici. quare, quia pœna tropæis
Imminet, & ſordes meruit victoria noſtra,
Iudice Fortuna cadat alea. ſumite bellum,
Et tentate manus. certe mea cauſſa peracta eſt.
Inter tot fortes armatus neſcio vinci.

Hæc ubi perſonuit, de Cælo Delphicus ales
Omina læta dedit, pepulitque meatibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte ſiniſtra
Inſolitæ voces flamma ſonuere ſequenti.
Ipſe nitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit, & aurato præcinxit fulgure vultus.
Fortior ominibus movit Mavortia ſigna
Cæſar; & inſolitos greſſus prior occupat auſu.
Prima quidem glacies, & cana vincta pruina
Non pugnavit humus, mitique horrore quievit:
Sed poſtquam turmæ nimbos fregere ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere nives, mox flumina montibus altis
Undabant modo nata; ſed hæc quoque juſſa putares:
Vinctaque mox ſtabant, fluctus ſtupuere pruina,
Et paulo ante lues jam concidenda jacebat.
Tum vero malefida prius veſtigia luſit,
Decepitque pedes. paſſim turmæque virique,
Armaque congeſta ſtrue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concuſſæ flamine nubes
Exonerabantur, nec rupto turbine venti
Deerant, aut tumida confractum grandine Cælum:
Ipſæ jam nubes ruptæ ſuper arma cadebant,
Et concreta gelu Ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti Tellus nive, victaque Cæli
Sidera, victa ſuis hærentia flumina ripis;
Nondum Cæſar erat: ſed magnam nixus in haſtam
Horrida ſecuris frangebat greſſibus arva.
Qualis Caucaſea decurrens arduus arce
Amphitryoniades; aut torvo Jupiter ore,
Quum ſe verticibus magni demiſit Olympi,
Et periturorum disjecit tela Gigantum.
Dum Cæſar tumidas iratus deprimit arces,
Interea volucer, motis conterrita pennis
Fama volat, ſummique petit juga celſa Palati:
Atque hæc Romano attonito fert omnia ſigna:
Jam claſſes fluitare mari, totaſque per Alpes
Fervere Germano perfuſas ſanguine turmas.
Arma, cruor, cædes, incendia, totaque bella
Ante oculos volitant. ergo pulſata tumultu
Pectora per dubias ſcinduntur territa cauſas.
Huic fuga per terras, illi magis unda probatur;
Et patria eſt pontus jam tutior; eſt magis, arma
Qui tentata velit: fatiſque jubentibus actus,
Quantum quiſque timet, tantum fugit. ocior ipſe
Hos inter motus populus, miſerabile viſu,
Quo mens icta jubet, deſerta ducitur urbe.
Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites
Rumoris ſonitu mœrentia tecta relinquunt.
Ille manu trepida natos tenet: ille Penates
Occultat gremio, deploratumque relinquit
Limen, & abſentem votis interficit hoſtem.
Sunt qui conjugibus mœrentia pectora jungant,
Grandævoſque patres: oneriſque ignara juventus
Id, pro quo metuit, tantum trahit. omnia ſecum
Hic vehit imprudens, prædamque in prælia ducit.
Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auſter,
Et pulſas evertit aquas, non arma miniſtris,
Non regimen prodeſt: ligat alter pondera pinus,
Alter tuta ſinu tranquillaque littora quærit:
Hic dat vela fugæ, Fortunæque omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum Conſule Magnus,
Ille tremor Ponti, ſævi quoque terror Hydaſpis,
Et piratarum ſcopulus: modo quem ter ovantem
Jupiter horruerat; quem fracto in gurgite Pontus,
Et veneratus erat ſubmiſſa Boſphorus unda,

Pro pudor! Imperii deſerto nomine fugit,
Ut fortuna levis Magni quoque terga videret.
Ergo tanta lues Divum quoque numina vidit;
Conſenſitque fugæ Cæli timor. ecce per orbem
Mitis turba Deum, terras exoſa furentes
Deſerit, atque hominum damnatum avertitur agmen.
Pax prima ante alias, niveos pulſata lacertos
Abſcondit galea victum caput, atque relicto
Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it ſubmiſſa Fides, & crine ſoluto
Juſtitia, ac mœrens lacera Concordia palla.
At contra, ſedes Erebi qua rupta dehiſcit,
Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibuſque armata Megæra:
Letumque, Inſidiæque, & lurida mortis imago.
Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum late tollit caput, oraque mille
Vulneribus confoſſa cruenta caſſide velat.
Hæret detritus læva Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis: atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutataque ſidera pondus
Quæſivere ſuum: namque omnis regia Cæli
In partes diducta ruit: primumque Dione
Cæſaris acta ſui ducit. comes additur illi
Pallas, & ingentem quatiens Mavortius haſtam.
Magnum cum Phœbo ſoror, & Cyllenia proles
Excipit, ac totis ſimilis Tirynthius actis.
Intremuere tubæ, ac ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperas Stygium caput. hujus in ore
Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant.
Stabant ærati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora:
Atque intertorto laceratam pectore veſtem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.
Hæc ut Cocyti tenebras, & Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Appennini,
Unde omnes terras, atque omnia litora poſſet
Aſpicere, ac toto fluitantes orbe catervas:
Atque has erumpit furibundo pectore voces:
Sumite nunc gentes accenſis mentibus arma;
Sumite, & in medias immittite lampadas urbes.
Vincetur quicumque latet; non femina ceſſet,
Non puer, aut ævo jam deſolata ſenectus.
Ipſa tremat Tellus, lacerataque tecta rebellent.
Tu legem Marcelle tene: tu concute plebem
Curio: tu fortem ne ſupprime Lentule Martem.
Quid porro tu Dive tuis cunctaris in armis?
Non frangis portas? non muris oppida ſolvis?
Theſauroſque rapis? neſcis tu, Magne, tueri
Romanas arces? Epidauria mœnia quære,
Theſſaliæque ſinus humano ſanguine tinge.
Factum eſt in terris, quidquid diſcordia juſſit.

Qui factum eſt, quod tu projectis Jupiter armis,
Inter cælicolas fabula muta taces?
Nunc erat a torva ſummittere cornua fronte,
Nunc pluma canos diſſimulare tuos.
Hæc vera eſt Danae, tenta modo tangere corpus,
Jam tua flammifero membra calore fluent.

Ideo quales fudit de vertice flores
Terra parens, quum ſe confeſſo junxit amori
Jupiter, & toto concepit pectore flammas:
Emicuere roſæ, violæque, & molle cyperon,
Albaque de viridi riſerunt lilia prato:
Talis humus Venerem molles clamavit in herbas,
Candidiorque dies ſecreto favit amori.

Nocte ſoporifera veluti quum ſomnia ludunt
Errantes oculos, effoſſaque protulit aurum
In lucem tellus; verſat manus improba furtum,
Theſauroſque rapit, ſudor quoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium ſecreti conſcius auri.
Mox ubi fugerunt eluſam gaudia mentem,
Veraque forma redit, animus, quod perdidit, optat;
Atque in præterita ſe totus imagine verſat.

Dum vivis, ſperare licet: tu ruſtice cuſtos
Huc ades, & nervis tente Priape fave.

* *

Nobilis æſtivas platanus diffuderat umbras,
Et circumtonſæ trepidanti vertice pinus,
Et baccis redimita Daphne, tremulæque cupreſſus.
Has inter ludebat aquis errantibus amnis
Spumeus, & querulo verſabat rore lapillos.
Dignus amore locus. teſtis ſilveſtris aedon,
Atque urbana Progne: quæ circum gramina fuſæ,
Et molles violas, cantu ſua rura colebant.

Ter corripui terribilem manu bipennem,
Ter languidior coliculi repente thyrſo,
Ferrum timui, quod trepido male dabat uſum.
Nec jam poteram, quod modo conficere libebat.
Namque illa metu frigidior rigente bruma,
Confugerat in viſcera mille operta rugis.
Ita non potui ſupplicio caput aperire:
Sed furciferæ mortifero timore luſus,
Ad verba, magis quæ poterant nocere, fugi.

Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat:
Nec magis incepto vultum ſermone movetur,
Quam lentæ ſalices, laſſove papavera collo.

Quid me conſtricta ſpectatis fronte Catones,
Damnatiſque novæ ſimplicitatis opus?
Sermonis puri non triſtis gratia ridet,
Quodque facit populus, candida lingua refert:
Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia neſcit?
Quid vetat in tepido membra calere thoro?
Ipſe pater veri doctus Epicurus in arte
Juſſit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Nympharum, Bacchique comes, quem pulcra Dione
Divitibus ſilvis numen dedit, inclyta paret
Cui Lesbos, viridiſque Thaſos, quem Lydus adorat
Veſtifluus, templumque tuis imponit Hypæpis:
Huc ades, o Bacchi tutor, Dryadumque voluptas.
Et timidas admitte preces: non ſanguine triſti
Perfuſus venio: non templis impius hoſtis
Admovi dextram, ſed inops, & rebus egenus
Attritis, facinus non toto corpore feci.
Quiſquis peccat inops, minor eſt reus. hac prece, quæſo
Exonera mentem, culpæque ignoſce minori.
Et quandoque mihi fortuna arriſerit hora,
Non ſine honore tuum patiar decus: ibit ad aras,
Sancte, tuas, hircus pecoris pater ibit ad aras
Corniger, & querulæ fœtus ſuis, hoſtia lactens;
Spumabit pateris hornus liquor: & ter ovantem
Circa delubrum greſſum feret ebria pubes.

Quid-

Quidquid in orbe vides, paret mihi; florida tellus,
Quum volo, ſpiſſatis areſcit languida ſuccis,
Quum volo, fundit opes: ſcopulique, atque horrida ſaxa
Niliacas jaculantur aquas: mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos ſua flabra pedes. mihi flumina parent;
Hyrcanæque tigres, & juſſi ſtare dracones.
Quid leviora loquor? Lunæ deſcendit imago
Carminibus deducta meis: trepiduſque furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. taurorum flamma quieſcit
Virgineis exſtincta ſacris; Phœbeia Circe
Carminibus magicis ſocios mutavit Ulyxis:
Proteus eſſe ſolet, quidquid libet. his ego callens
Artibus Idæo frutices in gurgite ſiſtam,
Et rurſus fluvios in ſummo vertice ponam.

Non Indum fulgebat ebur, quod inhæſerat auro,
Nec jam calcato radiabat marmore terra,
Muneribus deluſa ſuis: ſed crate ſaligna
Impoſitum Cereris flavæ penus, & nova terræ
Pocula, quæ facili vilis rota finxerat actu.
Hinc mollis ſtillæ lacus, & de caudice lento
Vimineæ lances, maculataque teſta Lyæo:
At paries circa palea ſatiatus inani,
Fortuitoque luto: clavus numerabat agreſtis,
Et viridi junco gracilis pendebat harundo.
Præterea quæ fumoſo ſuſpenſa tigillo
Conſervabat opes humilis caſa mitia ſorba
Inter odoratas pendebant texta coronas,
Et thymbræ veteres, & paſſis uva racemis.
Qualis in Actæa quondam fuit hoſpita terra,
Digna ſacris Hecates, quam Muſa loquentibus annis
Battiadæ veteris mirando tradidit ævo. *

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad Cælum fugiſſe reor, ſanieque fluentes
Harpyias, quum Phineo maduere veneno
Fallaces epulæ. tremuit perterritus æther
Planctibus inſolitis, confuſaque regia cæli
Viſa ſuas moto tranſcurrere cardine metas.

Hæc ait, & tremulo deduxit vertice canos,
Conſecuitque genas, oculis nec defuit imber.
Sed qualis rapitur per valles improbus amnis,
Quum gelidæ periere nives, & languidus Auſter
Non patitur glaciem reſoluta vivere terra:
Gurgite ſic pleno facies manavit, & alto
Inſonuit gemitu turbatum murmure pectus.

Quiſquis habet nummos, ſecura naviget aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaen, ipſumque licebit
Acriſium jubeat credere, quod Danaen.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat cauſſas, ſitque Catone prior.
Juriſconſultus, Paret, non Paret, habeto,
Atque eſto quidquid Servius, & Labeo.
Multa loquor: quidvis nummis præſentibus opta,
Et veniet. clauſum poſſidet arca Jovem.

Non ſolum me numen, & implacabile fatum
Perſequitur; prius Inachia Tirynthius ira
Exagitatus onus Cæli tulit: ante profanam
Junonem Pelias ſenſit: tulit inſcius arma

Laomedon; Gemini ſatiavit numinis iram
Telephus: et regnum Neptuni pavit Ulyxes.
Me quoque per terras, per cani Nereos æquor
Helleſpontiaci ſequitur gravis ira Priapi.

* * *

FRAGMENTA ALIA PETRONII.

Ex Codicibus.

Candida ſideriis ardeſcunt lumina flammis,
Fundunt colla roſas, & cedit crinibus aurum,
Mellea purpureum depromunt ora ruborem,
Lacteaque admixtus ſublimat pectora ſanguis:
Ac totus tibi ſervit honor, formaque Dearum
Fulges, & Venerem cæleſti corpore vincis.
Argento ſtat facta manus, digitiſque tenellis
Serica fila trahens pretioſo ſlamine ludis.
Planta decens modicos neſcit calcare lapillos,
Et dura lædi ſcelus eſt veſtigia terra,
Ipſa tuos quum ferre velis per lilia greſſus,
Nulli ſternuntur leviori pondere flores.
Guttura nunc aliæ magnis monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti: tu ſola placere
Vel ſpoliata potes. nulli laudabile totum,
In te cuncta probat, ſi quiſquam cernere poſſit.
Sirenum cantus, & dulcia plectra Thaliæ
Ad vocem tacuiſſe reor, qua mella propagas
Dulcia, & in miſeros telum jacularis amoris.
Cor grave vulnus alit, nullo ſanabile ferro,
Sed tua labra meo ſævum de corde dolorem
Depellant, morbumque animæ medicaminis hujus
Cura fuget, nec tanta putres violentia nervos
Diſſecet, atque tuæ moriar pro crimine cauſſæ.
Sed ſi hoc grande putas, ſaltem concede precanti,
Ut jam defunctum niveis ambire lacertis
Digneris, vitamque mihi poſt fata reducas.

ALBUTIA.

Ex Terentiano Mauro.

Memphitides puellæ,
Sacris Deum paratæ.
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Ægyptias choreas.

Diomedes Lib. III.

Anus recocta vino,
Trementibus labellis.

Ex Terentiano Mauro.

Juverunt ſegetes meum laborem.

Ex eodem.

Triplici vides ut ortu
Triviæ rotetur ignis,

 Volucrique

Volucrique Phœbus axe
Rapidum pererret orbem.

D. Hieronymus Epiſt. ad Demetriadem.

Non bene olet, qui bene ſemper olet.

Fulgent. Mytholog. Lib. II.

Qui vultur jecor intimum pererrat,
Et pectus trahit, intimaſque fibras,
Non eſt, quem lepidi vocant poetæ,
Sed cordis mala livor atque luctus.

Vincent. Beluac. Spec. moral. Lib. XX. Cap. XX.

. . . O maxima rerum,
Et merito pietas homini tutiſſima virtus!

Jo: Raviſius Textor in Epithetis verbo Murmur.

. . . Horrificoque infeſtant murmure tigres.

Incertum.

. . . Ineluctabile fatum.

Incertum.

Tremebunda ſupervolat haſta.

Jacob Magni Sopholog. pag. 74.

Qui præeſſe cupit, prodeſſe recuſat.
Magnus in exemplo eſt, cui non ſuffecerat orbis.

Incertum.

. . . Exciſo defoſſa marmore petra
Quinque pedum fabricata domus, qua nobile corpus
Exigua requievit humo. . . .

Culice Virgilii.

Atque ut araneoli tenuem formavimus orſum.

Ex Lib. VI. Æneidos.

Mille ſaporatam medicatis frugibus offam.

Scaliger.

Non eſt forma ſatis; nec, quæ vult bella videri,
  Debet vulgari more placere ſibi.
Dicta, ſales, luſus, ſermonis gratia, riſus,
  Vincunt naturæ candidioris opus.
Condit enim formam, quidquid conſumitur artis,
  Et, niſi velle ſubeſt, gratia tota perit.

Idem.

Non ſatis eſt, quod nos mergis furioſa juventus:
  Tranſverſoſque rapit fama ſepulta probris?
Anno etiam famuli cognata fece ſepulti
  In teſta merſas luxuriantur opes?
Vilis ſervus habet regni bona: cellaque capti
  Deridet feſtram, Romuleamque caſam.
Idcirco virtus medio jacet obruta cœno:
  Nequitiæ claſſes candida vela ferunt.

Fulgentius Mytholog. Lib. V.

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua Cælo
Fulmina quum caderent, diſcuſſaque mœnia flammis,
Atque ictus flagraret Athos, mox Phœbus ad ortus
Luſtrata dejectus humo, Lunæque ſenectus,
Et reparatus honos: hinc ſigna effuſa per orbem,
Et permutatis disjunctus menſibus annus
Projecit vitium hoc: atque error juſſit inanis
Agricolas primos Cereri dare meſſis honores:
Palmitibus plenis Bacchum vincere: Palemque
Paſtorum gaudere manu. natat obrutus, omni
Neptunus demerſus aqua: Pallaſque cavernas
Vindicat. et voti reus, & qui vendidit orbem,
Jam ſibi quiſque Deos avido certamine fingit.

Scaliger.

Nolo ego ſemper idem capiti ſuffundere coſtum:
  Nec toto ſtomachum conciliare mero.
Taurus amat gramen mutata carpere valle,
  Et fera mutatis ſuſtinet ora cibis.
Ipſe dies ideo nos grato perluit hauſtu,
  Quod permutatis hora recurrit equis.

Idem.

Uxor legitimus debet quaſi cenſus amari:
  Nec cenſum vellem ſemper amare meum.

Idem.

Invenias quod quiſque velit. non omnibus unum eſt
  Quod placet: hic ſpinas colligit, ille roſas.

Idem.

Nam nihil eſt, quod non mortalibus afferat uſum.
  Rebus in adverſis, quæ jacuere, juvant.
Sic rate demerſa fulvum deponderat aurum,
  Remorum levitas naufraga membra vehit.
Quum ſouere tubæ, jugulo ſtat divite ferrum,
  Barbara contemptu prælia pannus habet.

Idem.

Linque tuas ſedes, alienaque littora quære,
O juvenis! major rerum tibi naſcitur ordo.
Ne ſuccumbe malis: te noverit ultimus Iſter,
Te Boreas gelidus, ſecuraque regna Canopi,
Quique renaſcentem Phœbum, cernuntque cadentem,
Major in externas Ithacus deſcendat arenas.

Idem.

Nam citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam ſecreta tegant: quidquid dimittis in aula,
Defluit, & ſubitis rumoribus oppida pulſat.
Nec ſatis eſt vulgaſſe fidem: ſimulatius exit
Proditionis opus, famamque onerare laborat.

Si

Sic commiſſa ferens avidus reſerare miniſter
Fodit humum, Regiſque latentes prodidit aures;
Concepit nam terra ſonos, calamique loquentes
Invenere Midam, qualem narraverat index.

Idem.

Fallunt nos oculi, vagique ſenſus
Oppreſſa ratione mentiuntur.
Nam turris prope quæ quadrata ſurgit,
Adtritis procul angulis rotatur.
Hyblæum refugit ſatur liquorem,
Et naris caſiam frequenter odit.
Hoc illo magis, aut minus placere
Non poſſet, niſi lite deſtinata
Pugnarent dubio tenore ſenſus.

Idem.

Jam tunc ardentes Autumnus fregerat umbras,
Atque hyemem tepidis ſpectabat Phœbus habenis:
Jam platanus jactare comas, jam cœperat uvas
Adnumerare ſuas defecto palmite vitis:
Ante oculos ſtabat quidquid promiſerat annus.

Idem.

Sic & membra ſolent auras includere venis,
Quæ penitus merſæ, quum rurſus abire laborant,
Verberibus rimantur iter: nec deſinit ante
Frigidus ſtrictis qui regnat in oſſibus horror,
Quam tepidus laxo manavit corpore ſudor.

Idem.

Sic contra rerum naturæ munera nota
Corvus maturis frugibus ova refert:
Sic format lingua fœtum quum protulit urſa,
Et piſcis nullo junctus amore parit.
Sic Phœbeia chelys vinclo reſoluta parentis
Lucinæ tepidis naribus ora fovet.
Sic ſine concubitu textis apis excita ceris
Fervet, & audaci milite caſtra replet.
Non uno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

Idem.

Naufragus ejecta nudus rate, quærit eodem
Percuſſum telo, cui ſua fata legat.
Grandine qui ſegetes & totum perdidit annum,
In ſimili deflet triſtia fata ſinu.
Funera conciliant miſeros, orbique parentes
Conjungunt gemitus, & facit hora pares.
Nos quoque confuſis feriemus ſidera verbis;
Et fama eſt junctas fortius ire preces.

Seneca Epiſt. XVI.

Omnia quæ miſeras poſſunt finire querelas,
In promptu voluit candidus eſſe Deus.
Vile olus, & duris hærentia mora rubetis
Pugnantis ſtomachi compoſuere famem.
Flumine vicino ſtultus ſitit; & riget Euro,
Quum calidus tepido conſonat igne rogus.
Lex armata ſedet circum fera limina nuptæ,
Nil metuit licito fuſa puella toro.
Quod ſatiare poteſt, dives natura miniſtrat,
Quod docet infrenis gloria, fine caret.

Scaliger.

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cæli ſummas advocet auriculas:
Ni tamen & ferro ſucciderit inguinis oram,
Et niſi nudatum ſolverit arte caput,
Exemptus populo, Grajam migrabit ad urbem,
Et non jejuna ſabbatha lege premat.
Una eſt nobilitas argumentumque coloris
Ingenui, timidas non habuiſſe manus.

Suſpecta iſthæc & Petronii putantur.

EUSCIUS.

Idem.

FÆda eſt in coitu & brevis voluptas,
Et tædet Veneris ſtatim peractæ.
Non ergo ut pecudes libidinoſæ,
Cæci protinus irruamus illuc:
Nam langueſcit amor, peritque flamma.
Sed ſic, ſic ſine fine feriati,
Et tecum jaceamus oſculantes:
Hic nullus labor eſt, ruborque nullus;
Hoc juvit, juvat & diu juvabit;
Hoc non deficit, incipitque ſemper.

Idem.

Accuſare, & amare tempore uno,
Ipſi vix fuit Herculi ferendum.

Ex Virgilio.

. . . . Et ſcuta latentia condunt.

Ex eodem.

. . . . Torva ſolum ſub fronte latebat.

Scaliger.

Delos, jam ſtabili revincta terra,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc & inde vento
Ibat fluctibus inquieta ſummis.
Mox illam geminis Deus catenis
Hac alta Gyaro ligavit, illac
Conſtanti Mycono dedit tenendam.

Servius ad Lib. XII. Æneidos, & Vetus Interpres Horatii Epod. V.

Balneatricem pollice uſque ad periculum raſo.

Priſcianus Lib. VIII.

Animam noſtro

Fulgentius

Fulgentius in Expoſ. Serm. antiq. in Hallucinari.

Nam comptum mo vernales

Fulgentius Lib. III. Mythol. Cap. VIII.

Ad libidinis

Fulgentius ibidem.

In Aumarium

Idem.

Obtorto valgiter

Salisberienſis de nugis Curialium Lib. III. Cap. VIII.

Totus fere mundus

Fulgentius Expoſit. Serm. antiq.

Poſtquam ferculum

Idem.

Tot regum manubiæ

Gloſſ. S. Dionyſii.

Satis conſtat

Idem.

Petauroque jubente

Gloſſ. vetus.

Suppes

Idem.

Tullia

AULI PERSII FLACCI
SATYRÆ SEX.

PROLOGUS.

NEc fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic Poeta prodirem.
Heliconiadaſque, pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces. ipſe ſemipaganus
Ad ſacra Vatum carmen affero noſtrum.
Quis expedivit pſittaco ſuum ΧΑΙΡΕ?
Picaſque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingenique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Corvos Poetas & Poetridas picas
Cantare credas Pegaſeium melos.

SATYRA PRIMA.

O Curas hominum! o quantum eſt in rebus inane!
Quis leget hæc? Min' tu iſtud ais? Nemo hercule. Nemo?
Vel duo, vel nemo. turpe, & miſerabile. Quare?
Ne mihi Polydamas,& Trojades Labeonem
Prætulerint. nugæ. non, ſi quid turbida Roma
Elevet, accedas: examenve improbum in illa
Caſtiges trutina: nec te quæſiveris extra.
Nam Romæ quis non? ah ſi fas dicere! ſed fas,
Tunc cum ad canIciem, & noſtrum iſtud vivere triſte
Aſpexi, & nucibus facimus quæcumque reliſtis:
Cum ſapimus patruos, tunc tunc ignoſcite. nolo.
Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachinno.
Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexuſque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus,
Sede leges celſa, liquido cum plaſmate guttur
Mobile colueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas, neque voce ſerenæ
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis eſcas,
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe!
Quo didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore exierit caprificus?
En pallor, ſeniumque. o mores! uſque adeone
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?
At pulchrum eſt, digito monſtrari, & dicier: hic eſt.
Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe,
Pro nihilo pendas? ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna eſt,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus;
Phyllidas, Hypſipylas, Vatum & plorabile ſi quid
Eliquat; & tenero ſupplantat verba palato:
Aſſenſere viri: nunc non cinis ille Poetæ
Felix? nunc levior cippus non imprimit oſſa?
Laudant convivæ: nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunatque favilla
Naſcentur violæ? rides (ait) & nimis uncis
Naribus indulges. an erit, qui velle recuſet
Os populi meruiſſe: & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina nec thus?
Quiſquis es, o modo quem ex adverſo dic ere feci,

Non

Non ego, quum ſcribo, ſi forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis eſt, ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuam. neque enim mihi cornea fibra eſt.
Sed recti finemque extremumque eſſe recuſo
Euge tuum, & belle. nam belle hoc excute totum;
Quid non intus habet? non hic eſt Ilias Acti
Ebria veratro: non ſi qua Elegidia crudi
Dictarunt proceres; non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis. calidum ſcis ponere ſumen.
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et verum, inquis, amo; verum mihi dicite. de me
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi, Calve,
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.
O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas;
Nec linguæ, quantum ſitiat canis Appula, tantum!
Vos, o Patricius ſanguis, quos vivere fas eſt
Occipiti cœco, poſticæ occurrite ſannæ.
Quis populi ſermo eſt? quis enim, niſi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per læve ſeveros
Effundat junctura ungues. ſcit tendere verſum
Non ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia Regum,
Dicere res grandes noſtro dat Muſa Poetæ.
Ecce modo heroas ſenſus afferre videmus
Nugari ſolitos Græce, nec ponere lucum
Artifices; nec rus ſaturum laudare, ubi corbes,
Et focus, & porci, & fumoſa Palilia fœno:
Unde Remus, ſulcoque terens dentalia, Quinti,
Quem trepida ante boves Dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. euge, Poeta;
Eſt nunc, Briſei quem venoſus liber Acci:
Sunt, quos Pacuviuſque, & verrucoſa moretur
Antiopa ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitos patres infundere lippos
Cum videas, quæriſne unde hæc ſartago loquendi
Venerit in linguas? unde iſtud dedecus, in quo
Troſſulus exultat tibi per ſubſellia lævis?
Nilne pudet capiti non poſſe pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: decenter?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis. doctus poſuiſſe figuras;
Laudatur. bellum hoc. hoc bellum? an, Romule, ceves?
Men' moveat quippe, & cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvaſſe querela.
Sed numeris decor eſt, & junctura addita crudis.
Claudere ſic verſum didicit; Berecynthius Attin,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.
Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.
Arma virum, nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?
Ut ramale vetus prægrandi ſubere coctum.
Quidnam igitur tenerum, & laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,
Evion, ingeminat: reparabilis adſonat Echo.
Hæc fierent, ſi teſticuli vena ulla paterni
Viveret in nobis? ſumma delumbe ſaliva
Hoc natat in labris; & in udo eſt Mænas, & Attys:
Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide ſis, ne majorum tibi forte
Limina frigeſcant: ſonat hic de nare canina
Litera. per me equidem ſint omnia protinus alba.
Nil moror: euge. omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat: hic, inquis, veto, quiſquam faxit oletum.
Pinge duos angues. pueri, ſacer eſt locus: extra
Meiite. diſcedo. ſecuit Lucilius urbem;
Te, Lupe; te, Muti; & genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit: & admiſſus circum præcordia, ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum ſcrobe? nuſquam.
Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipſe, libelle.
Auriculas aſini quis non habet? hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. audaci quicumque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum ſene palles,
Aſpice & hæc, ſi forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic qui in crepidas Graiorum ludere geſtit
Sordidus, & luſco qui poſcit dicere, luſce,
Seſe aliquem credens: Italo quod honore ſupinus,
Fregerit heminas Areti Ædilis iniquas:
Nec qui abaco numeros, & ſecto in pulvere metas
Scit riſiſſe vafer: multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mane edictum, poſt prandia Callirhoen do.

SATYRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio. non tu prece poſcis emaci,
Quæ niſi ſeductis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum eſt, murmurque humileſque ſuſurros
Tollere de templis; & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clare, & ut audiat hoſpes.
Illa ſibi introrſum, & ſub lingua immurmurat: o ſi
Ebullit patrui præclarum funus! & o ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor.
Hæc ſancte ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.
Heus age, reſponde: minimum eſt quod ſcire laboro.
De Jove quid ſentis? eſtne, ut præponere cures
Hunc cuiquam? Cuinam? vis Staio? an ſcilicet hæres,
Quis potior judex, pueriſve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic agedum Staio. proh Jupiter! o bone, clamet,
Jupiter! at ſeſe non clamet Jupiter ipſe?
Ignoviſſe putas, quia cum tonat, ocyus ilex
Sulfure diſcutitur ſacro, quam tuque domuſque?
An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente,
Triſte jaces lucis, evitandumque bidental,
Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam eſt, qua tu mercede Deorum
Emeris auriculas? pulmone, & lactibus unctis?
Ecce avia aut metuens Divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.
Hunc optent generum Rex & Regina: puellæ

Hunc

Hunc rapiant: quidquid calcaverit hic, roſa fiat.
Aſt ego nutrici non mando vota; negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poſcis opem nervis, corpuſque fidele ſenectæ:
Eſto; age. ſed grandes patinæ, tuceta que craſſa
Annuere his ſuperos vetuere: Jovemque morantur.
Rem ſtruere exoptas, cæſo bove; Mercuriumque
Arceſſis fibra. da fortunare Penates,
Da pecus, & gregibus fœtum. quo, peſſime, pacto,
Tot tibi cum in flaminis junicum omenta liqueſcant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere farto
Intendit, jam creſcit ager, jam creſcit ovile:
Jam dabitur, jamjam; donec deceptus, & expes
Nequidquam fundo ſuſpiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incuſaque pingui
Auro dona feram, ſudes, & pectore lævo
Excutias guttas: lætari prætrepidum cor:
Hinc illud ſubiit, auro ſacras quod ovato
Perducis facies, nam fratres inter ahenos,
Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto: ſitque illis aurea barba.
Aurum vaſa Numæ, Saturniaque impulit æra,
Veſtaleſque urnas, & Tuſcum fictile mutat.
O curvæ in terras animæ, & cæleſtium inanes!
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona Dis ex hac ſcelerata ducere pulpa?
Hæc ſibi corrupto caſiam diſſolvit olivo,
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus,
Hæc baccam conchæ raſiſſe; & ſtringere venas
Ferventis maſſæ crudo de pulvere juſſit.
Peccat & hæc, peccat: vitio tamen utitur. at vos,
Dicite, Pontifices, in ſancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine pupæ.
Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago:
Compoſitum jus, faſque animi; ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto:
Hæc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

SATYRA III.

Nempe hoc aſſidue? jam clarum mane feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod deſpumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? ſiccas inſana Canicula meſſes
Jamdudum coquit: & patula pecus omne ſub ulmo eſt;
Unus ait comitum. verumne? Itane? Ocyus adſit
Huc aliquis: nemon? turgeſcit vitrea bilis:
Findor: ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Jam liber, & bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.
Tum queritur craſſus calamo quod pendeat humor;
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha:
Dilutas queritur geminet quod fiſtula guttas.
O miſer! inque dies ultra miſer, huccine rerum
Venimus? at cur non potius teneroque columbo,
Et ſimilis Regum pueris, pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas?
An tali ſtudeam calamo? cui verba? quid iſtas
Succinis ambages? tibi luditur. effluis amens;
Contemnere. ſonat vitium percuſſa, maligne
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo,
Udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rota. ſed rure paterno
Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe ſalinum.
Quid metuas? cultrixque foci ſecura patella eſt.
Hoc ſatis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis;
Cenſoremve tuum vel quod trabeate ſalutas?
Ad populum phaleras. ego te intus & in cute novi.
Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ?
Sed ſtupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: neſcit quid perdat, & alto
Demerſus ſumma rurſum non bullit in unda.
Magne pater Divum, ſævos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci:
Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit, imus,
Imus præcipites, quam ſi ſibi dicat; & intus
Palleat infelix quod proxima neſciat uxor?
Sæpe oculos (memini) tingebam parvus olivo,
Grandia ſi nollem morituri verba Catonis
Diſcere, ab inſano multum laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure etenim id ſummum, quid dexter Senio ferret,
Scire erat in voto; damnoſa Canicula quantum
Raderet: anguſtæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus; inſomnis quibus & detonſa juventus
Invigilat, ſiliquis & grandi paſta polenta.
Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monſtravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage ſoluta
Oſcitat heſternum, diſſutis undique malis.
Eſt aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvos, teſtave, lutove,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas. venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Diſcite, o miſeri, & cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur: ordo
Quis datus; aut metæ quam mollis flexus, & unde:
Quis modus argento: quid fas optare: quid aſper
Utile nummus habet: patriæ, chariſque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re.
Diſce, nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defenſis pinguibus Umbris:
Et piper & pernæ, Marſi monumenta clientis;
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum
Dicat: quod ſapio ſatis eſt mihi; non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes ſomnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.
Hoc eſt, quod palles? cur quis non prandeat, hoc eſt?
His populus ridet: multumque toroſa juventus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.
Inſpice, neſcio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exſuperat gravis halitus: inſpice ſodes;

Qui dicit medico, juſſus requieſcere, poſtquam
Tertia compoſitas vidit nox currere venas,
De majore domo, modice ſitiente lagena,
Lenia loturo ſibi Surrentina rogavit.
Heus, bone, tu palles. nihil eſt. videas tamen iſtud,
Quidquid id eſt: ſurgit tacite tibi lutea pellis.
At tu deterius palles: ne ſis mihi tutor:
Jampridem hunc ſepeli: tu reſtas; perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture ſulfureas lente exhalante Mephites.
Sed tremor inter vina ſubit, calidumque triental
Excutit e manibus: dentes crepuere retecti:
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſoque lutatus amomo
In portam rigidos calces extendit. at illum
Heſterni capite induto ſubiere Quirites.
Tange, miſer, venas, & pone in pectore dextram:
Nil calet hic. ſummoſque pedes attinge, manuſque:
Non frigent. viſa eſt ſi forte pecunia; ſive
Candida vicini ſubriſit molle puella,
Cor tibi rite ſalit? poſitum eſt algente catino
Durum olus, & populi cribro decuſſa farina:
Tentemus fauces: tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excuſſit membris timor albus ariſtas,
Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculi. dicisque facisque quod ipſe,
Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

SATYRA IV.

Rem populi tractas? barbatum hæc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicutæ.
Quo fretus? dic hoc, magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit. dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manus. quid deinde loquere? Quirites,
Hoc, puto, non juſtum eſt; illud male, rectius iſtud.
Scis etenim juſtum gemina ſuſpendere lance
Ancipitis libræ. rectum diſcernis, ubi inter
Curva ſubit, vel cum fallit pede regula varo;
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur ſumma nequidquam pelle decorus
Ante diem blando caudam jactare popello
Deſinis: Anticyras melior ſorbere meracas.
Quæ tibi ſumma boni eſt? uncta vixiſſe patella
Semper: & aſſiduo curata cuticula ſole.
Expecta. haud aliud reſpondeat hæc anus. I nunc,
Dinomaches ego ſum: ſuffla, ſum candidus. eſto,
Dum ne deterius ſapiat pannucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantaverit ocyma vernæ.
Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere; nemo:
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo!
Quæſieris; noſtin' Vectidi prædia? cujus?
Dives arat Curibus quantum non milvus oberret:
Hunc, ais? hunc, Diis iratis, genioque ſiniſtro:
Qui quandoque jugum pertuſa ad compita figit,
Seriolæ veteris metuens deradere limum,
Ingemit, hoc bene ſit: tunicatum cum ſale mordens
Cæpe, & farratam, pueris plaudentibus, ollam,
Pannoſam fæcem morientis ſorbet aceti.

At ſi unctus ceſſes, & figas in cute ſolem,
Eſt prope te ignotus cubito qui tangat, & acre
Deſpuat in mores; penemque arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu cum maxillis balanatum gauſape pectas,
Inguinibus quare detonſus gurgulio exſtat?
Quinque palæſtritæ licet hæc plantaria vellant,
Elixaſque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen iſta filix ullo manſueſcit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.
Vivitur hoc pacto. ſic novimus. ilia ſubter
Cæcum vulnus habes: ſed lato balteus auro
Prætegit: ut mavis, da verba, & decipe nervos,
Si potes. egregium cum me vicinia dicat,
Non credam? viſo ſi palles, improbe, nummo,
Si facis in penem quidquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Nequidquam populo bibulas donaveris aures.
Reſpue quod non es, tollat ſua munera cerdo:
Tecum habita, & noris quam ſit tibi curta ſupellex.

SATYRA V.

Vatibus hic mos eſt centum ſibi poſcere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum;
Fabula ſeu mœſto ponatur hianda Tragœdo;
Vulnera ſeu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorſum hæc? aut quantas robuſti carminis offas
Ingeris, ut par ſit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto:
Si quibus aut Prognes, aut ſi quibus olla Tyeſtæ
Fervebit; ſæpe inſulſo cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti coquitur dum maſſa camino,
Folle premis ventos: nec clauſo murmure raucus
Neſcio quid tecum grave cornicaris inepte;
Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ ſequeris, junctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quæ dicas: menſaſque relinque Mycenis
Cum capite & pedibus; plebeiaque prandia noris.
Non equidem hoc ſtudeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. tibi nunc, hortante Camœna,
Excutienda damus præcordia: quantaque noſtræ
Pars tua ſit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,
Oſtendiſſe juvat. pulſa, dignoſcere cautus
Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas auſim depoſcere voces,
Ut, quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba reſignent,
Quod latet arcana, non enarrabile, fibra.
Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit;
Cum blandi comites, totaque impune ſuburra
Permiſit ſparſiſſe oculos jam candidus umbo;
Cumque iter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Diducit trepidas ramoſa in compita mentes:
Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu. tunc fallere ſolers
Appoſita intortos extendit regula mores;
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,

Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, & requiem pariter diſponimus ambo:
Atque verecunda laxamus ſeria menſa.
Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab uno ſidere duci.
Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora libra
Parca tenax veri: ſeu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum:
Saturnumque gravem noſtro Jove frangimus una.
Neſcio quod certe eſt, quod me tibi temperat, aſtrum.
MILLE hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem eſt putris: ſed cum lapidoſa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tum craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,
Et ſibi jam ſeri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat impalleſcere chartis.
Cultor enim juvenum, purgatas inſeris aures
Fruge Cleanthea. petite hinc, juveneſque seneſque,
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.
Cras hoc fiet. idem cras fiet. quid? quaſi magnum,
Nempe diem donas? ſed cum lux altera venit,
Jam cras heſternum conſumpſimus; ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone ſub uno
Vertentem ſeſe fruſtra ſectabere canthum,
Cum rota poſterior curras, & in axe ſecundo.
Libertate opus eſt, non hac ut quiſque Velina
Publius emeruit, ſcabioſum teſſerula far
Poſſidet. heu ſteriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! hic Dama eſt, non treſſis agaſo,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. papæ! Marco ſpondente, recuſas
Credere tu nummos? Marco ſub Judice palles?
Marcus dixit, ita eſt: aſſigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas: hanc nobis pilea donant.
An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui licet ut voluit? licet ut volo vivere: non ſim
Liberior Bruto? mendoſe colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hæc reliqua accipio; licet illud, & ut volo, tolle.
Vindicta poſtquam meus a Prætore receſſi,
Cur mihi non liceat juſſit quodcumque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetavit?
Diſce; ſed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna,
Cum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non Prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum
Officia, atque uſum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, & ſecretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen; vetat hoc natura medendi.
Navim ſi poſcat ſibi peronatus arator
Luciferi rudis; exclamet Melicerta, periſſe
Frontem de rebus. tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri ſpeciem dignoſcere calles,
Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro.
Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim;
Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti?
Es modicus voti, preſſo lare, dulcis amicis;
Jam nunc aſtringas; jam nunc granaria laxes;
Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum;
Nec glutto ſorbere ſalivam Mercurialem?
Hæc mea ſunt, teneo, cum vere dixeris; eſto
Liberque ac ſapiens, Prætoribus ac Jove dextro.
Sin tu, cum fueris noſtræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem;
Quæ dederam ſupra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi conceſſit ratio: digitum exere, peccas.
Et quid tam parvum eſt? ſed nullo thure litabis,
Hæreat in ſtultis brevis ut ſemuncia recti.
Hæc miſcere nefas; nec cum ſis cetera foſſor,
Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli.
Liber ego. unde datum hoc ſumis, tot ſubdite rebus?
An dominum ignoras, niſi quem vindicta relaxat?
I, puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer,
Si increpuit: ceſſas, nugator? ſervitium acre
Te nihil impellit, nec quidquam extrinſecus intrat,
Quod nervos agitet. ſed ſi intus & in jecore ægro
Naſcuntur domini; qui tu impunitior exis
Atque hic, quem ad ſtrigiles ſcutica & metus egit herilis?
Mane, piger, ſtertis: ſurge, inquit avaritia; eia
Surge. negas. inſtat, ſurge, inquit. non queo. ſurge.
Et quid agam? rogitas? Saperdas advehe Ponto,
Caſtoreum, ſtuppas, hebenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper e ſitiente camelo.
Verte aliquid; jura. ſed Jupiter audiet. eheu
Baro, reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem ſuccinctus & œnophorum aptas;
Ocyus ad navem. nihil obſtat quin trabe vaſta
Ægæum rapias, niſi ſolers luxuria ante
Seductum moneat; quo deinde, inſane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit, quam non extinxerit urna cicutæ.
Tun' mare tranſilias? tibi torta cannabe fulto
Cœna ſit in tranſtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læſum pice ſeſſilis obba?
Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modeſto
Nutrieras, pergant avidos ſudare deunces?
Indulge genio: carpamus dulcia; noſtrum eſt
Quod vivis: cinis, & manes, & fabula fies.
Vive memor leti: fugit hora. hoc quod loquor, inde eſt.
En quid agis? duplici in diverſum ſcinderis hamo.
Huncccine, an hunc ſequeris? ſubeas alternus oportet,
Ancipiti obſequio dominos alternus oberres.
Nec tu cum obſtiteris ſemel, inſtantique negaris
Parere imperio, rupi jam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum arripit: attamen illi,
Cum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor. crudum Chæreſtratus unguem
Abrodens ait hæc. an ſiccis dedecus obſtem
Cognatis? an rem patriam, rumore ſiniſtro,
Limen ad obſcœnum frangam, dum Chryſidis udas
Ebrius ante fores, extincta cum face, canto?
Euge, puer, ſapias: dis depellentibus agnam
Percute. ſed cenſen' plorabit, Dave, relicta?
Nugaris. ſolea, puer, objurgabere rubra;
Ne trepidare velis, atque arctos rodere caſſes.
Nunc ferus & violens. at ſi vocet, haud mora, dicas:
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum acceſſat, & ultro
Supplicet, accedam? ſi totus & integer illinc
Exi-

Exieras, nec nunc. hic hic, quem quærimus, hic eſt.
Non in feſtuca, Lictor quem jactat ineptus.
Jus habet ille ſui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? vigila: & cicer ingere large
Rixanti populo, noſtra ut Floralia poſſint
Aprici meminiſſe ſenes. quid pulcrius? at cum
Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni; tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque ſabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Hinc grandes Galli; & cum ſiſtro luſca Sacerdos
Incuſſere Deos inflantes corpora, ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaveris allii.
Dixeris hæc inter varicoſos Centuriones,
Continuo craſſum ridet Vulſenius ingens,
Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

SATYRA VI.

ADmovit jam bruma foco te, Baſſe, Sabino?
Jamne lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes. mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatque meum mare, qua latus ingens
Dant ſcopuli, & multa littus ſe valle receptat.
Lunai portum eſt operæ cognoſcere, cives.
Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego ſecurus vulgi; & quid præparet Auſter
Infelix pecori; ſecurus & angulus ille
Vicini noſtro quia pinguior: & ſi adeo omnes
Diteſcant orti pejoribus: uſque recuſem
Curvus ob id minui ſenio, aut cœnare ſine uncto,
Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagena.
Diſcrepet his alius. Geminos, Horoſcope, varo
Producis genio. ſolis natalibus eſt qui
Tingat olus ſiccum muria vafer in calice empta,
Ipſe ſacrum irrorans patinæ piper. hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. utar ego, utar:
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem ſolers turdarum noſſe ſalivam.
Meſſe tenus propria vive: & granaria, (fas eſt)
Emole. quid metuas? occa, & ſeges altera in herba eſt.
Aſt vocat officium. trabe rupta, Bruttia ſaxa
Prendit amicus inops: remque omnem, ſurdaque vota
Condidit: Ionio jacet ipſe in littore, & una
Ingentes de puppe Dei: jamque obvia mergis
Coſta ratis laceræ. nunc & de ceſpite vivo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. ſed cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnæ
Oſſa inodora dabit; ſeu ſpirent cinnama ſurdum,
Seu ceraſo peccent caſiæ, neſcire paratus.
Tune bona incolumis minuas? & Beſtius urget
Doctores Graios: ita fit, poſtquam ſapere urbi
Cum pipere & palmis venit noſtrum hoc maris exſpers,
Fœniſecæ craſſo vitiarunt unguine pultes.
Hæc cinere ulterior metuas? at tu meus hæres
Quiſquis eris, paulum a turba ſeductior, audi.
O bone, num ignoras? miſſa eſt a Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam poſtibus arma,
Jam chlamydas Regum, jam lutea gauſapa captis,
Eſſedaque, ingenteſque locat Cæſonia Rhenos.
Dis igitur, Genioque Ducis centum paria, ob res
Egregie geſtas, induco: quis vetat? aude.
Væ, niſi connives. oleum artocreaſque popello
Largior; an prohibes? dic clare. non adeo, inquis:
Exoſſatus ager juxta eſt. age, ſi mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet: patrui ſterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum ſupereſt: accedo Bovillas
Clivumque ad Virbi. præſto eſt mihi Manius hæres.
Progenies terræ? quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud prompte, dicam tamen. adde etiam unum,
Unum etiam: terræ eſt jam filius: & mihi ritu
Manius hic generis prope major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?
Sum tibi Mercurius: venio Deus huc ego, ut ille
Pingitur; an renuis? vin' tu gaudere relictis?
Deeſt aliquid ſummæ: minui mihi; ſed tibi totum eſt,
Quidquid id eſt. ubi ſit fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Tadius, neu dicta repone paterna:
Fœnoris accedat merces; hinc exime ſumptus.
Quid reliquum eſt? reliquum? nunc nunc impenſius unge,
Unge, puer, caules. mihi feſta luce coquatur
Urtica, & fiſſa fumoſum ſinciput aure,
Ut tuus iſte nepos olim ſatur anſeris extis,
Cum moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patritiæ immeiat vulvæ? mihi trama figuræ
Sit reliqua: aſt illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro: mercare; atque excute ſolers
Omne latus mundi, ne ſit præſtantior alter
Cappadocas rigida pingues plauſiſſe cataſta.
Rem duplica. feci; jam triplex, jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam. depunge ubi ſiſtam
Inventus, Chryſippe, tui finitor acervi.

SULPITIÆ SATYRA.

De ſtatu Reipub. temporibus Domitiani, cum edicto philoſophos urbe exegiſſet.

MUſa, quibus numeris heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere paucis.
Nam tibi ſeceſſi, tecum penetrale retractans
Conſilium. quare nec carmine curro phalæco,
Nec trimetro jambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter iraſci didicit duce Clazomenio.
Cetera quin etiam, quot denique millia luſi,
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et ſalibus variare novis, conſtanter omitto:
Teque, quibus princeps & facundiſſima calles,
Aggredior. precibus deſcende clientis, & audi.
Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras & patria ſecula mutat?
Quaſque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Noſque jubet tacitos, & jam rationis egenos,
Non aliter, primo quam ſurreximus ævo,
Glandibus, & puræ rurſus procumbere lymphæ?
An reliquas terras conſervat amicus, & urbes,
Sed genus Auſonium, Remulique exturbat alumnos?
Quid reputemus enim? duo ſunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & ſapientia pacis.
Sed virtus agitata domi, & ſocialibus armis,
In freta Sicaniæ, & Carthaginis exiit arces,
Ceteraque imperia, & totum ſimul abſtulit orbem.
Deinde velut ſtadio victor qui ſolus Achæo
Languet, & immota ſecum virtute fatiſcit:
Sic itidem Romana manus, contendere poſtquam
Deſtitit, & pacem longis frenavit habenis,
Ipſa domi leges & Graia inventa retractans,
Omnia bellorum terra quæſita, marique
Præmia, conſilio & molli ratione regebat.
Stabat in his: neque enim poterat conſtare ſine ipſis,
Aut fruſtra uxori mendaxque Dieſpiter olim,
Imperium ſine fine dedi, dixiſſe probatur.
Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, ſed tergo prolapſus, & ingluvie albus,
Et ſtudia, & ſapiens hominum nomenque genuſque,
Omnia abire foras, atque Urbe excedere juſſit.
Quid facimus? Graios, hominumque reliquimus urbes,
Ut Romana foret magis his inſtructa magiſtris:
Nunc, Capitolino veluti turbante Camillo,
Enſibus, & trutina Galli fugere relicta,
Sic noſtri palare ſenes dicuntur, & ipſi
Ut ferale ſuos onus exſtirpare libellos.
Ergo Numantinus, Libycuſque erravit in iſto
Scipio, qui Rhodio crevit formante magiſtro,
Cetera & illa manus bello fœcunda ſecundo,
Quos inter priſci ſententia dia Catonis
Scire adeo magni feciſſet, utrumne ſecundis,
An magis adverſis ſtaret Romana propago.
Scilicet adverſis. nam quum defendier armis
Suadet amor patriæ, & captiva penatibus uxor,
Convenit ut veſpis, quarum domus arce Monetæ, *
Turba rigens ſtrictis per lutea corpora telis.
Aſt ubi pax ſecura redit, oblita favorum
Plebs, materque una ſomno moriuntur obeſo.
Romulidarum igitur longa & gravis exitium pax.
Hoc fabella modo pauſam facit. optima poſthac
Muſa, velim moneas, ſine qua mihi nulla voluptas
Vivere, uti quondam Lydus dum Smyrna peribat,
Nunc itidem migrare velint. vel denique quidvis,
Ut Dea, quære aliud. tantum Romana Caleno
Mœnia, jucundos pariterque averte Sabinos.
Hæc ego. tum paucis Dea me dignatur, & infit.
Pone metus æquos, cultrix mea, ſumma Tyranno
Hæc inſtant odia, & noſtro periturus honore eſt.
Nam laureta Numæ, fonteſque habitamus eoſdem,
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.
Vive, vale. manet hunc pulchrum ſua fama dolorem.
Muſarum ſpondet chorus, & Romanus Apollo.

MAURI

MAURI TERENTIANI

Tractatus de Literis, Syllabis, Pedibus, & Metris.

Præfatio. Carmen Glyconicum, vel Choriambicum.

AUdivi veterem virum
Vulgo dicere fabulam,
Quemdam qui ter olympia
Viciſſet Jove præſide,
Poſtquam accedere lividum
Virtutis ſenium videt,
Dum victor cluet omnium,
Maturaſſe reſolvere
Legem pulveris & cibi.
Sed ne corpoream repens
Labem accerſeret otium,
Tale exercitii genus
Commentum ſibi dixerat,
Quod ſolus gereret domi:
Nervis mollibus invicem
Junctis in teretem ſtruem
(Ceu Parthus ſolet aut Scythes
Arcus cornibus extimis)
Lævem nectere lineam:
Talem aſſidue ligat,
Dum ſit funiculi modus
Aptus qui puteo foret.
Hauſtos hinc igitur cados
Imis ab tenebris, aquæ,
Tam filo tenui trahens,
Quod ſtringi nequeat vola,
Niſus undique corporis
Summos in digitos agit.
Anguſtoque tenaculo
(Donec lubrica ſarcina
Tanti per ſpatium cavi,
In lucem ſuperam exeat)
Alterna vice pollicum
Certat vincere ponderis
In præceps facilem fugam.
Nil magnum gerere hunc putes:
Et tantum in digitis opus:
Cunctis viſceribus tamen
Occultus trepidat labor;
Totum cernere nec palam,
Quo totum geritur, queas:
Cæcis flatibus intimi
Tenduntur laterum ſinus:
Et poples tremit, & genu;
Nec plantæ ſtabiles manent:
Nil immune relinquitur,
Et parva eſt via viribus,
Mos certaminis, & modus,
Sudor dum ſolitus cadit
Nulla mole palæſtrica.
Sic noſtrum ſenium quoque
Quia jam dicere grandia
Maturum ingenium negat:
Nec ſpirant animas fibræ:
Anguſtam ſtudii viam
Et callem tenuem terit:
Tantum ne male deſidi
Sueſcant ora ſilentio
Quid ſit litera, quid duæ
Junctæ, quid ſibi ſyllabæ,
Dumos inter, & aſpera
Scrupoſis ſequimur vadis.
Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes:
Aggreſſis labor arduus
Nec tractabile pondus eſt.
At mens tenditur acrius,
Ne contenta ſit obviis:
Rimantemve recondita
Subtiles fugiant notæ:
Neu diſcretio falſa ſit
Rerum, tam gracili modo
Inſtat callida cautio:
Ne ſermo ambiguum ſonet,
Ne priſcum nimis aut leve:
Vocum ne ſeries hiet,
Neu compago fragoſa ſit:
Vel ſit quod male luceat
Dum certo gradimur pede,
Ipſi neu trepident pedes,
Par examinis æſtus eſt.
Ceu ſublimia diſſeras,
Par eſt judicii mora:
Pompæ gloria vilis eſt.

De LITERIS.

Carmen Sotadeum ſeu Ionicum a majore.

ELementa, rudes quæ pueros docent magiſtri,
Vocalia quædam memorant, conſona quædam:
Hæc reddere vocem quoniam valent ſeorſa:
Nullumque ſine illis potis eſt coire verbum.
At conſona quæ ſunt, niſi vocalibus aptes,
Pars dimidium vocis opus proferet ex ſe:
Pars muta ſoni comprimet ora molientum:
Illis ſonus obſcurior, impeditiorque:
Utcumque tamen promitur ore ſemicluſo,
Vocalibus atque eſt minor auctiorque mutis:
His cæca ſoni vis penitus ſubeſt, latetque:
Ut non labiis hiſcere, non ſonare lingua,
Ullumve meatum queat explicare niſus,
Vocalia rictum niſi juncta diſſerarint.
Res quum tenuis, difficile eſt probare verbis:

Exem-

Exempla ſolent ſenſibus admovere lucem.
B, quum volo, vel C, tibi, vel dicere D, G:
E, quæ ſonitum commodat hiſce, ſi negetur:
Et labra prementur ſimul & revincta lingua:
Hæc vim, tacitam ſponte ſua, nimiſque mutam,
Conjuncta, potentem ſonitus facit latentis,
Geminumque refert auribus ex utraque ſenſum,
Si proprietas tradita, ſi regula nota eſt.
Nunc ſingula quam poſſideant in ore ſedem,
Ictuſque ſuos concipiant, & unde rumpant,
Ut quivero verſu blaterabo ſotadæo.
A, prima locum littera ſic ab ore ſumit:
Immunia rictu patulo tenere labra,
Linguamque neceſſe eſt ita pendulam reduci,
Ut niſus in illam valeat ſubire vocis:
Nec partibus ullis aliquos ferire dentes.
E, quæ ſequitur vocula, diſſona eſt priori,
Quia deprimit altum modico tenore rictum:
Et lingua remotos premit hinc, & hinc, molares.
I, porrigit ictum genuinos prope ad ipſos,
Minimumque renidet, ſupero tenus labello.
O, Grajugenum longior, altera eſt figura,
Alter ſonus, atque temporum nota variata.
Compendia noſtri meliora crediderunt:
Vocalibus ut non niſi quinque fungeremur:
Productio longis daret ut tempora bina:
Correptio plus tempore non valeret uno.
Hinc ητα minus ſcribimus, hinc & ω ſupremum;
Una quoniam ſat habitum eſt notare forma,
Pro temporibus quæ geminum miniſtret uſum.
Igitur ſonitum reddere quum voles minori,
Retrorſus adactam modice teneto linguam:
Rictu neque magno ſat erit patere labra.
At longior alto tragicum ſub oris antro
Molita, rotundis acuit ſonum labellis.
Y, quam memorant, vocibus avia eſt latinis:
Vocalibus autem quoniam jugata Græcis,
In noſtra etiam verba dabat frequenter uſum:
Subjecimus illam cui nomen V dederunt
Vocalem, ſonantes ſibi quæ jugaret omnes:
Et ſola ſonum redderet ex ſua figura.
Quam ſcribere Graius niſi jungat Υ nequibit:
Hanc edere vocem quoties paramus ore,
Nitamur ut V dicere, ſic citetur ortus:
Productius autem coeuntibus labellis
Natura ſoni preſſior altius meabit.
Hanc & modo quam diximus I ſimul jugatas,
Verum eſt ſpatium ſumere, vimque conſonantum,
Ut quæque tamen conſtiterit loco priore:
Nec tum modo quum jungimus hoc valebit ipſas,
Sed ſi qua erit his altera vocalis adhærens,
Vis hæc manet illis quaſi quum ſimul jungantur.
Nam ſi juga quis nominet, I conſona fiet,
Et qualis erat permanet in loco ſequenti:
Ut quum jaculum, aut dico jecur, Jovem, juvencum,
Nil ordo ſecundis tribuit, prior juvatur.
Verſa vice ſi ſit prior V, ſequatur illa,
Cum dico Vide, contulit I, ſonum priori,
At ipſa manet tempore quo ſonabat ante:
Vocalibus hoc & reliquis prædita ſervat:
Ut vade, veni, vota refer, teneto vultum,
Creviſſe ſonum perſpicis, & coiſſe craſſum,
Unde Æoliis littera fingitur digammos.
Quæ de numero ſit magis una conſonantum,
Vocalis in iſtum mage quam verſa ſit uſum.

Sed ut altera quo referat, alteram ſciamus,
I, cum medio nomine ſic erit locata,
Vocalis ut illam latere ex utroque coartet,
Bajana velut, pejor, item Troja, vel hujus,
Ipſa (ut docui) conſona fiet a ſequenti:
Et ſi brevis eſt, quæ poſita eſt loco priore,
Longam faciet non minus hanc conſona ſola:
Ceu longa fit olim quoties duæ ſequuntur:
Aut ſi nimium eſt hoc dare, vocalis ut una
Fiat ſimilis tempore conſonis duabus:
Atque i geminum ſcribere nos jubent magiſtri,
I conſona fiet, ſimul & ſequens priorem:
Et quum prior, eſt auxilio poſterioris,
Hoc V ſimili ſi fuerit loco, nequibit:
Quum dico lavor, dico nives, pluvia, novales,
Sola conſonans ipſa fit, ut prius notaſti:
Perſtat brevitas quæ fuit ante collocatis.
Jam cætera non ordine quo ſolent, loquemur,
Verum ut cuique eſt proximitas loci, ſonive:
Ne dicta prius me ſubigat referre rurſum
Vicinia vocum, modico dirempta puncto,
B litera, vel p, quaſi ſyllabæ videntur:
Junguntque ſonos de gemina ſede profectos,
Nam muta jubet portio comprimi labella,
Vocalis at intus locus exitum miniſtrat:
Compreſſio porro in utraque diſſonora:
Nam prima per oras etiam labella figit,
Velut intus agatur ſonus: eſt altera contra:
Pellit ſonitum de mediis foras labellis.
Utrumque latus dentibus adplicare linguam,
C, preſſius urget, ſed hinc hincque remittit,
Quo vocis adhærens ſonus explicetur ore.
G, porro retrorſum coit, & ſonum prioris
Obtuſius ipſi prope ſufficit palato:
At portio dentes quoties ſuprema linguæ
Pulſaverit imos, modiceque curva ſummos,
Tunc d ſonitum perficit, explicatque vocem.
T qua ſuperis dentibus intima eſt origo,
Summa ſatis eſt ad ſonitum ferire lingua.
K perſpicuum eſt litera, quod vacare poſſit:
Et q ſimilis, namque eadem vis in utraque eſt,
Quia qui locus eſt primitus unde exoritur c.
Quaſcumque deinceps libeat jugare voces,
Mutare neceſſe eſt ſonitum quidem ſupremum;
Refert nihili k prior, an q fiet, an c,
Aut g quoque, vel c, ſimili parique lege
Addi (quaſi dent) numero poteſt priorum.
Nam non ita ut eſt longa diſſolubilis,
Breves viciſſim contrahi in longam valent:
Quia ſola ſindi magnitudo non vetat,
Diviſa jungi partium in unum non queunt.

Quod ſi fieri conc das poſſe: quid ante Terentianus promiſit
Inſtat callida cautio
Neu trepident pedes, &c.
Fortaſſe dices, non trepidare pedes, afferens illud quo ait Terentianus de verſu Ionico a majore,
Nec enim numero pendere metra ſyllabarum,
Sua ſed pedibus tempora ſufficit referre.
Nulli dubium eſt faucibus emicet quod ipſis
H, littera, ſive eſt nota quæ ſpiret anhelum;
Quin hanc etiam grammatici volunt vacare:
Quia non adicit litterulis novum ſonorem,
Sed græcula quædam ſcholicæ nitela vocis:
Vocalibus apte ſed & antepoſta cunctis,
Haſtas, hederas quum loquor, hiſter, hoſpes, hujus.
Solum patitur quatuor ante conſonantes.

Græ-

Græcis quoties nominibus latina forma eſt,
Si quando choros, Phyllida, Rhamnes, thyma dico.
Septem reliquas hinc tibi voce ſemiplenas,
Vix lege ſolutus poterit ponere ſermo:
Has verſibus apte quoniam loqui negatur,
Inſtar tituli fulgidula notabo milto:
Ut quamque loquemur, datus indicabit ordo.

F. L. M. N. R. S. X.

Imum ſuperis dentibus adprimens labellum
Spiramine leni (velut hirta Graia vites)
F. Hanc ore ſonabis, modo quæ locata prima eſt.
Adverſa palati ſupera premendo parte,
Obſtanſque ſono quem ciet ipſa lingua nitens,
Validum penitus neſcio quid cogit inire.
L. Quo littera ad aures veniat ſecunda noſtras,
Ex ordine fulgens cui dat locum ſinopis.
M. At tertia clauſo quaſi mugit intus, ore.
N. Quartæ ſonitus fingitur uſque ſub palato,
Quo ſpiritus anceps coeat naris & oris.
R. Vibrat tremulis ictibus aridum ſonorem,
Has quæ ſequitur littera. mox duæ ſupremæ
Vicina quidem ſibila dentibus repreſſis
Miſcere videntur: tamen ictus ut priori,
S. Promptus in ore eſt, agiturque pone dentes:
Sic lævis, & unum ciet auribus ſuſurrum.
X. Mixtura ſecunda geminum parat ſonorem,
C. S. Quia c ſimul & quæ prior eſt jugando niſum,
X. Retrorſus adactam ſolidant premuntque vocem.
Nihil Auſoniis eſſe opus Y ſonare dixi:
Et ζῆτα ſupremum, niſi Graia verba cogent.
Sed quorſum (ais) hoc diſcere vel docere refert?
Tradunt homines ſecta quibus Pythagorea eſt,
Arcana ſecuti phyſicis remota cauſſis,
Summas numeri non ita literis valere,
Græcus pueros ut docet inſonans magiſter:
Cum tollere cunctos jubet altius ſiniſtras:
Unum ſit ut ἄλφα & duo βῆτα & tria γάμμα.
Diverſa valent, alia docent, ordine nullo
Referre putant, quæ cui ſit ſub ore ſedes,
Ut nos modo tentavimus expedire raptim.
Aiunt aliquas faucibus exilire ab imis:
Γάμμα, penitus κάππα ſonat. ξῖ ſimul & χῖ
Iſtam gravius vocis opus fingere linguam.
Si ζῆτα loquor βῆταve, νῦ, vel hiſpidum ῥῶ,
Et σῖγμα (quod iſtic parili ſede vibratur)
Dentes ſonitum fingere; δέλτα, θῆτα, tum ταῦ
Itidem parili ſede ſequi φῖ quoque tum πῖ.
Hinc & numeri non ſimiles habere ſummas:
Et nomina tradunt ita literis peracta,
Hæc ut numeris pluribus, illa ſint minutis,
Quandoque ſubibunt dubiæ pericula pugnæ.
Major numerus qua ſteterit, favere palmam:
Præſagia leti, minima patere ſumma:
Sic Patroclon olim Hectorea manu periiſſe,
Sic Hectora tradunt cecidiſſe mox Achilli.
Hæc ſunt quoniam viribus altiora noſtris,
Si tam tenues res tibi ſic diſſero verſu,
Vitem ut tenebras, quas ſolet & ſoluta verſu
Oratio parvis minus explicare rebus,
Sat duco meas hactenus occupaſſe nugas.

De SYLLABIS.

Carmen trochaicum quadratum catalecticum.

SYllabas, quæ rite metro congruunt heroico,
Captus ut meus ferebat, diſputatas attuli
Verſibus, ſane modorum quo ſonora lævitas
Addita, ſtyli ſublevaret ſiccioris tædium.
Hæc prius Baſſine fili, & tu gener Novateme
Perpolite (quam poteſtis) crebriore limula,
Non pater tamquam, ſocerque, ſed velut ſim extrarius,
Intueri vos oportet, an ſatis ſit literis
Singulis diſcreta recte (quæ cuique eſt) nativitas:
Syllabarum (quas duabus jungimus vocalibus)
Num minus ſit ſerupuloſe vis reperta, & prodita:
Conſonans ſi prælocatur una, quantum differat:
Una vocalis duabus prædita eſt ſi conſonis:
Ne parum vel diligenter, lucideve expreſſerim,
Quanta ſit quæ comparatur pedibus hinc diverſitas.
Sermo ſi planus pedeſtri ſe tenet modeſtia,
Diſputandi quem tenorem doctiores imperant:
Verba ſi non adpetita, nec remota plurimis,
Sed fere communis uſus & tamen non obvia,
Carminis ſervant honorem non jacentis cantici:
Quo ſuper ſedens trapeto, ſigna gyris temperat:
Sufficit vitare labes, & carere ſordibus:
Pro ſtatu reium domare lineam fandi parem,
Liberam ſcholæ nitore, vatis exutam ſtola,
Quæ tropos omnes relinquat, & ſuperba ſchemata,
Negligens ut ſemet, ipſa laudem ab incultu ferat:
Dum tamen rebus minutis (quas pedum liber quoque
Vix queat proferre ſermo noſter offenſa ſine,
Labili verſu miniſtret in retuſos exitus,)
Regulam ſervans ubique, finis ut quarti pedis,
Nominis, verbive fine comma primum terminet:
Hac enim tome probatur, metron hoc trochaicum.
Hunc modum ſi competenti pertulit ductu ſtylus,
Sive proviſo tenore ceſſit affectus labor,
Acrius vos pendite iſta, quam malignis moris eſt:
Hoc domi clauſum manebit, nec ſinam noſci prius,
Scrupulum quam veſtra demat hunc mihi ſententia,
Opera nobis hæc inanis? aut in uſum impenſa ſit?
Sed labor vobis ferendus in legendo eſt maximus:
Non enim curſim aut remiſſe tam minuta acumina
Adſequi quicumque poterit, ſed moroſa intentio
Tam legentis debet eſſe, quam fuit nobis quoque,
Qui laborem provocando, perdomando tædium,
Forſitan nec lecta multis, e latebris ſcalpſimus:
Ardui laudem expetentes, non favorem ex obviis:
Corrigenda ſi qua ſane viſa vobis hinc erunt,
Non ero ſtulte repugnans, aut amans prave mea,
Quin ſtatim culpanda delens, præbeam rectis locum.
Litteris autem latinis Græca quibus eſt formula
Quo ſtatim diſcriminentur, ne ſit hæſitatio,
Indices ſupra locavi nominum, primas notas:
Quando Græce γάμμα, ſupra ſua Latinis littera eſt:
K vel Q Græcum putetur ne an Latinum: e vel o
Neu viciſſim quæ Latina proferas Græco ſono:
Hæc erunt utrinque bina, quæ parent caliginem:
Quia pari forma notantur, & ſoni ſunt ſimplicis.
Ceterum ἦτα & Υ, & ω, Latinis a figuris diſcrepant:
A Latine ſæpe ut ἄλφα, ſæpe λάμβδα ſcribitur,
I ſimiliter ἰῶτα, credi & C poteſt quod σῖγμα ſit.
Verſibus ſed quum loquamur, quando Græca ponimus

ἄλφα

ἄλφα, ἰῶτα, λάμβδα, σῖγμα, legem metri cogimur
Syllabis perſcriptitare, non figuris ſingulis:
Ne quis hoc culpet, Latina ſi notata non erunt.
Artium parens & altrix Græca diligentia eſt:
Litterarum porro curam nulla gens attentius
Repperit, polivit uſque finem ad unguis extimum:
Quod Latinus æmulando, nec ſatis fidens ſui
(Exitus nam noſtra lingua non capit tam plurimos)
Attamen, fandi paravit non ſecundam copiam.
Congruens idcirco duxi in hoc opus de ſyllabis,
(Quod recepi nunc loquendum) litterarum origines
Inde deductas locare: quo probarem planius
Et ſimul quam multa Græcis noſtra non reſpondeant,
Quæque reſpondent, ab ipſis eſſe nobis tradita:
Artis inde origo manat: lingua non tantum patet.
Ergo Græcis eſſe ſeptem ſcimus e vocalibus
H & ω, quæ bina pedibus ſubminiſtrant tempora:
E & ο breves vocari ſingularis temporis:
Ceteras tres quæ ſuperſunt διχρόνους cognominant,
Corripi quod ſæpe, eædem ſæpe produci valent:
Ἄλφα primum eſt: inde ἰῶτα, tertium quod Υ vocant;
Porro cunctas noſtra lingua quinque vocales ſuas,
Corripit quod nunc eaſdem, nunc eaſdem protrahit,
Utitur longis, & iiſdem brevibus æque fungitur:
Nec brevem ſemper requirit, ſemper aut quæ longa ſit
Omnibus, ſed quinque ſemper utitur ceu dichronis:
Inde multa ſyllabarum naſcitur diverſitas:
Quia nec illæ δίχρονοι tres, Græca quas vox nuncupat,
Litteris noſtris eoſdem ſemper exhibent ſonos:
Ἄλφα, nos A nominamus, ἰῶτα ſic I diximus:
Tertiam Romana lingua (quam vocant Υ) non habet:
Hujus in locum videtur V Latina ſubdita,
Quæ vicem nobis rependit interim vacantis Υ:
Quando communem Latino reddit, & Græco ſonum.
Interim vocalem, & ipſum ſumpta propter quod tamen
Non tuendo, ſyllabarum ſæpe mutat regulam:
Scilicet non conſonantem quando vocalis ligat
Syllabam, ſed cum duabus edimus vocalibus:
Si prior locetur, ipſa conſonans tunc redditur.
Porro vocalem ſecuta, vim tenet vocalium,
Et ſonos utroſque jungit, unde diphthongos eas
Græcia dicunt magiſtri, quod duæ junctæ ſimul
Syllabam ſonant in unam, vique gemina præditæ
Semper effectum duorum temporum cuſtodiunt,
Sive producto efferantur, ſive correpto ſono.
Fronte quod prima videri forſitan mirum poteſt,
Eſſe correptam duorum temporum quod dixerim:
Sed pedum exequendo formam, res erit probabilis.
Non minus namque & Latinas ſæpe correpto ſono
Promimus, quamquam duabus editas vocalibus,
Quæ pedibus æque miniſtrant bina & ipſæ tempora.
Planius quo fiat iſtud, ante diphthongos loquar,
Græca lingua quas frequenter, quaſque raro interſerat:
Ita patebit noſtra Græcis cum ſonis diverſitas:
Αλφα & E & O priores, ἰῶτα diphthongos creat;
A I & E I & O I, parentur ut duabus literis:
Sic & Υ ſequens eaſdem reddit Aυ & Eυ & Oυ:
Ιῶτα tantum & Υ videmus ſubditas vocalibus:
His enim ſolis duabus, quinque præponi ſolent.
Neutra porro de duabus, ante tres iſtas, data
Αλφα, & E, & O, valebit eſſe diphthongi ſoni,
Syllabam nec edet unam, ſed duæ voces erunt,
Eſſe dipthongos & alias rariores diximus,
Υ ſibi tantum jugantes, ἰῶτα queis non ſubditur:
ὠυτὸς ut tradunt magiſtri, ſic & ἤυδα copulant:
Eſſe ſed longas utraſque litteras primas palam eſt.
Nec fuit longis juganda vel brevis vocalium
Syllaba, ut diphthongos ulla temporum fieret trium:
Non ita eſt; nec prima longis Υ dedit nativitas
Utriuſque, verum origo jure diphthongos fuit:
Tempore inſtanti quod αὔδα, ἤυδα perfecto facit:
Sic ὁ αὐτὸς ſeparatim ὠυτὸς immiſtum ſonat:
Ergo diphthongo creata, Υ ſibi adnexam tenent:
Det licet longam priorem flexa declinatio:
Vel duas partes in unam contrahat confuſio.
Quin & Υ loco priore ἰῶτα ſi ſubjunxeris,
Effici diphthongon unam poſſe nec plures reor:
Υἱες ut dicunt, ἀειλογία, μυῖα, & talia.
Porro diphthongos Latini quatuor fixas habent,
Quatuor ideo ſeparavi, quinta quod ſit rarior:
Ex quibus ſtatim videbis non ut in Græcis ſonis,
Ιῶτα ſubjungi, neceſſe eſt alteram vel V dari:
Semper E vel V Latinas poſſe ſubdi ceteris:
Αλφα ſemper atque ἰῶτα quem parant Græcis ſonum
A & E nobis miniſtrant: ſic enim nos ſcribimus.
Oi ſimiliter O & E fit, ἰῶτα quod Græcum fuit.
Au & Eu quum copulamus, V ſecundam jungimus,
In vicem Græcæ: quod υ ψιλὸν ſubdita eſt vocalis V.
Græca diphthongus ΟΥ literis tamen noſtris vacat:
Sola vocalis quod V complet hunc ſatis ſonum.
E, deinde ἰῶτα, Græca quod diphthongos Ei ſonat
Non erit ſemper neceſſe copulatas ſcribere,
Seu Latina ſeu jugetur Græca longa ſyllaba:
Ιῶτα ſolum quod videmus ſæpe produci, vel I:
Ἴλιον nam ſic jubemur ſcribere, & producere:
Dico ſive fido, longæ ſunt priores ſyllabæ:
Nec tamen nos E neceſſe eſt poſt I ſubnectere:
Nec poteſt diphthongus aliter e duabus litteris
Iſta componi, niſi ante principali in corpore
E ſubeſſe ratio monſtret, atque origo nominis:
Δεῖμος inde ſic notamus, quia δέιμος reprehenditu:
Inde Μήδειαν oportet ſcribere iiſdem literis,
Quia δέος non minus & iſtic (ut videre propalam e
Ipſa demonſtrat ſubeſſe compoſitio nominis.
Scribimus ſi quando νεῖκος, ἰῶτα ſolum ſufficit:
Nulla præcedens origo quia ſubeſſe monſtrat E:
Porro diphthongon notamus quando νεικεῖν ſcribim,
Ητα quod compago ficti comprehendit nominis:
Νῆ & εἴλειν namque junctis, conditum eſt vocabulu
Quippe non cedendo, ſemper quæritur victoria:
Litteram namque E videmus eſſe ad ἦτα proximam,
Sicut o & ω videntur eſſe vicinæ ſibi.
Temporum momenta diſtant, non ſoni nativitas:
Inde vertunt hanc in ἦτα ſæpe diphthongon Graii:
Quando quos ἱππεῖς ſolebant aut Ἀχαρνεῖς dicere
Lævigant, ἱππῆςque potius aut Ἀχαρνῆς nominant:
Noſque Medeam Latine ſic in uſum vertimus:
Nomen & regina geſſit quod furens Amazonum:
Sic & Αἰνείαν Achæus, noſter Ænean vocat;
Sic erit nobis & iſta rarior diphthongos EI.
E videmus quando fixam principali in nomine,
Eitur in ſylvam, neceſſe eſt E & I connectere,

Prin-

Principali namque verbo naſcitur; quod eſt E O.
Sic oves, plures, omnes, ſcribimus pluraliter,
Non enim nunc addis E, ſed permanet ſicut fuit:
Lector & non ſingularem nominativum ſciet;
Vel ſequentem, qui prioris ſæpe ſimilis editur.
A U & E U quas ſic habemus cum Graiis communiter,
Corripi plerumqne poſſunt temporum ſalvo modo,
Sive Græcis, ſeu Latinis inſerantur verſibus:
Aut age, inquit ille vates, ſæpe dixit, aut ubi:
Dixit Aurunci, quod æque barbarum eſt producere;
Pes ubique lege conſtat, prima cum correpta ſit,
Conſonans & una plenum non queat tempus dare.
Et lupi ceu, dixit idem, finis eſt verſus quidem:
Pes tamen non eſt trochæu', quia diphthongus extima eſt:
Dactilus, nam pes & ille eſt, Nube nati ceu duo:
Αὐ ἔρυσαν, inquit poeta, ſic & αὐτὰρ corripit:
Εὔπολιν, πεύκην, & εὔνουν, aut poetam Εὐριπίδην,
Syllabis primas neceſſe eſt ore raptim promere:
Tempus at duplum manebit, nihil obeſt correptio.
A U tamen capere videtur ſæpe productum ſonum,
Auſpices quum dico, & aurum, ſive Græcus χρυσόν.
Mira nec putanda nobis talis alternatio eſt:
Dicronon quod ἄλφα notum eſt, ſicut a noſtratibus
Inde communem miniſtrat ſola diphthongos ſonum:
Eu manet correpta, ſemper eſt quod E Græcum, breve:
Litteris E Latinis ſæpe quum ſit dichronos,
Facta diphthongos nequibit eſſe producti ſoni:
Nec pedes idcirco fraudat temporum juſto modo:
Hanc enim ſi protrahamus, A ſonabit, E, & V:
Syllabam nec invenimus ex tribus vocalibus,
Sic Ariſtæum notamus quatuor per ſyllabas.
Quod ſi diphthongos æ jam tertiam non jungit V
His ita exceptis duabus A U, E U quas rettuli:
I & O duæ ſuperſunt quinque de vocalibus.
Ante vocales locari littera O tres non poteſt
A, vel I, vel V, cohærens duplicem ut reddat ſonum:
Cæterum quod e ſecundo copulata cum loco eſt,
Reddat œ, diphthongon eſſe, traditum ſupra tenes.
Diximus rarum eſſe Græcis ἰῶτα poſt Υ ſubdere:
Verum enim nec prælocari ſic apud Graios poteſt,
Edat ut diphthongon unam de duabus vocalibus:
Litteræ nam nomen ipſum ἰῶτα quod Graius vocat,
Si quis in metro locabit ſyllabæ ut fiant duæ:
Non poteſt diphthongos eſſe ιω duabus litteris:
Conſonans prior locata quia fit & Graios apud:
Quod tibi exemplo probare verſus herous poteſt.
Οὗτος ἰῶτα γράφει verſus ſi principium ſit.
Pes erit primus trochæus, ſed facit ſpondeon hunc
Prima vocalis notari ἰῶτα qua Graium incipit.
Syllabas licet videri potius has Græci velint
Eſſe communes, eaſque dictent κοινὰς magis,
Quæque vocalis ſequetur quando ſupremam brevem.
magis Romana lingua non poteſt permittere,
Edat ut diphthongon nulli nexilis vocalium.
Conſonans quod ſemper hæc fit ante vocales data:
Quippe jacula quando dico, vel jecur, Jovem aut jubam,
Conſonans effecta ubique eſt quæ fuit vocalis I.
Quæ ſequuntur vim tenebunt (quam prius) vocalium.
Quin & ipſæ quum jugantur I, & V, quo differant
Ut prior quæque eſt locata, proderit diſtinguere:
prior ſi conlocetur, V ſequens correpta ſit,
n ſoni prolixioris, nulla differentia eſt,
onſonans quia ſemper iſta juncta fit vocalibus:

Juno quum dico, aut juvencus, nulla differentia eſt.
Quippe I U diphthongos eſſe Græca nequaquam poteſt,
Quod ſoni tres implicentur & tribus vocalibus.
Quando ſic Græce notatur O Υ, ut ſit O & Υ ſimul:
Iῶτα queis ſi prælocetur, tres videmus voculas,
E quibus conſtare ſupra ſyllabam negavimus,
Sic ἰοὺ ἰοὺ, tragœdus, Graius & ceryx ſonat:
Sic io matres latinæ, ſic Iulum dicimus.
Quia duas edat neceſſe ſyllabas quum prædita eſt,
Quas videmus ſeparatas eſſe vocales duas:
Vim vel amittat priorem, quum fit una ſyllaba:
Conſonans namque invenitur quando dico Julius,
Sive Juno, ſive juſtus: porro quum præcedet V
Conſonantis vim miniſtret (omnibus vocalibus
Nexa) ſemper hæc neceſſe eſt, ſyllabam nec dividat,
Et ſonum mutet priorem, vade quando dicimus,
Vel venito, vel videto tot volatus vulturum.
Ante conſonam U reperta ſola, ſive in syllaba,
Unus, aut ubi, vel unde, & umbo quando dicimus,
Obtinet vocalis uſum ſicut I quum prædita eſt.
Quanta vero ſit poteſtas ſingulis junctis ſibi,
Scandimus ſi quando verſum quolibet metro datum,
Ut prior quæcumque curret, hoc pedes diſcriminant.
Namque ſi momenta quæ ſint litterarum examines,
Conſonantem aut quas neceſſe eſt conſonantes effici,
Tempus unum jam tenemus eſſe correptis datum:
Bina productas habere nec minus compertum eſt:
Tempus autem conſonantes dividunt unum duæ,
Inde quæ duplex habetur, tempus integrum dabit;
Ergo correptæ jugatur una quando conſonans,
Sive vocalis referri quæ poteſt in conſonam,
Seſcuplum tempus neceſſe eſt edere iſtam ſyllabam,
Quæ duplex habere poſſet ab duabus conſonis,
Ac per hoc, producta per ſe, quæ duorum temporum eſt,
Conſonæ quum ſubjugatur vel relatæ in conſonam,
Temporis parte atque duplo ſit, neceſſe eſt, prædita:
Hoc ſub exemplis videbis eſſe planum nominum,
Syllabas ex his duabus quæ parant vocalibus:
Juno, vita, quando legas, vel juba, aut vigor, vetus,
Conſonans fieri neceſſe eſt hic priores literas,
Quæ ſequuntur ut fuerunt eſſe vocalis ſoni.
Temporis momenta longæ poſſident partem & duo:
Seſcuplum breves habere partem & unum convenit:
Pars enim iſta non ſequenti prorogat tempus ſuum;
Sed priori, pleniore ſi indigebit tempore.
Syllabam nam jam peractam quum ſequetur I vel U,
Illa porro brevis quæ in unam conſonantem deſinet,
I, ſequens partem rependet quam miniſtrant conſonæ:
Hoc & U præſtare poterit, quum tenebit hunc locum:
Rurſus exemplis agendum eſt ergo, quo ſit planius,
Syllabam brevem ante ponam deſinentem in conſonam:
At *jubam* pes ut paretur, ſit vel alter, *at vigor*,
Sic enim partem videbis huc redire temporis:
At brevis dum conſonanti T propinquæ jungitur,
Tempori ſuo ab eadem conſona partem trahet,
Seſcuplum quod dico ſic fit: plena quo ſint tempora,
I dabit partem reſiduam, quam miniſtrant conſonæ:
Hoc & V pedem locare ſi velimus, *at vigor*:
Longa fit ſic prima poſitu tunc duorum temporum:
Et breves ambæ manebunt inſequentes ſyllabæ,
Quattuor pedem peractum cernis eſſe temporum.
Juno porro, ſive vita quum pedem primum occupat:
Conſonans effecta quum ſit quæ prior locatur I,
Et ſequens producta, quippe bina præſtet tempora,
Parte cenſeri videmus atque duplo ſyllabam.

Hinc pedem ſi cœperimus edere iterum dactylum,
Quia brevis vocalis extat in ſequenti ſyllaba,
Tertiam addamus neceſſe eſt utique correpti ſoni:
Pes quidem reddetur ipſe, non tamen pars temporis
Conſonæ factæ prioris, cernimus quo ceſſerit.
Ergo ut effectus probetur, conſonans quum fiet I,
Non erit locanda prima, quando verſus naſcitur:
Syllaba ſed in ſecunda, quæ brevis cum conſona
Eſſe potuerit, priores qua pedes adjuvimus.
Seſcuplum quæ ſola præſtat, temporis parte indiget,
Ut ſit *at ju* pes, & inde verſus ortum ſumpſerit.
Ergo *ju* quia nunc ſecundo conlocatur in loco,
J ſua (quam conſonantem non negamus redditam)
At facit longam, tenebat ſeſcuplum quæ temporis:
Nec ſecus partem retrorſus T dabit quum conſona eſt:
Sic *at vi* pes abſolutus, fiet *at ju* par ei,
Syllabas longas habebunt hi pedes binas ita,
Dum ſitu prior juvatur, & ſequens producitur.
Porro quum producta prima eſt, ſi ſequatur conſonans,
Efficit duplum atque partem, non (ut illic diximus
Ante) partem & inde duplum, prima quod non ſit brevis,
Sol tibi, velut poeta ſigna quum dicit, dabit.
Sufficit productam primam temporis duplum dare,
Pars reſidua conſonantis unius vel proximæ
Ita vacabit, ut vacabunt quando plures conſonæ
Sponte productam ſequentur, non egent ſubſidii.
Trans mare, atque inſignis, Auſter, ſi in pedem convene-
Eſt adhuc quo ſeparatæ I & U diſſentiant, (rint;
I media quum locatur hinc & hinc vocalium,
Troja, ſive Maia dicas, pejor, aut jejunium,
Nominum primas videmus eſſe vocales breves:
I tamen ſola ſequente, duplum habere temporis:
Ergo vel loco duarum conſonantum fungitur:
Vel gemella ſi locanda eſt, ut videtur pluribus,
Bis tibi vocalis eadem præbet uſum conſonæ.
Ante vocalem, ſequendo cum priore ſyllaba,
Prædita & mox inſequenti, jure quo fit conſonans:
Hoc in his tantum invenimus nominum vocalibus,
I ſecundo conlocata, conſonæ ut valeat loco,
Ante vocales quod alias quum locatur, exhibet.
U ſimilter ſi conlocetur, ut *favor* quum ſcribimus,
Nil juvabit A priorem media facta conſonans.
Temporis quia parte tantum fungitur, quum vi prædita eſt.
Vel licet ponas gemellas ſicut in verbo juvo,
Ante, quæ locatur I, fiet ab U ſequenti conſonans:
Ipſa vocalis manebit U brevis ſicut fuit.
V ſecundam in conſonantem transfert vocalis O,
Sic prior vocalis U quæ tempore uno prædita eſt,
Temporis parte adjuvatur ſequenti conſona.
Seſcuplum tempus videmus longa quum poſcat duo:
Proderit nil ergo gemina ſicut I bis profuit,
Quum facit longam priorem Troiia, Maiia, & talia.
Perdere U quia ſic videtur uſque vocalem ſonum,
Alteri quum prælocatur: nam facit vita, & valens
Sordidum quiddam, videmus abſonumque excludere.
Aeolica gens tunc digammon denique illam ſcriptitat,
Mutet ut ſitum figuræ, quando mutabit ſonum.
Nominum multa inchoata literis vocalibus
Æolicus uſus reformat, & digammon præficit.
Æolica etiam dialectos fere eſt miſta Italiæ.
Heſperum quem dico Græce, veſperum cognominat,
Eςιχ ſic Veſta facta, veſtis ἐσθὴς dicitur.
Iνα quam græce vocamus, vim jubet me dicere:
Eχρ eſt multis in uſu, & magis poeticum eſt,
Hρ enim nativa vox eſt, ille ver hoc dictitat:
Quos Homerus dixit Ἐνέτους, ille Venetos autumat:
Viola flos qui nuncupatur, hunc Graii vocant ἴον:
Et Iolaus, violeus fit, crede Marco Tullio:
Quamquam ἴτυν dicunt Achæi, hanc βίτυν gens Aeolis:
Plura Sappho comprobavit Aeoliis, & ceteri.
U latina ſic obeſa, ſordet a vocalibus,
Prorſus ſegregandas ſic ut has utraſque exiſtimem:
Nomen I quod conſonantis, V vicem ſolam gerat:
Hanc enim ſenſu per artem tradito dignoſcimus,
Illius converſionem & vox, & aures arguunt.
Hæc erit lex his duabus I & V quas rettuli,
Syllabam per ſemet ipſæ quando nudam copulant:
Conſonans nec ulla junctis quædam præponitur.
Nam media poſt conſonantem cum datur vocalis I,
V dein ſi conſequatur, ſyllaba una non erit,
Ut pius quum dico, dives, ocius, vel Cælius,
Nulla diphthongos quod ante ἰῶτα permitti ſinit:
Media porro ſi locetur V, fit una ſyllaba.
Ecce rurſum diſcrepare litteras iſtas vides:
Namque *cui* ſi quando dico, non erit diſſyllabon:
Nec tamen diphthongos iſta conſonante prædita
Poterit eſſe, quæ videri non poteſt quum libera eſt:
Hoc enim ſolum adſequetur, quod digammos non erit,
Anteposta quum ſit ipſa, tum ſequens vocalis I:
Nam niſi inſequatur aliqua conſonantum littera,
Cui brevis manebit, atque longa fiet addita:
Cui ſuper non digna dixit hiemis, & ſolis mala,
Dixit &, cui tu ſavos, pes hinc mihi primus ſat eſt:
Sic enim vel prima longa, vel prior, fit ſyllaba:
Dactylus nam *cui ſuper*: *cui tu* ſequens, ſpondeus eſt:
Conſonans quia poſt ſequuta tempus adjuvit breve:
Hanc brevem ſed ante nobis pervidendum eſt ſyllabam,
Una conſonans ſecuta, quatenus longam creet,
Ipſa nam vel ſecum habere conſonantem debuit,
Vel duarum poſt ſequentum ſublevari tempore:
Ante quod nobis liquere non poteſt, ſi non prius
Conſonans quæ prima in iſta ſyllaba *cui* ſcribitur,
C magis, vel Q notari debeat, diſpexeris.
Sæpius quia C locare plurimis jam moris eſt,
Sic enim conſtare poterit, e duabus quæ magis
Nunc locum vocalis habeat, V prior, vel I ſequens:
Namque ſi cu præferatur ſyllabæ fient duæ,
Tertia his quod implicari nulla vocalis poteſt,
Sed duæ fient ſeorſæ ſyllabæ per ſe breves:
Cui ſuper ſic inveniri dactylus jam non poteſt;
Syllabas ſed pes habebit quattuor totas breves.
Principale ſed videmus eſſe *quis* quo naſcitur,
Cui dativum quando caſum ratio ſermonis petet.
Caſus & ſecundus ante, qui facit *quiius* probat,
Q duarum præditam eſſe ſyllabæ vocalium:
Quartus & caſus priori non repugnat regulæ,
Nec minus O perſeverat quum loquor pluraliter,
Caſibus cunctis jugamus quando vocales duas,
Qui facit quorum, deinde mox quibus, quos, a quibus:
Uſque Q numquam revelli propalam eſt pronomini.
Dubius autem quia videri numerus, & caſus poteſt,
Quum dativo ſingulari prima Q præſcribitur,
Et poteſt plurale *qui* lector aliquis credere facile,
Ac ſimul nutante caſu tardius ſenſum ſequi:
Uſus, ut ſolet, reliquit veritatis regulam:
Litteram & dedit propinquam, dum ſtudet compendio,
Ergo per C jam videmus *cui* notandum litteram:
Hanc enim V poſt inſecuta, præditam docet ſibi:
Et cohærens i, ſecundo quando connexa eſt loco:
Quippe Q non conſtet aliter, quam duabus C & V:

B velut, vel K, quod eſſe Q vides muti ſoni:
Q velut ſit C & U quoque: plenius quod poſtmodum
Sic in unam Q redactæ congruerunt litteram,
Portio ut nunc conſonantis U videri rectius,
Litteræ vocalis habitum quam tenere debeat.
Namque Q præmiſſa, ſemper U ſimul jungit ſibi.
Syllabam non editura ni comes ſit tertia
Quælibet vocalis: illis hoc & exemplis proba, (mus,
Namque equos, vel æquor, quæſtus, aut aquam quum ſcribi-
Et queo, & querela, quercus, & quater, Q prædita eſt:
Et vides *qui* quoque ſimiliter eſſe vocales duas:
Unde ſi dematur I, & ſola ſit vocalis U,
Non erit jam Q neceſſe ſyllabæ præponere:
Sicut illic, quum querela, & æquor aut aquam notas;
Sed magis C, ſola namque ſubditur vocalis U:
Curo quum dicis, cupido, curro, vel cuſtodio:
Unde nomen qui ſequendi rectius ſcribi putant,
Si prius Q conlocarint, U, & O ſubiunxerint,
Qui *ſequor* eaſdem habebat, unde nomen naſcitur:
Non videntur obtinere veritatis regulam:
Quia *ſequor* duas videmus vocales ſimul:
Et locamus jure tunc Q exigente ſyllaba:
At ſecundus ut ſit, una ponitur vocalis U,
C locari debet ergo, quando ſolam copulat:
Quippe origo prima verbi non manet jam nomini.
Ceterum vocalis illis ſi jugetur tertia,
Q neceſſe eſt prima detur, & ſit una ſyllaba:
Nomina ut ſupra relata jam ſatis nobis probant.
Non tamen prior U videri facta conſonans poteſt,
Conſonans quia de duabus effici prior ſolet:
Nuda ſed prior: quæ quando nec ſubacta eſt conſonæ,
Quando non digammi ſumit neque figuram, neque ſonum,
Tunc ſonus vocalis illi, qui ſolet quum libera eſt;
Prædita eſt vel conſonanti, tunc enim eſt vocalis U.
Sed tamen videmus illam conſonæ vim ſumere,
Tenuia ut dixit Poeta nubis ire vellera,
Longa fit nam *ten* nunc, quum ſequatur U & I:
Nec minus vocalis una ſi ſequatur hanc, poteſt
Conſonæ præbere vires: & digammos effici.
Genua cum labant Daretis, æger eſt anhelitus,
Nec poteſt & hoc liquere, an I putemus conſonam,
Longa *cui ſuper* paretur ſeu duabus conſonis:
Alteram quia conſequendo, ſemper I vocalis eſt:
Tertiam & caſus ſequentes eſſe vocalem docent:
Imo ſi nunc U putamus eſſe vocalis ſoni,
I magis vocalis eſſe judicanda eſt ſubſequens.
Nunc quod hanc diphthongon ergo ex U & I ſit, dicimus:
Non ut U nunc ſit Latina, ſed magis Græcum ſit *υι*
Γυῖα quum dicunt & υἷας, tale quid *cui* ut ſonet:
Temporum & per ſe duorum non requirat conſonam:
Cui ſuper, ſed tale fiat, quale dudum *trans mare*;
Longa quum reddit vacantes quæ ſimul ſunt conſonæ:
An magis *cuii* nos oportet per duas ii ſcribere?
Quia ſequens caſus videtur hoc ſonare, qui facit
Quiius, ut Troia atque Maia de tribus vocalibus;
Cui ſuper nil ut juvetur a propinqua conſona:
Quando quiius longa prior eſt, facta cum ſit conſonans:
Hæc putavi colligenda, tu ſequere quod voles.
Nec minus natura varia eſt conſonis in litteris:
Digerunt quidem magiſtri quando pueros imbuunt,
Sed rudes ne prægraventur, parcius diſcriminant:
Nam novem mutas vocarunt: ſemivocales item
Eſſe ſeptem tradiderunt: ordo uterque notus eſt:
De novem tres (ut vacantes) ſeparandas convenit:
Una nam ſpiramen addit omnibus vocalibus,
Hylas quando & *hedera* dicis, *hiſter*, *hoſpes*, atque *humus*,
Quatuor ſolis adhæret conſonantum littteris.
Inſerit ſi quando Græca ſermo noſter nomina, (loqui:
Quum choros, rhamnum, neceſſe eſt Phyllidem, thymum
Sola nec vocalis uſum, nec tuetur conſonæ:
Tempus aut miniſtrat ullum brevibus uſquam ſyllabis:
Et tamen vim conſonantis adimit una in ſyllaba:
Prædita eſt quoties duabus u & i vocalibus,
Hujus aut *huic* ſolemus nam frequenter dicere
U digammon eſſe, nunc jam non ſinit, nec conſonam
Eſſe, quia ſemper neceſſe eſt, quum carens ſpiramine
Ante vocalem locatur, ut vigor, valens, vetus.
K ſimiliter otioſa ceteris ſermonibus,
Tunc in uſu eſt quum Kalendas adnotamus, aut Kaput;
Sæpe Kæſones notabant hac vetuſti littera.
Q vacare prorſus omni diceremus ſyllaba,
(C quod ejus invenitur poſſe ſubdi pro ſono)
Caſus unus ni probaret rectius poni ſemel,
Syllabam junctis duabus quum facit vocalibus,
Ut ſatis ſumus locuti jam priore pagina.
Nunc loquar natura quæ ſit omnibus, quæ & ſingulis:
Nulla nam mutis facultas ad ſonum edendum data eſt,
Labra fixa, vincta lingua eſt, exitus nullus patet,
Nexa [ſi non adjuvetur] cuilibet vocalium.
Namque b vel c ſonat, porro d g & ceteras
Quinque, at ſi non reſignet labra vocalis comes
Syllabam fingas ut ante, litteram qui proferas?
Semivocales videmus oris exprimi ſono
Poſſe vel ſolas, adhærens nulla vocalis licet
Exitum plenum miniſtret nuncupandæ litteræ.
Verum enim binæ ligari non queunt mutæ ſimul,
Syllabæ ſi quando binas poſtulabunt conſonas,
Nominis verbive cujus quæ tenent primordia:
C modo, aut p copulare ſubditam T ſic ſolent
Non priores, ſed ſecunda dum latina in ſyllaba,
Nactus ut dicas vel aptus, ſanctus aut Neptunius:
Cæteris natura non eſt, ut duæ jungi queant:
Semivocales oportet ſegregare adtentius,
Quas quidem quia nominatim verſus indi non ſinit
Ordinis ſignabo numero, quæ ſit hæc quam differam
Titulus præſcribet iſte diſcolor ſinopide.

F. L. M. N. R. S. X.

F. Prima mutas nec ſequetur, nec poteſt præcedere,
Ipſa gemina nec locari ſimplici in verbo poteſt:
Suffice & ſuffer, vel offer, eſt quidem duplex ſonus,
Partibus ſed ex duabus verba conjungi vides:
Et prior non hac eadem terminatur littera:
Sed ſonum confudit ipſa partium conliſio.
Quatuor poſt hanc locatas Græcus udas nominat,
Lubrica eſt natura in illis namque & alternus vigor;
Nunc enim vocalis uſum, nunc miniſtrant conſonæ:
Et pedum vel hinc, vel inde ſublevant diſcrimina:
L. hinc ſibi primam atque quartam ſemivocalis poteſt R.
Subdere iſta quam loquebar, quando flabra & floſculus.
Fratrem item, ſtugem, atque frondem, fraudemque atque
M. non item poteſt ſecundam copulare & tertiam, N [talia.
Quia ſecunda mugit intus abditum & cæcum ſonum:
N. tertiam nec ullus illis ſermo Romanus ligat. L.R.
Nec ſinas errare puerum, quando Daphnin ſcripſerit,
Semivocalem locandam primam ut iſtam exiſtimet:
Quippe nos ſi quando Græcum φ neceſſe eſt exprimi,
P & h ſimul ſolemus non latinam hanc ponere, F.
Cujus a græca recedit lenis atque hebes ſonus,
Phoſphoron, Phrygaſque nam, vel dyſphilon ſic ſcribimus,
Conſonas autem per omnes (quæ quibus jungi queant,
Quas vetet natura iunctas convenire in ſyllabam)

Ire jam nunc ideo nobis viſum eſt conſultius,
In breve ut redacta ſylva demeret caliginem;
Neu ſubeſſe præter iſtos (quos loquar) caſus alios,
Qui pedum turbare normam, lædere aut metrum queant.
Præter udas ergo ſupra, jam duas quam rettuli,
F. Hæc ſibi nullam ligare ſemivocalis poteſt.
Quattuor poſthac loquemur ordine udas debito
Quas priores ante nullam conſonam præponimus,
Ut caput verbi inchoare conditæ ſimul, queant,
Subdimus mutis earum plurimis tantum duas, (erit. R.
L. primam atque quartam, exemplis palam quod nunc
Namque b, c, g, deinde p priores ponere
Singulas poſſis, ut uda prima ſic ſubjecta ſit, L.
Blandior quum dico, cludo, gleba, plebs, aut Plinius
D cum hac numquam coibit, q magis numquam poteſt:
T poteſt ſi quando Græca miſta ſunt vocabula.
Tlepolemus, Atlas nam ſolemus invenire in verſibus.
R. Uda quarta præter iſtas quattuor quas rettuli, B.C.G.P.
Amplius D T priores ſubſequetur, ut puta;
Brutus, & Craſſus fuere, Druſus, & Gracchus, Procas,
Troſſulus: jam ſex habemus ante mutas editas:
H. K. Q. Cæteræ quia tres in uſum ſyllabarum non cadunt.
F. Semivocalis quod una præfici poſſit tenes. (D. T. P.
R. Uda quarta præter iſtas, cæteris non ſubditur. B.C.G.
M. Et ſecunda pene ſolis convenit vocalibus,
Seu loco prior locetur, ſeu jugetur alteri:
Mane quum dicis, vel umbra, menſis, ambo, & talia.
N. Tertiam udam ſibi videtur poſſe ſolam jungere,
Sic tamen non priore, ſed ſequenti ſyllaba;
Omnis ut dicas, vel amnis: uda quæque quum ſequi
Alteram non poſſit udam, dum ſit una ſyllaba:
Omnis uda quum gemella, rite conjungi queat,
Gallus ut, vel Ammianus, annus, & Tyrrhenius.
Nec ſecus mutas videmus poſſe geminas currere,
Obba, & ecce, redde, & agger, Attiuſque, & Appius.
M. Hanc tamen Græcus ſecundam tertiæ ſic præficit, N.
Syllaba prima Latine quod nequire diximus:
Quando μνῆμαν atque μνᾶσθαι dictitatque Μνεσθέα.
M. Interim compellis illam δέλτα nunc, nunc ταῦ, ſequi:
Δμῶας & Τμῶλον videmus namque Græca nomina.
N. Tertia uda ſic videtur poſſe mutam ſequi,
Graia verba quando in uſum ſermo noſter ſuſcipit,
Gnoſios ſi dicere arcus, inſulam aut Gnidum velis,
Scribimus prænomen unum, & c quidem præponimus,
C tamen ſonabit illic, quando Cneum enuntio:
Aſperum quia vox ſonorem læviore interpolat,
Vel priores g Latini nondum ab apice finxerant:
Caius prænomen, proinde c notatur, g ſonat.
Sic amurca quæ vetuſte ſæpe per c ſcribitur,
Eſſe per g proferenda crediderunt plurimi:
Quando ἀμοργὴ Græca vox eſt, γάμμα origo præferat.
Ille contra diſcat, unde c notare debeat.
G tamen mox tertia uda rarius componitur; N
Quando gnatum nominare, dicere aut gnarum voles.
Namque magnus, dignus, agnus, ſigna, pugna, & talia
Syllabæ quum ſint ſecundæ, non ita impugnant pedes,
Queis jugatis, impediri (quum caput verbi tenent) G. N.
Sæpius pedes videmus, ut ſuo promam loco.
S. Admonet nunc ordo ſextam ſemivocalem ſequi,
Quæ ſonum nobis miniſtrat, σῖγμα quod Græcis ſolet.
Vivida eſt hæc inter omnes, atque denſa littera:
Ἀσκτικὸν Græci vocarunt, adſeruntque exordiis:
Et probant mutis eandem pene cunctis præfici: (σπάθας:
Quum σβέσιν, σθένος que dicunt, σκῆπτρον, & quando
Στέμμα dicunt, σφίγγας, atque σχήματα atque udæ quoque.
M. Poſſe præponi ſecundæ, ſic apud Graios vides,
Σμήγμα ſi quando, aut σμάραγδον, σμήνιον vel nominant:
M. enim ſolum videtur poſſe ſubdi, quia loco
Intimo fauces prope ipſas littera hæc excluditur:
Dentibus σῖγμα atque labris proximam ſedem tenet.
Σῖγμα quis poſſit negare quod det adjunctum ſonum,
Quum ſonis utriſque conſtet ζ quod eſt Græcum duplex?
Nomen etſi non videbor tradere exempli loco,
Syllabis ſedet ſecundis quando proſa oratio eſt,
Verſus ut quadre reſiſtat, nec propaget terminum,
Neſtoris ſi forte nomen dividendum incurrerit,
N & E verſus prioris obtinebunt extimum:
Σῖγμα verſus inſequentis atque ταῦ exordium.
Nos tribus mutis eamdem poſſumus præponere,
Nulli quum ſic poſſit ante ſemivocalis dari,
Scuta namque, ſpatia dico, ſtamina atque hoc genus:
Et duas ſimul ligare ſola conſonans poteſt,
Scrinium, ſtruemve quando, ſplendidumve dicimus,
Tres tamen numquam coibunt [uda niſi tertia]
Semivocales. ſuprema duplicis reſtat ſoni,
Præfici verbis Latinis iſta nec vocalibus
Poterit umquam, tantum abeſt ut prælocetur conſonis:
Ipſa quum conſtet duabus comparata conſonis.
Syllaba quacumque ſane ſubditur vocalibus,
Quando rex, calixve dicis, pax, latex, apex, ſenex.
Ante vocales locatur, ut in ſequenti ſyllaba
Faxo ſi dicas, vel axis, nexus, uxor, noxia.
Tantum apud Græcos videmus inchoantem nomina:
Qui ξένον, ξάνθον loquuntur, ξοῦθον & ξεινήια.
Conſonis præfertur autem ſi dirempta ſyllaba
Nominis verbive, cujus cum Latinis ſermo ſit,
Expuli quum dico, & extra, ſeu quis excuſſam comam
Dicat, aut exlex, & illud, hoc ſine exquiram prius,
Adde & exortem, vel iſtis ſimile ſi quid finxeris:
Muto vel partem prioris ſi fit hirtum ſyllabæ,
Effer ut dicam, vel illud, hoc tibi effectum dabo.
Verba contra ſeparata quando ſic connectimus,
Hanc ut ante deſinentem ſubſequatur conſonans,
E ſat eſt ſolum locare, quia duplex eſt conſona:
Tres videntur ſyllabam unam conſonantes edere,
Hiſpidum quod porro ne ſit, dico & e bello viros,
Dico & e pago reverſos, dico & e foro domum.
X. Aſt enim Graius locabit quandocumque hanc ultimam
Sive in uno comprehenſam ſive in verbo pari,
Conſonam non x jugabit, quia ſono lævi ſtudet,
Nam niſi vocalis adſit, vertit hanc in ſimplicem:
Κάππα enim ſolum ſonabit, σῖγμα vero excluditur:
Sic & ἐκπλῆξαι loquuntur, ſic & ἐκπέρσαι πόλιν,
Sic & illud ἐκ στόματος ἐκκελώρητα ξίφη
Sic & ἐκ πάντων ſolute, ſic & ἐκ νήσου facit.
Litteras autem receptant ſæpe ternas ſyllabæ,
Nec minus ſæpe & quaternas porro, quinas parcius,
Eſſe quia vocalis una debet una in ſyllaba,
Vel duæ, diphthongos edit quando vocalem ſonum,
Inde rarum eſt conſonantes addere uni quattuor,
Quia vetat natura mutas jungere una in ſyllaba:
Semivocales jugari ſæpius deprendimus:
In quibus ſcimus udas computari quattuor.
Syllaba ergo quando quinque litteris componitur,
Conſonas duas neceſſe eſt, & tot udas copulet,
Poſſit ut vocalis una ſyllabam talem dare.

Erg

Ergo frons, & glans videmus eſſe quinas litteras:
Conſonans nam prima, & uda poſt, modo uda & conſonans
O tenent utrimque junctam: ſic & A cum glans erit.
Eſt & uda quando ſola, dantur & tres alteræ,
Conſonans quum ſit bis una, ſitve duplex tertia:
Stant enim quum dico verbum: t ſecunda & ultima eſt:
Strixve ſi dicam, ſupremam duplicem eſſe perſpicis.
Porro cum diphthongos inerit, ſraus velut ſcribi ſolet:
E tribus videmus unam [quæ eſt uda] conſonis.
Nos monemur litterarum ſyllabam ſex poſſe dari:
Græca quum duplex duabus ſolvitur noſtratibus,
Dixerit ſi forte quidam ſcrobis abundæ quod foſſa eſt,
Stirps velut dixit diſertus Gracchus alter, Caius:
Græcus hoc caſu nequibit ſyllabam talem dare,
Nec dabit per ſe: ſeorſam & reſiduam nominis
Atque diphthongo coactam promet, & pluraliter:
Namque declinare Græci ſæpe ſic *αἰσχρὸς* ſolent,
Ai prior ſi ſeparetur, ſex erunt ſuperſtites:
Ἀσκτικὸν nam cernis eſſe *σῖγμα* primum, & ultimum:
Alteram diphthongus auxit copulando litteram:
Conſonans & uda complent ſyllabam ſenariam.
Nunc per ipſas ire pergam ſyllabas, quæ verſibus
Scrupulum ſolent movere, ratio ſi non cernitur.

Carmen heroicum.

Sed quoniam exemplis heroi carminis uti
Res monet, ut pedibus ſiſtat ſua regula juſtis:
Seu vitium inceſſit, metri ratione probemus:
Aptius eſt nobis ſimili decurrere norma,
Diſcolor alternos referat ne pagina verſus.
Spectandis pedibus quæ ſunt nimis obvia, mittam:
Natura longas quid enim tractare neceſſe eſt?
Aut facili poſitu, & plana ratione patentes?
Quæ pueris etiam promptum eſt occurrere parvis.
Nec mihi Græcorum ratio eſt attingere *κοινὰς*:
Quarum rarus ineſt noſtris in verſibus uſus:
Nec tanta in pedibus venia conceditur uti.
E brevibus quoties longæ redduntur, oportet
Verſificatorem quid littera quæque miniſtret
Diſpicere, atque aptas natura jungere ſecum,
Vel diſcordantes mutatis vincere verbis.
Conſona ſed ſane gemina eſt quum prædita verbo,
Seu medio in pede ſunt, ſive has pes proximus infert,
Quam dubias pedibus ſoleant adferre figuras,
Ut poſſum, paucis nitar decernere verbis.
Syllaba prima brevis quæcumque pedem generabit,
Longa fit a geminis quibus indita conſona vis eſt,
Seu pariter junctæ, ſuberuntve in parte ſequenti:
Seu ſunt diviſæ, finemque caputque tenentes.
Exemplis manifeſta magis reddenda videntur:
Poſtquam res, prior eſt junctis adjuta duabus:
Subjectis æque fiet, quum dicimus agros:
At tu ſume pedum, diviſas cernis utraſque.
Dactylon hæc eadem poterit toties dare forma,
Quando brevem mediam brevis æque tertia claudet:
Nunc age, neſcio quis, necnon & Belgica collo.
Uda etiam quocumque loco, ſeu ſubdita detur,
Libera ſeu, verbo quaſi conſona curret in uno.
Arma, virumque cano, duris agreſtibus arma:
Si ſit longa prior, mox hanc correpta ſequatur
Vocalis verbi pariter cum fine reſiſtens,
Syllabaque adjaceat geminis exorta ſonoris.
Non ſemper videas ſpondeum poſſe creari,
Quia mutas ita conjungi natura recuſat,
Ut pariter poni poſſint in parte ſequenti:
Udas nec poſſis umquam præponere mutis,
Nec tempus præſtant udæ: quum ſubjiciuntur
Nominis in capite, aut verbi. ſupereſt igitur quid?
Ut ſint diviſæ, ſubduntur quando trochæo,
Unam detineat ſequitur quæ ſyllaba primam,
Atque ita vocalis ſuperet non ſola trochæo,
Altera ſuccedat, qua proximus exoritur pes,
Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ:
Poſtquam res Aſiæ, geminum hoc exemplar habebis:
Ergo ut vocalis remanens in fine trochæi,
Et verbi finem faciat, ſpondeon & edat,
Unicus efficiet caſus, ſi qui ſequitur pes,
Naſcatur certis (quas debet habere) ſonoris:
Dum caput obtineat fortiſſima littera verbi:
Hæc quæ ſit jam ſcire potes ſi prima tenebis,
Quæ tibi quum loquerer ſeptem quoque ſemiſonantes,
Diſcrevi titulo, & numero ſignante notavi.
Hæreat ergo animo ſexta hæc tibi vivida parque
Littera de numero (quam dixi) ſemiſonantum:
Quæ ſibi tres tantum poterit ſubjungere mutas,
(Si quando ſcutum, ſpumas, vel ſtamina dico)
Hæc ſola efficiet nudo ut remanente trochæo,
Spondeum geminæ poſſint firmare ſonoræ:
Exemplis an prava ſequar, vel recta probabo.
Quiſque ſcire cupit, vel quiſque ſcribere curat,
Ante ſtare decet, quum dico: & ſeparo verbum,
Ante Steſichorum vatem natura creavit:
Ultima vocalis remanens finiſque trochæi,
Excipitur geminis queis proximus exoritur pes,
Quæ quamquam capite alterius verbi teneantur,
Sufficiant retro vires, & tempus, oportet:
Conſona quod debet geminata referre priori.
Nam cur ſpondeo credas non reddere tempus,
Quæ tali poſitu (quum dactylus incidit) obſtant?
Incipe ſi dicas, & ſcire, aut ſcribere jungas,
Creticus efficitur, quis viribus ergo nocebit
Subdita præteritæ, cur iiſdem viribus æque,
Tempora non præſtet, quum ſit ſubjecta priori?
Quin mirum magis invenias, ut tempore duplo,
Semiſonans iſtæc, pariterque & muta cohærens,
Correptam retro nequeant augere trochæi.
Nam niſi vocalis producta ſequatur utraſque
Tertia, quas dixi, nullum poterunt dare tempus.
Scire etenim quum dico, & ſtare *ſpumeus amnis*.
Tertia vocalis producta adjungitur illis,
Atque inde accipiunt vires, profuntque priori.
Si fuerit correpta, nihil præſtare valebunt,
Quum ſcapulam, ſpatium, ſtimulum, ſubjungo trochæo:
Quippe pedem primum, niſi pes comitabitur alter,
Definit eſſe caput verſus, & proſa loquela:
Pes etenim ſpeciem metri numquam facit unus:
Quia variis pedibus loquimur ſermone ſoluto:
Nec metrum facimus, quia fungimur ordine nullo.
Adde quod hic primum cernis nutare trochæum,
(Quem tantum in fini ſumunt heroica metra)
Cui ſi dactylici generis ſubjungitur alter
A geminis ortus, cui ſit quoque tertia longa,
Quum ſit dactylus ipſe ſimul quoque reddat oportet
Spondeum, pleno qui tempore ſolus egebat.
Quum correpta adeo vocalis tertia curret,
Si poſitu longa efficitur, pedis efficit orſum,
Dactylicumque parat jam rite effingere metrum,
Suggerit & tempus, quantum producta ſolebat:
Quod nos exemplis æque firmare decebit.
Unde ſciſſa coma eſt, aut unde ſpiſſa corona,

Ecce

Ecce ſtagna madent : triplici ſic ſyllaba pacto
Temporis acceſſu non tantum eſt reddita longa,
Sed dedit & vires geminis augere trochæum.
Dactylus in brevibus vocales quando ſupremas
Servabit, verbique ſimul cum fine reſiſtet,
Si pedis alterius primordia conſona & uda
Subnectent, pes incolumis, vegetuſque manebit :
Conſona ſi gemina eſt, qua proximus incipiet pes,
Cujus principium ſexta hæc (quam dico) tenebit,
Dactylus ille prior (quamvis ſermone peracto
Diſcretus, liberque pedis compage ſecundi)
Sentiet acceſſum momenti, & temporis auctum :
Exemplo verſus unius utrumque probabis.
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Stendere quum verbi finem, ſimul & pedis explet,
Nil obſtat pedis alterius modo conſona, & uda :
Syllaba ſi contra veniat, qualem modo dixi,
Temporibus vitiatus erit pes integer ante,
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere ſtrages.
Tertia ſic longa efficitur, pes creticus exit,
Vel tu finge aliud, dum talis ſyllaba detur :
Sed nullam invenies, niſi littera ſit prior iſta
Quæ ſexto præſcripta loco eſt, atque ordine earum,
Dimidium vocis quas edere diximus ante.
Syllaba difficilis, quoties correpta ſecunda
Indiget auxilio, quod tempora bina miniſtrat :
Dactylus inde magis, ſpondeus rarior exit :
Nam quum finitur vocali ſermo trochæum
Deſtituens, jam pes in dactylon ire videtur,
Inque breves geminas longam laxare ſecundam :
Spondeus quo more ſolet dare dactylon ex ſe :
Quippe ubi ſola manet verbi vocalis in imo
Et brevis hæc abſciſſa, aliam comitemque requirens,
Nullaque conſona juncta parat dare temporis auctum,
Nil jam ſpondeo videas ſupereſſe relictum :
Vel tu ruriculæ primum decurre Maronis :
Liber & *alma* Ceres, & *ferte* ſimul Dryadeſque,
Munera *veſtra* cano, tuque o cui *prima* frementem
Fudit equum magno tellus per*cuſſa* tridenti :
Ipſe nemus Tege*ææ* ſavens, ole*æque* Minerva :
Dique deæque omnes, ſtudium quibus *arva* tueri,
Quique novas, & *quique* ſatis, & *quæque* ſibi mox.
Nec tibi regnandi veniat tam *dira* cupido.
Anne novum nunc *ipſe* tibi plus *parte* relinquit :
Vere novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur : & zephyro putris ſe *gleba* reſolvit.
Et quid *quæque* ferat regio, & quid *quæque* recuſet.
Bis decies, unumque ſupra, niſi fallimur, ecce
Dactylon efficiet talis (quem dico) trochæus :
Spondeum & nullum potuit dare verſibus iiſdem.
Namque etiam duplex, quæ nobis una relicta eſt,
Principium verbi quoniam proferre Latini
Non valet, & tantum vocali ſubdita currit :
Quum Græcum inciderit nomen quo poſſumus uti,
Si poſt dactylon accedat, nil tempora duplex,
Officiet, gemini poterunt quod pandere verſus :
Pontibus inſtratis conjunxit littora Xerxes,
Sanguine turbatus miſcebat littora Xanthus.
Littora pes longa conſtat brevibuſque duabus,
Tempora nec lædit duplex, quin dactylus exſtet.
Pro duplici contra gemina eſt ſi conſona, lædit :
Pontibus inſtratis conjunxit littora Sciron.
In tantum vegeta eſt, & vivida littera ſexta
Quum prior eſt, & muta loco ſubjecta ſecundo,
Arcticon idcirco ſtœchion Grecia dixit.
Sed non principium nunc nominis inchoat ipſa,
Quum duplicem reddit, ſequitur ſed pone priorem,
Quum, Xantum, Xerxem, aut Xuthum & talia pono.
Nam ξ quod Græcis commune videmur habere,
Κάππα & σῖγμα facit, non σῖγμα & κάππα ſecundo,
Nec ſonus ex illis idem, nec littera prima,
Quæ quum mutatur, mutatur origo ſonandi.
Sic Ξέρξης duplicem præſtat : Σκείρων aliquid plus,
Ut ſupra oſtendi, quum ſcire, & ſcribere curat,
Vel ſcutum, ſputum, ſpumas, aut ſtamina dixi.
Imo velim ſpectes, quam multa occaſio detur,
Quum remanet nutans etiam, dubiuſque trochæus :
Dactylus ut crebro, ſpondeus rarior extet.
Syllaba vocali quando eſt finita ſecunda,
Tertia vocalem ſi ſubjicit, hiſcere credas.
Eſt tamen exemplum vocalis conſona ſi fit,
Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni.
Vocalem mediam ſi conſona ſuſcipit una,
Dactylus incolumi conſtabit lege, ſonoque,
Ante tibi eoæ Atlantides abſcondantur.
Conſona ſi mediam determinat, altera porro
Vocalem adnectit, ſimili pes lege probatur :
Venit & upilio, tardi venere bubulci.
Si mediam vocalis habet, quam conſona & uda
Excipiunt, nequeunt geminæ vexare priorem :
Unde tremor terris, aut hoc percuſſa tridenti,
Dactylus efficitur : nam longa eſt reddita prima,
Et mediam nil uda juvat, quæ ſubdita currit :
Sic manet unde brevis ſic & percuſſa tridenti.
Syllaba ſi contra, fortiſque & vivida detur,
Unde ſcire potes, percuſſa ſpumat arena :
Reddet ſpondeos juſta ratione locatos.
Nec modo quia verbo finem facit *unde*, putato
Sic cecidiſſe, magis ſermone notabis in uno
Congruere, ut caſſæ pariter ſint conſona & uda :
Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas :
Et *duplices* mediam non poſſint reddere longam.
Perſpicis, udarum quamvis modo fiat inanis,
Subjectæ quoties & juris ſunt alieni.
Hoc & diverſa melius ratione patebit,
Vocalis mediæ nam quando reſidet in udam,
Tertiaque adcedens ſimilem geminaverit udam,
Spondeus plenus reddetur temporibus pes :
Attollitque animos Pœnorum, qualis in arvis,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.
Nec non vocalis primæ ſi quamlibet udam
Contineat, venienſque aliam ſubjecerit udam,
Præpoſitam longæ, ſpondeon cernimus edi :
Pallenen, hunc & nymphæ veneramur, & ipſæ :
Tyrrhenas i ſterne acies, tege pace Latinos.
Si fuerit correpta ſequens & tertia talis
Jungenda eſt, pes ſic geminis fit dactylus udis,
Spondeum qualem geminæ fecere priores :
Palladia gaudet ſilva vivacis olivæ :
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.
Cur tantum valeant udæ, modo reddita cauſa eſt,
Conſona quia vis eſt illis nunc libera, namque
L. R. Utraque complexu alterius, nec ſubdita currit,
Inter vocales poſitas nam cernimus ambas.
L. quatuor udarum primam quartamque videmus R.
In pedibus varias effingere poſſe figuras :
M. Uda ſecunda ſed his, & tertia diſſimiles ſunt. N.
Conſona nulla poteſt quoniam ſociare ſecundam
Sermone in noſtro, ſicut poſitum ante tenemus.
Tertia non aliter mutæ ſubjungitur uni,
Quam quoties Cneum, Gnatum, Gnatumque loquemur

Syl-

Syllaba dum primas habeat, geminiſque creetur.
Has etiam geminas pedibus ſimiles dare formas
Invenies, geminæ quod prima & quarta dedere:
Talia flammato ſecum Dea corde volutans.
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Tam multa in tectis: una cum gente tot annos.
Dactylus hinc etiam reddetur talis, ut illic,
Quem mea carminibus meruiſſet fiſtula caprum?
Annuus exactis completur menſibus orbis.
Nec non & mutas geminas componere poſſis,
Obba, & Tucca velut, muris velut additur agger,
Oppius advenit, comes eſt quoque Tettius illi.
Uda igitur numquam præbebit ſubdita tempus,
Præbebit verbo deprenſa, aut nomine eodem:
Replet quum dico, ſubjecta eſt uvida mutæ,
Atlas ut Græca, ſic profero voce Latina.
M. Uda ſecunda utinam noſtra ſic voce ſederet,
Exemplo ſat erit qui dixit membra Pyracmon,
N. Tertia tum cygnus: ſed quarta frequentior his eſt. R.
Nam mutis docui ſubjectam hanc omnibus eſſe R.
Fabritium dixit, Sacrum, qui limite quadret,
Agricola, & vepres, dixit ſaliere per utres:
Tempora ſic præbent udæ quum ſubjiciuntur.
Si pars ſermonis perſtat, nec fine trochæi
Finitur, geminæ præbebunt tempora mutæ,
Quæ ſecum jungi poſſunt, ut diximus ante.
Si qua prior ſeu poſterior correpta locatur,
Sermonis dixi, non hanc pedis eſſe priorem,
Quum prior eſt: duplici exemplo contentus abito:
Et genus inviſum, & rapti, prior hic brevis eſt *ra*,
Longa fit a geminis, quas proxima ſyllaba præbet:
Ejuſdem verbi, nam p ſequitur, ſimul & t.
Quam facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto,
Pro geminis duplicem recte ſubjungere poſſis.
Sic reddunt longas, quod dudum poſſe negavi,
Finitur quoniam pleno tunc ſermo trochæo.
Nunc ſermo incolumis ſibi vires ipſe miniſtrat,
Vivida nec præſto eſt toties tibi, littera nota:
At quoties correpta ſequens eſt ſyllaba, poſſe
Spondeum fieri, ſi ſyllaba tertia tales
Subſtituat geminas, exempla tibi totidem do:
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto:
Nunc illa exceptum: correptas cernimus ambas
Sermonum voces poſitas in parte ſequenti.
Sed tamen has etiam reddet tibi ſyllaba longas
Tertia, quæ geminis conſtat ſubjecta ſonoris,
Quia ſermo ipſe manet, nulloque eſt fine reciſus.
Forſitan hunc aliquis verboſum dicere librum
Non dubitet: forſan multo præſtantior alter
Pauca reperta putet, quum plura invenerit ipſe.
Deſes & impatiens nimis hæc obſcura putabit:
Pro captu lectoris habent ſua fata libelli.
Sed me judicii non pœnitet: hæc bene vobis
Commiſi, quibus eſt amor & prudentia juxta:
Et labor in ſtudiis ſemper celebratus inhæret:
Vos ſequar, in veſtro ſatis eſt examine cautum.
Hæc ego conſcripſi bis quinis menſibus æger:
Pendebam ambiguum trutina ſub judice corpus:
Alterutrum nutans, & neutro pondere fidens:
Nam neque mors avide nigros pandebat hiatus:
Nec vitam forti retinebant ſtamine Parcæ.
Sic varios tam longa dies renovando dolores
Duxit ad hoc tempus, ſemper fine fine minando,
Quam potui tamen obrepens incœpta peregi:
Quo vitæ dubius, vel ſic vixiſſe viderer.

Carmen trochaicum Catalecticum quadratum.

De Voce.

Nulla vox humana conſtat abſque ſeptem litteris,
Rite vocales vocavit quas magiſtra Græcia:
Quidquid audis præter iſtas, pars ſoni, non vox erit.
Quinque contenta eſt figuris Romuli latinitas.
H & ω longas enim nos non habemus litteras,
Nec breves ſemper vocamus his duas contrarias.
Ceteras tres quæ ſuperſunt dichronas cognominant:
Corripi quod ſæpe eadem, ſæpe produci valent.
Porro cunctas noſter uſus quinque vocales ſuas
Corripit quod nunc eaſdem, nunc eaſdem protrahit,
Utitur longis, & iiſdem brevibus æque fungitur:
Nec brevem ſemper requirit, ſæpe aut quæ longa ſit:
Omnibus ſed quinque ſemper utitur ceu dichronis:
In brevi ſed tempus unum eſt: bina longæ poſſident.

De Syllabis.

Una vocalis jugata conſonanti, aut pluribus,
Syllabam reddat neceſſe eſt: ſyllabam Græci vocant,
Ore quod ſimul profectæ copulant unum ſonum:
Vinculum nam ſignat iſta congregale dictio.
Et tamen vocalis una quando pars ſermonis eſt,
Syllabam dici neceſſe eſt, quum ſit una littera.

De poſitione, & diphthongo longis.

Quum brevis duas habebit adjacentes conſonas,
Sive ſecum, vel ſequenti copulatas ſyllabæ,
Singulæ vel dividentur, longa fiet e brevi,
Non ſecus, producta quam ſi temporis dupli foret.
Nec minus longam probamus, una quum duplex erit,
Quia duarum conſonantum vim ſuo præbet ſono.
Vel gemellis cum jugamus ſyllabam vocalibus.
Miſceant ſonum neceſſe eſt, jure diſtant temporum.
E & U ſimul junctæ, vel cum alterutra ſingulæ,
Quæ ſolent coire diphthongo, creabunt longulam.
I & U non hoc valebunt, ſive præſint alteri,
Vel ſibi quum copulantur: quia prior fit conſonans,
Illa quæ remanſit inde, tempus unius tenet,
Sive duplum: quantum & omnis quando producta eſt habet.
O cum E tantum jugatæ, longa ſemper ſyllaba eſt:
Quum duas ſermonis uſus comprehendit ſyllabas.
Hoc ut exemplis probemus, reſque ut omnis clara ſit,
Ante quæ natura, quæque ratio ſit dicam pedum.
Sed prius nitar docere ſimplices quos nominant:
Una vis quod ſyllabarum eſt, quando binos ſcandimus.
Ergo quum duas videbis eſſe vinctas ſyllabas,
Effici pedem neceſſe eſt, ſint breves ambæ licet.
Una longa non valebit edere ex ſeſe pedem:
Ictibus quia fit duobus, non gemello tempore.
Brevis utrimque ſit licebit: bis feriri convenit:
Parte nam attollit ſonorem, parte reliqua deprimit.

De Arſi & Theſi.

Ἄρσιν hanc Græci vocarunt, alteram contra θέσιν
Una porro his feriri quando poterit ſyllaba:
Temporum momenta ſane lege certa dividunt,
Seu duas pes quiſque juget, ſive plures ſyllabas.
Aut enim quantum eſt in ἄρσει, tantum erit tempus θέσει.
Altera aut ſimplo viciſſim temporis duplum dabit:

Seſcu-

Seſquiplo vel una vincet alterius ſingulum :
Quidquid iſtis diſcrepabit, abſonum reddet melos.
Latius tractant magiſtri Rhythmici, vel Muſici :
Nos viam metri ſtudemus parte ab aliqua pandere.
Ergo quum reddenda rurſus hæc erit diſtinctio,
Quæ pedum natura poſcet, ſatis habebo attingere.
Nunc pedes accedo primos, quos vocant diſſyllabos :

DE PEDIBUS DISSYLLABIS :

Primus ille eſt jure primus, ἡγεμὼν qui dictus eſt,
Author & ductor melorum, qui duas breves habet :
Ante enim breve eſt creatum, redditum longum dein :
Sicut unum numerus ante, quam ſecundum prodidit :
Ergo princeps jure natura repertus dicitur :
Ante quem non eſt creatus : quem ſequuntur cæteri.
Διβραχυν dixere Græci, quod ſit ambabus brevis,
Πυῤῥίχιος idem vocatur, quippe & aptus pyrrhichæ :
Tam cito motu recurſat, quam breves, hi ſunt ſoni,
Tertium detrecto nomen, lege nam metri vetor,
Παριαμβος namque dicunt, ſi probaris ἔλτατιν,
Ars vetat primæ negare ſpatia bina ſyllabæ.
Reddere autem pedibus iiſdem plura cogor nomina,
Ne quis erret, ſi quando nomen aliud alibi invenerit,
Ac putet pigrum, vel artis uſque ad iſta neſcium,
Hujus exemplum videbis eſſe quum dices *bonor*.
Eſt huic adverſus ille, qui duas longas habet,
Syllabis compar priori, temporis duplum merens.
Qui quod in templis canorus, a ſono vocis malæ
Auribus libantis obſtat, & ſavet, σπονδεῖος eſt.
Hunc ſonabis, ſive reges, ſive cives dixeris.
Verum uterque quantum in ἄρσει, tantum habebit in
θέσει.
Temporum menſura diſpar, lex ſoni communis eſt,
Qui brevem primam tenebit, deinde longam ſyllabam,
Erit ἴαμβος pes virilis, acer, & raptim citus.
Nec minus currit τροχαῖος lege verſa temporum :
Syllaba longus priore, parcior noviſſima :
Χορεῖος idem nuncupatur a magiſtris plurimis :
Terna rite partientur ambo vicibus tempora.
Ἄρσις unum poſſidebit, quando ἴαμβον partior :
Fiat alternum neceſſe eſt, quum τροχαῖον divides :
Vis ἴαμβον? dic *parens*. vis tu τροχαῖον? *Roma* dic.
Hactenus viciſſitudo vertitur διϛυλλάβων :
Nam quater reciprocantur numerus & tempus duplex.

De octo pedibus triſyllabis.

Octo porro procreantur, quos vocant τριϛυλλάβους.
Τρίβραχυν primo loquemur, tunc ſequentur cæteri :
Ut pedes ſibi recurſent temporum adverſi vice :
Namque huic adverſus ibit, qui tribus longis patet ;
Hunc μολοσσὸν nominarunt, hunc & ἱππεῖον vocant,
Temporum tria ille habebit, iſte duplo tenditur :
Quæ tamen quum partieris, ſimpla duplis reddito.
Forma talis eſt minoris, *anima* quando dicimus.
Hic trilongus tunc ſonabit, quando *Romanos* loquor.
Qui breves primas habebit, atque longam tertiam,
Is erit ἀνάπαιϛος, vides quot iſte pes ſit temporum,
Verſus hic nuſquam vacillat : hoc ſuo reddam loco,
Hujus exemplum tenebis, quando *populos* nominas.
Δάκτυλον poſt hunc loquemur, nam priori adverſus eſt.
Ordinis ſitu repugnans, temporum conſors modo.
Nam breves longam ſequuntur, quando dico *Romulus*.
Horum utrumque tempus æquum librat ἄρσιν cum
θέσει.
Quum duas longas ſequetur una brevior ſyllaba,
Pes erit βακχεῖος, ἀντίβακχος autem tunc erit,
Quum brevem primam locabis, & duas longas dein :
Nomina aut vertes viciſſim, quum priorem dixeris
Ἀντίβακχον, nominato qui redit contrarius.
Temporum menſura par eſt, bina ternis appara,
Ut pedum natura poſcet ante, vel retro brevem,
Forma ut eſt *Romanus* illi, ſic *Catones* alteri.
Septimum pedem loquemur, quem vocant ἀμφίβραχυν,
Quum duæ breves utrimque, media longa ponitur :
Quale ſi velis *amœnus*, aut *amicus* dicere.
Ἄρσις hinc ſumat neceſſe eſt tria priora tempora,
Et θέσει relinquat unum : vel licet vertas retro,
Ἄρσις uno ſublevetur, deprimant θέσιν tria,
Par pari figura non eſt, pugnat unum cum tribus.
Nec modum dupli rependit, nec tenetur ſeſquiplo.
Exigunt idcirco talem qui ſequuntur muſicam.
Pes adeſt ſupremus unus octo de triſyllabis :
Ἀμφίμακρος, hunc priori perſpicis contrarium :
Nam duæ longæ receptam continent intus brevem :
Romulos ſi nominemus *Appulos*, aut *Doricos*.
Seſquiplo metimur iſtum, quinque nam ſunt tempora
Nam duo ante, tria ſequuntur, nunc tribus reddes duo
Italum ſi quando mutat Graius accentus ſonum,
Appulos nam quando dico, tunc in ἄρσει ſunt duo,
Σωκράτην Grajus loquendo reddet in θέσει duo.
Creticum appellant eundem, forte Creticum genus
Quomodo ludos ſub armis congruentes ſuccinat.
Primus iſte pes locatur his ubique in verſibus,
Optimus pes & melodis, & pedeſtri gloriæ :
Plurimum orantes decebit, quando pene in ultimo
Obtinet ſedem. beatam terminet ſi clauſulam
Δάκτυλος, σπονδεῖος, imam, nec τροχαῖον reſpu
Bacchicos utroſque fugito, nec repellas τρίβραχυν.
Nam ſolet longam τροχαῖος ſolvere in duas breves :
Unde & appellant τροχαῖον, quem vocamus τρίβραχυ
Plenius tractatur iſtud arte proſa rhetorum.
Nec minus frequens ἴαμβος τρίβραχυν ex ſe procreat :
Solvit & σπονδεῖος unam quum propagat δάκτυλο,
Quum prior ſolvetur, edet dactylo contrarium.
Ἀμφίμακρος ſæpe primam, ſæpe ſolvit tertiam :
Quin & ambas ſæpe ſolvens, quinque componit breves
Verſus eſt ut ille noſter, quem probare debeo :
Regulam reddemus omnem debito metri loco.
Nulla enim non longa ſolvi per duas breves poteſt :
Dum ſuo pedi reſervet præſtituta tempora,
Syllabarum nil nocebit longior progreſſio.

Carmen ſotadicum ſeu ionicum a majore de duplicibus pedibus.

Nunc incipiam bis geminos pedes referre,
Quaſi ſi repetam (quos docui διϛυλλάβους jam :

Unum ut faciant duo pariter pedes jugati.
Προκελευσματικὸς primus erit, breves habebit
Hic quatuor omnes: duo quia ſunt pariambi,
Hunc efficiet Minutius ut quis vocitetur.
Verſum dabo, quo regula nota fiat omnis.

Anapæſticus verſus catalecticus.

Perit abit avipedis animula leporis.
Hunc nos pedibus ſcandere convenit iugatis:
Et trimeter erit, τρίβραχυς in fine reſiſtet:
Παρίαμβον habebit ſimul & ſemipedem imum:
Κατάληξις enim dicitur ea clauſula verſus,
Detracta ſit ut quarta pedi ſyllaba quarto,
Quam ſyllaba, vel pes numeri datus minoris
Ita terminat, ut diſcrepet id quod inde præſtat.
Adverſus huic, tempora bis quaterna ſumet,
Διπόνδιος hic dicitur, ecce nomine ipſo
Debent duplici tempora ſinguli quaterna.
Rhythmis magis hic jugiter invenitur aptus,
Anapæſtica nec non variantur inde metra,
Quaſi ſi duo ſint tempora, quia quaterna reddunt.
Quum prima brevis, longa dein, tertia longa,
Poſt quarta brevis ſyllaba continebit omnes,
Hunc promit ἴαμβος, geminum facit τροχαῖος,
Pes nomen habebit, quod in hoc referre metro
Longæ prohibent ordine tres ſimul locatæ.

Carmen heroicum.

Αντίσπαςον enim mage lex heroica promet.

Ionicum a majore.

Eſt forma Tarentina velut mœnia dicas.
Claudunt medias quando breves utrimque longæ,
Eſt ante τροχαῖος, ſequitur dehinc ἴαμβος,
Idcirco gemellum vocitarunt χορίαμβον,
Nam qui χόριος dicitur, & τροχαῖος idem eſt.
Exemplar in iſto facile eſt locare verſu,
Si Romulidas dicere quis velit Quirites.
Sin prima brevis, longa ſequens, itemque rurſus
Sibi conſimiles ordine quo duas locavi,
Hunc rite vocant (quia geminatur) διίαμβον,
Duplicemque τροχαῖον vocitarunt διτρόχαιον.
Eſt forma prioris, quaſi ſi Corinthios quis,
Itidemque ſequentis, quaſi Gallicane dicat,
Nunc reddo duos nomine quos Ιωνας ambos
Diſcrimine ſignant, dedit ordo quod locorum.
Longas ſiquidem quando prius locamus ambas,
Ac deinde breves ſubdimus, ut putes priorem
Σπονδεῖον oriri, comitem mox παρίαμβον,
Απὸ μείζονος illum memorant Jonicorum.
At qui brevibus præpoſitis, deinde longas
Acceperit, ἀπ' ἐλάσσονος hunc jubent vocari:
Nomen tibi quid deligo, quo notes priorem,
Cum verſibus iſtis toties recurrat hic pes,
Longas geminat qui prius & jugat minores?
Lavinia quum dicimus, hæc tamen figura eſt.
Metrumque facit Σωταδικὸν quod vocitarunt,
Quia multa ferunt hoc pede Σωτάδην locutum.
Απ' ἐλάσσονος autem cui nomen indiderunt,
In nomine ſic eſt Διομήδης. μέτρον autem
Non verſibus iſtud, numero aut pedum coarctant,
Sed continuo carmine quia pedes gemelli
Urgent brevibus (tot numero jugando) longas,
Idcirco vocari voluerunt συνάφειαν.
Anapæſtica fiunt itidem per συνάφειαν:
Verſus tamen & non minus inde comparatur,
Qui ſæpe pedes tres habeat, vel ille plures,
Καταληκτικὰ quos ſyllaba terminat: frequenter
Solet integer anapæſtus & in fine locari.
Απ' ἐλάσσονος umquam numero non cohibetur,
Senſum quoties terminat, aut carmina finit.
Longas ratio eſt ponere, non breves in imo,
Pes integer ut ſit geminus, ſimulque in aure
Dulcem ſonitum tempora longiora linquant.
Απὸ μείζονος autem brevior quod eſt ſecundis,
Verſus male ne deſinat, adhibentur in imo
Quas prima pedis portio longas habet ambas.
Ita verſus erit de tribus, & ſemipede uno:
Tres dico jugatos fieri, & ſemipedem unum.
Ut pæonici nominis ambo ſint quaterni,
Is primus erit, longa cui locata prima eſt,
Quam continuo tres aliæ breves ſequentur:
Tu pone τροχαῖον prius, & mox παρίαμβον,
Cæcilius erit conſimilis pedis figuræ.
Παίωνα ſecundum faciet ſecunda longa.
Hinc fiet ἴαμβος prior, & δίβραχυς alter,
Dicat quaſi ſi quis magis hunc Horatius vult.
Hoc ordine ſit tertius, ut ſit παρίαμβος
Prior, & ſocium poſt ſibi copulet τροχαῖον:
Menelaus ei nomen erit ſimile locatum.
Quartum quoniam quarta facit ſyllaba longa,
Subjungit ἴαμβον prior hic pes παρίαμβος:
Apto ſimiles nomine Pelopidæ ſonabunt.
Et ἐπίτριτος æque genus eſt pæonicorum,
Totidem pedibus quia varius, tempore differt:
Septena etenim tempora ſingula tenebunt:
Quum pæonici poſſideant quina priores.
Quum prima brevis ſyllaba, longæ veniunt tres,
Hic primus habetur, pedibuſque poſt ſecutis
Ex ordine ſunt nomina, quem breves tenebunt.
Σπονδεῖος ἴαμβον ſequitur quando priorem,
Si prima brevis, ἐπίτριτος hic primus habetur.
Migrante brevi conſequitur pedem τροχαῖον:
Idcirco ſecundus vocitatur alter hic pes,
Ut tertius ille eſt, brevis ubi tertia currit:
Σπονδεῖος in hoc ſit prior, eſt ſequens ἴαμβος.
Idemque manet, quum faciet quarto τροχαῖον,
Quartum quoniam perſpicis hunc ἐπίτριτον eſſe,
Verſus ſimiles non finit hic dari figuras,
Ut quibo tamen diſparili notabo metro.

Carmen ex bucolica cæſura & parte Phalecii, Acron archilocum vocat.

Primus agillinos pes efficit alter Αρχιμήδην.

Iambicum trimetrum acatalecticum.

Δημοσθένης ſit tertius: quarto loco

Heroicum.

Qui currit poterit quaſi Δωδωναῖος haberi:
Ἄρτιν quoties in geminis θέτινve quæres,
Sex æqua pedes tempora dividant oportet:
Binas pariles qui ſibi ſyllabas habebunt:
Προκελευσματικὸς bina dabit, ſequens quaterna.
Qui ſena tenent tempora, terna partientur.
At quando genus funditur hoc Ionicorum:
Longis dare nos tempora convenit quaterna:
Et bina duabus brevibus dari neceſſe eſt.
Servare vices admonet ordo longiorum:
Impar numerus pæonicis utriſque coget
Aptare duobus tria, vel quaterna ternis:
Seſcupla fere quod numeros pars ſecat iſtos.
Perſpecta pedum regula ſi ſatis videtur,
Jam poſſumus ipſis animum applicare metris.

DE METRIS LIBER.

Carmen heroicum & iambicum trimetrum alterna.

HExametros tradit genitos duo prima vetuſtas,
  Herous ille eſt, hunc vocant Iambicum:
Nam pedibus ſenis conſtare videmus utrumque:
  Diverſa quamquam lex ſit ambobus pedum.
Additur hæc gemino non abſona fabula metro:
  Seu vera res eſt, ſpectet authorem fides.
Quum puer infeſtis premeret Pythona ſagittis
  Apollo, Delphici feruntur adcolæ
Hortantes acuiſſe animum bellantis: ut illos
  Metus habebat, aut propinqua adorea,
Tendebat geminas pavida exclamatio voces,
  Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν.
Spondeis illum primo natum cernis ſex.
  Ex parte voces concitas læti dabant,
Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν.
  Et hinc pedum tot ortus eſt iambicus.
Hæc ſibi quæque prius diſtinguere metra paramus:
  Heroa primo, mox adire iambica:
Alternæ ne quem impediat confuſio ſilvæ.
  Quæ lex ſit ipſis, quæ ſit his, quæ procreant,
Partibus adjectis, detractis quæ varientur
  Poſt hinc: deinde quanta compages novos
Alternet, varietque modos: mutatio quantum
  Commendet, etſi non valebo plurima,
Attingam vel pauca tamen: nam pendere prima
  Prodeſt frequenter artium veſtigia.
Vim propriam pedibus fida cito reddito mente,
  Ne dum requiris, tarda ſit deſpectio.
Spondeus (verſum quo primum diximus ortum
  Heroon) hexametris tuetur vim ſuam.
Nomine nunc proprio, nunc debita tempora reddens
  Sub alterius conſonat vocabulo.
Et geminis longam ſolvet ſi quando ſequentem,
  Fit dactylus, triſſyllabis tempus manet.
Si prior in geminas ſolvetur longa minores,
  Tum pes recurrit dactylo contrarius:
Tempora ſed quamquam totidem defendat uterque,
  Heroa ſiunt pulchriora dactylo.
Hæc contra vitia ut incurrentes anapæſti,
  Poſt dactylum ne quatuor jungas breves,
Poſt ſpondeum autem veniens, ſic mutet oportet,
  Ut iſte verſus jam docet legem metri.
Ergo ſpondeus plerumque in dactylon ibit,
  Nec intereſt vel quo loco, vel quam frequens.
Nam ſæpe alterni, gemini nunc, ſæpius alter,
  Species reformant plurimas in verſibus,
Quas longum credo perſcribere, quum ſibi cunctas
  Legendo poſſit adnotare quilibet.
Hoc ſat erit monuiſſe, locis quod quinque frequenter
  Jugem videmus inveniri dactylum.
Sed non & ſextum pes hic ſibi vindicat umquam,
  Niſi quando rhythmum, non metrum componimus.
Namque metrum certique pedes, numeruſque coercent:
  Dimenſa rhythmum continet lex temporum.
Spondeus partem ſemper ſibi vendicat imam:
  Dat & trochæo qua diſſyllabo locum.
Nec damnum importat, tria qui ſua tempora ſubdit,
  Quæ quatuor ſpondeus impleret magis.
Debita nam ſpatii recipit quaſi tempora verſus,
  Dum jungit imis conſequens exordium.
Omnibus in meritis hoc jam retinere memento.
  In fine non obeſſe pro longa brevem.
Præterea pes nullus erit quin rite locetur,
  Laudem mereri ſi voles poeticam.
Hexametron dicunt, ſed non heroicon omnem:
  Nam ſex pedes ineſſe non erit ſatis.
Leges quippe datas heroica carmina poſcunt.
  Queis acta Homerus heroum quum ſcriberet,
Verſibus oſtendit: quas æque ſermo Latinus
  Cuſtodit omnes, & pedes ſolos probat,
Quos ſupra poſui: Græcis & creticus aptus,
  Bacchius etiam ponitur pro dactylo.
Creticus in noſtris, ſi lævia carmina pangas,
  Raro invenitur: qualis hic Maronis eſt.
Inſulæ Ionio in magno quas dira Celæno.
  Creticus offendit pes primus, & asperat aures,
Dabo & latentem, ſed notandum creticum,
Solus hic inflexit ſenſus, nam primus & iſtic
  Pes longiorem tertiam dat ſyllabam:
C c geminum quoniam ſermonis regula poſcit,
  Ut fiat: hicce plena vox (excluditur
Vocalis) dabitur: nec conſona pellitur ulla:
  Niſi quæ duabus obſtat una vocibus.
Quum venit in medium, voceſque oblimat adhærens;
  Biſſenus iſtam literam monſtrat locus.
Aut geminum in tali pronomine ſi fugimus c c,
  Spondeus ille non erit, qui talis eſt:
Hoc illud germana fuit; ſed &, hoc erat alma:
  Iambus ille fiet, iſte tribrachus.
Has autem leges heroicus omnis habebit:
  Quum poſt duos pedes relicta ſyllaba eſt,
Si plenum abſolvet verbi, vel nominis inſtar,
  Orationis iſta vel quæ pars erit:
Hoc πενθημιμερὲς medium de quinque vocatur:
  Hanc & tomen dixere: forma talis eſt,
Tityre tu patulæ, concludit ſyllaba nomen,
  Duos pedes ſecuta, quæ ſit ſemipes.
Talis in heroo laudatur regula verſu,
  Locumque primum poſſidet, quia prima ſit.
Nec minus hanc laudant quæ dat menſura ſecundam,
  Poſt tres pedes ut una nomen terminet:
Hanc ἑφθημιμερῆν numeri de parte vocarunt,
  Quia tres pedes & una, ſeptem dividunt:
Inde toro pater Æneas, exemplar habebis:
  Poſt tres pedes reperta, nomen integrat.

Ho

Horum ſi nihil eſt, ſpecta ne forte trochæus
  Sit tertius, finemque dat vocabulo :
Infandum regina, datur locus ecce trochæo,
  Quem poſt duos pedes, videmus tertium.
Nec vitium medio in verſu deprenſus habebit,
  Quem dactylum ſecuta faciet ſyllaba :
Nam ſequitur *regina jubes* : prior inde trochæum
  Ju, brevis ſecuta reddit dactylum.
Bes hinc quæ remanet, connectit cetera verſus
  Membra : at trochæus tantum erit noviſſimus.
Et quartum tradunt ſimili ratione trochæum :
  Exemplum at ejus vix ſed ipſi conlocant :
Namque ex prædictis pene eſt, ut regula quævis
  Inventa verſum comprobet : quem (ſi vacet)
Quandoque ut quartum contingat habere trochæum,
  Exemplar ejus tale confici poteſt :
Quæ pax longa remiſerat, arma novare parabant :
  Quartus trochæus *arma* fit, rarum eſt tamen.
Harum ſi nulla eſt ſpecies deprenſa, magiſtri
  Verſum recuſant, nec vocant heroicum.
Sed fortaſſe putes nullum contingere verſum,
  Quin ullam earum in regulam non incidat :
Rarum concedam, fieri non poſſe negabo :
  Apud Maronem talis incurrit mihi,
Magnanimi Jovis ingratum aſcendere cubile :
  Species in iſtum nulla prædicta incidit.
Magnanimi Jovis, eſt etenim tantum geminus pes :
  Sequiturque nullus qui probatur ſemipes :
Inde duas longas pes tertius efficit *ingra*,
  Orationis plena nec pars editur.
Et quartus *t' aſcen* nec portio plena relicta eſt :
  Et *de* ſequens longam priorem perficit.
Quintum nulla jubet lex obſervare trochæum :
  Nec eſt notandus unus in tot millibus.
Hæ faciunt formæ variari plurima metra :
  Quæ potero tangam, tu mihi leges tene.

DE METRIS.

De pentametro verſu, qui & elegiacus dicitur.

Pentametrum dubitant quis primus finxerit author,
  Quidam non dubitant dicere Callinoum.
Hexametro quum quinque pedum ſubjungitur iſte,
  Partes heroi dupliciter recipit,
Quas πενθημιμερὴς poſſit disjungere forma :
  Has ſi quis geminet, pentametrum faciet.
Sed refert duo ſint, an dactylus unus in illa :
  Quum duo ſunt, eadem bis repeti poterit.
Subjungam exemplum, quo fiat planius iſtud :
  Deſine Mænalios, deſine Mænalios.
Dactylus ut duplex, non bis ſententia currat :
  Deſine Mænalios, Muſa referre jocos :
Hoc nec præpoſitum peccat, nec parte ſequenti :
  Talis utrique loco convenit una tome.
Si primo ſpondeus erit, tum dactylus alter
  Stabit, comma prius non poterit repeti.
Talis erit verſus hæc portio, quam modo tracto :
  Poſtquam res Aſiæ, claudicat ut repetis.
Ut ſtet comma ſequens, bis dactylus adſit oportet,
  Poſtquam res Aſiæ, deſine Mænalios.
Dactylus in primo poſitus, ſpondeus adhærens
  Non oberit primis, officiet reliquis.
Exemplum ponam, parti quod congruat iſti :
  Muſa mihi cauſſas, diſcrepat hoc iterum.
Dactylus ergo duplex redeat mihi parte ſequenti.
  Muſa mihi cauſſas, deſine Mænalios.
Spondeum duplicem quæ pars prior eſt, bene ſumet :
  Peccat enim tantum poſteriore tome.
Spondeos ante ergo dabis, pars cætera curret :
  O fortunati, deſine Mænalios.
Pars prior ergo pedum admittet quemcumque duorum,
  Dactylus in reliqua bis repetendus erit.
Scandunt pentametrum (duo ſint quaſi commata) quidam
  Ut pedibus binis ſemipedes ſuperent :
Hos ſibi conjunctos ſpondeum reddere quintum :
  Poſtquam res Aſiæ, deſine Mænalios.
At quidam in medio ſpondeum reddere malunt,
  Semipedem & primum cum capite alterius
Jungunt, dactylico quæ fit de commate, longa :
  Inde duas promptum eſt ſic remanere breves :
His longam adnectunt, qua dactylus incipit alter :
  Cernis & hinc alias tot remanere breves :
Has ad ſemipedem jungunt in fine relictum.
  Ultima nec refert longa ſit, anne brevis.
Sic ſpondeus erit medius, duo poſt anapæſti :
  Poſtquam res Aſiæ, deſine Mænalios.
Idcirco primo curabis commate ſemper,
  Ne brevis incurrens ſyllaba ſemipedis,
Spondeum mediis nequeat conjungere longis :
  Et fiat talis, incipe Mænalios :
Nam *lis* quæ brevis eſt, jungat ſibi ſive ſupremam
  Os, vel quæ prima eſt, *in* : caput hoc etenim eſt.
Quia nec producta eſt, geminat nec conſona vires :
  Spondeus minime pes, ſed iambus erit.
Exemplum idcirco vocali a parte locavi.
  Longa foret ne *lis incipe Menalios*.
Quidam (quia gemino conſtat de commate verſus)
  Cludere comma prius non timuere brevi :
Ut ſit pentameter talis, qualem modo fingo,
  Hoc mihi tam grande munus habere datur :
Aut qualis ſupra verſus peccare videtur.
  Si fiet talis, incipe Mænalios :
Namque referre nihil, ſit qualis ſyllaba fini,
  Commataque hoc ipſum juris habere volunt :
Idcirco & verbo numquam uno cola ligari,
  Ut conſtet parti finis utrique ſuus.
Nam vitioſus erit ſic pentameter generatus,
  Inter noſtros gentilis oberrat equus :
Spondei duo ſunt, quos dixi commate primo
  Poſſe dari : verum ſyllaba quæ ſequitur
Nec πενθημιμερὴν verbi cum fine relinquit :
  Quæ data pentametris regula prima ſonis :
Nec poſt, dactylico debet quæ commate jungi,
  Eſſe caput verſus dactylici pariter.
Hoc ipſum melius mutata parte coibit,
  Gentilis noſtros inter oberrat equus.
Tantam noſtra nequit menſura abſolvere litem :
  Malo tamen longa cludere comma prius.
Hos elegos dixere, ſolet quod clauſula talis
  Triſtibus (ut tradunt) aptior eſſe modis.

De epodo, qui & ſemielegiacus.

Nec tantum hexametris geminam ſubjungere partem
  Dactylicam mos eſt : ſæpe ſemel poſita,
Præmiſſo hexametro dulcem ſubnectit epodon :
  Talis epodus erit.
Tibia docta precor tandem mihi dicere verſus
  Deſine Mænalios.

Hoc doctum Archilochum tradunt genuiſſe magiſtri:
Tu mihi Flacce ſat es,
Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribuſque comæ.

De Anapæſtico verſu catalectico ex ſecunda parte heroici.

Cætera pars ſupereſt mea tibia dicere verſus.
Hæc juncta frequentius edet
Anapæſtica dulcia metra.
Cuicumque libebit ita iſtos
Triplices dare ſic anapæſtos,
Atque ille poeta phaliſcus,
Quum ludrica carmina pangit:
Uva uva ſum & uva ſalerna:
Et ter feror, & quatuor anno.
Libro quoque dixit eodem.
Unde unde colonus eoæ
A flumine venit Oronti.
Erit ultima ſyllaba poſt tres,
Catalectica quæ perhibetur.
Nec non alias quoque binas,
Et tres ſuperare ſolere.
Pes ſit licet integer ipſe,
Si non hunc regula poſcet:
Catalecticon hoc genus omne,
Et ſemipedem vocitari,
Supra quoque jam meminiſti.
Mirum tibi nec videatur
Spondeon ineſſe anapæſtis:
Rex, & dominus, prior, ipſe eſt:
Hic advena ſumptus, & hoſpes.
De fœdere temporis æqui,
Quoties locus expetet, ultro
Reddet ſua jura priori.

Anapæſticum junctum Ithyphallico.

Alias tamen hæc eadem pars
Quoties Ithyphallicon addit,
Metrum ſibi tale fit unum.
Mea tibia dicere verſus Deſtitit Latinos.
Jamdudum ſaucia cura, Deſerit pudorem.
Priamique evertere gentem, Fata jam parabant.
Ithyphallica porro dicarunt, Muſici poetæ:
Qui ludicra carmina Baccho, Verſibus petulcis,
Graio cum cortice phallo, Tres dabant trochæos.
Ut nomine ſit ſonus ipſo, Bacche, Bacche, Bacche:

Anapeſticum de hexametro.
Hexametrum.

Hexametrum quoties ita totum dactylus explet,
Ut nuſquam in medio, ſed ſit ſpondeus in imo,
Sive trochæus erit: quum dempta eſt ſyllaba prima:
Quæ demi poterit, reliqui fient anapæſti:
Ultimaque ex illis catalectica, quæ remanebit.
Dactylico tali facile eſt hoc noſcere verſu:
At tuba terribilem ſonitum procul ære recurvo.
At conjunctio quæ ſolida eſt quum demitur inde.

Anapæſticum.

Ea formula fiet ut eſt anapæſticus iſte:
Tuba terribilem ſonitum procul ære recurvo:

Hexametrum.

Ultima vo remanet, quia dempta eſt ſyllaba prima:
Dactylon in primo reddens, ſpondeon in imo.

Choriambicum Phalecium ex pentametro
Hexametrum.

Nec non dactylico qui commate conſtat utroque
Pentameter, metrum quod erit choriambicon edet:
Exemplum ponam, tunc fiat quatenus addam.

Pentametrum.

Nulla meo ſedeat turba profana loco.
Dactylicon colis eſſe vides geminis,
Primum ut ſemipedem poſt, detur ſyllaba longa,
Sive eſt natura, ſeu ſit ab adpoſitis,
Et quæ nunc brevis eſt, fiat penultima longa
Tempore producto, cætera permaneant?
Infere *nulla meo*, *jam*, produc pene ſupremam,
Qui locus ante fuit, locus ut eſſe queat:
Efficies metrum nomen cui dant choriambo,
Nulla meo jam ſedeat turba profana luco.
Præmonui chorion dici, quem ſæpe trochæum.

Pentametrum.

Dicimus: hic prior eſt, alter iambon habet.

Hexametrum.

Nulla meo pes efficitur geminatus utroque,
Jam ſedeat choriambus item, mox *turba profa* pes
Tertius accedit ſimilis, pars illa *na luco*
Bacchius adverſus fiet pes, nam brevis ante eſt,
Et geminæ longæ; fiet catalexis in iſtum,
Quia non ejuſdem generis deprenſus in imo eſt,
Ut docui, nec enim cludit choriambus honeſte.
Hoc Cereri metro cantaſſe Phalæcius hymnos
Dicitur, hinc metron dixere Phalæcion iſtud.
Nec non & memini pedibus quater his repetitis,
Hymnum Battiaden Phœbo cantaſſe, Jovique,
Paſtorem Branchum: quum captus amore pudico,
Fatidicas ſortes docuit depromere Pæan.
Qui multos legere, negant hoc corpore metri
Romanos aliquid veteres ſcripſiſſe poetas.
Dulcia Septimius qui ſcripſit opuſcula nuper,
Ancipitem tali cantavit carmine Janum.

Choriambicum Phalæcium.

Jane pater, Jane tuens, dive biceps, biformis,
O cate rerum ſator, o principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.
Ecce vides *ta mugiunt* eſſe duos iambos:
Temporibus namque pares ſæpe ſibi viciſſim
Cedere, vel tribrachyn admittere ſæpe poſſunt.
Tibi vetus ara caluit ab origineo ſacello:
Hic quoque ſuccedere ſic tribrachyn adnotabis,
Longa quod eſt in geminas prima breves ſoluta.
Tibi ſimilis nec minus alter a pede conſequenti
Ra ca: monui jam ſatis has ſæpe ſolere ſolvi:
Pro chorio tribrachys hic bis datus invenitur.
Nec minus hoc, *ra caluit ab origineo ſacello*
Ut chorius ſolvitur, & tribrachys eſt iambus.

Anapæſticus archebulicus.

Anapæſtus item quater, editus hexametro,
Ita clauditur ut choriambicus antibaccho.
Faciet tibi perſpicuum cito verſus idem.

Hexametrum.

Dactylus, modo qui potuit dare quinque anapæſtos.
At tuba terribilem ſonitum dedit ære recurvo.

Anapæſticus.

Anapæſtus ineſt quater, ultimus antibacchos.
Similem dabo verſiculum magis ut probetur:
Tibi naſcitur omne pecus, tibi creſcit hœdus.

Hexametron.

Prima reponatur, redeat quoque tertia fini:
Dactylus tibi qui fuerat modo, jam referetur:
Nam tibi naſcitur omne pecus, tibi creſcit & hœdus.

Anapæſticus.

Generi datur author huic vetus Archebulus.

De carmine miuro: hexametrum illibatum.

Dactylici finem verſus ſi claudat iambus,
Hoc eſt pro longa brevis ut penultima fiat.

Miurum.

Auribus acciderit novitas inopina, melius
Verſus ut hic reſonare poteſt, ita ſi cecineris:
Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite ſaturæ:
Nile pater propera, ſitiunt ſata, Nile propera,
Heus puer ut mea ſint tibi vilia carmina, vides.
Si nuſquam hoc aliquis lectum putat, ecce dabitur
Verſus homericus auſonio reſonans ita modo:
Quem μειȣ̃ρον Achaica gens vocitare ſolita eſt:
Attoniti Troes viſo ſerpente pavitant.
Livius ille vetus Graio cognomine, ſuæ
Inſerit Inonis verſu puto tale docimen:

Hexametrum illibatum, miuro præditum.

Præmiſſo heroo ſubjungit namque μειȣ̃ρον.
Hymnum quando chorus feſto canit ore Triviæ.
Et jam purpureo ſuras include cothurno,
Balteus & revocet volucres in pectore ſinus:
Preſſaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra:
Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes.
Dactylicum tamen hoc melius reſonare poterit.

Hexametrum illibatum.

Si πενθημιμερὴς talis præmiſſa, tome ſit,
Quæ primo ſpondeon habet, mox dactylon addit:
Cum poſt ſemipedem veniant duo ſine revulſi
Incolumi ſermone pedes, ſine parte priorum:
Poſtquam res Aſiæ veluti: tunc primus ab oris,

De carmine Hendecaſyllabo ex penthemimeri & dipodia dactylica.

Hendecaſyllabon phalæcion.

Fiet hendecaſyllabos, ſed alter:
Namque hic de genere eſt Phalæciorum,
Cujus mox tibi regulam loquemur,
Nunc hic talis erit verſus, ut hic eſt:

Carmen ex penthemimeri & dipodia dactylica.

Poſtquam res Aſiæ, primus ab oris.
At regina gravi ſaucia cura:
Sic fatur lacrimans, mittit habenas,
Et tandem Euboicis labitur oris:
Iſtum ſemipedem prima ſequentis
Spondeum medium reddit utrimque:
Quartus dibrachys eſt, quintus in imo
Spondeum faciet ſive trochæum.

De carmine ex dactylica hephthemimeri.

Hexametrum.

Quum autem hephthemimeres fuerit diviſio verſus,
In tragicis plerumque choris deprenditur unus
Inſertus multis non una lege creatis.
Fabula ſic Euripidis inclyta monſtrat Oreſtes:
Nam tali verſu, (cunctis trepidantibus intus)
Argivum fugiens eunuchus flagitat enſem.
Cetera nam ſimili componit lege: ſed aptos
Continuo trepidos plures connectit iambos.
Inſerit hoc æque Pomponius in choricis ſic,
Rhœtæis procul a terris: mox diſpare verſu
Subjecto, Priamique aras damnare pias: tum,
Obrue nos Danaoſque ſimul: parilem dedit illi.
Non equidem poſſum tot priſcos noſſe poetas,
Ut veterum exemplis valeam quæ tracto probare.
Maurus item quantos potui cognoſcere Graios?
Quorum præcipue ſtudiis pars muſicæ conſtat.
Nemo tamen culpet ſi ſumo exempla novella:
Nam melius noſtri ſervarunt metra minores.
Septimius (docuit quo ruris opuſcula libro)

Carmen ex dactylica hephthemimeri.

Hoc genere aſſidue cecinit.
Ponere pauca mihi ſat erit.
Inquit amicus ager domino,
Si bene mi facias: memini.
Pinea brachia cum trepidant,
Audio canticulum zephyri.
Sic hephthemimeres ſervavit carmine utroque.
Hexametros facies ipſos ſi cetera reddas:
Inquit amicus ager domino, fere, plurima reddam,
Si bene mi facias, memini tibi ſolvere grates.
Pinea brachia quum trepidant ſtridentia flabris,
Audio canticulum zephyri modulante ſuſurro.
Syllaba præterea numero ſuperadditur iſti:
Non refert qualis, quum ſit ſuprema futura:
Hoc refert ſane, brevis ut penultima fiat:
Ultima quæ metro fuit hoc inventa Sereni.

Carmen phaliſcum dactylicum tetrametrum.

Nam lyrici quoties ſua volunt
Carmina per varios dare ſonos: Pluribus

Pluribus illa modis ita novant.
Dactylicum hoc fieri magis amat:
Vel ſi ponitur unus alius
Pes, modo tertius hunc retineat.
Talia docta phaliſca legimus:
Nam mihi notius hoc genus erit,
Carmine ſi quid ab hoc poſuero.
Quando flagella jugas, ita juga,
Vitis & ulmus uti ſimul eant.
Nam niſi ſint paribus fruticibus,
Umbra necat teneras amineas.
Quod tamen ex iſto remanebit commate, tale eſt:
Arma virumque cano Trojæ Qui primus ab oris
Multa quoque & bello paſſus Dum conderet urbem:
Inde toro Pater Æneas Sic orſus ab alto.

Carmen Ionicum a majore qui fiat Hexametrum.

Comma ad poſterius verſus ſi do pariambum,
Ipſum & rurſus comma loco, ac ſic expleo verſum:
Fiet ionicon hoc ἀπὸ μείζονος: ut modo cernes,
Si pariambus *ego* aut *modo* vel *puto* (quem dabimus) ſit.

Ionicum a majore.

Qui primus ab oris, ego qui primus ab oris:
Dum conderet urbem, modo dum conderet urbem:
Sic orſus ab alto, puto ſic orſus ab alto.
Iam porro tenes quod tibi dico bis locandum,
Non verba eadem dicere, ſed pedes eoſdem.
Tres ergo pedes perſpicis in commate primo,
Spondeon enim ſubſequitur pes pariambus,
Spondeus item clauſula fit commatis hujus.
Hæc ſi repetens, talia cola copulabis,
Spondeus erit tertius, idem quoque quartus.
Dum conderet urbem, dum conderet urbem:
Cernis pariter quatuor adſonare longas:
Has ſi veniens in medium pes pariambus
Diſcriminet ipſas, (licet ex ſe tamen ambas)
Non hic erit extrinſecus interſitus illis:
Sed qui medius jam ſedet in commate primo
Dum conderet urbem, medius fit pariambus:
Fiatque neceſſe eſt, iterum commate juncto.
Ergo in medium rite datus cola ligabit:
Namque efficit ut quæ modo cola diffidebant,
Alterna ſimul tempora dent bina quaternis.
Nunc redde mihi quod volo te tenere ſemper:
Longam in geminas ſæpe breves ſolere ſolvi.
Nam ſæpe cadit dactylus hic, ſæpe anapæſtus:
Ut poſterior ſyllaba, vel prior ſoluta eſt.
Cedit quoque vel longa brevi, breviſque longæ,
Nam quæ vicibus tempora commodant, reſumunt:
Miſcentque trochæos ſine fraude ſæpe plures:
Spondeon enim duo faciunt, & pariambon
Verſoque dabunt ordine & hi duos trochæos.
Nec tres modo, ſed quinque etiam videbis eſſe.
Dabo verſiculos quo tibi res magis probetur:
Urbem tenuem fovent opum benignitate:
Hoſtem tegere eſt paratus, & ſtat ipſe nudus:
Eſt unus Ion hic datus, & quinque trochæi,
Vel quattuor inſunt. quoniam ſuprema ſemper
Et longa brevi ſufficitur breviſque longæ.
Nil autem officiet temporibus viciſſitudo.
Nec enim numero pendere metra ſyllabarum,
Sua ſed pedibus tempora ſufficit referre.

Sic tribrachus intervenit in locum trochæi,
Nam quo fuerint crebrius hi pedes minuti,
Vibrare ſonum verſiculos magis videmus,
Ἀπ' ἐλάττονος autem ratione qua regatur,
Quum de pedibus diſſererem, ſatis probavi.

Ionicum a minore qui fiat Ionicum a majore.

Sed quale metrum continuet, nunc referemus.
Dixi Diomedem pedis hujus eſſe formam.
In carmine ſic eſt Diomedem modo magnum.

Ionicum a minore tetrametrum.

Dea fecit dea belli dominatrix Phrygas omnes
Ut in armis ſuperaret, patulis agmina campis
Jacuerunt data leto: pavidi tergaque dantes.

A minore trimetrum.

Petierunt trepidæ mœnia Trojæ.

A minore Pentametrum.

Simili lege ſonantes numeros & Neobolæ dedit uno.

A minore trimetrum.

Modulatus lepide carmine Flaccus:
Miſerarum eſt neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-

Ionicum a minore tetrametrum.

animari metuentes patruæ verbera linguæ.

A minore trimetrum.

Ita binæ variantur, neque cedunt.

A minore tetrametrum.

Repetita vice longæ brevibus per ſynaphiam.

Ionicum a majore.

Spondeus autem metron hoc locatus ante
Permutat, & ex hoc facit ἀπὸ μείζονος edi:
Duntaxat ut ipſum referat clauſula verſus,
Idemque caput præditus occupet ſequentis:
Metron pedibus namque tribus ſemipedem aptat:
Ita ſi capiti demptus erit ſubinde ſolus:
Quem fecimus ex hoc ἀπὸ μείζονος videri:
Ἀπ' ἐλάττονος illam revocabit ſynaphiam,
Binis brevibus quæ totidem jugare longas
Ex ordine ſemper ſolet & tenere legem:
Non verſus ut ullo numero pedum regatur,
Sed carminis orſum peragat debita finis.
Exemplar utrumque ex facili ſumere poſſis:
Sic additur: o quam miſerarum eſt neque amori,
Quum demitur autem *miſerarum eſt neque amori*,
Ex hoc iterum (nos dare ſi breves volemus)
Ἀπὸ μείζονος idem modo qui fuit, redibit.
Rarum eſt neque amori dare ludum neque dulci,
Spondeus erit terminus hujus tibi verſus:

Spondeus & alter caput occupat ſequentis.
Ἀπ' ἐλάττον⊙ immobilis omnis ſynaphia eſt.

Tetrametrus verſus ex heroico qui fiat.

Hexametro duo quando pedes primi retrahuntur,
Ut ſermo expletus, partes non occupet ambas,
Tetrametrus remanet verſus, ſeu ſubditus hic eſt:
Cantabunt mihi Damœtas & Lyctius Ægon.
Cantabunt mihi quum dempſi, pars cetera reſtat,
Damœtas & Lyctius Ægon.
Talis carminibus Flacci reperitur epodos:
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Inſignes, aut Theſſala Tempe.
Namque pedes primos verſu ſi reddo ſecundo,
Integer hexametrus ſtabit, nec fiet epodus:
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mytilenen,
Si proficiſceris aut Epheſum, bimariſve Corinthi
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Aſpicies magis inſignes, aut Theſſala Tempe:
Sic etiam ex verſu partem quum demo Maronis,
Noſces unde tibi tales geminentur epodi:
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Damœtas & Lyctius Ægon.
At ſi quando pedes fini duo deminuentur,
Dum ne diſcidium verbi quarto pede fiat,
Hic quoque tetrameter ſimilis remanere videtur:
Sed refert illo, verſus quo portio prima eſt:
Ille ſequens, aliaque ſimul quod lege tenetur:
Namque hæc ſola poteſt carmen componere plenum:
Et ſubjecta aliis dulces abſolvit epodos,
Ut mox oſtendam: prior apta videtur epodis,
Ut dixi modo: Damœtas & Lyctius Ægon.

Carmen bucolicum.

Paſtorale volet quum quis componere carmen,
Tetrametrum abſolvat, cui portio demitur ima,
Quæ ſolido a verbo poterit connectere verſum:
Bucolicum ſiquidem talem voluere vocari.
Plurimus hoc pollet Siculæ telluris alumnus:
Ne Græcum immittam verſum, mutabo Latinum:
Dulce tibi pinus ſubmurmurat, en tibi paſtor
Proxima fonticulis, & tu quoque dulcia pangis.
Jugiter hanc legem toto prope carmine ſervant,
Noſter rarus eo paſtor Maro, ſed tamen, inquit,
Dic mihi Damœta, cujum pecus? an Melibœi?
Non: verum Ægonis, nuper mihi tradidit Ægon:
In tragicis junxere choris hunc ſæpe diſerti,
Annæus Seneca, & Pomponius ante Secundus.

Tetrametrum ex bucolico.

Tale dedit nobis Pomponius:
Pendeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Adſonet omne virens late nemus,
Et tortis errans qui flexibus.
Reddo pedes binos (qui nunc deſunt) tetrametro:
Rurſus de mutilo redit integer.
Pendeat ex humeris dulcis chelys apta choreis,
Et numeros edat varios, quibus ecce propinquum
Adſonet omne virens late nemus, arvaque juxta,
Et tortis errans qui flexibus effugit amnis.

Æolicum carmen Sapphicum pentametrum qui fiat.

Hexametrum.

Æolicum ex iſto genuit doctiſſima Sappho.

Æolicum.

Quod ſit quinque pedum, velut hos modo perſpicis;
Nam addit primum illa diſsyllabon ut libet:
Spondeum nec enim capiti locat omnium:
Sed quia mobilis hic locus, & chorion ſolet
Admiſcere, dein quater addere dactylon:
Cordi quando fuiſſe ſibi canit atthida
Parvam, florea virginitas ſua quum foret,
Ille tetrametro datur ante diſsyllabus.
Cetera pars verſus pedibus finita duobus,
Tale ſolet colon ſubjungere, *primus ab oris*,
Continuaſſe pedes iſtos in carmine ſolos
Dicitur hæc eadem præclara poetria Sappho.

Carmen Sapphicum, alias Adonicum.

Fingere nobis
Tale licebit.
Primus ab oris,
Troius heros,
Perdita flammis
Pergama linquens,
Exul in altum
Vela reſolvit.
Sæpe repulſus
Auſone terra
Mœnia feſſis
Sera locavit.
Unde Latinum
Poſt genus ortum,
Altaque magnæ
Mœnia Romæ.

Hexametrum.

Pluribus idcirco parvis (ut notius eſſet)
Verſiculis carmen condi potuiſſe peractum.
Cetera tetrametris reddemus, quando duobus
Conſerta heroo paritérque loquemur iambo.

De carmine iambico.

Trochaicum.

Nunc ſeorſa iambi ſi qua poſſum, colligam.

Iambicum.

Adeſto jambe præpes & tui tenax
Vigoris: adde concitum celer pedem,
Nec alterius indigens opis veni;
Sed ipſe verus, integerque geſtiens,
Aduſta felle qualis ante carmina
Dabat amarus, ultor impotens tui:
Vides ut iſta verba raptet impetus:
Brevemque crebra conſequendo longula
Citum ſubinde volvat arctius ſonum:
Iambus ipſe ſex enim locis manet,
Et inde nomen inditum eſt ſenario.

Sed

Sed ter feritur, hinc trimetrus dicitur,
Scandendo binos quod pedes conjungimus;
Quæ cauſa cogat, non morabor edere.
Nam mox poetæ [ne nimis ſecans brevis
Lex hæc iambi verba pauca admitteret,
Dum parva longam ſemper alterno gradu
Urget, nec aptis exprimi verbis ſinit
Senſus, aperte diffidente regula)
Spondeon, & quos iſte pes eſſe creat,
Admiſcuerunt, impari tamen loco.
Pedemque primum, tertium, quintum quoque
Juvere paulo ſyllabis majoribus.
At qui cothurnis regios actus levant,
Ut ſermo pompæ regiæ capax foret:
Magis magiſque latioribus ſonis
Pedes frequentant, lege ſervata tamen.
Dum pes ſecundus, quartus, & noviſſimus,
Semper dicatus uni iambo ſerviat:
Nam nullus alius ponitur, tantum ſolet
Temporibus æquus non repelli tribrachys.
Quid? non trochæus temporum eſt æque trium?
Eſt: ſed trochæo longa prior ſyllaba,
Brevis autem iambo, longa poſt, cui non poteſt
Longam trochæus ſubdere, & brevem ſuam
Brevi ſequentis, qua fit hoc iambicum:
En cur iambo non trochæus ſerviat,
Qui metron ipſe copulat trochaicum:
Præbetque nomen, ut loquemur poſtmodum,
Habetque & ipſe ſubdititium tribrachyn:
Qui jure utrique ſervit, & ſubjunctus eſt.
Ecquis creatur, qui creare non poteſt?
Nam non ita, ut eſt longa diſſolubilis,
Breves viciſſim contrahi in longam valent.
Quia ſolida, findi magnitudo non vetat:
Diviſa, jungi rurſum in unum non queunt.
Culpatur autem verſus in tragœdiis,
Et rarus intrat ex iambis omnibus,
Ut ille contra qui ſecundo & talibus,
Spondeon, aut quem comparem receperit.
Sed qui pedeſtres fabulas ſocco premunt,
Ut quæ loquuntur ſumpta de vita putes,
Vitiant iambon tractibus ſpondaicis:
Et in ſecundo & cæteris æque locis:
Fidemque fictis cum procurant fabulis,
In metra peccant arte, non inſcitia:
Ne ſint ſonora verba conſuetudinis,
Paulumque rurſus a ſolutis differant.
Magis iſta noſtri (nam fere Græcis tenax
Cura eſt iambi, vel novellis comicis)
Vel qui in vetuſta præcluent comœdia.
Ariſtophanis ingens micat ſolertia,
Qui ſæpe metris multiformibus novis
Archilochon arte eſt æmulatus muſica.
Sed paulo abimus longius: nunc hoc magis,
Heroicus quare pedes per ſingulos,
At iſte binos ſcanditur: cauſam loquar.
Spondeon etenim quia recepit impari
Tantum loco, vel dactylum, aut contrarium:
Secundo iambum nos neceſſe eſt reddere,
Qui ſedis hujus jura ſemper obtinet:
Scandendo & illic ponere adſuetam moram:
Quam pollicis ſonore, vel plauſu pedis
Diſcriminare, qui docent artem, ſolent.
Si primus ergo pes eam ſumet moram:
Ubi jam receptum eſt ſubdere heroos pedes,
Verſum videbor non tenere iambicum.

Sed quia ſecundo numquam iambus pellitur,
Moram neceſſe eſt in ſecundo reddere,
Et cæteris qui ſunt ſecundo compares:
Ubi non timebo ne quis herous cadat:
Sic fit trimetrus qui fuit ſenarius.
Nunc ipſa metra quæ redegi, proſequar.
Jugi trimetro Flaccus uſus eſt ſemel,
Ut non epodum ſubderet, vel demeret,
Aut adderet, quo legem iambi verteret:
Sed ſimplici carmen per omne evectus eſt:
Quod eſſe notum verſibus primis poteſt:
Jamjam efficaci do manus ſcientiæ:
Supplex & oro regna per Proſerpinæ:
Unumque carmen lege tali pertulit.

Quadratus iambicus qui fiat.

Sed hic trimetrus quando duplicem pedem
A capite ſumet: tunc quadratus dicitur.
Idemque dictus eſt & octonarius.
Ergo ante verſum collocabo iambicum.
Phaſelus ille quem videtis hoſpites:
Quadratus iſte talis effici poteſt,
Adeſt celer Phaſelus ille, quem videtis hoſpites.

Trochaicus catalecticus qui fiat.

Si dempta prima ſyllaba adjecto pedi eſt,
Qui de duobus eſſe jambis perſpicis:
Quod hinc remanſit, Creticum reddit pedem:
Eſt celer phaſelus ille, quem videtis hoſpites.
Quia prima quum fit dempta iambo duplici,
Longam relinqui convenit: poſt alterum
Manere iambum, qui brevem & longam ſuas
Jungens priori perficit dictum pedem.
Sic creticum ſi quis velit disjungere,
Fiet trochæus, longa & una ſyllaba.
Præcedet ergo quando Cres iambicum,
Habet trochæum, longam & unam, quæ ſibi
Primam ex iambo dum ſequenti copulat
Brevem trochæos eſſe jam duos vides,
Et longam iambi: ſic trochæi cæteri
Fient ſubinde, longa dum brevem ſibi
Trahit ex iambo, longa & alia linquitur:
Quæ ſibi viciſſim copulans jungat brevem:
Volvendo totum cogat ordinem pedum:
Donec trochæis reſtet una in extimo:
Catalexis inquam fiet, ut jam diximus.
Nam Cretici tres ſyllabæ primo loco,
Bis ſex iambi, quindecim fiunt ſimul:
Sic numerus impar poſt trochæos ſepties.
Habeat neceſſe eſt extimam ſuperſtitem.
Sed quia trochæos tamquam iambos ſcandimus,
Ut ſit trimetrum, tres erunt bini pedes.
Finem tenebit dactylus, vel Creticus:
Trochaicum autem permanebit liberum,
Dum erit trimetrus ex iambis omnibus.

Trochicus.

Eſt celer phaſelus ille, quem videtis hoſpites.

Iambicus.

Spondeos autem ſi ſequetur Creticum,
Habere primum quem poteſt iambicus

(Nam

(Nam primus ipſe eſt, ſeparato Cretico)
Vel tertio locetur aut quinto pede:
Seriem trochæi jam labare perſpicis:
Quia poſt trochæum longa ſuperans Cretici,
Dum ex ſequenti copulat longam ſibi,
Vetat trochæos ire junctos ordine.
Sed quia recepit lex iambi dactylum,
Spondeon, aut qui dactylo eſt contrarius,
(Ut jam tenemus) impari tamen loco:
Nunc, verſu iambi qui pedum primus fuit,
Erit ſecundus anteeunte Cretico:
Ex quo trochæus tertium quia ſeparat,
Hic de ſequenti copulat longam alteram:
Spondeon eſſe poſt trochæum propalam eſt,
Qui ſic ſecundus trochaicis datur,
Iambicis ut impari ſolet loco.
Nec culpa metri eſt, ſi vel hoc vel talibus
Pes inſeratur temporum eſt qui quatuor:
Dum prius ipſe qui trochaicum facit,
Et tertio locetur & quinto pede.
Nam pes uterque quia ſibi eſt contrarius,
Gaudet locorum diſpari cuſtodia.
Trochæus ergo ſemper impari loco:
Parique iambus rite conlocabitur:
Nihil nocebit quiſque curret cæteris,
Ut quodque metron lege condatur ſua:
Ergo qui verſus paratur integer trochaicus,
Cretico fiet remoto rectius idem iambicus.
Porro ſi talis locetur, qualis hic noſter modo eſt,
Ter tibi ſpondeum hic ſemper ſecundum ſuggeret:
Cretico dabit remoto jam tibi hunc, ſed imparem:
Talis locetur, qualis hic noſter modo eſt:
Simulque iambos nunc ſuis reddet locis,
Quos in trochæos retrovertit Creticus.
Verum a magiſtris verſus iſte dicitur
Acephalus, idem qui trochaicus quoque:
Archilochus author traditur talis metri:
Sed jam pedum quum regulam diſtinguerem,
Longam reſolvi per duas dixi breves:
Ipſumque poſſe quinque totas Creticum
Breves habere, quando longas ſolveris:
Eſt ergo & ille verſus integer meus
Quo quinque feci ſyllabarum Creticum:
Is erit anapæſtus, quinque poſt ſpondeus eſt.
Exempla ponam quæ locaſſe Cæſium
Libro notavi, quem dedit metris ſuper.
Beatus ille qui procul negotiis.
Eſt Creticus pes *Socrates*, & verſus hic,
Socrates beatus ille qui procul negotiis:
Hinc ſolvo primam, tale fit, nec pes labat.
Diogenes beatus ille qui procul negotiis.
Quum tertiam: ne tum quidem quidquam perit,
Demophile, beatus ille qui procul negotiis.
Utraſque quando ſolveris, nil læditur,
Quod agis age, beatus ille qui procul negotiis.
Authore tanto credo me tutum fore,
Et pro iambo nemo culpet tribrachyn.
Archilochus autem Creticum ſicut dedit:

Iambicus Hipponacteus claudicans qui fiat.

Æque & trimetro junxit Hipponax pedem
Noviſſimum triſyllabum, ex prima brevi,
Longis duabus; antibacchio nomen eſt.
Exemplar ejus tale poſſis fingere:
Phaſelus ille quem videtis hoſpites Sabinus:
Quadratus ut ſit, parte ab ima claudicat:
Erit quadratus reddita noviſſima:
Phaſelus ille quem videtis hoſpites Sabinus eſt.
Phaſelus ergo quem videtis hoſpites Sabinus,
Æque eſt & ipſe ſyllabarum quindecim,
Ut ille prima parte qui mulctatus eſt:
Sed iambicus manebit unde & natus eſt:
Ille enim (quia prima pars ex Cretico
Gignit trochæum) tranſit in trochaicum:
Hic ex iambis natus ad finem quoque
Manebit idem, veniat externus licet
Pes antibacchus, non erit diſpar tamen:
Namque eſt iambus tertiam longam trahens.
Sic ergo verſus ex iambis profatus,
Suis jambis jungit inde ſeptimum:
Et hunc & illum terminabit ſemipes:
Vel quia eſt trimetrus, antibaccho definet.
Frequens in uſu eſt tale metron comicis vetuſtis:
Atella vel queis fabulis actus dedit petulcos:
Quia ſine molli, labile, atque deſerens vigorem,
Sonum miniſtrat congruentem motibus jocoſis.

Alius iambicus Hipponacteus claudicans.

Claudum trimetrum fecit aliter Hipponax,
Ad hunc modum, quo claudicant & hi verſus:
Idcirco Græce nuncupatus eſt σκάζων.
Hic non iambum reddidit pedem ſextum,
Penultimam ſed pro brevi trahit longam,
Novitate ductus, non ut inſcius legis.
Sed quia jugatos ſcandimus pedes iſtos,
Pæona fieri perſpicis pedem in fine:
Epitritos nam primus implet hanc partem:
Brevis locata quum ſit ante tres longas.
Quare cavendum eſt, ne licentia ſueta
Spondeon, aut qui procreantur ex illo,
Dari putemus poſſe nunc loco quinto:
Ne deprehenſæ quatuor ſimul longæ
Parum ſonoro fine deſtruant verſum:
Nam dactylum paremve quid tibi dicam?
Quum tantum iambus hoc loco probe poni,
Aliuſque nullus rite poſſit admitti.
Hoc mimiambos Mattius dedit metro:
Nam vatem eumdem eſt Attico thymo tinctum
Pari lepore conſequutus, & metro.

Iambicus trimetrus acephalus qui fiat.

Sed & trimetrus, (ut quadratus) hic poteſt
Acephalos eſſe, prima quando demitur:
Fierique primus pes & iſtic Creticus.
Nam ſicut ille redditur trochaicus,
Sic verſus ante qui videtur integer,
Adeſt celer phaſelus ille quem vides:
Quum demo primam, quod relinquo tale fit:
Eſt celer phaſelus ille quem vides:
Acephalus ergo, ſed trimetrus factus eſt.
Archilochus idem eſt uſus & tali metro.

Iambicus trimetrus claudicans qui fiat.

Viciſſim & ille qui quadratus claudicat,
Et in trimetro claudicare ſic poteſt:
Phaſelus ille quem vides Sabinus eſt:
Phaſelus ille quem vides Sabinus.

Similem locavit Flaccus uno in carmine:
Sed quia videtur alius ante præditus,
Ut verſus hic, epodus illius foret:
Ratione quem jam competenti diſtuli:
Simul hos loquemur, quando de vinctis metris
Et hinc & inde veniet aptior locus.

Iambicus dimeter qui fiat.

Necnon dimetrus ex trimetro redditur,
Quacumque partem tertiam ſi detrahas.
Stabitque verſus octo tantum ſyllabis.
Niſi quando ſumet dactylum aut contrarium:
Loco vel jambi qui probatur tribrachys:
Taliſque verſus hic erit:
Phaſelus ille quem vides.
Pleruinque nec carmen modo,
Sed & volumen explicat:
Ut pridem Avitus Alphius
Libros poeta pluſculos
(Uſus dimetro perpeti)
Conſcripſit excellentium.
Tales trimetris ſubdidit Flaccus ſuis,
Ut carmina oſtendunt decem.
Ibis Liburnis inter alta navium
   Amice propugnacula.
Archilochus iſto ſævit iratus metro
   Contra Lycamben & filias.

Iambicus dimetrus acephalus qui fiat.

Et hic dimetrus non minus
Ut ille acephalus eſſe, vel claudus poteſt.
Adeſt celer phaſelus eſt:
Quum prima dempta eſt, redditur,
Eſt celer phaſelus eſt.

Iambicus dimetrus claudus qui fiat.

Ac quum ſuprema claudicat,
Adeſt celer phaſelus.
Flaccus priorem ſic dedit,
Eſſet ut verſus prior
Eſt celer phaſelus eſt:
Poſt hunc veniret talis hic epodus:
Phaſelus ille quem vides Sabinus.
Sunt tales hoc uno in carmine,
Ad uſque finem permanent compares epodi.
Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.
Non ebur pes Creticus,
Longa nam fit tertia
Conſonante ex altera.
Neque aureum, prima ex trimetro portio eſt.
Mea renidet in domo, dimetrus eſt.
Et ut *Sabinus*, claudicat *lacunar*,
Pedem hinc iambum duplicem
Mea reni, ſi dempſeris, relinquitur
Det in domo lacunar.
Adeſt celer phaſelus.
Et condere inde carmen
Multi ſolent poetæ:
Horatium videmus
Verſus tenoris hujus
Nuſquam locaſſe juges.
At Arbiter diſertus
Libris ſuis frequentat.
Agnoſcere hæc poteſtis
Cantare quæ ſolemus,
Memphitides puellæ
Sacris Deum paratæ
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

De Saturnio carmine.

Aptum videtur eſſe
Nunc hoc loco monere,
Quæ ſit figura verſus,
Quem credidit vetuſtas
(Tamquam Italis repertum)
Saturnium vocandum.
Sed eſt origo Græca,
Illique metron iſtud
Certo modo dederunt:
Noſtrique mox poetæ
Rudem ſonum ſecuti,
Ut quæque res ferebat,
Sic diſparis figuræ
Verſus vagos locabant:
Poſt rectius probatum eſt,
Ut tale colon eſſet
Junctum tribus trochæis:
Ut ſi vocet Camœnas   Quis novem ſorores,
Et Nævio poetæ   Sic ferunt Metellos
Cum ſæpe læderentur   Eſſe comminatos:
Dabunt malum Metelli   Nævio poetæ.
Dabunt malum Metelli   Clauda pars dimetri.
Adeſt celer phaſelus,
Memphitides puellæ,
Tinctus colore noctis.
Poſt *Nævio poetæ*, tres vides trochæos:
Nam nihil obſtat trochæo quod ſuprema eſt.

Carmen Anacreontium choriambicum.

At choriambus unus
Præditus antibaccho
Claudicat ut priores.
Videro ſi novelli
Verſus erit poetæ:
Lex tamen una metri eſt.
Tinctus colore noctis.
Dabunt malum Metelli.
Inachiæ puellæ.
Seu bovis ille cuſtos.
Colon & hoc in uſu
Carminis eſt Horati.
Tu genus hoc memento
Reddere quûm repoſcam.

De confuſione ſeu miſtura heroici & jambici in aliis generibus.

Hexametrum cui Iambicon comes.

Nunc quia quæ potui videor tractaſſe ſeorſa
Heroico profecta, quæque Iambico:
Cetera quæ miſtis variantur partibus horum
   (Ut quibo) metro nitar hinc attingere.
Sed quoniam ex uno poſſunt adjuncta referri,
   Amplectar ultro quod datur compendium.

De verſu Phalæcio hendecaſyllabo.

Hendecaſyllabon.

Quem nos hendecaſyllabon ſolemus
Tamquam de numero vocare verſum,
Tradunt Sapphicon eſſe nuncupandum:
Namque & jugiter uſa ſæpe Sappho:
Diſperſoſque dedit ſubinde plures
Inter carmina diſparis figuræ.
Sed primi pedis ante lex tenenda eſt:
Spondeon ſiquidem videmus iſtic
Tamquam legitimum ſolere poni,
Poſt hunc dactylon, atque tres trochæos.
Cui nomen quoque Phalæco dederunt.
Verum mobilis hic locus frequenter
Non ſolum recipit pedem (ut loquebar)
Spondeum: ſed & aptus eſt trochæo:
Nec peccat pede natus ex iambo.
Exemplis tribus hoc ſtatim probabis,
Docti carmine quæ legis Catulli,
Cui dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Meas eſſe aliquid putare nugas.
Quos dixi modo jam pedes, videmus
Diverſos capiti trium locatos:
Spondeum *cui do*, trochæum *ari*:
Meas quis neget hunc iambon eſſe?
Hic per commata ſepties feritur,
Quales hexametron tomas habere
Jamdudum tibi differens probavi:
Ex queis nunc duo metra copulari
In unum ſolidum videbis ortum.

De prima tome hendecaſyllabi.

Quum componitur ex utroque metro,
Pars heroica tum prior, duobus
Spondeo pede, dactyloque conſtat:
Et quem ſemipedem eſt neceſſe linqui,
Ut ſit pentemimeres tome locata:
Exin cetera portio eſt iambi:
Quod non difficile eſt ſtatim notare,
Quum talis fuerit figura verſus:
Carmen Pierides ſtruunt ſorores.
Hæc exordia verſuum duorum,
Carmen Pierides: quod hexametri eſt:
Atque jambicon hoc, *ſtruunt ſorores*.
Compleri poterunt utroque metro,
Carmen Pierides pangunt memorabile muſæ;
Struunt ſorores Atticæ dirum nefas.
Hæc diviſio prima computetur.

De ſecunda tome hendecaſyllabi.

Atque nunc pedibus duobus orta
Sermonem cohibet, nec exit ultra,
Sicut ſemipedem prior trahebat:
Conjungit ſibi Phalæcos trochæos,
Ut dixi modo, *Bacche*, *Bacche*, *Bacche*:
Tum verſum videas ſonare talem,
Pangunt carmina jam novem ſorores.
Nam ſi quatuor his pedes duobus
Addas, hexameter profecto fiet.
Pangunt carmina tergeminæ memoranda ſorores:
Poſt hoc Phalæca de tribus trochæis
Pars eſt cetera, *jam novem ſorores*.

De tertia tome hendecaſyllabi.

Exin tertia melius pateſcit:
Carmen Pierides dabunt ſorores:
Nam quum dempſero verſui, *ſorores*:
Carmen Pierides dabunt, manebit:
Carmen Pierides dabunt,
Hoc metrum choriambicum eſt,
Quod pars bacchiacum vocant.
Hinc primas capiti duas,
Nec non totque itidem ultimas,
Excrementa magis putant,
Nec ducunt numero pedum,
Sunt hæc, *carmen*, itidem *dabunt*,
Solum *Pierides* manet,
Quod reddit geminum pedem,
Dicunt quem choriambicon:
Quia longam ſequitur brevis,
Claudit longa brevem alteram:
Nam *des* longa fit, altera
Iuncta poſt ſibi conſona.
Sic ponunt medium pedem
Primas inter & ultimas,
Carmen Pierides dabunt.
Pars prima hic varie ſolet
Spondeum modo ſumere:
Idem ſæpe & iambus eſt:
Hoc de Septimii potes
Junctis noſcere verſibus:
Geritque intus in oppidum
Anhelos Panope greges.
Alter conſimiles dedit:
Opima adpoſui ſenex
Amori arma feretrio.
Trochæum quoque ſic locat:
Purpuræ leguli ſenes
Intus hic ubi conſitum eſt.
Utque eſt mobilis hic locus,
Immotus manet ultimus:
Namque hic ſemper Iambus eſt.
Tendunt latius hoc genus,
Duos ut choriambicos
Includant medios pedes:
Et ſit verſus ad hunc modum:
Carmen Pierides dulciſonum dabunt:
Duplex hic choriambus eſt,
Primus, *Pierides*, *dulciſonum*, ſequens:
Sic *carmen*, prius eſt: finis item, *dabunt*.
Ut pes hæc habuit prior,
Sunt qui tradiderint ultima verſui
Tamquam pentametro ſyllaba dempta ſit:
Quam ſi reſtituas, pentametrum fore
Carmen Pierides dulciſonum dabunt,
Carmen Pierides dulciſonum dabitis,
Ut verſus quoque ſic conſtet Horatii:
Mæcenas atavis edite regibus,
Mæcenas atavis edite principibus.
Uſque autem videas hoc procul a fide,
Ut metri genus hoc vatibus inclytis
Non uno, aut gemino conſtiterit pede,
Verum in tres etiam conſimiles eat
Clauſos in medio partibus exteris,
Quod jam pentametri non patitur modus.
Nam ſic tres videas eſſe pedes datos,
Carmen Pierides dulciſonum ſi mereor dabunt.
His eſt omnibus in ſuis

Libris uſus Horatius.
Quo dicam, & quoties modo.
Nam primum minime ſuo
Solum carmine protulit,
Ut vates alii ſolent.
Exemplum Senecæ dabo:
Thebis læta dies adeſt.
Aram tangite ſupplices:
Pingues cædite victimas:
Tales continuos legis.
Hunc præponit Horatius
Epodum, ex geminis ſubjicit alterum:
Exemplum ſat erit ſemel
Nos hoc ponere: ceterum
Bis in carminibus ſuis
Hunc ſervat ſtabilem modum,
Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida ſidera.
Sic te diva potens Cypri,
Hic unus choriambus eſt:
Sic fratres Helenæ lucida ſidera,
Hic interpoſiti duo.
Talem quem geminis perſpicis effici,
Servat carminibus perpetuum tribus:
Quorum exordia quum prædita videris,
Stabit continuum conſimili modo,
Mæcenas atavis edite regibus.
Exegi monumentum ære perennius.
Donarem pateras grataque commodus.
Nec non continuos tres pariles dedit
Verſus, & cecinit poſt alium brevem,
Ex uno ſimili pede:
Uſuſque eſt genere hoc carminibus novem,
Quæ ſunt talia, quale eſt modo quod dabo.
Scriberis Vario fortis, & hoſtium
Victor Mæonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles te duce geſſerit.
Tres binis pedibus cernimus editos:
Unum quartus habet pedem:
Hanc docti tetracolon vocitant ſtrophen,
Nam poſt quatuor hos altera vertitur
Ad legem ſimilem conſimilis ſtrophe:
In qua ſunt alii quatuor hoc genus
Verſus, ex quibus hi ſunt ſibi tres pares.
Præmiſi, binos qui capiant pedes,
Unum quartus in omnibus.
Jam quum perficiunt tres medii ſic choriambicum,
Tales continuos carminibus compoſiti tribus.
Tu ne quæſieris: ſcire nefas, quem mihi, quem tibi.
Nullam Vare ſacra vite prius ſeveris arborem.
O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens.
Binas hic capiti, totque itidem deme noviſſimas:
Fient in medio perſpicui tres choriambici.
At verſus meus eſt quem ſimilem compoſui ex tribus,
Carmen Pierides dulciſonum ſi mereor dabunt.
Et ſupra poſiti ſic quoque ſunt duo,
Carmen Pierides dulciſonum dabunt,
Ex uno quoque ſic fuit,
Carmen Pierides dabunt:
Sic te diva potens Cypri.
Forſan longula viſa ſit
Hæc diviſio tertia
Verſus hendecaſyllabi;
Sed tot nos docuit metra:
Et ſunt quæ deceat magis
Nunc connectere, dum recens
Hæc eſt regula, quæ dedit
Ex ſe tam varios modos:
Quam disjungere ſi velim,
Cogat (dum paro ſingulis
Certas reddere origines)
Jam tractata retexere.

Carmen hexametrum ex duabus tomis, ſeu Priapeum qui fiat.

Ergo hinc naſcitur altera
Metri regula, ceu duas
Partes hexametri ſecans,
Quæ ternos dirimit pedes,
Quos ſi reddideris ſibi,
Hexametrum pedibus cernes conſtare receptis:
Qui tamen heroon factis indignus habetur.
Namque tome media eſt verſu non apta ſevero.
Fitque ſoluta magis, quoties ſpondeus ineſt pes
Tertius, & quartus: nolunt hunc incolumem ergo,
Sed de commatibus tradunt conſtare duobus:
Ipſe etenim ſonus indicat eſſe hoc luſibus aptum:
Et ferme modus hic datur a pleriſque Priapo:
Inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus.

Priapeum carmen.

Hunc lucum tibi dedico, conſecroque, Priape:
Qua domus tua Lampſaci ſita eſt, quaque Priape;
Nam te præcipue in ſuis urbibus hæc colit ora
Helleſpontia, ceteris oſtreoſior oris.
Et ſimiles plures ſic conſcripſiſſe Catullum
Scimus. uſque adeo hoc genus lex heroica pellit,
Ut ſit utraque portio cœpta ſæpe trochæis:
Nam diſcrimine nullo ponit hunc, vel iambum.
Nec mirabere ſyllabæ finem commate primo
Tamquam de pede dactylo fiat tertia longa:
Nam te præcipue in ſuis, talis verſus & alter,
Helleſpontia ceteris, æque eſt ultima longa:
Nam quia commata bina ſunt: ſumunt ambo ſupremas.
Verſus ergo magiſtri vocant hos Priapeos:
Et Maro dat tales: ſed quia diſtinctio verba
Diſſociat, nectitve aliter, nec partibus æquis
Diſtingui patitur pedes, ſonus effugit aurem:
Fronde ſuper viridi, ſunt nobis mitia poma:
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Turbabat cælo, nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.
Si diſtinctio ſeparet, *nobis mitia poma*,
Preſſi copia lactis, *terras ordine longo*,
Deſpectare videntur, fient ſic reſonantes,
Ut verſus ſonat alter, quem diſtinctio nudat:
Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos.
Si quis ſic quoque findat primum commatis inſtar,
Ex uno choriambico
(De quo diſſerui modo)
Verſus ſtare videbitur:
Cui non dictus Hylas puer:
Thebis læta dies adeſt:
Carmen Pierides dabunt.
Uſque autem duo commata
Poſſis credere rectius,
Hæc ipſa ut videas dari.
Non hoc(quo modo ſunt)ſitu,
Verſa ſed vice priſtina.

Namque

Namque his commatibus Flaccus Horatius
Metrum compoſuit, ſed choriambicos
Ex binis pedibus præpoſuit duos:
Tunc hos jungit epodos, partes (ut modo) duas:
Ipſo carmine jam tibi fiet regula plana.
Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urget odoribus
Grato Pyrrha ſub antro.
Cui flavam religas comam?
Pergunt cetera poſt conſimili ſtrophe.
Verſus ſic igitur ſunt pariles duo:
Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urget odoribus.
Poſt hos quæ veniunt commata perſpicis
Grata Pyrrha ſub antro?
Cui flavam religas comam.
Cui flavam religas comam prima parte locetur
Fiat comma ſecundum, *grato Pyrrha ſub antro*:
Verſum non dubium eſt fore quem dicunt Priapeum,
Cui flavam religas comam grato Pyrrha ſub antro.
Nec quod deſinit in *comam* ſi fit tertia longa
Dum G conſona jungitur, *grato Pyrrha ſub antro*,
Peccat dactylus iſtic, quum (ſicut modo dixi)
Primi commatis ultima fiat libera legis.
Sunt hæc alia Flacci vatis carmina quinque.

De quarta tome hendecaſyllabi.

Jam diviſio quarta non moroſa:
Qualem ſuggerimus tomen habebit.
Carmen ſuave dediſtis o Camœnæ.
Nam quum ſuſtulerimus *o Camœnæ*,
Pars heroica fiet hæc relicta,
Quæ poſt hos geminos pedes habebit
Cluſum nomine tertium trochæum;
Carmen ſuave dediſtis.
Hæc heroica jam tome probata eſt,
Infandum regina:
Nam verſus ſibi parte reſtituta,
Illæſum revocabit hexametrum:
Carmen ſuave dediſtis Olympiades mihi muſæ:
Infandum regina jubes renovare dolorem.

De quinta tome hendecaſyllabi.

Et quintam breviter tomen loquemur:
Spondeum ſiquidem inter, & ſecundum
Quem ſcis dactylon hic ſolere poni,
Si trudas anapæſtum, inſeraſque,
Jungas cetera, jam videbis ipſum
Conſueto pede Sotadem loquutum:
Carmen Pierides dabunt ſorores:
Si dicam *lepidæ*, palam eſt profecto
Quod ſit pes anapæſtus: inſero ergo
Spondeo medium,, atque conſequenti
Hoc nomen *lepidæ*, fit omne tale.
Carmen lepidæ Pierides dabunt ſorores,
Idcirco genus hoc Phalæciorum
Vir doctiſſimus undecumque Varro
Ad legem redigens Ionicorum,
Hinc natos ait eſſe, ſed minores.

De ſexta tome hendecaſyllabi.

Nunc diviſio quam loquemur, edet
Metrum, quo memorant Anacreonta
Dulces compoſuiſſe cantilenas.
Hoc Petronius invenitur uſus:
Muſicum lyricum refert eumdem
Conſonantia verba cantitaſſe:
Et plures alii: ſed iſte verſus
Quali compoſitus tome ſit, edam.
Juverunt ſegetes meum laborem:
Juverunt caput eſt id hexametri:
Si cures reliquos pedes referre:
Juverunt animum verſus ex carmine Flacci.
Quod reſtat, *ſegetes meum laborem*,
Tale eſt ceu, *triplici vides ut ortu*
Triviæ rotetur ignis:
Volucrique Phœbus axe
Rapidum pererret orbem.
Nonnulli metron hoc magis putarunt
Quod ſit poſtera pars Ionicorum,
Quos dicunt ἀπὸ μείζονος vocandos,
Ut verſus reparetur inde plenus:
Segetes meum laborem,
O quam relevarunt ſegetes meum laborem.
Triviæ rotetur ignis,
Cernis quoties hic Triviæ rotetur ignis.
Nec pars hæc anapæſton, atque iambos,
Necnon & catalecticam ſupremam,
Sed ſumat pariambon, & trochæos
Segetes meum laborem:
Quod metron ſoleant pedes Iones,
Hunc (longas brevibus, breveſque contra
Alterna vice commodando longis)
Verſum claudere ſæpe de trochæis.
Nec mirum puto, quando Varro verſus
Hos (ut diximus) ex Ione natos
Diſtinguat numero pedum minores.

Galliambus verſus qui fiat.

Hoc ſi ſic repetamus, ut ſecundo
Supremam dare ſyllabam negemus,
Juncto commate Galliambos exit:
Segetes meum laborem, Segetes meum labo.
Sonat hoc ſubinde metro Cybeleium nemus,
Nomenque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos quod eſſe Gallis habiles putant modos:
Adeo ut frequenter illum prope ab ultimo pedem,
Mage quo ſonus vibretur, ſtudeant dare tribrachyn:
Anapæſtus eſſe primus, ſpondeus & ſolet:
Duo poſt erunt iambi, tribrachyſve ſubjicitur.
Linquitque comma primum catalecticam brevem.
Pariambus, & trochæi duo comma poſterum
Tribrachyſve continebunt: ſuperatque ſemipes,
Servaſſeque Catullum probat ipse tibi liber,
Super alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit.

De ſeptima tome hendecaſyllabi.

Atque ſeptima ſit tome, videtur
Hipponactis habere claudicantem,
Quem ſupra poſui: quod ipſa jam nos
Verſus formula poſta perdocebit:
Carmen nemo facit meo Sabino:
Carmen nemo, poteſt heroum reddere verſum:
Carmen nemo dabit magno quod par ſit Homero.
Claudum eſt porro: *facit meo Sabino*:

Nam

Nam redde partes, ut quadratus claudicet, priores,
Partem pue & iſtam verſus hic ad hunc modum ſonabit,
Quis carmen aut verſum novum facit meo Sabino?
Phaſelus ille quem vides, facit meo Sabino.

De compage & concinnatione quæ verſus alternet.

Hinc jam cætera metra proſequemur,
Quæ Flaccus varie ſuis epodis
Nunc unum recinens dato priori:
Nunc binos varie dedit ſonantes,
Ut ſit tertius atque quartus impar.
Quem tibi tetrametrum jam diximus, hunc tribus trochæis
Adjunctis pedibus talem dedit, ut dedi gemellos.
Solvitur acris hyems grata vice veris & favoni.
Huc differre ſupra fuit utile, quod ſequens epodus
Cum parte iambi tres habet trochæos:
Et nondum ſpecies miſtas ſimul ex utroque metro
Tractare adortus: aptius putavi
Huc differre, magis poſtquam tibi tota lex iambi
Diſtincta utrumque planius probaret.
Solvitur acris hyems grata vice veris & favoni,
Trahuntque ſiccas machinæ carinas.
Solvitur acris hyems grata vice. tetrametros hic eſt,
Et tres trochæi, *veris & favoni:*
Trahuntque ſiccas, portio eſt iambi,
Cas hinc ſuperſit, ſemipes habetur.
Similes trochæi, *machinæ carinas.*
Poſſit videri claudus hic trimetrus,
Duos ut eſſe duplices primos pedes,
Trahuntque ſiccas machinæ, putemus
Claudum antibacchum qui facit *carinas*.
Sed talem epodum dicitur dediſſe
Callimacus ante, de tribus trochæis,
In fine verſum Phalæci ſonantem,
Quem dico dudum Sapphicum vocandum:
Siccas ducite navitæ carinas:
Nam tale cernis *navitæ carinas*,
Ut finis ille, *veris & favoni:*

Quamquam iambicum Flaccus antemiſit,
Trahuntque ſiccas.
Magis putandum eſt tres datos trochæos
Quam petat iambus ultimum antibacchum:
Uterque finis lege ut eſſet una,
Solvitur acris hyems grata vice veris & favoni:
Trahuntque ſiccas machinæ carinas:
Semelque metrum tale copulavit.
Heroo trimetrum ſemel idem ſubdidit unum;
Geminus ut iſte verſus oſtendit tibi:
Mella cava manant ex ilice: montibus altis
Levis crepante lympha diſſilit pede:
Utrumque apertum eſt, immorari deſinam.
Et dimetrum heroo talem ſubjunxit epodum:
Bis uſus hoc, nec amplius:
Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem ſenſibus.
Nox erat & cælo fulgebat luna ſereno
Inter minora ſidera.
Nec non trimetro talem epodum comparat,
Pentametri partem dactylicam ſubicit.
Atque dimetron ad hoc: unumque verſum reddidit:
Petti, nihil me ſicut antea juvat
Scribere verſiculos, amore perculſum gravi:
Prior, nihil me ſicut antea juvat
Scribere verſiculos, amore perculſum gravi:
Prior trimetrus eſt, tamen qui non habet:
Pentametri pars eſt, *ſcribere verſiculos:*
Ad hoc dimetrum perſpicis, *amore perculſum gravi.*
Semelque & iſtud functus eſt.
Itemque epodum non trimetrum edidit,
Seu verſum heroum voluit præmittere totum,
Dein dimetrum conlocat, commaque dactylicum,
Et hic (ut ante) verſus unus ut foret:
Horrida tempeſtas cælum contraxit, & imbres,
Niveſque deducunt Jovem: nunc mare, nunc ſilvæ
Threicio Aquilone ſonant: rapiamus amici
Occaſionem de die, dumque virent genua,
Et decet, obducta ſolvatur fronte ſenectus.

PALLADII RUTILII TAURI ÆMILIANI
DE
Inſitione liber ad Paſiphilum virum Doctiſſimum.

Paſiphile ornatus fidei cui jure fatemur,
Siquid in arcano pectoris umbra tegit:
Bis ſeptem parvos opus agricolare libellos,
Quos manus hæc ſcripſit, parte ſilente pedum,
Nec ſtrictos numeris, nec Apollinis amne fluentes,
Sed pura tantum ruſticitate rudes,
Commendas, dignaris, amas, & ruſtica dicta
Affectu ſocii ſollicitante colis.
Nunc ideo modicum creſcens fiducia carmen
Obtulit arbitrio lætificanda tuo.
Eſt noſtræ ſtudium non condemnabile muſæ,
Urbanum fari ruſticitatis opus:
Sub thalami ſpecie felices jungere ſilvas,
Ut ſuboli miſtus creſcat utrimque decor:
Connexumque nemus veſtire affinibus umbris,
Et gemina partum nobilitare coma.
Fœderibus blandis dulces confundere ſuccos,
Et lætum duplici fruge ſaporis ali.
Quæ quibus hoſpitium præſtent virgulta docebo,
Quæ ſit adoptivis arbor onuſta comis.
Ipſe poli rector, quo lucida ſidera currunt,
Quo fixa eſt tellus, quo fluit unda maris,
Cum poſſet miſtos ramis inducere flores,
Et varia gravidum pingere fronde nemus,
Dignatus noſtros hoc inſignire labores,

Naturam fieri ſanxit ab arte novam.
Non ſegne officium noſtræ reor eſſe camœnæ,
Aut operis parvi gratia fiet inops.
Si velocis equæ pigro miſcetur aſello
Ardor, ut in ſterilem res cadat acta gradum,
Fœcundumque genus productus deleat hæres,
Et ſibi defectum copia prolis agat:
Cur non arbor inops pingueſcat ab hoſpite gemma,
Et decus externi floris adepta micet?
Incipiam, quidquid veteres ſcripſere coloni,
Sacraque priſcorum verba labore ſequar.
Principio multas ſpecies induſtria ſolers
Protulit, & doctam juſſit inire manum.
Nam quæcumque virens alienis frondibus arbos
Comitur, his diſcit credita ferre modis.
Aut nova diſcreto figuntur germina libro,
Aut aliud ſummo robore fiſſa capit,
Aut virides oculos extremi gemma tumoris
Accipit, & tento ſtringitur uda ſinu.

De Vite.

Primus Echionii palmes ſe jungere Bacchi
Novit, & externo tenditur una mero.
Nexilibus gemmis fœcundos implicat artus
Vitis, & amplexum paſcit adulta genus.
Degeneriſque comæ veſtigia mitis inumbrat
Pampinus, & pingui curvat onuſta Deo.

De Oliva.

Robora Palladii decora ſilveſtria rami,
Nobilitat partus bacca ſuperba feros.
Fœcundat ſterilis pingues oleaſter olivas,
Et quæ non novit munera ferre, docet.

De Pyro.

Germine cana pyrus, niveos haud invida flores
Commodat, & varium nectit amore nemus.
Nunc rapit hirſutis horrenda ſororibus arma,
Et docet indomitas ponere tela pyros.
Nunc teretem pingui producit acumine malum,
Fraxineaſque novo flectit honore manus.
Phyllida quin etiam grandi miteſcere fructu
Inſtituens, duræ dat ſua membra cuti.
Et ſteriles ſpinos, & inertem fœtibus ornum
Dotat, & ignotum cogit amare decus.
Hujus & immiſſi vertere cydonia rami,
Pomaque confuſus blanda creavit odor.
Caſtaneæ ſeptos aſpro velamine fœtus
Exuit, & placido pondere mutat onus.
Meſpilaque exarmat pugnacibus horrida membris,
Et mala tranquillo cortice vota premit.
Creditur in Libycis ſua germina nectere ramis,
Lætaque puniceo poſſe decore frui.

De Malo Punico.

Punica non alios umquam dignata ſapores
Mala, nec externis aſſociata comis.
Ipſa ſuas augent mutato ſemine gemmas,
Et ſibi cognato picta rubore placent.

De Pomo.

Inſita proceris pergit concreſcere ramis,
Et ſociam mutat malus amica pyrum.
Seque feros ſilvis hortatur linquere mores,
Et partu gaudet nobiliore frui.
Spina feras prunos, armataque robora ſentes
Levigat, & pulchris veſtit adulta comis.
Exiguam ſorbum dulci diſtendere ſucco
Novit, & ad cupidas flectere poma manus.
Stipitibus gaudet nomen mutare ſalignis,
Et gratum Nymphis ſpargere flore nemus.
Robora thyrſigero platani concordia Baccho
Fœtibus inſtituit plena rubore novis.
Illius inſolitas miratur perſicus umbras,
Populeæque ferunt candida dona comæ.
Meſpilus huic paret, lapidoſaque viſcera mutans
Tenditur, & niveo plena liquore rubet.
Pro ſudibus fœtis, & pro prægnantibus armis
Caſtaneæ fulvum dant nova mala decus.

De Perſico.

Ipſe ſuos onerat meliori germine ramos
Perſicus, & pruno ſcit ſociare genus.
Imponitque leves in ſtipite Phyllidis umbras,
Et tali diſcit fortior eſſe gradu.

De Malo Cydonio.

Cum præſtet cunctis ſe fulva cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hoſpitio.
Roboris externi librum aſpernata ſuperbit,
Scit tantum nullo creſcere poſſe decus.
Sed propriis pandens cognata cubilia ramis,
Stat, contenta ſuum nobilitare bonum.

De Meſpilo.

Æmula dura pyri deſpecti mala ſaporis
Meſpilus admiſſo germine tuta ſubit.
Et geminis ſeſe violentior inſerit armis;
Atque avidas terrent robora ſæva manus.

De malo Citrio.

Necnon & citrii patiuntur mutua rami
Pignora, quæ gravido cortice morus alit.
Pomaque paſturi blando redolentia ſucco
Armatis mutant ſpicula nota pyris.

De Prunis.

Pruna ſuis addunt felicia germina membris,
Donaque cognato corpore læta ferunt.
Exarmat fœtus, ſed brachia roboris armat
Caſtaneæ prunus juſſa tenere larem.

De Siliqua.

Aſſueſcunt ſiliquæ viridi molleſcere ſucco,
Et gremio paſcunt cætera poma ſuo.

De Ficubus.

Perſuadet moris tetrum mutare colorem
Ficus, & invaſis dat ſua jura comis.
Se quoque miratur pingui grandeſcere ſucco,
Et ſolitum gaudet vincere poma modum.

In-

Inſignes foliis platanos, felicia menſis
Brachia gaudentes vitis honore comas.
Ingrediens pingui ſe cortice maxima ficus
Servat, & optatos implet adepta ſinus.

De Moro.

Mutua quin etiam moris commercia ficus
Præſtat, & oblatum robore germen alit.
Fraxinus huic avidæ confert ſua membra ſorori,
Et metuit fœtus ſparſa cruore novos.
Proceras fagos, & poma hirſuta virentis
Caſtaneæ, duris aſpera mala comis
Inficiens, monſtrat piceo nigreſcere partu,
Et ſucco paſcit turgida poma novo.
Obſequitur moris blando terebinthus odore,
Et geminis veniunt munera miſta bonis.

De Sorbis.

Sorba ſuos partus merito majoris honeſtant
Seminis, & pulchro curva labore nitent.
Hæc arbos ſpinæ duros mucronibus artus
Exuit, ac libris mitibus arma tegit.
Aureaque annexo miſcere cydonia fœtu
Gaudet, & externi dona coloris amat.

De Ceraſo.

Inſeritur lauro ceraſus, partuque coacto
Tingit adoptivus virginis ora pudor,
Umbrantes platanos, & iniquam robore prunum
Compellit gemmis pingere membra ſuis.
Populeaſque novo diſtinguit munere frondes,
Sic blandus ſpargit brachia cana rubor.

De Amygdalo.

Phyllis odoratos primævis floribus artus
Diſciſſi pruni cortice fixa tegit.
Pomaque permutat velamine perſica miſto,
Duritiemque docet tegminis eſſe loco.
In modicam tornat ſiliqua tendente figuram,
Et frondes pulchro ditat odore feras.
Caſtaneamque trucem depulſis cogit echinis
Mirari fructus levia poma ſui.

De Piſtaciis.

Quin & amygdaleos ſubeunt piſtacia ramos,
Et debitum majus de brevitate petunt.
Hæc & cognato cingens terebinthus amictu
Nutrit adoptivis nobilitanda comis.

De Caſtanea.

Flumineam ſalicem fœcundant ardua membra
Caſtaneæ, & multo paſta liquore vigent.

De Nuce.

Arbuteas frondes vaſtæ nucis occupat umbra,
Pomaque ſub duplici cortice tuta refert.
Cætera, quæ ſolers proceſſu temporis uſus
Exprimet, exemplis inſtituere novis.
Hæc ſat erit tenui verſu memoraſſe poetam,
Quem juvat effoſſi terga movere ſoli.
Carmina tu duros inter formata bidentes
Aſpera, ſed miti ruſticitate leges.

Q. SERENI SAMONICI
DE MEDICINA.
LIBER.

De medicinæ Præcepta ſaluberrrima.

MEmbrorum ſeries certo deducta tenore
Ut ſtet, & aſſimilis medicinæ defluat ordo,
Principio celſa de corporis arce loquamur.
Phœbe ſalutiferum, quod pangimus, aſſere carmen,
Inventumque tuum prompto comitare favore.
Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Noſti, atque in cælum manes revocare ſepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placidi tectus ſub pelle draconis,
Tarpeias arces, atque indita templa petiſti,
Depellens tetros præſenti numine morbos,
Huc ades, & quidquid cupido mihi ſæpe roganti
Firmaſti, cunctum teneris expone papyris.

II. Capiti medendo.

BAlſama ſi geminis inſtillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.
Vel quæ ſeptenis cenſentur gramina nodis,
Utiliter nectes, vel corno ex arbore ſertum
Pulegiumve potens una ſuper aure locabis,
Aut illud miſto recoquens clementer aceto,
Cauta nare trahes, ſeu viſco lintea nexo
Induces fronti, ſeu tritæ gramina mentæ.
Spongia cum tepidis adnexa liquoris imbris
Profuit: aut hedera ex oleo colata vetuſto.
Profuit & cochleis frontem tractare minutis,
Si nocuit cerebro violentia ſolis aperto;
Sæpe chelidonia ex acido perducta liquore
Sanavit. proſunt & amica papavera ſomno,
Si prius in lento madefacta terantur olivo.

III. *Hemicranio medendo.*

PORtio ſi capitis morbo tenretur acuto,
Allia diverſam lana conтеcta per aurem
Inducta proſunt, & eodem balſama pacto.
Allia vel ternis piperis terna addita granis,
Trita lines: certam dabit hæc tibi cura ſalutem.

IV. *Porrigini depellendæ.*

ESt inſenſibilis morbus, ſed noxia forma,
Cum caput immenſa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus edita ſaxis.
Hanc poterit malvæ radix decocta levare.
Aut tu fœniculum, nitrumque, & ſulphura viva
Contere, deinde caput permiſtis ablue cunctis:
Furfuribuſve novis durum miſcebis acetum,
Ut varios crines tali des unguine puros.
Prodeſt & tarda demptus teſtudine ſanguis,
Et prodeſt cedro demiſſus ab arbore ſuccus.
Deſinet interea glomerari farrea nubes,
Ceſſabitque gravis crebræ porriginis imber.

V. *Capillo tingendo.*

QUos pudet ætatis longæ, quos ſancta ſenectus
Offendit, cupiunt properos abſcondere canos,
Et nigrum crinem fuco ſimulare doloſo,
His prodeſt acri contrita cupreſſus aceto,
Vel frons lentiſci, vel triſtia poma ſabuci.
Lumbrici quoque terreſtres miſcentur olivo,
Et juvenem præſtant redivivo flore capillum.
Præterea niveum poterit depellere crinem
Reſina ex facili cera viſcoque coacta.
Ad rutilam ſpeciem nigros flaveſcere crines
Unguento cineris prædixit Tullius auctor.
Si prægnans artus captivi ſoricis edit,
Dicuntur fœtus nigrantia lumina fingi.

VI. *Phthiriaſi arcendæ.*

NOxia corporibus quædam de corpore noſtro
Progenuit natura, volens abrumpere ſomnos
Senſibus, & monitis vigiles intendere curas.
Sed quis non paveat Pherecydis fata tragœdi,
Qui nimio ſudore fluens animalia terra
Eduxit, turpi miſerum quæ morte tulerunt.
Sylla quoque infelix tali languore pereſus
Corruit, & fœdo ſe vidit ab agmine vinci.
Sæpius ergo decet mordax haurire ſinapi:
Vel nitro ac ſale permiſtis, acidoque liquore
Laxatis (ut ſint ſimul allia) tangere corpus:
Aut lacrymis hederæ, aut ſucco perducere cedri.
Quin etiam furfur miſto medicatur aceto.
Unda maris lendes capiti deducit iniquas,
Et quidquid crebri defendit ſilva capilli.

VII. *Prurigini, papulis, ac ſcabiei arcendis.*

ILlotus ſudor, vel copia nobilis eſcæ
Sæpe gravi ſcabie correptos aſperat artus.
Ergo lutum prodeſt membris adhibere fricatis,
Quod facit ex aſino ſaccatus corporis humor.
Nec pudeat tractare fimum, quem bucula fudit.
Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis,
Sic pavidum corpus dextra parcente foveto.
Proderit ex oleo pulvis, quem cogerit alte
Dulcibus ex latebris patiens formica laborum.
Convenit hinc tepido lita tradere corpora ſoli.
Ferventes papulas oleo curato liquenti,
Aut acido Baccho miſcebis farra lupini,
Atque hinc in calido percurres membra lavacro.
Pruritus autem ſalſos levat humor aceti,
Sive maris rabidi ſudor, cochleæque minutæ,
Quarum contactu perimetur acerba libido.

VIII. *Phreneſi, & capiti purgando.*

EX vitio cerebri Phreneſis furioſa movetur,
Amiſſaſque refert frendens amentia vires,
Sive calens febris jactatos exedit artus,
Sive meri guſtus, ſeu frigoris efficit aura;
Conveniet calidis pecudum pulmonibus apte
Tempora languentis medica redimire corona.
Illotis etiam lanis ſuffire memento
Ceritum: ſæpe horrendi medicantur odores,
Atque ideo ſanos etiam curarier eſt par.
Purgatur cerebrum manſa radice pyrethri.
Ungitur & ſuccis, dederit quos parva ſabucus.
Expreſſuſque hederæ mandatur naribus humor.
Aut miſtum rutæ cerebro inſtillatur acetum.
Non ſemper præſens dolor eſt ſanabilis: ergo
Cura magis prodeſt venturis obvia morbis.

IX. *De fluore capillorum, & maculis capitis tollendis.*

DEfluit expulſus morbo latitante capillus,
Si raro lavitur, ſeu vis epota veneni,
Seu ſalamandra potens, nulliſque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.
Nonnunquam variant maculæ, parviſque parumper
Orbibus aſperſum ducit nova vulnera tempus.
Vipereæ pellis cinerem his apponito rebus,
Roboreaſve pilas urſino jungito ſevo,
Vel teſtudineo mala permulceto cruore.

X. *Humoribus & perfrictionibus medendis.*

SÆpe ita pervadit vis frigoris, ac tenet artus,
Ut vix quæſito medicamine pulſa recedat.
Si ranam ex oleo decoxeris, abjice carnem,
Membra fove. parili ſanat ratione rigorem
Urticæ ſemen, perceptaque frigora vincit.
Et cervina poteſt mulcere medulla rigorem.
Decoctum raphani ſemen cum melle vorabis.
Sive fel urſinum tepefacta dilue lympha.
Proderit hoc potu. ſeu caſſis oſtrea teſtis
Uſta dabit cinerem, qui pro ſale ſumptus in eſcis
Decutiet gelidum calefacto vertice virus.
Nonnullus liquidum ſumit mulſumque ſinapi,
Atque palato agitat pariter retinenſque, vomenſque.
Allia nonnulli mandunt, oleive liquore
Profundunt calido cerebrum, naſique latebras.
Quidam lactucæ credunt prodeſſe ſapores.
Curandi modus hic & ſuavis & utilis idem eſt.

XI. *Elephantiaſi propellendæ.*

ESt elephas morbus, triſti quoque nomine dirus,
Non ſolum turpans infandis ora papillis,
Sed cita præcipitans funeſto fata veneno.
Huic erit adverſus cedri de cortice ſuccus,

Muſtelæque cinis, vel fuſus ſanguis ab illa.
Nonnulli dixere ſerum prodeſſe bibendo.
Mentaſtri folium potu, appoſituque ſalubre eſt.
Nec fruſtra bulbos & ſulphura jungis aceto.
Præterea nitrum debes cum melle jugatum
Spagere lacte bovis, varias ſic ungere frontes.
Ceruſſam, & chartam, quam gens Ægyptia mittit,
Thura ſimul, miſceque oleum, quod flore roſarum
Conditum eſt: line ſic faciem, ſic redde ſalutem.

XII. *Cutis & faciei vitiis propellendis.*

INvida ſi maculat faciem lentigo decoram,
Nec prodeſſe valent naturæ dona benignæ,
Erucam atque acidum laticem ſimul illine malis.
Proderit & bulbus mellis dulcedine victus,
Crudave dulcacido miſcebis rapa liquori.
Sanguine vel leporis morbus delebitur oris.
Frons ſalicis cum flore ſuo contrita medetur.
Sepiolæ cineres ex oſſibus omnia tollunt.
Cygneos adipes hilari miſceto Lyæo,
Omne malum propere maculoſo ex ore fugabis.
Horrebit ſi livor atrox, aut nigra cicatrix,
Attrito ſapone genas purgare memento,
Rugarum ſulcos lentiſci maſtiche tendens.
Si vero vitium eſt, quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poteris cohibere ſaliva,
Seu folio platani, quod manſum mane vorabis.
Fœda fluunt curvi quæ purgamenta cameli,
Urentur, cineremque dabunt, jungentur aceto
Maſcula thura ſimul, divinaque cura valebit.

XIII. *Aurium vitiis ſuccurrendis.*

CUm ſævus teneras dolor alte ſauciat aures,
Fraxinea in flammis fundit quem talea ſuccum
Inſtilles, ſive obſcœnos ex virgine rores,
Aut ſuccum ex folio, dederit quem populus alba.
Sæpe chelidoniæ rapidum ſociatur acetum,
Adjunctoque nitro procedit cura ſalubris.
Mentaſtri liquor expreſſus conducere fertur.
Infectum violis oleum bene conſulit auri.
Annoſa rubros ſi legeris arbore vermes,
Ex oleo tere, ſic tepidos infunde dolenti.
Si vero obtuſa ſenſus remoretur in aure,
Lumbricos terræ, ſevumque ex anſere rauco
Excoque: ſic veterem poteris depellere morbum.
Felque bovis ſurdis etiam prodeſſe loquuntur,
Si jungas olidæ grave quod minxere capellæ.
Si vero incautas animal penetraverit aures,
Proderit admiſto pavidi fel muris aceto.
At ſi lympha nocens pervaſerit, anſetis aptus
Immittetur adeps ceparum non ſine ſucco:
Qui gravis eſt oculis, ſenſum tamen auribus auget.
Vis & Phœbigenæ divinam diſcere curam,
Sitque vel annoſis confecta doloribus auris,
Allia tum ſeptem numero, ſeptemque lupinos
Cretaceam dabis in teſtam: dum Delphica frondis
Addatur, miſto totum ferveſcat aceto,
Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

XIV. *Oculorum dolori mitigando.*

SUmma boni eſt alacres homini contingere viſus,
Quos quaſi cuſtodes, defenſoreſque pericli
Proſpiciens ſumma natura locavit in arce:
Sic tamen, ut nullos paterentur deſuper ictus,
Atque ſupercilio pavidi tegerentur opaco.
Sed dolor immeritum lumen ſi forte laceſſit,
Lana madens oleo noctu connectitur ante,
Viventiſve nepæ lumen geſtatur amicum.
Ex folio caulis cineres, confractaque thura,
Et laticem Bacchi, fœtæ cum lacte capellæ
Deſuper induces, atque una nocte probabis.
Hyblæi mellis ſucci cum felle caprino
Subveniunt oculis dira caligine preſſis.
Vettonicæ manſus ſiccabit lumina ſuccus.
Si tenebras oculis obducit pigra ſenectus,
Expreſſæ marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt, vel vulturis atri
Fella, chelidoniæ fuerint queis gramina miſta:
Hæc etiam annoſis poterunt ſuccurrere morbis.
Fel quoque de gallo mollitum ſimplice lympha
Exacuet puros dempta caligine viſus.
Sive columbarum fimus miſcetur aceto,
Seu fel perdicis parili cum pondere mellis.
Vina chelidoniæ ſimili ratione jugantur,
Efficiuntque ſuo præclaros unguine viſus.
Aſpera quin etiam mulcent & rupta reducunt.
Si genus eſt morbi miſerum, quod lumen adurit,
Hic calor infuſo miteſcit lacte canino,
Anguibus ereptos adipes ærugine miſce,
Hi poterunt ruptas oculorum jungere partes.
Si vero horrendum ducent glaucomata peplum,
Spiritus alterius prodeſt, qui grana cumini
Pallentis mandens viſus exhalat in ipſos.
Si tumor inſolitus typho ſe tollat inani,
Turgentes oculos vili circumline cœno.

XV. *Dentium vitio, & oris fœtori medendo.*

HAud facile eſt acrem dentis tolerare dolorem,
Quo magis eſt æquum medicam pernoſcere curam.
Cum Baccho violas decoxeris, ore teneto.
Manſus item prodeſt ſuccis oleaſter acerbis:
Hinc oſcedo fugit, linguæ quoque vulnera cedunt.
Cum vino piper & nitro tepidum inde dolenti.
Sæpe chelidoniæ ſucco vel lacte capellæ
Saneſcunt dentes. aut tauri felle juvantur.
Aut acidi latices clauſo volvuntur in ore.
Manditur apta rubus gingivis, & bona labris.
Lentiſcus myrtuſque emendant oris odorem.
Quod vero aſſumpſit nomen de dente fricando,
Corvino ex cornu cinis eſt, aut ungula porcæ
Torrida, vel cinis ex ovis, ſed non ſine vino,
Muricis aut toſti, vel bulbi extincta favilla.
Ambitioſa putas, ſunt iſta ſalubria cunctis.
Exeſos autem dentes ſi forte quereris,
Ure fimum muris, patulis & hiatibus adde,
Vel cinerem dentis cervini extinguere aceto
Convenit, atque cavis immittere partibus apte.
Prodeſt & pulvis lumbrici corpore toſto.
Ora ambuſta cibo ſanabis lacte canino.
Sæpe etiam gelida gingivas collue lympha,
Dentibus ut firmum poſſis ſervare vigorem.
Si vero infandum proſerpit ad intima vulnus,
Permiſceto ſalem parili cum pondere thuris,
Hinc tractato locum, miram experiere medelam.
Aut tu ſume pilam, quæ caudis hæret ovinis.
Hæc ſiccata dabit molles & fracta farinas,
Hujus & attritis tetrum mulcebitur ulcus.

XVI. *Uvæ,*

XVI. *Uvæ, faucibus, collo, & quæ mollienda ſunt, medendis.*

Æ Greſcunt teneræ fauces, cum frigoris atri
Vis ſubiit, vel cum ventis agitabilis aer
Vertitur, atque ipſas flatus gravis inficit undas:
Vel rabidus clamor fracto cum forte ſonore
Planum radit iter. ſic eſt Hortenſius olim
Abſumptus. cauſſis etenim confectus agendis
Obticuit, cum vox domino vivente periret,
Et nondum extincti moreretur lingua diſerti.
Ergo omni ſtudio quæres inhibere dolorem.
Simplicibus lymphis confunditur aerium mel,
Additur excuſſus nivea ſimilagine furfur,
Decocta hæc clauſo ſimul exercentur in ore.
Præterea fauces extrinſecus ungere prodeſt
Urſino & tauri ſevo ceriſque remiſſis,
Omnia quæ geminis æquabis lancibus ante.
Diſce etiam miram ex humili medicamine curam.
Actiaco melli jungas agreſte papaver,
Decoctumque ſimul mandes, manſumque vorabis.
Crinitæ porri radices quinque coquantur,
Hinc aqua non fervens volvatur fauce ſonora,
Nec tamen in ſtomachum deſcendat gutta patentem.
Si vero adflictam languor dejecerit uvam,
Tunc horas aliquot pronus recubare memento,
Aut illam pulvis toſti relevabit anethi,
Aut cinis ex cochlea, vel torrida braſſica flammis.
Verum angina ſibi miſtum ſale poſcit acetum,
Quod refert clauſo verſatum agitare palato.

XVII. *De rigore cervicis.*

A T ſi cervices, durataque colla rigebunt,
Mira loquar, geminus mulcebitur unguine poples,
Hinc longum per iter nervos medicina ſequetur:
Anſeris aut pingui torpentia colla fovebis.
Illinitur valido multum lens cocta in aceto,
Aut capræ fimus, & bulbi, aut cervina medulla,
Hoc etiam immotos flectes medicamine nervos.
Quos autem vocitant Tolles, attingere dextra
Debebis, qua gryllus erit preſſante peremptus.

XVIII. *Tuſſi, & choleribus medendis.*

N Oxia ſi penitus cholerum ſævire venena
Perſpicies, cocta lactucæ fronde levabis.
Proderit & caules aſſumere ſæpe madentes.
Interdum fauces tuſſi quatiuntur atroci,
Allia tum ſumes decocta, & melle peruncta.
Semina vel raphani permiſto dulcia melle.
Aut ſi fraxinea ſemen de fronde revellis,
Interiora vora vetitus contingere dente.
Ovum melle teres domitum ferventibus undis,
Marrubiumve potens, hæc faucibus optima ſumes,
Frænabiſque gravem facili medicamine tuſſim.

XIX. *Digeſtioni, & ſtomacho medendo.*

Q Ui ſtomachum regem totius corporis eſſe
Contendunt, vera niti ratione videntur:
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra:
At contra ejuſdem franguntur cuncta dolore.
Quin etiam (niſi cura juvat) vitiare cerebrum
Fertur, & integros illinc avertere ſenſus.
Lactucæ ſemen nigræ, quod lignea pila
Triverit, admiſto jejunus ſumito melle:
Sed cochlear trinum guſtu tibi ſufficit uno.
Aut tritum ſemen raphani, mulſumque juvabit:
Sive duæ partes abſinthi, & tertia rutæ
Decoctis potantur aquis, ſiliquæque madentes,
Semina vel marathri fœtæ cum lacte capellæ.
Pulegium quoque decoctum curabit amice.
Et potu, & fotu ſtomacho conducit acetum.
Seu cochleas undis calefactas ac prope victas
Suppoſitis torre prunis, vinoque garoque
Perfuſas cape, ſed prodeſt magis eſſe marinas.
At male digeſtis ſi crapula ſæviet eſcis,
Ex pipere & calida florem de rore marino
Ebibe: ſeu ſalibus piper adde, & tenue cuminum,
Quæ coctis tinges epulis, & rapta vorabis.
Aut cubitum pergens ſuccum cape triſtis anethi.
Ventriculis mergi raptus ſal tritus & uſtus
Toſto pane ſuper, piperis quoque pulvere multo
Miſcentur, capies divinum munus in iſtis.
Proderit hoc ſtomacho, victas & concoquet eſcas.
Grana peregrini piperis diffindito quinque,
Niliaco melli quæ mane inſerta capeſſes.

XX. *Felli, vomitui, vel phthiſi arcendis.*

L Utea ſi creſcunt, & cunctis noxia fella,
Allia parva novem, piperis tot permole grana,
Quæ cyatho diluta gari mandeſque bibeſque.
Hæc iterum ſeptena capis, poſt denique quina.
Præterea caules, frondet ſi parva ſabucus,
Decoctos ſale permiſces, ac jungis olivo.
Tunc capis, ac tali auxilio fella horrida purgas.
Proſunt, & pelagi latices, quos pondere juſto
Dulcibus aſſocias lymphis, mellique liquenti.
Et niveus prodeſt ex ubere ſuccus aſellæ,
Si tepido vino infundas, ac mella piperque.
At vomitum radix narciſſi pota movebit.
Si vero phthiſis annoſo ſedet improba morbo,
Intritas vino cochleas hauſiſſe juvabit.
Proderit & veteris ſevi pila ſumpta ſuilli.
Carne aſinæ ſevoque capræ medicina ſalubris.

XXI. *Mammis ſanandis, vel ſtringendis.*

U Bera fœcundo multum lactantia ſucco
Sæpe ſibi noxæ nimium manando fuerunt:
Fæce igitur valida duri reprimentur aceti.
Poſt partum tumidas injuſte aſſurgere mammas
Interdum aſpicies: harum mala commemoratur
Murinus fimus ex pluvio ſedare liquore.
Sin autem clauſas penitus dolor angit acerbus,
Lumbricis terræ turgentes ungue corymbos.
Si caſtigatas ſtudium eſt præſtare papillas,
Ex hedera ſertis ambas redimire memento
Protinus & raptas ſumis mandare coronas.
Anſeris aut ſevum pariter cum lacte tepenti,
Aut ovum illinito, tulerit quod garrula perdix.
Præterea pluvio decocta papavera rore
Hæreſcunt multis poſt diſſolvenda diebus.
Vis & Phœbigenæ cæleſtia ſumere dona,
Ubera cum tetris laniata doloribus horrent?
Navis ramentum, & quæ nomine praſſion herba eſt,
Et quæ vulgari ſermone Inſana vocatur,
* Græcos hyoſcyamon propria ſcito dicere lingua,
Nec non & calami radix, lapathique legumen,
Miſta dabunt miras (experto crede) medelas.

XXII. *Rejectioni cibi, aut ſanguinis reſtringendæ.*

SI ſtomachus nondum concoctas expuit eſcas,
Et magis atque magis vitiis revomendo valeſcit,
Allia cædemus, crebrumque trahemus odorem.
Sin etiam rutilus confertur pectore ſanguis,
Sorbitium mentæ, raphanus vel cocta juvabit.
Sæpe lapis teritur (Specularem nomine dicunt)
Et miſtis hauritur aquis, ſiſtitque cruorem.
Uritur interdum raptus de ſubere cortex,
Et cinis ex calido prodeſt epota Lyæo.
Ovorum cinis, aut cochlearum, aut denique mellis,
Aut manſus ſalicum fructus prodeſſe putatur,
Aut platani pilulas acri infundemus aceto.
Nullus erit ſanguis, quem non cibus iſte moretur.

XXIII. *Jecoris, & lateris vitiis medendis.*

SI molles jecoris fibras dolor hauriet acer,
Protinus ex mulſa potanda eleliſphacus herba eſt:
Sumitur & ſemen, quod fraxinus alta profudit,
Vulturis atque jecur, vel jus perdicis apricæ.
Præterea ſimili drachma pix dura piperque
Franguntur, ſic in mollito pulvere juncta
Egelidis miſcentur aquis, recreantque bibentem.
Abſinthi quoque decocti potabitur humor,
Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accenſum tinges lapidem ſtridentibus undis.
Hinc bibis; aut aceris radicem tundis, & una
Cum vino capis. hoc præſens medicamen habetur.
Quid referam multis compoſta Philonia rebus?
Quid loquar antidotum variis? quis & iſta requirat?
At nos pauperibus præcepta feramus amica.
Nec non & jecoris quæretur fibra lupini,
Jungenturque ſimul coſtum, foliumque, piperque,
Quæ diluta mero dantur potanda Lyæo.
Eſt & vis morbi, quod telum commemoratur,
Cum ſubito dolor inſanus furit incitus ictu,
Perſicon huic potum e nuce traditur interiore,
Quæ mihi cura ſatis caſu monſtrante probata eſt.

XXIV. *Spleni curando.*

QUando lien tumido circumligat ilia vinclo,
Et plenum ſplenis demonſtrant membra rigorem,
Mollibus ex hedera tornantur pocula lignis,
Hinc trahet aſſuetos æger quoſcumque liquores:
Aut viridis coctorum olerum potabitur unda.
Proderit exuſto fluvialis hirudo cruore,
Sive myrica potens, ſeu ros cum pane marinus,
Aut hederæ ſuccus potu appoſituque juvabit.
Nec non intactam ferro quam videris alnum,
Huic liber eripitur ferro ſine, decoquiturque,
Donec victarum pars tertia ſubſit aquarum.
Hinc medico potu pulſus dolor omnis abibit.
Nonnulli memorant conſumi poſſe lienem,
Ervum ſi ſemper jejuno ſumpſerit ore.
Arida ficus item fervente domatur aceto,
Et trita illinitur, vel ſplen apponitur hœdi.
Marrubium in vino potum prodeſſe loquuntur.
Præterea piper, ac nepetæ cum flore & anethum,
Capparis, atque apium, bugloſſaque jungitur una:
Horum decoctos latices potare ſalubre eſt.
Pulegium, abrotonum nitida cum maſtiche coctum
Ac thymbræ ſpeciem (quam commemorant cephalothen)
Prædixit ſpleni Deus Idæ poſſe mederi.
Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lieni.
Splen tumidus nocet, & riſum tamen addit ineptum,
Ut mihi Sardois videatur proximus herbis,
Irrita quæ miſeris permiſcent gaudia fatis.
Dicitur exectus faciles auferre cachinnos,
Perpetuoque ævo frontem præſtare ſeveram.

XXV. *Præcordiis ſanandis.*

LAnguida ſi duro turgent præcordia morbo,
Miſcetur mulſæ farris ſextarius unus,
Nec non & lini tunſum, ſiliquæque legumen.
Hæc decocta ſimul, nondumque tepentia nectes.
Aut quæ poma Cydon Cretæis miſit ab oris,
Cocta lines, durum ut poſſis mollire tumorem.
Ocyma præterea, bulbive linuntur amari.
Proderit & lymphis corpus merſare marinis.
Quin etiam catulum lactantem apponere membris
Convenit: omne malum tranſcurrere fertur in illum.
Cui tamen extincto munus debetur humandi.
Humanos quoque contactus mala tanta ſequuntur,
Et junctus vitium ducit de conjuge conjux.
Quod ſupereſt thridaci junges ramenta carinæ,
Quodque decem ex rebus conſit ſimul atque vocatur,
Maſtichis addentur fractæ jam mollia farra.
Talibus auxiliis præcordia tuta reſident.

XXVI. *Lumbis, & renibus ſanandis.*

CUm ſævit penitis hærens injuria lumbis,
Igne lapis candens datur exultantibus undis,
Hoc poteris potu triſtem ſuperare dolorem.
Aut pice cum melli nitrum ſulphurque & acetum
Succida lana rapit contacta calentibus iiſdem,
Proderit hanc ægris crebro perducere membris.
Aut caput aſparagi cum vino ſume vetuſto,
Seu mavis appone: modus conducit uterque.
Aut adipi miſtum lumbis inducito ſulphur.
Sæpe chelidoniam cum ſucco Palladis addes.
Farraque, quæ tremulis profunt ſudantia flammis.
Fertur amygdalinæ ſuccus nucis eſſe bibendus:
Pinſitur, ac tepidis ſorbebitur addita lymphis.
Aut tres ex vino cochleas ferveſcere coges,
Cumque ſuis domibus franges, piperis quoque grana
Ter quinque adjicias, potuſque juvaberis illo.
Furfur item parca fuerit cum fervidus unda,
Poſt oleo madidus ſuccis immittitur aptis,
Quæ vix paſſuris urentes addito membris.
Prodeſt cervinæ vehemens natura medullæ.
Nec nocuit ciceris cocti potaſſe liquorem.
Aut miſtam teneris malvam contundito porris,
Contritumque ſimul cum maſtiche confer anethum,
Quodque decem rebus componi ex nomine clarum eſt,
His continge locum: Deus hæc mihi certa probavit.

XXVII. *Ventris dolori mitigando.*

SI dolor inſanus tota deſævit in alvo,
Heminis tribus in lympha tu decoque tritum,
In vino prius hyſſopum, validam quoque rutam,
Aut apium, donec pars duplex deſit aquarum.
Potus erit medicus non detractante palato.
Præterea nivei ſterilis toſta uritur ovi.
Quæ poſtquam in tetram fuerit converſa farinam,
Ex calidis potatur aquis, & pota medetur.
Nec non jungenda eſt utero nova virga myricæ,

Illæſ

Illæſa hæc ferro terraque intacta teratur.
Aut medio ventris prodeſt aſpergere terram,
Quam ſignaverunt veſtigia preſſa rotarum.
Proderit & pulvis facili ſub cardine raptus.
Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum
Conveniet, quod jam nobis documenta probarunt.
Mentha quoque hoc pacto medicos dabit hauſta ſapores.
Cæliacos autem recreabis pane ſalubri,
Quem madido farre efficies, ac mollibus ovis:
Quorum teſta fero prius evaneſcere aceto
Refert, & teretes bulbos mollire terendo,
Cumque his Lenæi durum potare fluentum.

XXVIII. *Hydropiſi depellendæ.*

CORrepti jecoris vitio, vel ſplenis, acerbus
Creſcit hydrops, aut cum ſiccatæ febre medullæ
Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem,
Tum lympha interius vitio gliſcente tumeſcit,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.
Conveniet teneræ radix decocta ſabuci
In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.
Nec non & tepidis convolves corpus arenis.
Appoſituque leves nepetæ, guſtuque juvabunt.
Helleboro quoque purgatur lymphaticus error.
Aut hujus vice quod fert ſemen lenta geniſta
Miſcetur, mulſis & cautis ducitur undis,
Sæpe & ſcyllino pelluntur noxia Baccho.
Eſt qui prævalidum frixo ſale miſcet acetum.
Atque olei ſucco refricant albentia membra.
Fraxineum ſemen cum Bacchi rore bibendum eſt.
Nec non appoſito curantur dropace membra.
Aut calido ſalicis radicem mollit Iaccho,
Qui ſolito raptos ventos, ſuccoſque revellit.
Unguine quo frangit vires languoris aquoſi.

XXIX. *Ventri molliendo.*

SÆpe cibi ſpecie, vitio vel corporis ipſo,
Potibus aut duris reſtricta morabitur alvus.
Vincetur talis mora gramine Mercuriali,
Cujus aquam cocti minimo cum melle bibemus.
Prunaque conveniunt, quæ mittit clara Damaſcus.
Multos præterea medici componere ſuccos
Aſſuerunt: pretioſa tamen cum veneris emptum,
Falleris, fruſtraque immenſa nomiſmata fundes.
Quin age, & in tenui certam cognoſce ſalutem.
Aut igitur tectum lana ſupponis alumen,
Aut edis in patinis teneræ decocta ſabuci,
Vel cum lacte capræ ſalſum mulſumque capeſſes.
Crede tamen potum meliorem lactis equini.
Dicitur hic validos aſinæ pervincere ſuccos.
Silveſtris fici lacrymam prodeſſe loquuntur.
Quodque ſatis melius verbis dicemus Horatii,
Mugilis, & viles pellent obſtantia conchæ.
Sed cochleas prius eſt urtica aut furfure paſci:
Purior hinc guſtus noxa ſine moverit alvum.
Sæpe thalaſſomeli junctum cumulavimus imbri:
Hæc purgant, parili fuerint ſi pondere miſta.

XXX. *Solutioni ventris, & dyſenteriæ compeſcendæ.*

TAm varii caſus mortalia ſecla fatigant,
Ut ſint diverſis obnoxia corpora morbis.
Sæpe etenim nimio curſu fluit impetus alvi.
Frænat commiſto cum fervet braſſica vino.
Aut ceraſi victum longo jam tempore pomum,
Succus aminææ vitis cum pane medetur,
Vel bene permiſtum calida potatur acetum.
Vile quidem, facile factu, tamen utile opinor.
Si lædunt medica data purgatoria dextra,
Adjecto piperis medicatur pulvere calda.
Sin autem longo decurrent intima fluxu,
Atque immane malum multo jam tempore gliſcit,
Torridus ex vino cortex potabitur ovi.
Ramentum nivei credunt prodeſſe elephantis.
Arbore Pyramea cortex direpta coquetur
Axe ſub æthereo, ſi nigro miſta Lyæo
Immenſum poterit potu retinere fluorem.
Numinis aut juſſu cedrum cum maſtiche miſces,
Mollitamque picem, & raſum de navibus unguen,
Languida quo fidens medicamine membra fovebis.
Proderit & pueris quos dentis origo fatigat,
Caſtaneas coxiſſe nuces, & ſorba vetuſta,
Atque apium, cauleſque, rubus quos fundit acuta,
Potio quæ fluidam conſumpta morabitur alvum.

XXXI. *Lumbricis & tineis purgandis.*

QUid non adverſum miſeris mortalibus addit
Natura, interno cum viſcere tinea ſerpens,
Et lumbricus edax vivant inimica creanti?
Quod genus aſſiduo laniat præcordia morſu:
Sæpe etiam ſcandens oppletis faucibus hæret,
Obſeſſaſque vias vitæ concludit anhelæ.
Ergo cinis cornu cervini proderit hauſtus,
Vel nepetæ tritum ex vino vel lacte capellæ,
Nec non & ſuccus medici potatur aceti.
Prodeſt præterea cum Baccho perſica frondis.
Democritus memorat menthæ conducere potum.
Sumitur abrotonum, necnon & vile melanthum.
Allia per ſeſe ſanant, aut jus coriandri.
Quin & marrubium decoctum hauſtumque juvabit.
Pulegiumve potens, & agreſte jugatur anethum:
Syntheſis hæc prodeſt unda mollita calenti.

XXXII. *Colo ſedando.*

CUm colus inviſum morbi genus intima carpit,
Mande galeritam volucrem quam nomine dicunt,
Aut pavidi leporis madefacta coagula pota.
Sive apio nepetas tereti cum maſtiche junges,
Nec non & ſpecies ambas redolentis anethi,
Quarum decoctos patiens haurito liquores.

XXXIII. *Veſicæ, & calculo purgando, & urinæ provocandæ.*

SI cui veſicæ tardus cunctabitur humor,
Hæc mora rumpetur vino pervicta vetuſto.
Prodeſt ex parvis acinos potare ſabucis,
Aut hederæ ſuccum, aut lacrimoſi trita ſinapis.
Nec non reſinas ex Oricia terebintho
In ſpeciem erviliæ parvos glomerabis in orbes,
Quos ternos tepida miſtos hauſiſſe medela eſt.
Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, obſcœnoque inficit imbri:
Ergo cinis cornu cervini proderit hauſtus,
Vel nepetæ ex vino tritum, vel lacte capellæ.
Tum leporis cerebrum ex vino potare decebit.
Si dolor internam veſicæ concoquit alvum,
Subveniet radix frondoſæ epota cypreſſi,

Pulegiumve

Pulegiumve potens domitum ferventibus undis.
Si vero in lapides denſus convertitur humor,
Qui retinet curſus, gemitumque dolore frequentat,
Saxifragam ſeu fontigenam ſuccurrere credunt.
Præterea ſemen myrti ſylveſtris Iaccho
Atque oleo miſtum bibitur, nec deſit acetum,
Vinaque ſumantur fricto condita cumino.
Sive palumborum capitur fimus acre ferorum
Dulcacidis ſparſum ſuccis trituque ſolutum:
Necnon obſcœnus capræ potabitur humor.
Obruit hic morbum, labefactaque ſaxa remittit.

XXXIV. *Conceptioni & partui.*

IRrita conjugii ſterilis ſi munera languent,
Et ſobolis ſpes eſt multos jam vana per annos,
Femineo fiat vitio res, necne, ſilebo:
Hoc poterit quartus magni monſtrare Lucreti.
Sed natura tamen medicamine victa potenti
Sæpe dedit fœtus ſtudio curante paratos.
Aut igitur leporis conſumit femina vulvam,
Aut ovis in ſtabulis fractas cum ruminat herbas,
Pendentem ſpumam molli deducit ab ore,
Atque illam meminit miſto potare falerno.
Mercurialis item capitur communiter herba:
Sic cubitum noctu conjunx feſtinet uterque.
Atque ubi jam certum ſpondet prægnatio fœtum,
Ut facili vigeat ſervata puerpera partu,
Dictamnum bibitur, cochleæ manduntur edules.
Atqui olim menſes minus octo moratus in alvo,
Irrumpit thalamos, & nexus ſolvit inertes.
Pulegii quoque purgati tunc convenit imber,
Cujus opem veram caſus mihi ſæpe probarunt.
Quin etiam ſtercus ſupponunt vulturis atri,
Sentiat ut minime partus quam proximus urget.
Ova etiam rutæ & fragili miſcentur anetho,
Quæ diluta ſimul vino, atque exhauſta medentur.

XXXV. *Profluvio cujuſque ſanguinis, & matrici ſubveniendæ.*

SI modicus pleno manat de corpore ſanguis,
Subvenit: at nimius cum vita funditur ipſa.
Quapropter multo naris completa cruore
Cum fluit, attritus cimex conducit odore.
Lana oleo madefit, ſed nondum lauta roſato,
Hæc datur in nares, vel claudet denſius aures.
Contritis prodeſt cochleis perducere frontem,
Aut galli cerebro, vel ſanguine tinge columbæ.
Quod niſi ſupprimitur ſanguis, potandus & ipſe eſt.
Præterea Phariis caput emetire papyris.
Detrahe quod ſupereſt, alio genitalia necte.
Femineas prodeſt illic vincire mamillas,
Menſtruus immenſo ſi profluit impete ſanguis.
Succida lana malos remoratur ſubdita curſus,
Mortua quinetiam producit corpora partu.
Sed quacumque fluit vis immoderata cruoris,
Subereus cortex calidis potatur in undis
Ante minutatim ſtudio vincente terendus.
Pulegii calido purgatur femina potu.
Sed ſi forte cruor clauſa cunctabitur alvo,
Aut molles nepetæ, aut rutæ quæcumque bibentur.
Aut ſi puniceos fundit veſica liquores,
Marrubium ex paſſo tritum perfunditur undis,
Hi poterunt hauſtus rutilum purgare colorem.
Relliquias partus eadem tibi detrahit herba.
Quod ſi feminei properabit ſanguinis imber,
Eſt qui fruſta molæ percuſſu decutit uno,
Quorum aliquod lanis tectum ad præcordia nectit,
Hæc ſimul incantans ſiſti debere cruorem,
Ut lapis ille viæ ſolitos jam deſtitit orbes.

XXXVI. *Internecandis, quæ oculos impediunt.*

MObilis hirſutas horret laſcivia ſetas,
Et gaudet rapto nudari flore pilorum.
Sed bona nonnumquam vellendi cauſa videtur,
Corpora cum relevat, ratio manifeſta ſalutis.
Namque oculos infeſta pilorum tela laceſſunt,
Quodque illis dederat callum natura tuendis,
Inde inimica ſeges proprios deſævit in orbes.
Ergo locum crinis vulſi continge cruore,
Quem dat avis, tremulis ſimulat quæ pellibus alas.
Præterea quaſcumque voles avertere ſetas,
Atque in perpetuum rediviva occludere tela,
Corporibus vulſis ſaniem perducito ranæ,
Sed quæ parva ſitu eſt, & rauco garrula queſtu.
Necnon quæ ſtagnis ceſſantibus hæſit hirudo,
Sumitur, & vivens Samia torretur in olla.
Hæc acidis jungit permiſta liquoribus artus,
Avulſamque vetat rurſus percreſcere ſylvam.

XXXVII. *Omnibus obſcœnis medendis.*

DIcendum & quæ ſit membris medicina pudendis.
Languidus antiquo purgatur penis Iaccho,
Ac ſuper illinitur fœcundæ felle capellæ.
Mane novo myrti frondes commandere prodeſt
Cui dolet, atque illas in vulnus deſpuat ipſum.
Fæce etiam vini genitalia lauta levantur,
Et tumidos teſtes Nereia lympha coercet,
Vel bulbi ex mulſo, vel cera immiſta cupreſſo,
Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.
Ramicis immenſum fertur cohibere tumorem
Far madidum lympha, & ferali fronde cupreſſi,
Unde etiam potu frons hæc memoratur amica.
Sin autem exiſtit durum tibi glandibus inguen,
Proderit induci cochleas cum melle minutas.
Obſcœnos ſi pone locos nova vulnera carpent,
Horrentum manſa curantur fronde ruborum.
At ſi jam veteri ſuccedit fiſtula morbo,
Muſtelæ cinere immiſſo purgabitur ulcus,
Sanguine ſeu ricini quem bos geſtaverit ante.
Herba chelidoniæ fertur cum melle mederi,
Herbaque cum ſevo foliis de mille vocata.

XXXVIII. *Iſchiæ, & articulari morbo curando.*

SÆpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit, & greſſus diro languore moratur:
Populus alba dabit medicos de cortice potus.
Necnon & teneræ gracili de fronde geniſtæ
Arreptos caules, acidoque liquore madentes
Sumere conveniet, rubiam quoque ducere potu,
Aut in aminæo cochleas haurire Lyæo.
Si vero articulos tabes inimica per omnes
Hæſerit, ex ficu betas ac melle ligabis,
Vel pelagi latices ſimul & Baccheia dona
Sumere curabis, nimio ſed parcito vino.
Ennius ipſe pater dum pocula ſiccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores.

XXXIX. *Furunculo medendo.*

CUm ſanguis nimius puri commiſtus atroci
Æſtuat, & papulas alte ſuſtollit acutas,
Reſinam miſces, & ſaxis hordea fracta.
Conſperſa hæc tepidis opponere convenit undis.
Vis & hyoſcyamum ceræ ſevoque jugatum
Nectere, non minus hæc poterit medicina juvare.
Prætereaque fimum ex gallo quod legeris albo,
Imbribus ex acidis fidens appone dolenti.
Auribus aut pecudum molles expromito ſordes,
Unguine quo ſotis dabitur medicina papillis.

XL. *Carboni medendo.*

HOrrendus magis eſt, perimit qui corpora, carbo:
Urit hic incluſus, vitalia rumpit acerbus:
Hunc veteres quondam variis pepulere medelis.
Tertia namque Titi ſimul & centeſima Livi
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exectum, aut poto raporum ſemine pulſum:
Infecti dicens vix ſeptem poſſe diebus
Uitam produci: tanta eſt violentia morbi.
Dulcacidum laticemque cumini ſemine junges,
Atque fimum pariter Paphiæ compone columbæ.
Hinc line diruptas partes, & clauſa venena.
Præterea triti referant & operta lupini,
Nonnullus calcem vivam diſſolvit aceto,
Fumantemque nivem papulis apponit acerbis.
Eſt qui gallinæ perducat ſtercore corpus.
Allia vel piperi parce commiſta linuntur.
Pythagoræ cognata levi condita cumino
Proderit, & madida fermentum polline turgens.

XLI. *Pani, vomicæ, & ſtrumæ depellendis.*

SUnt alii, quos dura movet natura, tumores
Non minus horrendi, ſed non ita pernicioſi,
omica qualis erit, vel eidem proxima quædam.
implice reſina miſcebimus hordea tuſa,
t mulſos amnes, & purgamenta columbæ:
iis bene decoctis languentia membra foventur,
Iollis odorato faba jungatur coriandro.
roderit appoſitum, mollitque aperitque tumorem.
ut de phaſganio radix decocta paluſtri,
uæ ſalis admiſto tundetur condimento.
roderit & manſum quod traxeris arbore viſcum.
ramen hyoſcyami ceræ ſevoque vetuſto
oncilia, miſtiſque locos perduce dolentes.
xercere etiam corpus medicina potens eſt.
vum defundes in fictile, deinde putamen
larrubii ſucco implebis, poſt melle liquenti
mnia conſociata tepenti proſpera potu
imuntur, referantque malum, purgantque levantque.

XLII. *Igni ſacro demovendo.*

St etiam morbi ſpecies, quæ dicitur ignis,
Languida quo multo torrentur membra calore.
el tu vicino ſevum bovis igne remittis,
ollitumque lines, vel oloris fœcibus ova,
d non cocta dabis: ſic torrida membra fovebis.
umbricus terræ miſto inducetur aceto,
t parili nova ruta modo, ſed jungis olivum,
raque cum betis proſunt ſæpe illita tritis.
lia dant cinerem, ſociato oleoque garoque,

Unguine quo gliſcens deponet flamma furorem.
Sæpe chelidoniæ pars candida jungitur ovi:
Quæ modico potu ſed vili trita capeſſes,
Admiſcere memor lymphas amnemque falerni.

XLIII. *Podagræ depellendæ.*

QUædam ſunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe
Dixit ineſſe deus; requiem tamen indere morbo
Fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem.
Ergo age & arreptum ſalicis frondemque librumque
Cum vino tere, ſic contractos perline nervos.
Aut cum prima mali ſeſe oſtentabit origo,
Fervida non timidis tolera cauteria plantis,
Seminecisve hirci reſerato pectore calces
Inſere, ſic diræ reprimes primordia peſtis.
Aut ſi corruptus perſederit altius humor,
Trita cupreſſus ibi Baccho jungetur acerbo,
Panibus & teneris, cohibebitque addita queſtus
Parva ſabucus item hircino collita ſevo,
Triticeæque acido manantes amne farinæ,
Aut nitidum ranæ decoctum viſcus olivo,
Sive chelidoniæ ſuccus ſale miſtus aceto.
Sunt quibus appoſita ſiccatur hirudine ſanguis.
Non audita mihi ſit fas, ſed lecta referre:
Hoc quidam raptus morbo per tempora meſſis
Vicino plantas frumenti preſſit acervo,
Evaſitque gravem caſu medicante dolorem.

XLIV. *Vulneribus ferro aut verberibus factis.*

NAturæ vitiis medicas objecimus artes.
Nunc & fortunæ jaculis obſiſtere par eſt.
Si cui forte lapis teneros violaverit artus,
Necte adipes vetulos & tritam chamæciſſon,
Nec pudeat luteæ ſtercus perducere porcæ.
Sin autem ſævo laceratum eſt verbere corpus,
Tum lixiva cinis ceras diſſolvit & ova,
Admiſtoque oleo vibices comprimit atras.
Si vero infrenus manat de vulnere ſanguis,
Purpura torretur conchyli perlita fuco,
Hujus & atra cinis currentem detinet undam.
Verrucæ quoque defectæ frænare cruorem
Dicitur ambuſtus Tyrio de vellere pulvis.
Præterea nimios reſerati vulneris amnes
Peniculi cinis aſtringit, vel fimbria porri.
Sive fimus manni cum teſtis uritur ovi,
Et reprimit fluidos miro medicamine curſus.

XLV. *Vulneribus quibuſcumque caſibus factis.*

TAm varia humanæ ſunt vulnera conditionis,
Ut nequeam proprias cunctis aſcribere curas.
Iiſdem igitur monitis caſus armabimus omnes,
Sic tamen, ut nullus medicinam eluſerit error.
Ergo modus quicumque obtingit vulneris atri,
Contritus cum melle dabit medicamina bulbus:
Herbaque, quæ foliis nomen de mille recepit,
Appoſitu prodeſt adipi permiſta vetuſto.
Succida cum tepido nectetur lana Lyæo,
Ambuſtæve cinis complebit vulneris ora.
Concludit vero vel frons vel ramus ab ulmo,
At ſuccis hederæ pulchreſcit fœda cicatrix.

XLVI. *Hominis ac ſimiæ morſui.*

SIve homo, ſeu ſimilis turpiſſima beſtia nobis
Vulnera dente dedit, virus ſimul intulit atrum,
Betonicam ex duro prodeſt aſſumere Baccho.
Necnon & raphani cortex decocta medetur,
Si trita admorſis fuerit circumlita membris.

XLVII. *Serpentium morſibus, & viperæ viru excludendis.*

CUſpide non quiſquam, longæ neque cæde ſariſſæ,
Fulmine non gladii, volucris nec felle ſagittæ,
Quam cito vipereo potis eſt affligier ictu.
Quare aptam dicamus opem, ſuccoſque medentes.
Quem nocuit ſerpens, fertur caput illius apte
Vulneribus jungi, ſanat quem ſauciat ipſa:
Utque Lariſſæa curatur Telephus haſta.
Proderit & caulem cum vino haurire ſabuci,
Aut coctum raphani librum tritumque ligare,
Sive etiam excelſa folium de mole cupreſſi,
Manavit lactans caprifici ſuccus oſellam,
Aut tithymallus atrox vulnus contrita perungit.
Carduus eſt nondum doctis fullonibus aptus,
Ex illo radix tepido potatur in amni.
Cervino ex fœtu commiſta coagula vino
Sumuntur, quæ res membris agit atra venena,
Aut ferulæ radix potatur in imbre Lyæi,
Betonicæve leves, gallinæ aut jura vetuſtæ.
Si vero hórrendum vulnus fera fecerit aſpis,
Urinam credunt propriam conducere potu,
Varronis fuit iſta ſenis ſententia: necnon
(Plinius ut memorat) ſumpti juvat imber aceti.
Dicendum, & quæ ſit præcox medicina timenti
Cautio: namque poteſt diros prævertere morſus,
Si jecur exectum tardo de vulture portes.
Erucis aut ſi totos perduxeris artus,
Quas prius attritas vehementi ſpargis aceto.
Aut tu cervina per noctem in pelle quieſces,
Aut genere ex ipſo dentem portabis amicum.
Toxica præterea qua ſint pellenda medela,
Expediam: ſanguis poterit prodeſſe caninus,
Qui facili potu antidotos imitatur honeſtas.
Vis & mirificos cautus prædiſcere odores,
Accenſis quibus arcetur teterrima ſerpens,
Aut ſtyracem torres, aut diri vulturis alam,
Vel nepetam, aut frondem rigidæ ſtirpemque myricæ.

XLVIII. *Ictibus Scorpii, & morſibus Muris cæci, vel Aranei.*

SUnt minimæ ſpecies, ſed diræ vulnere peſtes,
Quæ magis in tenui latitantes corpore fallant,
Scorpius ut gravis eſt & araneus, hæc male ſemper
Captant ſecuros multa jam nocte ſopores,
Et documenta dedit nobis proſtratus Orion,
Magna quod exiguis perimantur ſæpe venenis.
Et quum vulnus atrox incuſſit ſcorpius ardens,
Continuo capitur, tunc digna cæde retuſus,
Vulneribuſque aptus, fertur revocare venenum,
Aut calidis pelagi lymphis loca læſa foventur,
Sive meri potu diſſolvitur improba peſtis.
Ad cunctos autem morſus ictuſque minorum
Caſeus aptus erit ſimæ de lacte capellæ,
Cumque hoc abſumi debebit origanus herba:
Hæc duo mirificis curabunt icta medelis.
Necnon peniculo calidum annectetur acetum,
Aut vivum ſulphur ſicci cum fæce Lyæi.

Exiguo piperis cerebrum conſpergito galli,
Quo lita ſaneſcunt depulſo membra dolore.
Sin autem muris nocuit violentia cæci,
Quæ ſola ſignavit volvendis orbita plauſtris,
Illine, mira datur vili de pulvere cura.

XLIX. *Subitaneo dolori, febri, atque oſtocopo.*

NOnnunquam exiſtit ſubiti nova cauſa doloris
Cujus origo latet, veris reprimenda medelis.
Namque chelidoniam miſto ſale nectere prodeſt,
Velleraque infuſo recalentia ſulphure ſanant.
Oſtocopon lento conducit melle perungi.
Sin autem calidæ depaſcent corpora febres,
Tunc apii ſuccus leni ſociatur olivo.
Membra lines, fotuque ferus mulcebitur ignis.
Nec ſpernendus adeps, dederit quem beſtia melis.
Seminecis cervi lacrymam miſcere liquori
Convenit, atque artus illinc mulcere calentes:
Sic lacerat morbum, bilemque revolvit in alvum.
Præterea chymum ſtomacho deſiccat iniquum,
Quæ magis atque magis promittunt oorpora claudi.
Febribus aut longis galli nova jura vetuſti
Subveniunt, etiam tremulis medicantia membris.

L. *Quartanæ typo medicando.*

NEc tu crede levem dilato tempore febrem,
Quæ ſpatium ſibi dat, magis ut ceſſando caleſcat,
Letali quæ graſſatur quartana calore,
Ni medicas adhibere manus curemus & herbas.
Allia non pudeat terno cum cimice trita,
Et diluta mero mediis haurire diebus.
Aut facilem jecoris murini ducere fibram,
Quatuor ut duri jungantur ſcrupula Bacchi.
Mira eſt abſinthi cum ſimplice potio lympha.
Sume tribus digitis apprenſum ſemen anethi,
Tantundem marathri, mulſum nec deſit aceti,
In cujus cyatho prædicta ſalubriter hauris.
Mæoniæ Iliados quartum ſuppone timenti,
Aut leporis trepidi diluta coagula trade.
Prodeſt & potus, ſed mulſus Doridis humor.
Quidam etiam miranda ferunt, veniente calore,
Jurantes ludum Veneris munuſque petendum.
Sed prius eſt oleo partus ferveſcere ranæ,
In triviis, illoque artus perducere ſucco.

LI. *Tertianæ typo medicando.*

ESt etiam alternis febris rediviva diebus,
Tempora diſcernens quaſi juſtæ pondera libræ.
Ut poſſis igitur talem prohibere furorem,
Involves cera pallentis grana cumini,
Puniceæque indes pelli, colloque ligabis.
Pulegii ramus lanæ velatus amictu
Tempore ſuſpecto medicos præbebit odores.
Præterea tritus cimex potatur in ovo,
Horridus attactu, ſed guſtu commodus apto.

LII. *Quotidianæ typo medicando.*

AT qui continuis non ceſſat adire diebus,
Sed tantum certas morbus diſcriminat horas,
Triticeum metuit granum (ſi credere dignum eſt)
Quod latitans fracto fuerit ſub pane repertum,
Nec non oſſa juvant ſeptis inventa domorum.

Ce-

Convenit hæc tereti pendentia ſubdere collo.
Multaque prætereà verborum monſtra ſilebo:
Nam febrem vario depelli carmine poſſe
Vana ſuperſtitio credit, tremulæque parentes.

LIII. *Hemitritæo depellendo.*

MOrtiferum magis eſt, quod Græcis hemitritæum
Vulgatur verbis, hoc noſtra dicere lingua
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.
Inſcribis chartæ, quod dicitur Abracadabra,
Sæpius & ſubter repetis, ſed detrahe ſummam,
Et magis atque magis deſint elementa figuris
Singula, quæ ſemper rapies, & cetera figes,
Donec in anguſtum redigatur littera conum.
His lino nexis collum redimire memento.
Nonnulli memorant adipem prodeſſe leonis.
Coralium vero ſi cocco nectere velles,
Nec dubites illis virides miſcere ſmaragdos,
Talia languentis conducent vincula collo,
Letaleſque abigent [miranda potentia] morbos.

LIV. *Fracturis, & luxis ſanandis.*

INfandum dictu cunctis procul abſit amicis,
Sed Fortuna potens omen convertat in hoſtes.
Vis indigna novo ſi ſparſerit oſſa fragore,
Conveniet cerebrum blandi canis addere fractis,
Lintea deinde ſuperque inductas nectere lanas,
Sæpius & ſuccos conſpergere pinguis olivi.
Bis ſeptem credunt coaleſcere cuncta diebus.
Aut veteri Baccho capræ fimus inde petulcæ,
Hoc aperit clauſum, trahit hærens, ſanat apertum.
Si vero caput infeſtus colliſerit ictus,
Ex oleo necti veſtis debebit arachnes,
Neſciet hæc illinc (niſi cum ſanarit) abire.
Quod ſi luxa ſuo decedent membra tenore,
Urere femineos crines, ac jungere ſevum
Congruet, ac tali medicamine mota ligare.
Aut malum ex pingui tritum appoſuiſſe juvabit.
Aut ſi concluſum ſervavit tibia vulnus,
Stercus ovis placidæ junges adipeſque vetuſtos,
Pandere quæ poterunt ulcus, patuloque mederi.

LV. *Nervis inciſis, & dolentibus, atque contractis.*

HAud quiſquam credet diſſectos vulnere nervos
Ad ſolitum rurſus revocari poſſe vigorem.
Sed prodeſt terræ lumbricos indere tritos,
Queis vetus & ranæ ſociari axungia debet.
Si vero occultus nervos dolor urit inertes,
Vulturis exciſos adipes rutamque remitte,
Aut ceram, & tali recreabis languida fotu.
Convenit & pelagi calidis perfundier undis.
Carica, vel betis lento cum melle jugatur.
Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupreſſi,
Quo poteris potu recreare rigentia membra.
Sin autem ſubito replicantur corpora morbo,
Contractos revocat nervos caro ſumpta columbæ.

LVII. *Ægris ſomno adſciſcendo.*

NOn ſolum miſeros teterrima febris adurit,
Sed ſuper optato pergit viduare ſopore,
Ne proſint placidi cæleſtia munera ſomni.
Charta igitur, variis quam pinxit littera verbis,
Uritur, inde cinis calido potatur in amni.
Proderit & magnum capiti ſubſternere fulcrum,
Prodeſt & miſtam lymphis potare cupreſſum,
Palladiis itidem ſuccis, quos flore roſarum
Jungis, & immiſces madidum tritumque papaver;
Quo lita frons facilem præbebit nocte quietem.
Necnon mandragoræ guſtu ſopor additur altus.
Dilue prætereà glomeramina, quæ gerit intus
Clauſa aries inter geminæ coxendicis umbras,
Inde ſoporati ducentur gutture potus.

LVII. *Lethargiæ expellendæ.*

DIximus hanc ſortem miſeris mortalibus eſſe,
Ut ſint ſæpe mala inter ſe contraria morbi,
Denique nonnunquam ſomno ſic membra gravantur,
Ut conjungatur leto ſopor altus acerbo.
Ergo levi flamma torrentur cornua capræ,
Quo nidore gravem depellent lumina ſomnum.
Aut veneris labrum, quæ dicitur herba, bibetur,
Quæ teritur prius, & vino confuſa liqueſcit.
Conveniunt acidis euphorbia miſta fluentis,
Gramina vel rutæ, gemina ſi nare trahantur.
Quidam dira jubent, ſepteno cimice trito,
Ut vitientur aquæ, cyathuſque bibatur earum.
Hæc potiora putant, quam dulci morte perire.

LVIII. *Comitiali morbo.*

ESt ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
Quod fieri nobis ſuffragia juſta recuſat.
Sæpe etenim membris atro languore caducis,
Conſilium populi labes horrenda diremit.
Ipſe deus memorat dubiæ per tempora lunæ
Conceptum, talis quem ſæpe ruina profudit.
Prodeſt cum veteri Baccho fel vulturis ampli,
Sed cochlear plenum guſtu tibi ſufficit uno.
Aut cruor ex Progne miſtus cum polline thuris,
Aut apium elixum, aut conditum melle fel agni,
Marrubiumve pari confuſum pondere mellis,
Cui tu terna dabis guſtu cochlearia in uno.
Aptus muſtelæ cinis eſt & hirundinis una.
Prætereà pluvias hominis quas calva ſupina
Excepit projecta ſinu, conſumere prodeſt.
Aut lapis ex nido, vaga quem congeſſit hirundo,
Vellitur, & nexu fovet attollitque jacentem.
Pellitur (ut fama eſt) guſtu quoque languor anethi.

LIX. *Regio morbo pellendo.*

REgius eſt vero ſignatus nomine morbus,
Molliter hic quoniam celſa curatur in aula.
Huic rubia ex mulſa fertur conducere lympha.
Allia trita dabis vino madefacta calenti.
Vellera cum vivo ſuffiri ſulphure prodeſt.

LX. *Infantibus dentientibus, vel ſtrige inquietatis.*

NUdum hominem primum mater natura profudit,
Inſuper excruciat, niveis cum dentibus armat.
Collo igitur molli dentes nectentur equini,
Qui primi fuerint pullo creſcente caduci,
Aut teneris cerebrum gingivis illine porci.
Aut leporis niveum bibitur cum lacte caprino.
Prætereà ſi forte premit ſtrix atra puellos
Viroſa immulgens exertis ubera labris,

Allia præcepit Titini ſententia neſti,
Qui veteri claras expreſſit more Togatas.

LXI. *Combuſturis igne, vel frigore.*

SUnt diverſa quidem mala frigoris atque caloris,
Sed tamen amborum ſimili nocet ulcere virus.
Illa quoque uſta putes, quæ ſunt nive læſa rigente,
Converſa in cinerem platani pila curat utrumque.
At vero ambuſtum flammis, qui candidus ovi
Succus ineſt, penna inductus ſanare valebit.
Aut tu ſuccoſæ cinerem perducito lanæ,
Aut vivam ex oleo veteri componito calcem,
Hordea vel franges atque ovi candida junges,
Adſit adeps porcæ (mira eſt hæc forma medelæ)
Junge chelidoniis, ac ſic line vulnera, ſuccis.
Quodque recens uſſit glacies, axungia ſimplex
Mulcet, & ex facili grata eſt medicamine cura.

LXII. *Venenis prohibendis.*

UT tutus fias infeſtæ fraude novercæ,
Vel quicumque tuo carpetur lividus auctu,
Non expectatis eat obvia cura venenis.
Ante cibos igitur juglandis fœtus edatur.
Produnt electri rorantia pocula virus.
Præterea coctæ querno cum cortice lymphæ
Conveniunt potu, dimerſave ficus olivo.
Sæpe etiam raphanum prædixit numen edendum.
Antidotus vero multis Mithridatica fertur
Conſociata modis, ſed Magnus ſcrinia regis
Cum raperet victor, vilem deprendit in illis
Syntheſin, & vulgata ſatis medicamina riſit.
Bis denum rutæ folium, ſalis & breve granum,
Juglandeſque duas, totidem cum corpore ficus,
Hæc oriente die parco conſperſa Lyæo,
Sumebat metuens, dederat quæ pocula matri.

LXIII. *Venenis datis.*

SI nequit infandum prævertere cautio virus,
Proximus ille gradus, data pocula pellere cura.
Lac aſinæ placidæque bovis prodeſſe loquuntur.
Betonicam ex parvo ſumunt plerique Lyæo.
Quod ſi hederæ ſuccos, quæ truncos implicat altos,
Inſtilles pateris, poterunt haud ulla nocere
Pocula, quæ quiſquam ſævis vitiaverit herbis.
Si quis hyoſcyamum guſtarit, lacte capellæ
Exhauſto, rabidos poterit mulcere furores.

LXIV. *Vulneribus ex re dubia curandis.*

VUlnera tabeſcunt ſpatio vitiata dierum,
Curaque nil prodeſt, nec ducitur ulla cicatrix.
Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,
Ulceris annoſi ſinus ut coaleſcere poſſit,
Marrubium ſi tu recoquas, illoque liquore
Vulnus atrox foveas, cineres vel hirundinis altæ
Inducas, leporiſve aſperſa coagula vino,
Aut hederam Baccho decoctam, & ſemen anethi,
Aut cineres alni tardo cum melle linentur.
Lumbrici terræ poterunt conducere vulnus,
Aut facilis lapathi cumulatio vulnera purgat,
Et commiſtus adeps, ſed nonnullo ſale tactus.

Pinea præterea vivo cum ſulphure cortex,
Et pice cum ſpiſſa jam perdita membra reponit.

LXV. *Verrucis tollendis.*

INterdum exiſtit turpi verruca papilla,
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhæſit,
Qui ſolus patriæ cunctando reſtituit rem.
Id poterit vitium ſanguis curare lacertæ,
Aut urina canis cum terra inducta madenti.
Aut herbæ ſuccus, quæ fertur nomine lathyr.
Et tithymallus item tali ſatis apta medelæ.
Si rupta immenſos fundit verruca cruores,
Purpureo triti cineres de vellere proſunt,
Quod fuerit vero conchyli ſanguine tinctum.

LXVI. *Hæmorrhoidibus medendis.*

EXcruciant turpes anum ſi forte papillæ,
Agreſtis prodeſt radix ſuperaddita porri.
Ni violet, ſanat juglandis fragmine clauſa.
Sal niveum ſumes, beticum quod nomine dicunt,
Dulcia cumque nigra junges fuligine mella,
Apponeſque ſuper, pellit medicina dolorem.

EJUSDEM SAMONICI PERORATIO EX MARCELLO V. IL.

Ex Magiſtro officior. Theodoſii ſenioris Imp.

QUod natum Phœbus docuit, quod Chiron Achillem,
Quod didicere olim Podalirius atque Machaon
A genitore ſuo, qui quondam verſus in anguem
Templa Palatinæ ſubiit ſublimia Romæ:
Quod Cous docuit ſenior, quodque Abdera ſuaſit,
Quod logos aut methodos ſimplexque empirica pangit:
Hoc liber iſte tenet, diverſo e dogmate ſumptum.
Namque ſalutiferas diſponit pagina curas.
Iſtic repperies per nomina, perque medelas,
Deſcriptas ſpecies & pondera menſurarum
Congrua, quæ ſapiens ſumes moderamine certo.
Ne fallare vide, neu quæ ſunt parta ſaluti,
Vertat in exitium non ſolers cura medentis.
Sume igitur medicos pro tempore, proque labore,
Ætatiſque habitu, ſumma ratione paratos.
Gramine ſeu malis ægro præſtare medelam,
Carmine ſeu potius: namque eſt res certa ſaluti
Carmen ab occultis tribuens miracula verbis.
Quæ curis hominum phyſicorum inventa pararint,
Quæque ſuis natura bonis terraque marique
Edidit illa ſuis altrix ſimul atque creatrix
Fœtibus omnigenis quos parturit. ergo ſalubres
Suggerit impenſas ponto & tellure creatas,
Angue, fera, pecude, & fruge, alite, murice, piſce,
Lacte, mero, pomis, lymphis, ſale, melle, & olivo,
Succis, unguinibus, tædis, pice, ſulfure, cera,
Polline, farre, fabis, lino, ſcobe, vellere, cornu,
Baccis, & balanis, lignis, carbone, favilla;
Floribus & variis herbis, olere atque metallis,
Sandice, & creta, pſimmythio, pumice, gypſo,
Cadmia, chalciti, chalcantho, chalco, & aduſto,
Caſſitero molli, lepide cypria, atque atramento.
Prome etiam ſeu tunde prius ſeu contere gyro,

Quod

Quod viride hortus habet, vel quod carnaria ſiccum,
Allia, ſerpyllumque herbas, thymbramque ſalubrem,
Braſſicaque & raphanos, ac longis intyba fibris,
Et mentham, & ſinapi, coriandrum, prototomumque,
Erucam, atque apium, malvam, betamque ſalubrem,
Rutamque & naſturcum, & amara abſinthia miſce,
Pulegiumque potens, necnon & lene cyminum.
Palmula nec deſint Idumes, nec pruna Damaſci.
Quæ cum multiplici contriveris orbe terendo,
In patinis excocta dabis, aut grandibus ollis.
Verum adoperta coques, ne fumida jura ſaporem
Corruptum reddant, quæ mox faſtidiat æger.
Adde & aromaticas ſpecies quas mittit Eous,
Vel quæ Judaicis fragrant bene condita capſis,
Thus, coſtum, folium, myrrham, ſtyracem, crocomagma,
Aſpalathum, gallam, helleborum, nigrumque bitumen,
Et nardum, &caſias, & amoma, & cinnama rara,
Balſama, peucedanum, ſpicam, crocum atque bedellam,
Irim, caſtoreum, ſcillamque, opium, panaceam,
Reſinam, lepidum, euphorbium, git, atque pyrethrum.
Zingiber & calidum, mordax piper, & laſer algens,
Agaricumque, aſarumque potens, aloen, aconitum,
Galbana, ſandaracam, ſampſucum, pſoricum, alumen,
Acaciam, propolimque, & adarchen, cnicon, acanthum,
Andrachnen, acoronque, opopanaca, pompholygemque,
Cyperum, ladanum, ſagapenonque & tragacanthum,
Scammoniam, cypen, malabathron, ammoniacon.
Denique repperies iſtic quod lucis in ortu,
Indus, Arabs, Seres, Perſis, diveſque Sabæus
Vicino ſub ſole legunt, quod præbet Orontes,
Eximium ignoto mittit quod Nilus ab ortu,
Decerptum foliis, ramo, cute, cortice, virga;
Quodque ab Idumæis vectum ſeplaſia vendunt,
Et quidquid confert medicis lalagea cataplus.
Hæc quicumque leges poteris diſcernere tecum,
Agnoſcenda magis ſive exercenda reares.
Quiſque tamen noſtrum hoc ſtudium dignabere, quæſo
Præſtes judicium purum, mentemque benignam.
Sic tua perpetuo vegetentur membra vigore,
Et peragas placidam per multa decennia vitam.
Sic non incuſes validam placitamqne ſenectam.
Nec tibi ſit medicis opus umquam, nec tibi caſus;
Aut morbus pariant ullum quandoque dolorem:
Sed procul a curis & ſano corpore vivas,
Quotque hic ſunt verſus, tot agant tua tempora Janos.

M. AURELII OLYMPII NEMESIANI, Poetæ Carthaginienſis, OPERA.

CYNEGETICON.

VEnandi cano mille vias: hilareſque labores,
Diſcurſuſque citos, ſecuri prælia ruris,
Pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab œſtro
Æſtuat, ingentes Helicon jubet ire per agros:
Caſtaliuſque mihi nova pocula fontis alumno
Ingerit, & late campos metatur apertos:
Imponitque jugum vati, retinetque corymbis
Implicitum, ducitque per avia, qua ſola numquam
Trita rotis. juvat aurato procedere curru,
Et parere Deo: virides en ire per herbas
Imperat: intacto premimus veſtigia muſco.
Et quamvis curſus ſe oſtendat tramite noto,
Obvia Calliope; facies inſiſtere prato
Complacito, rudibus qua luceat orbita ſulcis.
Nam quis non Nioben numeroſo funere mœſtam
Jam cecinit? quis non Semelen, ignemque jugalem
Letalemque ſimul novit de pellicis aſtu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?
Ut pater omnipotens maternos reddere menſes
Dignatus, juſſi compleret tempora partus?
Sunt qui ſacrilego rorantes ſanguine thyrſos
(Nota nimis) dixiſſe velint; qui vincula Dirces,
Piſæique tori legem, Danaique cruentum
Imperium, Sponſaſque truces ſub fœdere primo,
Dulcia funereis mutantes gaudia tædis.
Biblidos indictum nulli ſcelus: impia Myrrhæ
Connubia, & ſævo violatum crimine patrem
Novimus; utque Arabum fugiens cum carperet arva,
Ivit in arboreas frondes, animamque virentem.
Sunt qui ſquamoſi referant fera ſibila Cadmi,
Stellatumque oculis cuſtodem virginis Ius;
Herculeoſque velint ſemper numerare labores,
Miratumque rudes ſe tollere Terea pinnas
Poſt epulas, Philomela, tuas. ſunt ardua mundi
Qui male tentantem curru Phaetonta loquantur,
Extinctaſque canant emiſſo fulmine flammas,
Fumantemque Padum, Cycnum, plumamque ſenilem,
Et flentes ſemper germani funere ſilvas.
Tantalidum caſus, & ſparſas ſanguine menſas,
Condentemque caput viſis Titana Mycenis,
Horrendaſque vices generis dixere prioris.
Colchidos iratæ ſacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchræque incendia Glauces,
Non crimen Niſi, non ſævæ pocula Circes,
Nec nocturna pie furantem buſta Sororem.
Hæc jam magnorum præcepit copia vatum,
Omnis & antiqui vulgata eſt fabula Secli.
Nos ſaltus, virideſque plagas, campoſque patentes
Scrutamur, totiſque citi diſcurrimus arvis:
Et varias cupimus facili cane ſumere prædas.
Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audaceſque lupos, vulpem captare doloſam
Gaudemus. nos flumineas errare per umbras
Malumus, & placidis Ichneumona quærere ripis

Inter arundineas ſegetes, felemque minacem
Arboris in trunco longis præfigere telis:
Implicitumque ſinu ſpinoſi corporis Erem
Ferre domum: talique placet dare lintea curæ;
Dum non magna ratis vicinis ſueta moveri
Litoribus, tutoſque ſinus percurrere remis,
Nunc primum dat vela notis, portuſque fideles
Linquit, & Hadriacas audet tentare procellas:
Mox veſtros meliore lyra memorare triumphos
Accingar, divi fortiſſima pignora Cari,
Atque canam noſtrum geminis ſub finibus orbis
Litus, & edomitas fraterno numine gentes,
Quæ Rhenum Tigrimque bibunt, Ararique remotum
Principium, Niliquе bibunt ab origine fontem.
Nec taceam primum, quæ nuper bella ſub Arcto
Felici, Carine, manu confeceris, ipſo
Pene prior genitore Deo: utque intima frater
Perſidos, & veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina Regni.
Imbellemque fugam referam, clauſaſque pharetras
Parthorum, laxoſque arcus, & ſpicula nulla.
Hæc vobis noſtræ libabunt carmina muſæ;
Cum primum vultus ſacros, bona numina terræ,
Contigerit vidiſſe mihi. jam gaudia nota
Temporis impatiens ſenſus, ſpretorque morarum,
Præſumit: videorque mihi jam cernere fratrum
Auguſtos habitus, Romam, clarumque Senatum,
Et fidos ad bella duces, & milite multo
Agmina, queis fortes animat devotio mentes.
Aurea purpureo longe radiantia velo
Signa micant, ſinuatque truces levis aura dracones.
Tu modo quæ ſaltus placidos ſilvaſque pererras
Latonæ, Phœbe, magnum decus, eia age ſuetos
Sume habitus, arcumque manu; pictamque pharetram,
Suſpende ex humeris; ſint aurea tela ſagittæ:
Candida puniceis aptentur crura cothurnis:
Sit chlamys aurato multum ſub tegmine luſa,
Corrugeſque ſinus gemmatis balteus arctet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.
Tecum Naiades faciles, viridique juventa
Pubentes Dryades, Nymphæque, unde amnibus humor,
Adſint, & docilis decantet Oreadas Echo.
Duc age, Diva, tuum frondoſa per avia vatem.
Te ſequimur, tu pande domos, & luſtra ferarum.
Huc igitur mecum, quiſquis percuſſus amore
Venandi damnas lites, avidoſque tumultus,
Civileſque fugis ſtrepitus, bellique fragores,
Nec prædas avidus ſectaris gurgite Ponti.
Principio tibi cura canum non ſegnis ab anno
Incipiat primo, cum Janus temporis auctor
Pandit inocciduum biſſenis menſibus ævum,
Elige tunc curſu facilem, facilemque recurſu,
Seu Lacedæmonio natam, ſeu rure Moloſſo,
Non humili de gente canem. ſit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat ſub pectore lato
Coſtarum ſub fine decenter prona carinam,
Quæ ſenſim rurſus ſicca ſe colligat alvo.
Renibus ampla ſatis validis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in curſibus aures.
Huic parilem ſubmitte marem, ſic omnia magnum:
Dum ſuperant vires, dum læto flore juventus,
Corporis & venis primævi ſanguis abundat.
Namque graves morbi ſubeunt, ſegniſque ſenectus:
Invalidamque dabunt non firmo robore prolem.
Sed diverſa magis fœturæ convenit ætas.
Tu bis vicenis plenum jam menſibus acrem
In Venerem permitte marem: ſit femina, binos
Quæ tulerit ſoles, hæc optima cura jugandis.
Sed non Spartanos tantum, tantumve Moloſſos
Paſcendum catulos: diviſa Britannia mittit
Veloces, noſtrique orbis venatibus aptos.
Nec tibi Pannonicæ ſtirpis temnatur origo,
Nec quorum proles de ſanguine manat Ibero.
Quin etiam ſiccæ Libyes in finibus acres
Gignuntur catuli, quorum non ſpreveris uſum.
Mox cum ſe bina formarit lampade Phœbe,
Ex quo paſſa marem genitalia viſcera turgent,
Fœcundos aperit partus matura gravedo
Continuo, largaque vides ſtrepere omnia prole:
Sed quamvis avidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi ſi placitum populoſos paſcere fœtus,
Jam macie tenues, ſuccique videbis inanes,
Pugnanteſque diu, quiſnam prior ubera lambat,
Diſtrahere invalidam laſſato viſcere matrem.
Sin vero hæc cura eſt, melior ne forte necetur,
Abdaturve domo, catuloſque probare voluntas,
Queis nondum greſſus ſtabiles, neque lumina paſſa
Luciferum videre jubar; quæ prodidit uſus
Percipe, & intrepidus ſpectatis annue dictis.
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibuſque leves gravibus prænoſcere curſu.
Quin & flammato ducatur linea longe
Circuitu, ſignetque habilem vapor igneus orbem.
Impune in medio poſſis conſiſtere circo.
Huc omnes catuli. huc indiſcreta feratur
Turba, dabit mater partus examine honeſtos,
Judicio natos ſervans, trepidoque periclo.
Nam poſtquam concluſa videt ſua germina flammis,
Continuo ſaltu traſcendens fervida zonæ
Vincla, rapit rictu primum, portatque cubili;
Mox alium, mox deinde alium. ſic conſcia mater
Segregat egregiam ſobolem virtutis amore.
Hos igitur genetrice ſimul, jam vere ſereno,
Molli paſce ſero; paſſim nam lactis abundans
Tempus adeſt, albent plenis & ovilia mulctris.
Interdumque cibo Cererem cum lacte miniſtra,
Fortibus ut ſuccis teneras complere medullas
Poſſint, ut validas jam tunc promittere vires.
Sed poſtquam Phœbus candentem fervidus axem
Contigerit, tardaſque vias, cancrique morantis
Sidus init, tunc conſuetam minuiſſe ſaginam
Profuerit, tenueſque magis retinere cibatus:
Ne gravis articulos depravet pondere moles.
Nam cum membrorum nexus nodoſque relaxant,
Infirmoſque pedes & crura natantia ponunt:
Tunc etiam niveis armantur dentibus ora.
Sed neque concluſos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis, noceaſque futuris
Curſibus imprudens. catulis nam ſæpe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas
Mens erit, & teneros torquent conatibus artus;
Obtunduntve novos adroſo robore dentes,
Aut teneros duris impingunt poſtibus ungues.
Mox cum jam validis inſiſtere cruribus ætas
Paſſa, quater binos volvens ab origine menſes,
Illæſis catulos ſpectaveris undique membris,
Tunc rurſus miſcere ſero Cerealia dona
Conveniet, fortemque dari de frugibus eſcam.
Libera tunc primum conſueſcant colla ligari,
Concordes & ferre gradus, clauſique teneri.
Jam cum bis denos Phœbe reparaverit ortus,

Incipe

Incipe non longo catulos producere curſu;
Sed parvæ vallis ſpatio, ſeptove novali.
His leporem præmitte manu, non viribus æquis,
Nec curſus virtute parem, ſed tarda trahentem
Membra; queant jam nunc faciles ut ſumere prædas.
Nec ſemel indulge catulis moderamine curſus;
Sed donec validos etiam prævertere ſueſcant,
Exerceto diu, venandi munere cogens
Diſcere, & emeritæ laudem virtutis amare.
Nec non conſuetæ norint hortamina vocis,
Seu curſus revocent, jubeant ſeu tendere curſus.
Quin etiam docti victam contingere prædam,
Exanimare velint tantum, non carpere ſumptam.
Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper, & in parvos iterum protendere curas.
Nam triſtes morbi, ſcabies & ſordida venis
Sæpe venit, multamque canes diſcrimine nullo
Dant ſtragem: tu ſollicitos impende labores,
Et ſortire gregem ſuffecta prole quotannis.
Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva
Admiſcere decet; catuloſque caneſque maritas
Ungere profuerit, tepidoque oſtendere ſoli,
Auribus & tineas candenti pellere cultro.
Eſt etiam canibus rabies, letale periclum;
Quod ſeu cæleſti corrupto ſidere manat,
Cum ſegnes radios triſti jaculatur ab æthra
Phœbus, & attonito pallens caput exerit orbe:
Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Cum quatit, hoc canibus blandis inviſcerat æſtus:
Exhalat ſeu terra ſinus, ſeu noxius aer
Cauſa mali; ſeu, cum gelidus non ſufficit humor,
Torrida per venas concreſcunt ſemina flammæ;
Quidquid id eſt, imas agitat ſub corde medullas,
Inque feros rictus nigro ſpumante veneno
Proſilit, inſanos cogens infigere morſus.
Diſce igitur potus medicos, curamque ſalubrem.
Tunc viroſa tibi ſumes, multumque domabis
Caſtorea, attritu ſilicis lenteſcere cogens,
Ex ebore huc trito pulvis ſectove feratur,
Admiſcenſque diu facies concreſcere utrumque:
Mox lactis liquidos ſenſim ſuperadde fluores,
Ut non cunctantes hauſtus infundere cornu
Inſerto poſſis, furiaſque repellere triſtes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.
Quin & Tuſcorum non eſt extrema voluptas
Sæpe canum: ſit forma illis licet obſita villo,
Diſſimileſque habeant catulis velocibus artus;
Haud tamen injucunda dabunt tibi munera prædæ.
Namque & odorato noſcunt veſtigia prato,
Atque etiam leporum ſecreta cubilia monſtrant.
Horum animos, moreſque ſimul, nareſque ſagaces
Mox referam: nunc omnis adhuc narranda ſupellex
Venandi, cultuſque mihi dicendus equorum.
  Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generoſa propago:
Armata & palmis nuper grex omnis avorum.
Illis ampla ſatis lævi ſunt æquora dorſo,
Immodicumque latus, parvæque ingentibus alvi;
Ardua frons, aureſque agiles, capitique decoro
Altus honos, oculique vago ſplendore micantes:
Plurima ſe validos cervix reſupinat in armos:
Fumant humentes calida de nare vapores:
Nec pes officium ſtandi tenet: ungula terram
Crebra ferit, virtuſque artus animoſa fatigat.
Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum late fœcunda proborum.
Namque valent longos pratis intendere curſus.
Nec minor eſt illis Graio quam in corpore forma.
Nec non terribiles ſpirabile lumen anheli
Provolvunt flatus, & lumina vivida torquent,
Hinnituſque cient tremuli, frænisque repugnant.
Nec ſegnes mulcent aures, nec crure quieſcunt.
Sit tibi præterea ſonipes, Mauruſia tellus
Quem mittit, modo ſit gentili ſanguine firmus.
Quemque coloratus Mazax deſerta per arva
Pavit, & aſſiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat quod turpe caput, deformis & alvus
Eſt oſſis, quodque infrenes, quod liber uterque,
Quodque jubis pronos cervix diverberet armos.
Nam flecti facilis, laſcivaque colla ſecutus,
Paret in obſequium lentæ moderamine virgæ.
Verbera ſunt præcepta fugæ, ſunt verbera fræni.
Quin & promiſſi ſpatioſa per æquora campi
Curſibus acquirunt commoto ſanguine vires,
Paulatimque avidos comites poſt terga relinquunt.
Haud ſecus effuſis Nerei per cærula ventis,
Cum ſe Threicius Boreas ſuper extulit antro,
Stridentique ſono vaſtas exterruit undas,
Omnia turbato ceſſerunt flamina ponto:
Ipſe ſuper fluctus ſpumanti murmure fervens,
Conſpicuum pelago caput eminet: omnis euntem
Nereidum mirata ſuo ſtupet æquore turba.
Horum tarda venit longi fiducia curſus:
His etiam emerito vigor eſt juvenilis in ævo.
" Nam quæcumque ſuis virtus bene floruit annis,
" Non prius eſt animo quam corpore paſſa ruinam.
Paſce igitur ſub vere novo farragine molli
Cornipedes, venamque feri,699 vetereſque labores
Effluere aſpecta nigri cum labe cruoris.
Mox lætæ redeunt in pectora fortia vires,
Et nitidos artus diſtento robore formant.
Mox ſanguis venis melior calet: ire viarum
Longa volunt, latumque fuga conſumere campum.
Inde ubi pubentes calamos duraverit æſtas,
Lactenteſque urens herbas ſiccaverit omnem
Meſſibus humorem, culmiſque armarit ariſtas:
Hordea tum, paleaſque leves præbere memento.
Pulvere quin etiam puras ſecernere fruges
Cura ſit, atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat ut plauſu ſonipes, lætumque relaxet
Corpus, & altores rapiat per viſcera ſuccos.
Id curent famuli, comitumque animoſa juventus.
  Nec non & caſſes idem venatibus aptos,
Atque plagas, longoque meantia retia tractu
Addiſcant raris ſemper contexere nodis,
Et ſervare modum maculis, linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare ſaltus
Quæ poſſit, volucreſque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.
Namque urſos, magnoſque ſues, cervoſque fugaces
Et vulpes, acreſque lupos, ceu fulgura cæli
Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.
Has igitur vario ſemper fucare veneno
Cura tibi, niveiſque alios miſcere colores,
Alternoſque metus ſub tegmine tendere longo.
Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur;
Dat Libye magnarum avium fœcunda creatrix;
Dantque grues, cycnique ſenes, & candidus anſer:
Dant, quæ fluminibus craſſiſque paludibus errant,
Pellitoſque pedes ſtagnanti gurgite tingunt:
Hinc mage puniceas nativo munere ſumes:
Namque illic ſine fine greges florentibus alis

In-

Invenies avium, ſuavique rubeſcere luto,
Et ſparſos paſſim tergo vernare colores.
His ita diſpoſitis, hyemis ſub tempus aquoſæ
Incipe veloces catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:
Venemur, dum mane novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris veſtigia ſervant.

BUCOLICON.

ECLOGA I. EPIPHUNUS,

TIMETAS TITYRUS.

Dum fiſcella tibi fluviali, Tityre, junco
Texitur, & raucis reſonant tua rura cicadis:
Incipe, ſi quod habes gracili ſub arundine carmen
Compoſitum, nam te calamos inflare labello
Pan docuit, verſuque bonus tibi favit Apollo.
Incipe, dum ſalices hœdi, dum gramina vaccæ
Detondent, viridique gregem permittere campo
Et ros, & primi ſuadet clementia ſolis.
TIT. Hos annos canamque meam, mihi chare, ſenectam
Tu juvenis, charuſque deis, in carmina cogis?
Viximus, & calamis verſus cantavimus olim,
Dum ſecura hilares ætas ludebat amores.
Nunc album caput, & veneres tepuere ſub annis:
Jam mea ruricolæ dependet fiſtula Fauno.
Te nunc rura ſonant: nuper nam carmine victor
Riſiſti calamos & diſſona flamina Mopſi,
Judice me. mecum ſenior Melibœus utrumque
Audierat, laudeſque tuas ſublime ferebat.
Quem nunc emeritæ permenſum tempora vitæ,
Secreti pars orbis habet, munduſque piorum.
Quare age, ſi qua tibi Melibœi gratia vivit,
Dicat honoratos prædulcis tibia manes.
TIM. Et parere decet juſſis, & grata jubentur.
Namque fuit dignus ſenior, quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibuſque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent, atque acta viri laudeſque ſonarent.
Sed quia tu noſtræ muſam depoſcis avenæ,
Accipe quæ ſuper hæc ceraſus, quam cernis ad amnem,
Continet, inciſo ſervans mea carmina libro.
TIT. Dic age; ſed, nobis ne vento garrula pinus
Obſtrepat, has ulmos potius fagoſve petamus.
TIM. Hic cantare libet. virides nam ſuggerit herbas
Mollis ager, lateque tacet nemus omne. quieti,
Aſpice, ut ecce procul decerpant gramina tauri.
Omniparens æther, & rerum cauſa liquores,
Corporis & genitrix tellus, vitalis & aer,
Accipite hos calamos, atque hæc noſtro Melibæo
Mittite, ſi ſentire datur poſt fata quietis.
Nam ſi ſublimes animæ cæleſtia templa,
Sidereaſque colunt ſedes, mundoque fruuntur;
Tu noſtros adverte modos, quos ipſe benigno
Pectore foviſti, quos tu Melibœe probaſti.
Longa tibi, cunctiſque diu ſpectata ſenectus,
Feliceſque anni, noſtrique noviſſimus ævi
Circulus, innocuæ clauſerunt tempora vitæ.
Nec minus hinc nobis gemitus lacrimæque fuere,
Quam ſi florentes mors invida pelleret annos.
Nec tenuit tales communis cauſa querelas;
Heu Melibœe jaces letali frigore ſegnis,
Lege hominum, cælo dignus canente ſenecta
Concilioque deum. plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat. tu ruricolum diſcernere lites
Aſſueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, ſub te reverentia juſti
Floruit: ambiguos ſignavit terminus agros.
Blanda tibi vultus gravitas, & mite ſerena
Fronte ſupercilium, ſed pectus mitius ore.
Tu calamos aptare labris, & jungere cera
Oratus, duras docuiſti fallere curas.
Nec ſegnem paſſus nobis marcere juventam,
Sæpe dabas meritæ non vilia præmia muſæ.
Sæpe etiam ſenior, ne nos cantare pigeret,
Lætus Phœbea dixiſti carmen avena.
Felix o Melibœe vale. tibi frondis odoræ
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo.
Dant Fauni, quod quiſque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnique ex arbore fruges.
Dat grandæva Pales ſpumantia cymbia lacte.
Mella ferunt Nymphæ. pictas dat Flora coronas.
Manibus hic ſupremus honos. dant carmina Muſæ:
Carmina dant Muſæ. nos te modulamur avena.
Silveſtris nunc te platanus, Melibœe, ſuſurrat,
Te pinus reboat, te quidquid carminis Echo
Reſpondent ſilvæ, te noſtra armenta loquuntur.
Namque prius ſiccis Phocæ naſcentur in arvis,
Hirſutuſque freto vivet leo, dulcia mella
Sudabunt taxi, confuſis legibus anni,
Meſſem triſtis hiems, æſtas tractabit olivas,
Ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
Quam taceat, Melibœe, tuas mea fiſtula laudes.
TIT. Perge puer; cœptum tibi jam ne deſere carmen.
Nam ſic dulce ſonas, ut te placatus Apollo
Provehat, & felix dominam perducat ad urbem,
Namque hic in ſilvis præſens tibi fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.
Sed jam ſol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos ſuadens gregibus præbere liquores.

ECLOGA II. DONACE.

IDAS, ALCON.

Formoſam Donacen puer Idas, & puer Alcon
Ardebant, rudibuſque annis incenſus uterque
In Donaces Venerem furiata mente ruebant.
Hanc, cum vicini flores in vallibus horti
Carperet, & molli gremium compleret acantho,
Invaſere ſimul, Veneriſque imbutus uterque
Tunc primum dulci carpebant gaudia furto.
Hinc amor, & pueris jam non puerilia vota,
Queis anni ter quinque hiemes, & cura juventæ.
Sed poſtquam Donacem duri clauſere parentes,
Quod non tam tenui filo de voce ſonaret,
Sollicitumque foret linguis onus improba cervix,
Suffuſuſque rubor crebro, venæque tumentes;
Tum vero ardentes flammati pectoris æſtus
Carminibus, dulcique parant relevare querela:
Ambo ævo cantuque pares, nec diſpare forma,
Ambo genas leves, intonſi crinibus ambo:
Atque ſub hac platano mœſti ſolatia caſus
Alternant, Idas calamis, & verſibus Alcon.
ID. Quæ colitis ſilvas Dryades, quæque antra Napææ,
Et quæ marmoreo pede Naiades uda ſecatis

Lit-

Littora, purpureos alitis per gramina flores,
Dicite quo prato Donacem, qua forte ſub umbra
Inveniam, roſeis ſtringentem lilia palmis?
Nam mihi jam trini perierunt ordine ſoles,
Ex quo conſueto Donacen expecto ſub antro.
Interea, tamquam noſtri ſolamen amoris
Hoc foret, aut poſſet rapidos medicare furores,
Nulla meæ trinis tetigerunt gramina vaccæ
Luciferis, nulloque biberunt amne liquores;
Siccaque fœtarum lambentes ubera matrum
Stant vituli, & teneris mugitibus aera complent.
Ipſe ego nec molli junco, nec vimine lento
Perfeci calathos, cogendi lactis in uſus.
Quid tibi, quæ noſti, referam? ſcis mille juvencas
Eſſe mihi, noſti numquam mea mulctra vacare.
Idas ille ego ſum, Donace, cui ſæpe dediſti
Oſcula, nec medios dubitaſti rumpere cantus.
Atque inter calamos errantia labra petiſti.
Heu heu nulla meæ te tangit cura ſalutis!
Pallidior buxo, violæque ſimillimus erro.
Omnes ecce cibos, & noſtri pocula Bacchi
Horreo, nec placido memini concedere ſomno.
Te ſine, væ miſero mihi, lilia nigra videntur,
Pallenteſque roſæ, nec dulce rubens hyacinthus;
Nullos nec myrtus, nec laurus ſpirat odores.
At tu ſi venias, & candida lilia fient,
Purpureæque roſæ, tum dulce rubens hyacinthus;
Tunc mihi cum myrto laurus ſpirabit odores.
Nam dum Pallas amet turgentes ſanguine baccas,
Dum Bacchus vites deus, & ſata poma Priapus,
Paſcua læta Pales; Idas te diliget unam.
Hæc Idas calamis; tu, quæ reſponderit Alcon
Verſu, Phœbe refer: ſunt aurea carmina Phœbo.
AL. O montana Pales, o paſtoralis Apollo,
Et nemorum Silvane potens, & noſtra Dione,
Quæ juga celſa tenes Erycis, cui cura jugales
Concubitus hominum totis connectere ſæclis,
Quid merui? cur me Donace formoſa reliquit?
Munera namque dedi, noſter quæ non dedit Idas,
Vocalem longos quæ ducit aedona cantus:
Quæ licet interdum contexto vimine clauſa,
Cum parvæ patuere fores, ceu libera ferri
Novit, & agreſtes inter volitare volucres:
cit rurſus remeare domum, tectumque ſubire
Viminis, & caveam totis præponere ſilvis.
Præterea tenerum leporem, geminaſque palumbes,
Super quæ potui ſilvarum præmia miſi.
Et poſt hæc, Donace, noſtros contemnis amores?
Forſitan indignum ducis, quod ruſticus Alcon
Te cupiam, qui mane boves in paſcua ducam.
Dii pecorum pavere greges, formoſus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, & pulcher Adonis.
Quin etiam fontis ſpeculo me mane notavi,
Nondum purpureos Phœbus cum tolleret orbes,
Nec tremulum liquidis ſplenderet lumen in undis:
Quod vidi, nulla tegimur lanugine malas,
Paſcimus & crinem. noſtro formoſior Ida
Dicor, & hoc ipſum mihi tu narrare ſolebas,
urpureas laudando genas, & lactea colla,
Atque hilares oculos, & formam puberis ævi.
Nec ſumus indocti calamis: cantamus avena,
Qua divi cecinere prius, qua dulce locutus
Tityrus e ſilvis dominam pervenit ad urbem.
Nos quoque te propter, Donace, cantabimur urbi,
i modo coniferas inter viburna cupreſſos,
ut inter pinos corylum frondeſcere fas eſt.

Sic pueri Donacen toto ſub ſole canebant,
Frigidus e ſilvis donec diſcedere ſuaſit
Heſperus, & ſtabulis paſtos inducere tauros.

ECLOGA III. BACCHUS.

Pan trium puerorum impulſu modulatur.

NYctilos, atque Mycon, nec non & pulcher Amyntas
Torrentem patula vitabant ilice ſolem,
Cum Pan venatu feſſus recubare ſub ulmo
Cœperat, & ſomno laſſatus ſumere vires:
Quem ſuper ex tereti pendebat fiſtula ramo.
Hanc pueri (tamquam prædam pro carmine poſſent
Sumere, faſque eſſet calamos tractare deorum)
Invadunt furto: ſed nec reſonare canorem
Fiſtula quem ſuevit, nec vult contexere carmen,
Sed pro carminibus male diſſona ſibila reddit.
Tum Pan excuſſus ſonitu ſtridentis avenæ,
Jamque videns, pueri ſi carmina poſcitis, inquit,
Ipſe canam. nulli fas eſt inflare cicutas,
Quas ego Mænaliis cera conjungo ſub antris,
Jamque ego Bacche tuos ortus, & ſemina vitis
Ordine detexam. debemus carmina Baccho.
Hæc fatus, cœpit calamis ſic montivagus Pan.
Te cano, quæ gravidis hederata fronte corymbis
Vitea ſerta plicas, qui comptos palmite tigres
Ducis odoratis perfuſus colla capillis,
Vera Jovis proles. jam tunc poſt ſidera cæli
Sola Jovem Semele vidit, Jovis ora profeſſum.
Hunc pater omnipotens, venturi providus ævi,
Protulit, & iuſto produxit tempore partus.
Tunc Nymphæ, Faunique ſenes, Satyrique procaces,
Vos etiam Nyſæ viridi nutriſtis in antro.
Quin & Silenus parvum veneratus alumnum,
Aut gremio fovet, aut reſupinis ſuſtinet ulnis,
Et vocat ad riſum digito, motuque quietem
Allicit, aut tremulis quaſſat crepitacula palmis.
Cui deus arridens, horrentes pectore ſetas
Vellicat, aut digitis aures aſtringit acutas,
Applauditve manu mutilum caput, aut breve mentum,
Et ſimas tenero collidit pollice nares.
Interea pueri floreſcit pube juventa,
Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.
Tum primum lætas oſtendit pampinus uvas,
Mirantur Satyri frondes, & poma Lyæi.
Tum deus, o Satyri maturos carpite fructus,
Dixit, & ignotos pueri calcate racemos.
Vix hæc ediderat, decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis, celerique illidere planta
Concava ſaxa ſuper properant, vindemia fervet
Collibus in ſummis, crebro pede rumpitur uva,
Nudaque purpureo ſparguntur pectora muſto.
Tum Satyri, laſciva cohors, ſibi pocula quiſque
Obvia corripiunt. quod fors dedit, hoc capit uſus.
Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:
Concavat ille manus, palmaſque in pocula vertit:
Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit
Muſta labris: alius vocalia cymbala mergit:
Atque alius latices preſſis reſupinus ab uvis
Excipit, at potus ſaliens liquor ore reſultat,
Spumeus inque humeros & pectora diffluit humor.
Omnia ludus habet. cantuſque choroſque licentes,
Et Venerem jam vina movent. raptantur amantes

Con-

Concubitu Satyri ſugientes jungere Nymphas,
Jam jamque elapſas hic crine, hic veſte retentat.
Tum primum roſeo Silenus cymbia muſto
Plena ſenex avide non æquis viribus hauſit,
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Heſternoque gravis ſemper ridetur Iaccho.
Quin etiam deus ille, deus Jove proſatus ipſo,
Et plantis uvas premit, & de vitibus haſtas
Ingerit, & lynci præbet cratera bibenti.
Hæc Pan Mænalia pueros in valle docebat,
Sparſas donec oves campo conducere in unum
Nox jubet, uberibus ſuadens ſiccare liquorem
Lactis, & in niveas adſtrictum cogere glebas.

ECLOGA IV. EROS.

LYCIDAS, MOPSUS.

Populea Lycidas, nec non & Mopſus in umbra
Paſtores, calamis ac verſu doctus uterque,
Nec triviale ſonans, proprios cantabat amores.
Nam Mopſo Meroe, Lycidæ crinitus Iolas
Ignis erat; pariliſque furor de diſpare ſexu
Cogebat trepidos totis diſcurrere ſilvis.
Hos puer, ac Meroe multum luſere furentes:
Dum modo condictas vitant in vallibus ulmos,
Nunc fagos placitas fugiunt, promiſſaque fallunt
Antra, nec eſt animus ſolitos alludere fontes.
Tum tandem feſſi, quos luſus adederat ignis,
Sic ſua deſertis nudarunt vulnera ſilvis:
Inque vicem dulces cantu dixere querelas.
MOP. Immitis Meroe, rapidiſque fugacior Euris,
Cur noſtros calamos, cur paſtoralia vitas
Carmina? quemve fugis? quæ me tibi gloria victo?
Quid vultu mentem premis, ac ſpem fronte ſerenans,
Tandem dura negas? non poſſum nolle negantem.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Reſpice me tandem puer o crudelis Iola.
Non hoc ſemper eris. perdunt & gramina flores,
Perdit ſpina roſas, nec ſemper lilia candent,
Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras.
Donum forma breve eſt, nec ſe tibi commodat annus.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Cerva marem ſequitur, taurum formoſa juvenca,
Et venerem ſenſere lupæ, ſenſere leænæ,
Et genus aereum volucres, & ſquamea turba,
Et montes ſilvæque: ſuos habet arbor amores.
Tu tamen una fugis, miſerum tu perdis amantem.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Omnia tempus alit, tempus rapit. uſus in arcto eſt.
Ver erat, & vitulos vidi ſub matribus iſtos,
Qui nunc pro nivea coiere in cornua vacca.
Et tibi jám tumidæ nares, jam fortia colla,
Jam tibi bis denis numerantur meſſibus anni.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Huc Meroe formoſa veni. vocat æſtus in umbram,
Jam pecudes ſubiere nemus, jam nulla canoro
Gutture cantat avis, torto non ſquamea tractu
Signat humum ſerpens: ſolus cano, me ſonat omnis
Silva, nec æſtivis cantu concedo cicadis.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Tu quoque ſæve puer, niveum ne perde colorem
Sole ſub hoc. ſolet hic lucentes urere malas.
Hic age, pampinea mecum requieſce ſub umbra.
Hic tibi leve fluens fons murmurat, hic & ab ulmis
Purpureæ fœtis dependent vitibus uvæ.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Qui tulerit Meroes faſtidia longa ſuperbæ,
Sithonias feret ille nives, Lybicoſque calores,
Nerines potabit aquas, taxique nocentis
Non metuet ſuccos, Sardoaque gramina vincet,
Et ſua Marmaricos coget juga ferre leones.
Cantet, amat quod quiſque; levant & carmina curas.
LYC. Quiſquis amat pueros, ferro præcordia duret,
Nil properet, diſcatque diu patienter amare,
Prudenteſque animos teneris non ſpernat in annis,
Perferat & faſtus. ſic olim gaudia ſumet,
Si modo ſollicitos aliquis deus audit amantes.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
MOP. Quid prodeſt, quod me pagani mater Amyntæ,
Ter vittis, ter fronde ſacra, ter ture vaporo
Luſtravit, cinereſque averſa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes ſulphure lauros,
Cum ſic in Meroen totis miſer ignibus arſi?
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas.
LYC. Hæc eadem nobis, varieque coloria fila,
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas,
Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt ſcopuli, migrant ſata, vellitur arbos.
Plus tamen ecce meus, plus eſt formoſus Iolas.
Cantet, amat quod quiſque: levant & carmina curas

T. CAL-

T. CALPHURNII SICULI BUCOLICON CARMEN,

Ad Nemeſianum Carthaginienſem.

ECLOGA I. DELOS.

ORNITUS, CORYDON.

NOndum ſolis equos declivis mitigat æſtas,
Quamvis & madidis incumbant præla racemis,
Et ſpument rauco ferventia muſta ſuſurro.
COR. Cernis, ut ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ
Molle ſub hirſuta latus explicuere geniſta?
Nos quoque vicinis cur non ſuccedimus umbris?
Torrida cur ſolo defendimus ora galero?
ORN. Hoc potius frater Corydon nemus, iſta petamus
Antra patris Fauni: graciles ubi pinea denſat
Silva comas, rapidoque caput levat obvia ſoli:
Bullantes ubi fagus aquas radice ſub ipſa
Protegit, & ramis errantibus implicat umbras.
COR. Quo me cumque vocas, ſequor, Ornite. nam mea Leuce
Dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis,
Pervia cornigeri fecit ſacraria Fauni.
ORN. Prome igitur calamos, & ſi qua recondita ſervas.
Nec tibi defuerit mea fiſtula, quam mihi nuper
Matura docilis compegit arundine Lygdon.
Et jam captatæ pariter ſucceſſimus umbræ.
Sed quænam ſacra deſcripta eſt pagina fago?
Quam modo neſcio quis properanti falce notavit.
COR. Aſpicis ut virides etiam nunc littera rimas
Servet? & arenti nondum ſe laxet hiatu?
Ornite fer propius tua lumina: tu potes alto
Cortice deſcriptos citius percurrere verſus.
Nam tibi longa ſatis pater internodia largus,
Procerumque dedit mater non invida corpus.
ORN. Non paſtor, non hoc triviali more viator,
Sed Deus ipſe canit: nihil armentale reſultat:
Non montana ſacros diſtinguunt jubila verſus.
COR. Mira refers. ſed rumpe moras, oculoque ſequaci
Quamprimum nobis divinum perlege carmen.
ORN. Qui juga, qui ſilvas tueor, ſatus æthere Faunus,
Hæc populis ventura cano. juvat arbore ſacra
Læta patefactis incidere carmina fagis.
Vos, o præcipue nemorum gaudete coloni,
Vos populi gaudete mei. licet omne vagetur
Securo cuſtode pecus, nocturnaque paſtor
Claudere fraxinea nolit præſepia crate:
Non tamen inſidias prædator ovilibus ullas
Afferet, aut laxis abiget jumenta capiſtris.
Aurea ſecura cum pace renaſcitur ætas,
Et redit ad terras tandem ſquallore ſituque
Alma Themis poſito, juvenemque beata ſequuntur
Secula, maternis cauſſam qui luſit in ulnis.
Dum populos Deus ipſe reget, dabit impia vinctas
Poſt tergum Bellona manus, ſpoliataque telis
In ſua veſanos torquebit viſcera morſus:
Et modo quæ toto civilia diſtulit orbe,
Secum bella geret. nullos jam Roma Philippos
Deflebit, nullos ducet captiva triumphos.
Omnia tartareo ſubigentur carcere bella,
Immergentque caput tenebris, lucemque timebunt.
Candida pax aderit, nec ſolum candida vultu,
Qualis ſæpe fuit, quæ libera Marte profeſſo,
Quæ domito procul hoſte, tamen graſſantibus armis
Publica diffudit tacito diſcordia ferro.
Omne procul vitium ſimulatæ cedere pacis
Juſſit, & inſanos clementia condidit enſes.
Nulla catenati feralis pompa ſenatus
Carnificum laſſabit opus, nec carcere pleno
Infelix raros numerabit curia patres.
Plena quies aderit, quæ ſtricti neſcia ferri
Altera Saturni revocet Latialia regna,
Altera regna Numæ, qui primus ovantia cæde
Agmina, Romuleis & adhuc ardentia caſtris,
Pacis opus docuit, juſſitque ſilentibus armis
Inter ſacra tubas, non inter bella ſonare.
Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,
Nec vacuos tacitus faſces, & inane tribunal
Accipiet conſul; ſed legibus omne reductis
Jus aderit, moremque fori; vultumque priorem
Reddet, & afflictum melior Deus auferet ævum.
Exultet quæcumque Notum gens ima jacentem,
Erectumque colit Boream, quæcumque vel ortu,
Vel patet occaſu, mediove ſub æthere fervit.
Cernitis ut puro nox jam vigeſima Cælo
Fulgeat? ut placida radiantem luce cometem
Proferat? ut liquidum mittat ſine vulnere ſidus?
Non per utrumque polum, ſicut ſolet, igne cruento
Spargit, & ardenti ſcintillat ſanguine lampas.
At quondam non talis erat, cum Cæſare rapto
Indixit miſeris fatalia civibus arma.
Scilicet ipſe Deus Romanæ pondera molis
Fortibus excipiet ſic inconcuſſa lacertis,
Ut neque tralati ſonitu fragor intonet orbis,
Nec prius ex meritis defunctos Roma penates
Cenſeat, occaſus niſi cum reſpexerit ortus.

COR. Ornite, jamdudum velut ipſo numine plenus
Me quatit, & mixtus ſubit inter gaudia terror:
Sed bona fœcundi veneremur numina Fauni.
ORN. Carmina quæ nobis Deus obtulit ipſe canenda,
Dicamus, teretique ſonum modulemur avena:
Forſitan Auguſtas feret hæc Melibœus ad aures.

ECLOGA II. CROTALE.

ASTACUS, IDAS, THYRSIS.

INtactam Crotalen puer Aſtacus, & puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Aſtacus horti,
Dilexere diu, formoſus uterque, ſed impar
Voce ſonans. terras hi cum gravis ureret æſtas,
Ad gelidos fontes, & eaſdem forte ſub ulmos
Conveniunt, dulcique ſimul contendere cantu
Pignoribuſque parant. placet, hic ut vellera ſeptem,
Ille ſui victus ne meſſem vendicet horti.
Et magnum certamen erat ſub judice Thyrſi.
Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quæcumque vagis alitum ferit aera pennis.
Convenit umbroſa quicumque ſub ilice lentas
Paſcit oves, Faunuſque pater, Satyrique bicornes.
Adfuerunt ſicco Dryades pede, Naiades udo,
Et tenuere ſuos properantia flumina curſus.
Deſiſtunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altaque per totos fecere ſilentia montes.
Omnia ceſſabant, neglectaque paſcua tauri
Calcabant: illis etiam certantibus auſa eſt
Dædala nectareos apis intermittere flores.
Jamque ſub annoſa medius conſederat ulmo
Thyrſis, &, O pueri, me judice pignora, dixit,
Irrita ſint moneo: ſatis hoc mercedis habeto,
Si laudem victor, ſi fert opprobria victus.
Et nunc alternos magis ut diſtinguere cantus
Poſſitis, ter quiſque manus jactate micantes.
Nec mora, diſcernunt digitis: prior incipit Idas.
ID. Me Sylvanus amat, dociles mihi donat avenas,
Et mea frondenti circumdat tempora tæda.
Ille etiam parvo hoc dixit mihi non leve carmen,
Jam levis obliqua creſcit tibi fiſtula canna.
AS. At mihi Flora comas parienti gramine ſpargit,
Et matura mihi Pomona ſub arbore ludit.
Accipe, dixerunt Nymphæ, puer, accipe fontem,
Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos.
ID. Me docet ipſa Pales cultum gregis, ut niger albæ
Terga maritus ovis naſcenti mutet in agna,
Quæ neque diverſi ſpeciem ſervare parentis
Poſſit, & ambiguo teſtetur utrumque colore.
AS. Non minus arte mea mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, & non genitalia poma.
Ars mea nunc malo pira temperat, & modo cogit
Inſita præcoquibus ſurrepere perſica prunis.
ID. Me teneras ſalices juvat, aut oleaſtra putare,
Et gregibus portare, novas ut carpere frondes
Condiſcant, primoque recidere gramina morſu,
Ne depulſa vagos quærat fœtura parentes.
AS. Et mihi cum fulvis radicibus arida tellus
Panditur, irriguo perfunditur area fonte,
Et ſatiatur aqua, ſuccos ne forte priores
Languida mutata quærant plantaria terra.
ID. O ſi quis Crotalen Deus adferat, hunc ego terris,
Hunc ego ſideribus ſolum regnare fatebor.
Decernamque nemus, dicamque ſub arbore, Numen
Hoc erit. ite procul (ſacer eſt locus) ite profani.
AS. Urimur in Crotalen: ſi quis mea vota deorum
Audiat, huic ſoli, virides qua gemmeus undas
Fons agit, & tremulo percurrit lilia rivo,
Inter pampineas ponetur faginus ulmos.
ID. Ne contemne caſas, & paſtoralia tecta:
Ruſticus eſt (fateor) ſed non eſt barbarus Idas.
Sæpe vaporato mihi ceſpite palpitat agnus,
Sæpe cadit feſtis devota Palilibus agna.
AS. Nos quoque pomiferi laribus conſuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo:
Roranteſque favos damus, & liquentia mella.
Nec fero grata minus, quam ſi caper imbuat aras.
ID. Mille ſub uberibus palantes paſcimus agnas:
Totque Tarentinæ præſtant mihi vellere matres:
Per totum niveus premitur mihi caſeus annum.
Si venias Crotale, totus tibi ſerviet hortus.
AS. Qui numerare velit, quam multa ſub arbore noſtra
Poma legam, citius tenues numerabit arenas.
Semper olus metimus; nec bruma, nec impedit æſtas.
Si venias Crotale, totus tibi ſerviet hortus.
ID. Quamvis ſiccus ager languentes excoquat herbas,
Sumo tamen calathos nutanti lacte coactos.
Vellera tunc dabimus, cum primum tempus apricum
Surget, & a tepidis fiet tonſura Kalendis.
AS. Et nos, quos etiam prætorrida munerat æſtas,
Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias,
Caſtaneaſque nuces totidem, cum ſole Novembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini.
ID. Num, precor, informis videor tibi? num gravis annis
Decipiorque miſer, quoties molliſſima tango
Ora manu? primique ſequor veſtigia floris
Neſcius? & gracili digitos lanugine fallo?
AS. Fontibus in liquidis quoties me conſpicor ipſe,
Admiror totiens. etenim ſic flore juventæ
Induimus vultus, in arbore ſæpe notavi
Cerea ſub tenui lucere cydonia lana.
ID. Carmina poſcit amor, nec fiſtula cedit amori.
Sed fugit ecce dies, revocatque crepuſcula veſper,
Hinc tu Daphni greges, illinc agat Alpheſibœus.
AS. Jam reſonant frondes, jam cantibus obſtrepit arbos.
I procul o Dorida, primumque recludе canalem,
Et ſine jamdudum ſitientes irriget hortos.
Vix ea finierant, ſenior cum talia Thyrſis,
Eſte pares, & ob hoc concordes vivite: nam vos
Et decor, & cantus, & amor ſociavit, & ætas.

ECLOGA III. CROTALE.

IOLAS, LYCIDAS.

NUmquid in hac Lycida vidiſti forte juvencam
Valle meam? ſolet illa tuis occurrere tauris.
Et jam pene duas, dum quæritur, eximit horas;
Nec tamen apparet. duris ego perdita ruſcis
Jamdudum, nullis dubitavi crura rubetis
Scindere, nec quicquam poſt tantum ſanguinis egi.
LYC. Non ſatis attendi: neque enim vacat. uror, Iola,
Uror, & immodice. Lycidan ingrata reliquit
Phyllis, amatque novum poſt tot mea munera Mopſum.
IO. Mobilior ventis o femina. ſic tua Phyllis?
Quæ ſibi, (nam memini) ſi quando ſolus abeſſes,
Mella etiam ſine te jurabat amara videri.

LY. Altius

LY. Altius iſta querar, ſi quando vacabis Iola.
Has pete nunc ſalices, & lævas flecte ſub ulmos:
Nam cum prata calent, illic requieſcere noſter
Taurus amat, gelidaque jacet ſpatiatus in umbra,
Et matutinas revocat palearibus herbas.
IO. Non equidem, Lycida, quamvis contemptus abibo.
Tityre, quas dixit ſalices pete lætus, & illinc,
Si tamen invenies, deprehenſam verbere multo
Huc age: ſed fractum referas haſtile memento.
Nunc age, dic Lycida, quæ vos tam magna tulere
Jurgia? quis veſtro Deus intervenit amori?
LY. Phyllide contentus (ſolus tu teſtis Iola es)
Calliroen ſprevi, quamvis cum dote rogaret.
En ſibi cum Mopſo calamos intexere cera
Incipit, & puero comitata ſub ilice cantat.
Hoc ego cum vidi (fateor) ſic intimus arſi,
Ut nihil ulterius tulerim. nam protinus ambas
Diduxi tunicas, & pectora nuda cecidi.
Alcippen irata petit, dixitque, relicto
Improbe te Lycida, Mopſum tua Phyllis amabit.
Nunc penes Alcippen manet, ac ne forte vagetur
Ah vereor. nec tam nobis ego Phyllida reddi
Exopto, quam quod Mopſo jurgetur anhelo.
IO. A te cœperunt tua jurgia: tu prior illi
Victas tende manus. decet indulgere puellæ,
Vel cum prima nocet. ſi quid mandare juvabit,
Sedulus iratæ contingam nuntius aures.
LY. Jamdudum meditor, quo Phyllida carmine placem,
Forſitan audito poterit mitefcere cantu:
Et ſolet illa meas ad ſidera ferre camœnas.
IO. Dic age. nam ceraſi tua cortice verba notabo,
Et deciſa feram rutilanti carmina libro.
LY. Has tibi, Phylli, preces jam pallidus, hos tibi cantus
Dat Lycidas, quos nocte miſer modulatur acerba,
Dum flet, & excuſſo diſpergit lumina ſomno.
Non ſic diſtricta macreſcit turdus oliva,
Non lepus extremas legulus cum ſuſtulit uvas,
Ut Lycidas, domina ſine Phyllide, tabidus erro.
Te ſine, væ miſero mihi, lilia nigra videntur,
Nec ſapiunt fontes, & aceſcunt vina bibenti.
At ſi tu venias, & candida lilia fient,
Et ſapient fontes, & dulcia vina bibentur.
Ille ego ſum Lycidas, quo te cantante ſolebas
Dicere felicem, cui dulcia ſæpe dediſti
Oſcula, nec medios dubitaſti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petiſti.
Ah dolor! & poſt hoc placuit tibi torrida Mopſi
Vox, & carmen inops, & acerbæ ſtridor avenæ?
Quem ſequeris? quem Phylli fugis? formoſior illo
Dicor, & hoc ipſum mihi tu narrare ſolebas.
Sum quoque divitior. certaverit ille tot hœdos
Paſcere, quot noſtri numerantur veſpere tauri?
Quid tibi, quæ noſti, referam? ſcis optima Phylli,
Quam numeroſa meis ſiccetur bucula mulctris,
Et quam multa ſuos ſuſpendat ad ubera natos.
Sed mihi nec gracilis ſine te fiſcella ſalicto
Texitur, & nullo tremuere coagula lacte.
Quod ſi dura times etiam nunc verbera Phylli,
Tradimus ecce manus. licet illæ & vimine torto
Scilicet, & lenta poſt tergum vite domentur,
Ut mala nocturni religavit brachia Mopſi
Tityrus, & medio furem ſuſpendit ovili.
Accipe, ne dubita, meruit manus utraque pœnas.
His tamen, his inquam manibus tibi ſæpe palumbes,
Sæpe etiam leporem decepta matre paventem
Miſimus in gremium. per me tibi lilia prima
Contigerant, primæque roſæ. vix dum bene florem
Deguſtabat apis, tu cingebare coronis.
Aurea ſed forſan mendax tibi munera jactat,
Qui metere occidua ferales nocte lupinos
Dicitur, & cocto penſare legumine panem:
Qui ſibi tunc felix, tunc fortunatus habetur,
Vilia cum ſubigit manualibus hordea ſaxis.
Quod ſi turpis amor precibus (quod abominor) iſtis
Obſtiterit, laqueum miſeri nectemus ab illa
Ilice, quæ primum noſtros violavit amores.
Hi tamen ante mala figentur in arbore verſus.
  Credere paſtores levibus nolite puellis.
  Phyllida Mopſus amat, Lycidas habet ultima rerum.
Nunc age, ſi quidquam miſeris ſuccurris, Iola
Perfer, & exora modulato Phyllida cantu.
Ipſe procul ſtabo, vel acuta carice tectus,
Vel propius latitans vicina, ut ſæpe, ſub ara.
IO. Ibimus, & veniet, (niſi me præſagia fallunt)
Nam bonus a dextra fecit mihi Tityrus omen,
Qui redit inventa non irritus ecce juvenca.

ECLOGA IV. CÆSAR.

MELIBOEUS, CORIDON, AMYNTAS.

QUid tacitus Corydon, vultuque ſubinde minaci
Quidve ſub hac platano, quam garrulus adſtrepit humor,
Infeſta ſtatione ſedes? juvat humida forſan
Ripa? levatque diem vicini ſpiritus amnis?
CO. Carmina jamdudum, non quæ nemorale reſultent,
Volvimus, o Melibœe, ſed hæc, quibus aurea poſſint
Secula cantari, quibus & Deus ipſe canatur,
Qui populos urbeſque regit, pacemque togatam.
ME. Dulce quidem reſonas, nec te diverſus Apollo
Reſpicit, o juvenis, ſed magnæ numina Romæ
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ.
CO. Quidquid id eſt, ſilveſtre licet videatur acutis
Auribus, & noſtro tantum memorabile pago:
Dum mea ruſticitas, ſi non valet arte polita
Carminis, at certe valeat pietate probari.
Rupe ſub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,
Hæc eadem nobis frater meditatur Amyntas,
Quem vicina meis natalibus admovet ætas.
ME. Jam puerum calamos & odoræ vincula ceræ
Jungere nunc cohibes, levibus quem ſæpe cicutis
Ludere conantem vetuiſti fronte paterna?
Dicentem Corydon te non ſemel iſta notavi:
Frange puer calamos, & inanes deſere muſas,
Et potius glandes, rubicundaque collige corna:
Duc ad mulctra greges, & lac venale per urbem
Non tacitus porta. quid enim tibi fiſtula reddet,
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo
Præterquam his ſcopulis ventoſa remurmurat echo.
CO. Hæc ego, confiteor, dixi Melibœe; ſed olim
Non eadem nobis ſunt tempora, non Deus idem.
Spes magis arridet. certe ne fraga ruboſque
Colligerem, viridique famem ſolarer hibiſco,
Tu facis, & tua nos alit indulgentia farre.
Tu noſtras miſeratus opes, docilemque juventam
Hyberna prohibes jejunia ſolvere fago.
Ecce nihil querulum per te, Melibœe, ſonamus
Per te ſecura ſaturi recubamus in umbra,
Et fruimur ſilvis Amaryllidos. ultima nuper
Littora terrarum, niſi tu Melibœe fuiſſes,

Ultima viſuri, trucibuſque obnoxia Mauris
Paſcua Geryonis, liquidis ubi curſibus ingens
Dicitur occiduas impellere Betys arenas.
Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,
Ah dolor! & pecudes inter conductus Iberas,
Irrita ſeptena modularer ſibila canna:
Nec quiſquam noſtras inter dumeta Camœnas
Reſpiceret: non ipſe daret mihi forſitan aurem
Ipſe Deus vacuam, longeque ſonantia vota
Scilicet extremo non exaudiret in orbe.
Sed, niſi forte tuas melior ſonus avocet aures,
Et noſtris aliena magis tibi carmina rident,
Vis hodierna tua ſubigatur pagina lima?
Nam tibi non ſolum venturos noſcere nimbos
Agricolis, qualemque ferat ſol aureus ortum,
Attribuere Dei; ſed dulcia carmina ſæpe
Concinis, & modo te Baccheis Muſa corymbis
Munerat, & lauro modo pulcher obumbrat Apollo.
Quod ſi tu faveas trepido mihi, forſitan illos
Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas
Donavit, dixitque, Truces hæc fiſtula tauros
Conciliat, noſtroque ſonat dulciſſima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in iſtis
Montibus, Hyblea modulabile carmen avena.
MEL. Magna petis Corydon, ſi Tityrus eſſe laboras.
Ille fuit vates ſacer, & qui poſſet avena
Perſonuiſſe chelym, blande cui ſæpe canenti
Alluſere feræ, cui ſubſtitit advena quercus,
Quem modo cantantem rutilo ſpargebat acantho
Nais, & implicitos comebat pectine crines.
CO. Eſt (fateor), Melibœe, Deus: ſed nec mihi Phœbus
Forſitan abnuerit, tu tantum commodus audi.
Scimus enim quam te non aſpernetur Apollo.
ME. Incipe: nam faveo. ſed proſpice, ne tibi forte
Tinnula tam fragili reſpiret fiſtula buxo,
Quam reſonare ſolet, ſi quando laudat Alexim.
Hos potius calamos, magis hos ſectare canales,
Per me qui dignas cecinerunt conſule ſylvas.
Incipe, ne dubita. venit en & frater Amyntas,
Cantibus iſte tuis alterno ſuccinet ore.
Dicite, ne mora ſit, vicibuſque reducite carmen,
Tuque prior Corydon, tu proximus ibis Amyntas.
CO. Ab Jove principium, ſi quis canit æthera, ſumat,
Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi:
At mihi qui noſtras præſenti numine terras,
Perpetuamque regit juvenili robore pacem,
Lætus & Auguſto felix arrideat ore.
AM. Me quoque facundo comitatus Apolline Cæſar
Reſpiciat, montes neu dedignetur adire,
Quos & Phœbus amat, quos Jupiter ipſe tuetur:
In quibus auguſtos viſuraque ſæpe triumphos
Laurus fructificat, vicinaque naſcitur arbos.
CO. Ipſe polos etiam qui temperat igne geluque,
Jupiter ipſe parens, cui tu jam proximus ipſe
Cæſar abis, poſito pauliſper fulmine, ſæpe
Creſſia rura petit, viridique reclivis in antro
Carmina Dictæis audit Curetica ſilvis.
AM. Aſpicis, ut virides audito Cæſare ſilvæ
Conticeant? memini, quamvis urgente procella,
Sic nemus immotis ſubito requieſcere ramis.
Et dixi: Deus hinc, certe Deus expulit Euros.
Nec mora, Pharſaliæ ſolverunt ſibila cannæ.
CO. Aſpicis, ut teneros ſubitus vigor excitet agnos,
Utque ſuperfuſo magis ubera lacte graventur?
Et nuper tonſis exundent vellera fœtis?
Hoc ego jam (memini) ſemel hac in valle notavi,
Et veniſſe Palem, pecoris dixiſſe magiſtros.
AM. Scilicet omnis eum tellus, gens omnis adorat:
Diligiturque deis, quem ſic taciturna verentur
Arbuta, cujus iners audito nomine tellus
Incaluit, floremque dedit: quo ſilva vocato
Denſat odore comas, ſtupefacta regerminat arbos.
CO. Illius ut primum ſenſerunt numina terræ,
Cœpit & uberior, ſulcis fallentibus olim,
Luxuriare ſeges, tandemque legumina plenis
Vix reſonant ſiliquis: nec præfocata malignum
Meſſis habet lolium, nec inertibus albet avenis.
AM. Jam neque damnatos metuit jactare ligones
Foſſor, & invento, ſi ſors dedit, utitur auro.
Nec timet, ut nuper, dum jugera verſat arator
Ne ſonet offenſo contraria vomere maſſa:
Jamque palam preſſo magis ac magis inſtat aratro.
CO. Ille dat, ut primas Cereri dare cultor ariſtas
Poſſit, & intacto Bromium perfundere vino,
Ut nudus ruptas ſaliat calcator in uvas,
Ut quoque turba bono plaudat ſignata magiſtro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.
AM. Ille meis pacem dat montibus: ecce per illum
Seu cantare juvat, ſeu ter pede læta ferire
Gramina, nonnullas licet hic cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro.
Turbida nec calamos exſurdant claſſica noſtros.
CO. Numine Cæſareo ſecurior ipſe Lycæus
Pan recolit ſilvas, & amœna Faunus in umbra
Securus recubat, placidoque in fonte lavatur
Nais, & humanum non calcatura cruorem
Per juga ſiccato velox pede currit Oreas.
AM. Di, precor, hunc juvenem, quem vos (niſi fallor) ab ipſo
Æthere miſiſtis, poſt longa reducite vitæ
Tempora, vel potius mortale reſolvite penſum,
Et date perpetuo cæleſtia fila metallo.
Sit Deus, & nolit penſare Palatia Cælo.
CO. Tu quoque, mutata ſeu Jupiter ipſe figura
Cæſar ades, ſeu quis ſuperum ſub imagine falſa
Mortalique lates; vivas, atque hunc precor orbem,
Hos precor æternus populos rege: ſit tibi Cæli
Vilis amor, cœptamque pater ne deſere terram.
ME. Ruſtica credebam nemorales carmina vobis
Conceſſiſſe Deos, & obeſis auribus apta:
Verum quæ imparibus modo concinuiſtis avenis,
Tam liquidum, tam dulce canunt, ut non ego malim,
Quod Peligna ſolent examina, lambere nectar.
CO. O mihi quam tenero decurrunt carmina verſu.
Tum Melibœe ſonent, ſi quando in montibus iſtis
Dicat habere Larem, ſi quando noſtra videre
Paſcua contigerit. vellit nam ſæpius aurem
Invida paupertas, & dixit, vilia cura:
At tu, ſi qua modo non aſpernanda putabis,
Fer Melibœe Deo mea carmina. nam tibi fas eſt
Sacra Palatini penetralia viſere Phœbi.
Tu mihi talis eris, qualis qui dulce ſonantem
Tityron e ſilvis dominam deduxit in Urbem,
Oſtenditque Deos, & ſpreto dixit ovili,
Tityre rura prius, ſed poſt cantabimus arma.
ME. Reſpiciat noſtros utinam fortuna labores
Pulchrior, & meritæ faveat Deus ipſe juventæ.
Nos tamen interea tenerum mactabimus hœdum,
Et pariter ſubitæ peragemus fercula cœnæ.
Nunc ad flumen oves deducite: jam fremit æſtas,
Jam ſol contractas pedibus magis admovet umbras.

ECLO-

ECLOGA V. MYCON.

FOrte Mycon ſenior, Canthuſque Myconis alumnus
Torrentem patula vitabant arbore ſolem,
Cum juveni ſenior præcepta daturus alumno,
Talia verba refert tremulis titubantia labris.
Quas errare vides inter dumeta capellas,
Canaque laſcivo concidere gramina morſu,
Canthe puer, quos ecce greges a monte remotos
Cernis in aprico decerpere gramina campo:
Hos tibi do ſenior juveni pater: ipſe tuendos
Accipe: jam certe potes inſudare labori,
Jam pro me gnavam potes exercere juventam.
Aſpicis, ut nobis jamdudum mille querelas
Afferat, & baculum premat inclinata ſenectus?
Sed qua lege regas & amantes luſtra capellas,
Et melius pratis errantes mollibus agnas,
Percipe. vere novo, cum jam tinnire volucres
Incipient, nidoſque reverſa lutabit hirundo:
Protinus hyberno pecus omne movebis ovili.
Tunc etenim toto vernanti gramine ſilva
Pullat, & æſtivas reparabilis inchoat umbras.
Tunc florent ſilvæ, viridiſque renaſcitur annus.
Tunc Venus, & calidi ſcintillat fervor amoris,
Laſcivumque pecus ſalientes accipit hircos.
Sed non ante greges in paſcua mittito clauſos,
Quam fuerit placata Pales. tum ceſpite vivo
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salſo farre voca. tepidos tunc hoſtia cultros
Imbuat, atque etiam, dum vivit, ovilia luſtra.
Nec mora; tunc campos ovibus, dumeta capellis
Orto ſole dabis, ſimul hunc tranſcendere montem
Cœperit, & primæ ſpatium tepefecerit horæ.
At ſi forte vaces, dum matutina relaxat
Frigora ſol, tumidis ſpument tibi mulctra papillis,
Implebis quod meſſe fluat: rurſuſque premetur
Mane, quod occiduæ mulſura redegerit horæ.
Parce tamen fœtis: nec ſint compendia tanti,
Deſtruat ut niveos venalis caſeus agnos.
Nam tibi præcipuo fœtura colatur amore.
Te quoque non pudeat, cum ſerus ovilia viſes,
Si qua jacebit ovis partu reſoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natoſque tepenti
Ferre ſinu tremulos, & nondum ſtare paratos.
Nec tu longinquas procul a præſepibus herbas,
Nec nimis amotæ ſectabere pabula ſilvæ,
Dum peragit vernum Jovis inconſtantia tempus.
Veris enim dubitanda fides: modo fronte ſerena
Blandius arriſit, modo cum caligine nimbos
Intulit, & miſeras torrentibus abſtulit agnas.
At cum longa dies ſitientes afferet æſtus,
Nec fuerit variante deo mutabile cælum;
Jam ſilvis committe greges, jam longius herbas
Quære: ſed ante diem pecus exeat. humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tinguntur paſcua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ.
At ſimul argutæ nemus increpuere cicadæ,
Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas
Vel campos permitte ſequi. ſine, protegat illos
Interea veteres quæ porrigit eſculus umbras.
Verum ubi declivi jam nona tepeſcere ſole
Incipiet, ſeræque videbitur hora merendæ;
Rurſus paſce greges, & opacos deſere lucos.
Nec prius æſtivo pecus includatur ovili,
Quam levibus nidis ſomnos captare volucris
Cogitet, & tremuli tremebunda coagula lactis.
Succida jam tereti conſtringere vellera junco,
Cum jam tempus erit maternas demere lanas,
Hircorumque jubas, & olentes cædere barbas:
Ante tamen ſecerne pecus, gregibuſque notatis
Conſimiles include comas; ne longa minutis,
Mollia ne duris coeant, ne candida fuſcis.
Sed tibi cum vacuas poſito velamine coſtas
Denudabit ovis, circumſpice, ne ſit acuta
Forfice læſa cutis; tacitum ne puſtula virus
Texerit occulto ſub vulnere, quæ niſi ferro
Rumpitur, ah miſerum fragili rubigine corpus
Corrodet ſanies, & putrida contrahet oſſa.
Providus (hoc moneo) viventia ſulphura tecum,
Et ſcyllæ caput atque intacta bitumina porta,
Ulceribus laturus opem: nec Brutia deſit
Dura tibi, & liquido ſimul unguine terga (memento)
Si ſint raſa, linas. vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impreſſurus ovi tua nomina. nam tibi lites
Auferet ingentes lectus poſſeſſor in arvo.
Tunc etiam dum ſiccus ager, dum fervida tellus,
Dum rimoſa palus, & multo torrida limo
Æſtuat, & fragiles nimius ſol pulverat herbas:
Lurida conveniet ſuccendere galbana ſeptis,
Et tua cervino luſtrare mapalia fumo.
Obfuit iſte malis odor anguibus: ipſe videbis
Serpentum cecidiſſe minas. non ſtringere dentes
Ulla poteſt uncos, ſed inani debilis ore
Marcet, & obtuſo jacet exarmata veneno.
Tunc age vicinæ circumſpice tempora brumæ,
Qua ratione geras. aperit cum vinea ſepes,
Et portat lectas ſecurus vinitor uvas,
Incipe falce nemus, vivaſque recidere frondes.
Tunc opus eſt teneras ſummatim ſtringere virgas.
Tum debes ſervare comas, dum permanet humor,
Dum viret, & tremulas non excutit Africus umbras.
Has tibi conveniet tepidas fœnilibus olim
Promere, cum pecudes extremus clauſerit annus.
Sic tibi nitendum eſt. labor hoc in tempore noſter,
Gnavaque ſedulitas venit, & paſtoralia virtus.
Nec pigeat ramos ſiccis miſcere recentes,
Et ſuccos adhibere novos. ne torrida nimbis
Inſtet hiems, nimioque gelu, nivibuſque coactis:
Incurvare velis nemus, & conſtringere frondes.
Tu tamen aut læves hederas, aut molle ſalictum
Valle premes gelida. ſitis eſt penſanda tuorum,
Canthe, gregum viridante cibo. nihil aridus illis,
Ingenti poſitus quamvis ſtrue, proſit acervus,
Virgea ſi deſint liquido turgentia ſucco,
Et quibus eſt aliquid plenæ vitale medullæ.
Præcipue gelidum ſtipulis & fronde caduca
Sterne ſolum, ne forte rigor penetrabile corpus
Urat, & interno vaſtet pecuaria morbo.
Plura quidem monuiſſe velim: nam plura ſuperſunt,
Sed jam ſera dies cadit, & jam ſole fugato,
Frigidus æſtivas impellit noctifer horas.

ECLOGA VI. LITIGIUM.

ASTILUS, LYCIDAS, MNASYLUS.

SErus ades Lycida: modo Nyctilus & puer Alcon
Certavere ſub his alterno carmine ramis
Judice me, ſed non ſine pignore. Nyctilus hœdos
Juncta matre dedit; catulum dedit ille, leænæ
Juravitque genus. ſed ſuſtulit omnia victor.
LY. Nyctilon ut cantu rudis exuperaverit Alcon,
Aſtile, credibile eſt ut vincat acanthida cornix,
Vocalem ſuperet ſi dirus aedona bubo.
AS. Te potiar Petale, qua nunc ego maceror una,
Si magis aut docili calamorum Nyctilus arte,
Aut cantu magis eſt, quam vultu, proximus illi.
LY. Jam nunc decipior te judice. pallidus alter
Venit, & hirſuta ſpinoſior hiſtrice barba:
Candidus alter erat, lævique decentior ovo,
Et ridens oculis, crinemque ſimillimus auro,
Qui dici poſſet, ſi non cantaret, Apollo.
AS. O Lycida, ſi quis tibi carminis uſus adeſſet,
Tu quoque laudatum poſſes Alcona probare.
LY. Vis igitur, quoniam nec nobis improbe par es,
Ipſe tuos judex calamos committere noſtris?
Vis conferre manus? veniat vel arbiter Alcon.
AS. Vincere tu quemquam? vel te certamine quiſquam
Dignetur? qui vix ſtillantes arida voces
Rumpis, & expellis male ſingultantia verba?
LY. Fingas plura licet. nec enim potes improbe verba
Exprobrare mihi, ſicut tibi multa Lycotas.
Sed quid opus vana conſumere tempora lite?
Ecce venit Mnaſylus: erit (niſi forte recuſas)
Arbiter. inſta nunc non credulus improbe verbis.
AS. Malueram, fateor, vel prædam nactus abire,
Quam tibi certanti partem committere vocis:
Nec tamen hoc impune feres. en aſpicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?
Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.
Scit frenos, ſcit ferre jugum, ſequiturque vocantem
Credulus, & menſæ non improba porrigit ora.
Aſpicis, ut fruticat late caput? utque ſub ipſis
Cornibus, & tereti lucent redimicula collo?
Aſpicis, ut niveo frons irretita capiſtro
Lucet? & a dorſo quæ totam circuit alvum,
Alternat vitreas lateralis cingula bullas?
Cornua ſubtiles, ramoſaque tempora molles
Implicuere roſæ, rutiloque monilia torque
Extrema cervice notant: ubi pendulus apri
Dens ſedet, & nivea diſtinguit pectora luna.
Hunc ego, qualemcumque vides in valle, paciſcor
Pendere, dum ſciat hic ſe non ſine pignore vinci.
LY. Terreri, Mnaſyle, ſuo me munere credit.
Aſpice, quam timeam. genus eſt (ut ſcitis) equarum
Non jugale mihi, quarum de ſanguine ponam
Velocem Petalon, qui gramina matre relicta
Nunc primum teneris libavit dentibus. illi
Pes levis, adductum latus, excelſiſſima cervix,
Terga ſedent, micat acre caput, ſine pondere cervix,
Et tornata brevi ſubſtringitur ungula cornu,
Ungula quæ viridi ſic exultavit in arvo,
Tangeret ut fragiles, ſed non curvaret ariſtas.
Hunc dare, ſi vincar, ſilveſtria numina juro.
MN. Et vacat, & veſtros cantus audire juvabit.
Judice me ſane contendite, ſi libet. iſtic
Protinus ecce torum fecere ſub ilice Muſæ,
Sed ne vicini nobis ſonus obſtrepat amnis,
Gramina linquamus, ripamque volubilis undæ.
Namque ſub exeſo raucum mihi pumice lymphæ
Reſpondent, & obeſt arguti glarea rivi.
AS. Si placet, antra magis vicinaque ſaxa petamus,
Saxa quibus viridis ſtillanti vellere muſcus
Dependet, ſcopuliſque cavum ſinuantibus arcum
Imminet exeſa veluti teſtudine concha.
MN. Venimus, & tacito ſonitum tutabimur antro.
Seu reſidere libet, dabit ecce ſedilia tophus:
Ponere ſeu cubitum, melior viret herba tapetis.
Nunc mihi ſepoſita reddantur carmina lite.
Nam vicibus teneros malim cantetis amores;
Aſtile tu Petalen, Lycida tu Phyllida lauda.
LY. Tu modo nos illis (jam nunc Mnaſyle precamur)
Auribus excipias, quibus hunc & acanthida nuper
Diceris in ſilva judex audiſſe Thalea.
AS. Non equidem poſſum, cum provocet iſte, tacere.
Rumpor enim merito, nihil hic niſi jurgia quærit.
Audiat, aut dicat, quoniam cupit. hoc mihi certe
Dulce ſatis fuerit Lycidam ſpectare trementem,
Dum te ſtante palam ſua crimina pallidus audit.
LY. Me puto vicinus Stimicon, me proximus Ægon
Hos inter frutices tacite riſere volentem
Oſcula cum tenero ſimulare virilia Mopſo.
AS. Fortior o utinam nondum Mnaſylus adeſſet,
Efficerem ne te quiſquam tibi turpior eſſet.
MN. Quid furitis? quæ vos inſania tendere juſſit,
Si vicibus certare placet. ſed non ego vobis
Arbiter, hoc alius poſſit diſcernere judex.
Et venit ecce Mycon, venit & vicinus Iolas,
Litibus hi veſtris poterunt imponere finem.

ECLOGA VII. TEMPLUM.

LYCOTAS & CORYDON.

LEntus ab urbe venis Corydon: vigeſima certe
Nox fuit, ut noſtræ cupiunt te cernere ſilvæ,
Et tua mærentes expectant jubila tauri.
CO. O piger & duro jam durior oſſe Lycota,
Qui veteres fagos, nova qua ſpectacula, mavis
Cernere, quæ patula juvenis deus edit arena.
LY. Mirabar quæ cauſa foret tibi tanta morandi,
Cur tua ceſſaret taciturnis fiſtula ſilvis,
Et ſolus Stimicon caneret pallente corymbo,
Quem ſine te mæſti tenero donavimus hœdo.
Nam dum lentus abes, luſtravit ovilia Thyrſis;
Juſſit & arguta juvenes certare cicuta.
CO. Scilicet invictus Stimicon, & præmia dives
Auferat, accepto non ſolum gaudeat hœdo,
Verum tota ferat, quæ luſtrat ovilia Thyrſis;
Non tamen æquabit mea gaudia; nec mihi ſi quis
Omnia Lucanæ donet pecuaria ſilvæ,
Grata magis fuerint, quam quæ ſpectamus in urbe.
LY. Dic age, dic Corydon, nec noſtras invidus aures
Deſpice. non aliter certe mihi dulce loquere,
Quam certare ſoles, quoties ad ſacra vocatur
Aut fœcunda Pales, aut paſtoralis Apollo.
CO. Vidimus in cælum trabibus ſpectacula textis
Surgere, Tarpeium prope deſpectantia culmen,
Immenſoſque gradus, & clivos lene jacentes.
Venimus ad ſedes, ubi pulla ſordida veſte
Inter femineas ſpectabat turba cathedras.

Nam

Nam quæcumque patent ſub aperto libera cælo,
Aut eques, aut nivei loca denſavere tribuni,
Qualiter hæc patulum contendit vallis in orbem.
Et ſinuata latus reſupinis undique ſilvis,
Inter continuos curvatur concava montes:
Sic tibi planitiem curvæ ſinus ambit arenæ,
Et geminis medium ſe molibus alligat ovum.
Quid tibi nunc referam, quæ vix ſuffecimus ipſi
Per partes ſpectare ſuas? ſic undique fulgor
Percuſſit. ſtabam defixus & ore patenti,
Cunctaque mirabar, nec dum bona ſingula noram.
Tum mihi dum ſenior lateri qui forte ſiniſtro
Junctus erat, quid te ſtupefactum ruſtice, dixit,
Ad tantas miraris opes? qui neſcius auri
Sordida tecta caſas & ſola mapalia noſti.
En ego tam tremulus, tam vertice canus, & iſta
Factus in urbe ſenex, ſtupeo tamen. omnia certe
Vilia ſunt nobis, quæcumque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quidquid ſpectavimus olim.
Balteus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant. nec non ubi finis arenæ
Proxima marmoreo peragit ſpectacula muro,
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,
Et coit in rotulam, tereti qua lubricus axis
Impoſitus ſubita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras. auro quoque torta refulgent
Retia, quæ totis in arenam dentibus extant,
Dentibus æquatis; & erat (mihi crede Lycota,
Si qua fides) noſtro dens longior omnis aratro.
Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum,
Hic niveos lepores, & non ſine cornibus apros,
Manticoram ſilvis etiam quibus editur Alcen
Vidimus, & tauros quibus aut cervice levata
Deformis ſcapulis torus eminet, aut quibus hirtæ
Jactantur per colla jubæ, quibus aſpera mento
Barba jacet, tremuliſque rigent palearia ſetis.
Non ſolum nobis ſilveſtria cernere monſtra
Contigit: æquoreos ego cum certantibus urſis
Spectavi vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo naſcitur amni,
Qui ſata riparum venientibus irrigat undis.
Ah trepidi quoties nos deſcendentis arenæ
Vidimus in partes, ruptaque voragine terræ
Emerſiſſe feras; & eiſdem ſæpe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.
LY. O felix Corydon, quem non tremebunda ſenectus
Impetit. o felix, quod in hæc tibi ſecula primos
Indulgente deo dimittere contigit annos.
Nunc tibi ſi propius venerandum cernere numen
Sors dedit, & præſens vultumque habitumque notaſti;
Dic age, dic Corydon, quæ ſit modo forma deorum?
CO. O utinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet,
Vidiſſem propius mea numina: ſed mihi ſordes,
Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu
Obſuerunt. utcumque tamen conſpeximus ipſum
Longius, ac niſi me decepit viſus, in uno
Et Martis vultus & Apollinis eſſe putavi.

RUFI FESTI AUIENI *OPERA*

PARAPHRASIS PHÆNOMENON ARATI.

CArminis inceptor mihi Jupiter: auſpice terras
Linquo Jove, excelſam referat dux Jupiter æthram:
Imus in aſtra, Jovis monitu: Jovis omine cælum,
Et Jovis imperio mortalibus æthera pando.
Hic ſtatio, hic ſedes primi patris, iſte paterni
Principium motus, vis fulminis iſte coruſci,
Vita elementorum, mundi calor, ætheris ignis,
Aſtrorumque vigor, perpes ſubſtantia lucis,
Et numerus celſi mudulaminis: hic tener aer,
Materiæque gravis concretio, ſuccus ab alto
Corporibus cælo, cunctarum alimonia rerum,
Flos & flamma animæ, qui diſcurrente meatu,
Mentis primigenæ penetralia dura reſolvens,
Implevit largo venas operatus amore,
Ordinis ut proprii fœdus daret iſte, calorem:
Quo digeſta capax ſolidaret ſemina mundus,
Inſeruit rite hunc primum, medium, atque ſecundum.
Vox ſecreta canit ſibi nam permixtus utrimque,
Et fultus ſeſe geminum latus, unus & idem eſt
Auctor agendorum, propriique patrator amoris.
Et mundi vere paſtor ſacer, hic chaos altum
Lumine perrumpit: tenebrarum hic vincula primus
Solvit, & ipſe parens rerum fluitantia fixit:
Hic diſperſa locis ſtatuit primordia juſtis:
Hic digeſtorum ſpeciem dedit, iſte colorem
Impoſuit rebus, ſexuque immixtus utroque,
Atque ævi pariter gemini, ſimul omnia luſtrans
Sufficit alterno res ſemine: rerum opifex hic,
Hic altor rerum, rex mundi, celſa poteſtas
Ætheris atque Erebi, pigra inclinatio nodi,
Inſociabilium diſcretio juſta deorum,
Cujus & extremum tellus opus, ignea cujus
Lumina ſunt late, ſol, & ſoror, ille diei
Tendat ut infuſi rutilum jubar, altera noctis
Ut face flammanti tenebroſos rumpat amictus:
Nec deſit genitis pater ullo in tempore rebus.
Iſtius ille anni pulcher chorus, alta ut hebeſcat
Terra gelu, ver ut blandis adrideat arvis,
Pulverulenta ſiti tellurem ut torreat æſtas,

Et

Et gravis autumni redeat fœtura parentis :
Hoc duce per tumidi ferimur freta gurgitis, iſto
Præceptore ſolum gravibus verſamus aratris :
Iſte modum ſtatuit ſignis, hic rebus honorem
Infundit, tenebris hic interlabitur æthræ :
Viſcera, & æternos animat genitabilis artus.
Denique ne longum marcentia corda jacerent,
Mundanique ortus mens immemor, omnia ſenſim
Vilia conciperet, neque ſe ſubduceret umquam,
Fontis in æterni primordia, quo velut amnis,
Quem feſtina citis urget natura fluentis,
Lapſu continuo ruituræ in corpora noſtra
Prorumpunt animæ, ſeriemque per æthera nectunt.
Hic primum Cnidii radium ſenis intulit aſtris,
Mortalemque loqui docuit convexa deorum,
Cur Hyperionios Nepa circumflecteret ignes,
Autumni reditu : cur ſub gelido Capricorno
Bruma pruinoſi juga triſtia ſolveret anni :
Cur ſpatium lucis, madidæ cur tempora noctis
Libra celerque Aries demerſo pondere Olympi
Æquarent, qua parte Polus ſublimior alto
Cardine cæruleas Thetidis non tangeret undas :
Quis Polus umbrifero lateat declivis in axe,
Et vaga pallanti cur ſigna errore ferantur :
Quæ rurſum ingenio numeriſque Solenſibus idem
Jupiter efferri melius dedit incola tauri,
Muſa ut Cecropios raperetur & Aonas agros.
Me quoque nunc ſimilis ſtimulat furor edere verſu
Tempora, cum duris verſare ligonibus arva
Conveniat, cum velivolo dare carbaſa ponto,
Et cum victicomo crinem tondere Lyæo.
O mihi nota adyti jam numina Parnaſſei,
O per multa operum mea ſemper cura Camœnæ!
Jam placet in ſuperum viſus ſuſtollere cælum,
Atque oculis reſerare viam per ſidera : major,
Major agit mentem ſolito deus, ampla pateſcit
Cirrha mihi, & totis ſe Helicon inſpirat ab antris.

A R C T O S.

Omnia quæ flammis pingunt radiantibus æthram,
Nox & agit, verſo ceu fixa trahuntur Olympo :
At non cuncta tamen Signorum in lege putanda ;
Nam numeris & honore carens micat omnibus ignis,
Et rutilo cunctis flagrat coma flammea crine :
Sed quia non certa formarum in luce notantur
Omnia, ſideribus caſſum fit cætera vulgus.
Mobilis en etiam mundi ſe machina verſat,
Ponderis & proprii trahit inclinatio cælum :
Sed non axis item curvi vertigine fertur
Ætheris, ut ſtilus inſtabili convolvitur orbi,
Luce manente tenuiſque procul ſacra viſcera cæli
Perforat, & mediæ molem terræ tenet : illum
Non prolixa dies, non incumbentis Olympi
Curſus agit, mutatve loco labor, ut ſemel hærens
Conſtitit, & ferri ſe circum cuncta remiſit.
Nec minus extremo diſpar polus : Oceano pars
Sublime erigitur, ſubit altera merſa ſub undas,
Pars Erebum, & nigri jacet hac ut conſcia Ditis :
Hic notus, horriferis aquilonibus illa rigeſcunt.
Hac teres in gemina ſtridit vertigine cardo.
Alter in obtutum facilis latet, alter & alto
Deprimitur barathro. ſed qua ſublimior axis
Tethyos undoſæ linquit cetoſa fluenta,
Contemplare ſacras ut mundus ſubiit Arctos.
Sic aſtrum dici Cnidius dedit ; Auſone eaſdem
Voce feras Urſaſque & Plauſtra vocare ſolemus :
Fabula namque Urſas, ſpecies dat Plauſtra videri.
Has pater omnipotens nemoroſi in valle Lycæi
Adſuetas duris quondam venatibus, æthræ
Intulit, & rapto genitricis flore ſacravit :
Vel ceu fama dehinc docet altera, Creta ubi fluctu
Tunditur inſanis late circumſona cauris,
Jupiter has idem rerum memor indultarum,
Et cuſtoditæ referens pia dona ſalutis,
Cum puer agreſtes inter Curetas, & inter
Dictææ longum latuit crepitacula rupis,
Scandere flammigerum victor permiſit Olympum,
Neſcia ſigna ſalis, nocturnique inſcia caſus,
Hoſpita & inſanis aquilonibus : haud tamen ollis
Ora, vel adverſo ſunt obvia pectora motu :
Verſa Lycaoniis ſed ſuſpectatur in urſis
Forma ſuper : pariterque polo veſtigia librant,
In ſpinam & flammis ardentia dorſa jacentes.
Sic Jovis altrices teretem prope cardinis axem,
In caput, inque humeros HeliceCynoſuraque verſæ,
Præſcia venturis dant ſemper ſigna procellis.
Namque Helice Graios, Tyrios Cynoſura per altum
Parva regit : non ulla facem ſuccenderit umquam
Stella prior, neque flammigeros edixerit ortus
Ante alia, immerſo cum jam Titanius orbe
Imbuit & tremulo Tarteſia terga rubore,
Creſſia quam flammans inter primordia noctis
Major agat, vultuſque ſacros oſtendat Olympo.
Illa licet parvo jaceat temone per æthram,
Verior, infidum tamen eſt currentibus æquor.
Cardine nam toto convertitur. haud mora, longos
Pigra tenet gyros, neque ceu mollita parumper
Flectitur, aut tardo cohibet cunctamina lapſu.
Denique Sidoniis dux eſt Cynoſura carinis :
Rectior undoſo curſus ſulcatur in æſtu.
Inter utramque dehinc præclari nominis Arcton
Ceu circumflexo ſinuantur flamina lapſu,
Squammeus agmen agens Draco volvitur, atque obit amb…
Spirarum curvis anfractibus : hunc quoque, ut artus
Longius effuſum, ſpatioſa volumina tendunt.
Compta Lycaoniis includunt Plauſtra choreis :
Qua caput eſt Helices, fundunt ſeſe ultima monſtri
Agmina, & hac cæli vix cauda in parte quieſcit :
Altera qua ſpiræ ſinus eſt, ſublime reponit
Verticis, & curvo ceu circumcluſa Dracone,
In dorſum alterius dorſo jacet Anguis ab ore,
Vertitur, ac longe poſtremam lapſus in Arcton,
Rurſum majoris repetit confinia ſigni,
Nec quæ ſtella caput flammarum inſignit honore,
Sola micat, ſolave rubent incendia criſta :
Sed ſetoſa duplex adolet duo tempora fulgor,
Et duo ſub geminis oculi fulgoribus ardent.
Unicus ignis item mento æſtuat, ipſaque forma
Verticis in nutum veluti curvata parumper,
Qua per dimenſos demittitur ordo meatus,
Flectitur, atque Helices caudam ſpectare videtur,
Cujus in extremum ſpatio propiore per æthram,
Sibila protenti ſuccedunt ora Draconis.
Quin ſuper illa etiam ſumma confinia cauda
Stella ſubit, dextri quæ temporis igne coruſcans,
Æmula vicinis accendit lumina flammis :
At declive caput vertexque obliquior aſtris,
Hac in parte ſacri procumbere cernitur axis :
Qua pater Oceanus rutili reparatus Eoi,
Occaſus ortuſque ſolo moderante coercet,
Et gemina alternæ miſcet divortia metæ.

EN GONASIN.

Inde pruinoſo ſi lumen abuſque Dracone,
In convexa feras, oculoſque in proxima mundi
Declines, qua parte globo tumet altior ortus,
Illa laboranti ſimilis ſuccedet imago:
Protinus expertem quam quondam dixit Aratus
Nominis, & cujus latuit quoque cauſa laboris:
Panyaſi ſed nota tamen, ceu longior ætas
Eruit excuſſis arcana exordia rebus.
Nam dura immodici memorat ſub lege tyranni,
Amphitryoniaden primævo in flore juventæ,
Qua cedunt medii longe ſecreta diei,
Heſperidum veniſſe locos, atque aurea mala,
Inſcia quæ lenti ſemper cuſtodia ſomni
Servabat, carpſiſſe manu: poſtquam ille novercæ
Inſaturatæ odiis ſerpens victoris ab ictu,
Spirarumque ſinus, & fortia vincula laxans,
Occubuit, ſic membra genu ſubnixa ſiniſtro,
Suſtentaſſe ferunt, ſic inſediſſe labore
Devictum fama eſt: ac tum Tirynthius, Æthræ
Inclytus & ſolio fultus ſublime paterno eſt.
Jupiter hanc ſpeciem, miſeratus acerba laborum,
Reddidit, & talem cerni permiſit Olympo.
Et manus ipſa Dei violenta in verbera pendens
Erigitur, dextræque dehinc impreſſio plantæ
Tempora deculcat maculoſi prona Draconis.

CORONA.

Poplite ſuccidui qua ſideris ampla pateſcunt
Terga, dehinc merſumque jacet ſublime humerorum,
Aſpice ceu rutilis vibret lux Gnoſia flammis.
Hæc quondam Bacchi monumentum fulget amoris:
Hæc Ariadnæi capitis teſtatur honorem.
Trina ter illuſtrant hanc lumina, parſque Coronæ
Serpentem vicina ſubit, qua ſibila in Arcton
Ora Draco inclinans ſtridet flabris aquilonis:
Poſt tergum Nixi pars volvitur, ac velut hærens
Rurſum defeſſi referatur nuncia ſigni.

OPHIUCHUS.

Iſtius extremo ſub vertice, vertice quippe
Sideris innixi, clarum noſces Ophiuchum.
Triccæi ſidus ſtat nominis, & cui pingui
Thure Epidaureæ fumant altaria ſedis.
In ſtyga decurſis Parcarum ab origine fuſis
Miſerat Hippolytum ſors ultima: jamque per imas
Cocyti tenebras & ſtagna nigrantia Ditis,
Portitor ille Charon Theſidæ fata vehebat.
Hic immaturi ſed enim miſeratus acerbum
Leti ſupplicium, Neptunique aſpera juſſa,
Algentes artus Erebo procul intimo ab uſque
Suſcitat, atque animæ rurſum tepefacta calore
Viſcera, mundanas revocat medicator in oras.
Non tulit omnipotens ortu cuiquam generato
Deucalioneo, fas eſſe noviſſima fata
Vincere, & incaſſum decurrere penſa ſororum:
Moxque triſulca polo jaculatus fulmina celſo,
Et ſuper aeriæ vibrans incendia flammæ,
Morte repertorem medicinæ audacis in umbras
Dejicit: ac gnato reparans ſolatia Phœbo.
Aſperaque extincti miſeratus fata nepotis,
Surgere nocturno jubet inter ſidera motu.
Hic ergo inſignes ardens venas Ophiuchus,
Hic rigidos artus formæ Anguitenentis honore
Arduus, hic tantos humeris vibrantibus ignes
Evomit, ut pleno cum Luna niteſcit in orbe,
Menſtruaque ingenti jam tempora dividit ortu,
Nequaquam lentis obſcurior ex humeris lux
Marceat: at manibus non compar flamma rubeſcit.
Nam ſuffuſa levi reſplendent ultima luce:
Sed cerni ſunt prompta tamen: poſtremaque parco
Igne micant. ille angue manum conſertus utramque
Erigitur, ſerpenſque dehinc elabitur ambas
Flexilis, & medium cingit ſpiris Ophiuchum:
Quem ſuper hærentem plantarum mole duarum
Scorpios in geminas effuſus viſcera partes,
Afflictuſque oculos, maculoſaque pectora preſſus,
Suſtinet. attiguas evolvitur Anguis in auras,
Agmine non æquo, neque tanta volumina compar.
Nam qua dextra manus ſinuoſo affigitur Angui,
Parcius ab domino terga explicat, altera porro
Plurimus, ac multo per lævum pondere lapſus
Funditus: & rutilo qua lux ſedet ignea mento,
Uſque Ariadnææ ſeſe vicina coronæ
Lubricus inclinat. poſt ſpreta brachia quondam
Formidata truci ſuſpexeris Orioni:
Hæc conceſſa etenim curvis mercatio velis.
Huc falcata Hiodii reſperunt cornua monſtri,
Sidereæ nimium facis indiga: namque hebes ollis
Ignis & obtuſo marcent incendia crine.

BOOTES.

Calliſto rutilat ſtellis, quibus utque ferinam
Prona ſit effigiem, quo cardine torqueat axem,
Semper in occiduis attollens lampada flammis
Arctophylax, ſive, ut veteres cecinere, Bootes,
Famoſa Arcadici teſtans commenta tyranni.
Et licet inſtanti ſimilis, ſimiliſque minanti
Terga Helices juxta premat arduus, haud tamen unquam
In picturatæ plauſtrum procurrere matris
Fas datur, antiqui quoniam contagio in illo
Criminis, & veterum prohibetur culpa malorum.
Nec minus in membris lux olim maxima vibrat
Omnibus, ardet apex capiti, micat ignea late
Dextera flammam, * humeri flammam movet inſtat
Inter utrumque femur, qua ſe confinia lucis
Diducunt pedibus, major qua luminis auras
Verberat, & rutilo ſidus magis æſtuat aſtro.
Nam locus Arcturo ſacer * adſcribitur, illinc
Aurea qua ſummos aſtringunt cingula amictus,
Ebria flammanti conſurgit ſtella rubore.

VIRGO.

Qua protenduntur veſtigia ſumma Bootis,
Quaque per immenſum circumflagrantibus aſtris,
Circulus obliquo late jacet Aſtriger orbe,
Contemplare ſacros ſubjectæ Virginis artus.
Quam te, quam memorem! ſive eſt genitor tibi ſummus
Jupiter ex Themide in terras demiſſa parente:
Seu patris Aſtræi clarum es genus, aurea cujus
Sidera ſunt proles, & qui pro munere morum
Inculpabilium nomen dedit omnibus aſtris:
Aut Peluſiaci magis es dea littoris Iſis,
Digna Poli conſors, & cura latrantis Anubis:
Seu tu diva Ceres, ſic nam tibi flagrat ariſta,
Et ceu Siriaco torretur ſpica calore:
Protentata manu ter quæ pernicibus alis,

Nec ſat certa gradum, viduataque vertice ſummo
Flaxipilæ veſtis veſtigia, lubricum ut ævum
Sors agat, & ſubitis obrepat mobile fatum
Temporibus, precor in terras procul æthere ab alto
Flecte oculos, placidamque meis venerabilis oro
Pande ſacris aurem: tu cum ſincera priorum
Vita hominum nullis ageret ſub legibus ævum,
Aureaque innocuos ſervarent ſecula mores
Sponte ſua, nec criminibus via prompta pateret,
Inter confuſos populorum libera cœtus
Verſabare libens, nullique obnoxia culpæ
Corda inhibens media, caſto res more tenebas:
Nullus telluri limes datus, indice nullo
Culta ſecabantur, neque jam diſcretio campum
Metiri in dominos monſtraverat: omnia rerum
Uſurpantis erant, promiſcua thura per agros
Præſliterant cunctis communia cuncta videri.
Denique cum placidas crebro Dea viſeret urbes,
Tectaque juſta virum paſſim ſuccederet illa,
Ferventis late pelagi natura, ſalumque
Fluctibus inſtabile, & glauci vada turgida ponti,
Qua ſenior cano nutrit ſub gurgite Nereus
Delphinos virides, & phyſeteras anhelos,
Ignorata ſuo ſecluſaque fine jacebant.
Nulla fides undis, tumido commercia fluctu
Nulla petebantur: neque longis navita terris
Inſinuare ratem jus fecerat, exul ut oris
Omnibus externas veheret per inhoſpita gazas
Æquora, & inſano penderet ſæpe profundo
Omnia: ſed cunctis naſci dabat aurea terris
Juſtitia, & nullo diſcreverat aere regna.
At poſtquam argento deformis viluit ætas,
Rarius in terras os inclinabat honeſtum
Jam Dea, vix ſummos adlabens denique montes,
Cum cedente die Phœbus ſub nocte propinqua
Occiduus pronos urgeret in æquora currus,
Uſurpandam oculis ſe dabat adcurrentum:
Non ut feſſa virum repararet gaudia vultu,
Sed crepula ut late vomeret convicia voce.
Parcite vile genus, lacrimis aiebat obortis:
Cauſa querelarum veſtrum eſt ſcelus, aurea quondam
Judice me veſtri vixerunt ſecla parentes.
Degener in vobis animus, ſolertia vobis
Pervigil, arte nova vitam traducere mos eſt:
Omne ævum ſtudiis excuditis: hinc quoque rurſum,
Proh pudor atque dolor, naſcetur vilior ætas.
Et lacerata genas ibit Bellona per urbes
Saucia, ut infidas agitent certamina mentes.
Hæc ubi permœſto rauco congeſſerat ore,
Alite procurſu ſeſe in convexa ferebat
Protinus, atque oculos fugiens exoſa ſequentum
Linquebat cœtus hominum. ruit hæc quoque rurſum
Vivendi ſeries, ac ſucceſſere pudendo
Ærea ſecla habitu: fraus ilicet, & furor ardens,
Atque cruentus amor chalybis, ſegniſque libido,
Et male ſuada lucri rabies ſubit omnia, terror
Degener, ac mœſtæ facies formidinis implet:
Secreti immodicus vada gurgitis ultima verſat
Tiphys; Agenoreo color hinc mentirier oſtro
Incipit, Aſſyriumque bibunt nova vellera ſuccum,
Ebria ut extremo ſplendeſcat lana veneno.
Sic juſta in populos mox Virginis inculpatæ
Exarſere odia, & cælum pernicibus intrat
Diva alis, ſpatiumque ſibi ſubvecta per auras,
Unde procul terras ſumma vix cerneret æthra,
Propter anhela libens late capit aſtra Bootis.

Illius extremis humerorum partibus urget
Stella facem, qualique rubent incendia flamma,
Quæ ſubjecta procul caudam majoris ad Urſæ
Vertice brumalis circumvolvuntur Olympi:
Talis utrique modo ſimul & fulgore micat lux
Plurima: quippe procul clare fax ardet in Arcton.
Nec contemplandi labor anxius, omnia primis
Obvia ceu vibrant obtutibus, unus ob ora,
Quæ ſunt prima fere veſtigia, præminet ignis:
Altera qua pedibus regio eſt clunalibus, ardet
Stella itidem, genibuſque dehinc ſe tertia prumit,
Æmula qua rutilæ flagrant confinia caudæ.
Non tamen his ſpecies, non ſunt cognomina certa,
Sed permixta ſimul vulgi vice convolvuntur.

GEMINI.

Illa quidem ſupero conſerta relabitur axe,
Inſcia piſcoſi ſemper ſalis, ipſius autem
Subjectos capiti Geminos tibi cernere fas eſt,
Spartanam Geminos ſobolem, prolemque Tonantis
Egregiam, & proprio poſt reddita numina cælo.
Nam Lacedæmoniis Mars cum caluiſſet Aphidnis,
Caſtora Cecropii tulit inclementia belli:
At frater lucemque & fata ſuperſtitis ævi
Exoſus, ſortem lachrimis efflagitat æquam:
Protinus alternæ germanos tempore vitæ
Jupiter attollit, cælique in celſa receptans
Æternæ flagrare facis jubet ignibus ambo.

CANCER.

Alvo Helices Cancer ſubvolvitur: aſtraque Cancro
Juno novercales ut ſemper proderet iras,
Præſtitit. hic etenim Lernæi gurgitis Hydram
Ureret Alcides, cum flammiger auſus in ipſum
Repere victorem, qua duro concava dorſo
Tegmina curvantur, geminus micat ardor in auras:
Hos dixere Aſinos, ortos Theſprotide terra,
Et ſidus, Lenæe, tuum diſterminat aer
Craſſior. hos itidem qualis præſepibus eſſe
Forma ſolet, diſpar Chelarum flamma coruſcat.
Namque tribus ſtellis adoletur dextera Cancro:
Læva duas pigro ſuccendit fomite flammas,
Qua poſtrema pedum rutilant veſtigia in Arcto,
Maxima flammigeri mundus trahit ore Leonis.
Membra dehinc longi qua ſeſe ſemita cæli
Plurima protendit, torrentur fomite acuto
Singula, & aſſiduis ardet Leo viſcera flammis.
Hic Hyperionii flagrat via ſolis, & iſto
Se duce cærulei referunt momenta caloris.
Tunc ſucciſa Ceres ſtatim cum mergite culmi
Conſtruitur, flavos tondentur ſemina crines
Omnia, & advectas late coquit area meſſes.
Tunc & Threicii repetunt animoſa aquilones
Flabra polo, tunc Oceanum ſtata flamina cæli
Propellunt pelagus: longis hoc tempore in anni
Ocia ſunt remis: pontus vehit ipſe carinas.

AURIGA.

Aurigatorem par ſit quoque cura videre:
Namque tuas aures implebit fabula ſolers
Cretæi pecoris: hæc lac memoratur alumno
Infudiſſe Jovi Capra, nutrix dicta Tonantis:
Stelligero ſubvecta polo eſt: illi impiger autem

Pul-

Pulcher Erichthonius, currus & quatuor olim
Junxit equos, pronus qui non procul in Geminorum
Læva jacet, fuſoque ſuper ſe corpore tendit
Plurimus, atque Helices caput inclinatur ab ore.
Ille quidem in ſpatium membra explicat: at Capra lævo
Fixa humero clare ſuſtollitur: ipſius autem
Fine manus parvas Hœdorum ſuſpice flammas.
Qui poſtquam Oceano ſeſe expediere ſonoro,
Sævi procelloſis immittunt flabra fluentis,
Ut ſpumoſa truci pulſentur littora fluctu,
Et vaga cæruleas involvant æquora puppes.

TAURUS.

Nec minus Aurigæ qua ſunt veſtigia curvi,
Corniger late tenduntur pectora Tauri.
Illic ſetoſam pecoris perquirere frontem
Eſto memor: flexo jacet illic crure, minaces
In terram figens oculos: tum cætera ſigna
Flammarum ſimilem procul inter ſidera formam
Oſtentare valent: gemino ſic cornua ductu
Erigit ætherii rigor ignis & ignis utrimque.
Sic camuris ardet protractibus, haud tibi ſignis
Perquirenda aliis pecoris frons æqua reſurget:
Oceano proprio Taurum deprenderis ore.
Cornua ſic vera ſub imagine curva dehiſcunt:
Sic mediam creber pecori frontem aſperat ignis:
Sic Hyades Tauri toto procul ore coruſcant.
At boream lævo qua Taurus acumine pulſat,
Deſuper Aurigæ dexter pes imminet aſtro.
Una pedem Aurigæ dextrum cornuque ſiniſtrum
Stella tenet pecoris: ſimul in convexa feruntur:
Sed prior occidui Taurus ſubit æquoris undas.

CEPHEUS.

Nec mea muſa ſenem tacitum Cephea relinquet:
Iaſidem quoque ſumma poli Cephea revolvunt:
Illum quinetiam rutilæ pater intulit æthræ,
Donavitque polo. tergum Cynoſurides Urſæ
Poſt habitat, geminaſque manus a pectore tendit.
At diducta pedes tamen huic menſura ſeniles
Dividit, extrema quantum pede diſtat ab Urſa.
Non eget hujus enim ſedes ſacra numinis hilum.

CASSIEPEIA.

Rurſum declivi ſi viſum tramite vergas,
Prima tibi ut flexi linquatur ſpira Draconis,
Infortunatam ſpectabis Caſſiepeiam.
Sed nec multa tamen, cum cælum lumine toto
Luna replet, tetram ut ſuperet fax aurea noctem,
Occurret genitrix oculis quærentibus: adſunt
Lucida mœrenti, tenuis rubet ignis, & ægre
Lux hebes eſt matri: vix qualem Caria quondam
Noverat intrantem per clauſtra tenacia clavem,
Formatur ſtellis diſtantibus: inque humeros vix
Tenditur anguſtos, natæ fera fata retundunt.

ANDROMEDA.

Namque ſubeſt, teretiſque poli ſimul orbe notatur
Andromeda incendi, quæ ſemper luce coruſcans
Sponte oculos in membra rapit: face denique vertex
Ardet anhelanti, geminamque per aera fundunt
Lucem humeri, & ſummis lux æſtuat ignea plantis:
Ignea quinetiam per cælum ſingula flagrant
Andromedæ, & toto vibrant in corpore flammæ.
Sed tamen hic etiam vivax eſt pœna dolenti:
Nam diducta ulnas magna diſtendit in æthra,
Vinculaque in cælo retinet quoque tenuia, quippe
Brachia contortis adſtringunt nubila nodis.

EQUUS.

Rurſus odorato quæ vertex crine tumeſcit,
Andromedæ capiti ſuccingitur indiga pleni
Alvus Equi, ſummo quam fax in vertice vibrat
Virginis, inque auras cornu vice ſurgit acuti.
Ipſa ſub abſciſſo late micat aurea ventre,
Cornipedis ſimul hunc lux indiſcreta renectit,
Communique rubent duo ſemper ſidera flamma.
Tres latus atque armos aliæ pecoris pinxere, *
Et ſpatio disjuncta pari fax æmula flagrat.
Plurimus ignis ineſt, vaſto globus æſtuat orbe.
Sed non & capiti ſimilis rubor, ipſaque cervix
Quamvis procero ſurgat juba maxima collo,
Languida marcenti vix eſt ſpectabilis igne.
Ultima quæ mento ſeſe explicat, haud minor illa
Quatuor eſt primis quæ formam lumine claro
Cornipedis ſimulant: non hinc Equus integer artus,
Non quadrupes cælo ſuſtollitur, at tenus alvo
Erigitur, media jam cætera pone negantur,
Et quærit ætherias primis modo cruribus auras.
Nunc hunc Aonio quondam memorant Helicone
Inclyta poſt Lyciæ redeuntem bella Chimæræ,
Myſtica qua rupes doctis obmurmurat antris,
Herbarum carpſiſſe comas, & gramine odoro
Expleviſſe famem, ſed cum ſitis arida fauces
Ureret, ac nullo manaret gurges hiatu,
Illiſiſſe pedem, cornuque excita repente
Lympha camœnalem fudit procul Hippocrenen.
Aones hoc latici poſuerunt nomen equino
Paſtores: ſtrepit hæc placido inter ſaxa ſuſurro,
Atque Helicone cadens ſeſe ſitientibus herbis
Inſerit, Aſcræas donec vaga gurgite valles
Vivificet, rigat has animas & Theſpia pubes
Semper, & in latices inhiat gens fontis alumni.
Aſt Equus alterno redit inter ſidera motu,
Oceanique ſalo caput exerit, haud tibi magni
Cura laboris erit cælo ſpectare ſereno
Cornipedem: micat ille procul flagrantibus aſtris,
Et perfuſa recens educit pectora ponto.

ARIES.

Tunc celer ille Aries, longi qui limitis orbe
Æthera percurrens, numquam Cynoſuridos Urſæ
Segnior ablapſu convertitur, haud procul aſtro
Viſus Equi, magno celſum ſecat aera motu.
Parcior hic rutilæ ſemper facis, indigus ignis
Spectatur juſti. nam quanti luminis aſtra
Eſſe ſolent, aciem quibus aurea Luna retundit,
Marcida lanigeri tantum ſe forma ſub auras
Exerit: in tenui quamquam primordia Phœben
Orbe habeant, nulloque decus dea proferat ore.
Sed licet hunc oculis fruſtra ſectere per æthram,
(Nam ſemper propriis caret ignibus) en tibi propter
Andromedæ claro rutilantia cingula in aſtro
Suſpectanda patent. vocat ingens baltheus ultro
Quærentem, non longa Aries ſtatione locatus,
In convexa redit parvo ſe tramite: ſubter

Diſtinet, & medio cælum citus ordine currit,
Ultima Chelarum qua brachia, quaque coruſco
Circulus axe means rutilum ſecat Oriona.

DELTOTON.

Eſt etiam Graio quod ſemper nomine noſtri
Deltoton memorant: ſimile eſt latus iſtud utrumque:
Porrigitur ſummum ſigno caput: angulus arctat,
Et gemini ſuprema jugi vicinia mordet.
Tertia quæ ſtantes ſuſtentat linea ductus,
Parcior, haud ſimili ſeſe ſub limite tendit,
Et contracta modum gemina face flammigerarum
Stellarum ſuperat. quin & quæ ſubter in aſtro
Lanati marcent pecoris, pluvioque tepeſcunt
Jam vicina noto, minor iſtic linea luce
Et fulgore facis prævertitur: at locus olli
Poſt tergum Andromedæ, ſic ſe tulit ordo dicatus.

PISCES.

Hinc ſi vicino flectaris lumina viſu,
Inque notum ſenſim boreali ab cardine doctus
Inclinere oculos, proles tibi tertia Piſces
Surgent Bombycii: ſedes data quippe duobus
Piſcibus, ingenti qua celſam circulus æthram
Orbe ſecat, tendit qua penna extrema ſiniſtræ
Ales equus, mundo qua pectora Laniger alto
Urget, & adverſo ſurgentem corpore Taurum
Reſpicit, hinc medio ſignantur ſidere Piſces:
Quorum alius rigida conſurgit in aera forma
Celſior, & boream propior ſapit alter aquarum,
Troicus haurit aquas, funditque ephebus ab urna:
Pone avidus jacet in notialia nubila pronus.
Sed tamen hi late ſtellis ex ordine fuſis
Nectuntur caudas, & lenta trahuntur utraque
Vincula, per cælum coeunt quæ cingula rurſum,
Et rutilo confixa quaſi ſuper igne tenentur,
Cæleſtem memorat quem ſolers Græcia Nodum.

PERSEUS.

Ex humero Andromedæ lævo quoque noſcere Piſcem,
Qui rigidum celſi ſuſpectat cardinis axem,
Perfacile eſt: ulnæ nam proximus iſte ſiniſtræ
Cærulus erigitur. quin & veſtigia propter
Perſea ſub volucri par eſt tibi quærere forma
In caput inque humeros rotat ægram machina mundi
Andromedan: Threici nam ſub flabris aquilonis,
Nititur alato vindex pede, maxima cujus
Dextera mœrentis ſolium prope Caſſiepeiæ,
Tenditur, ingentique dehinc veſtigia paſſu
Pulverulenta quaſi cano procul aere pandit.

PLEIADES.

Pleiades femoris pariter ſub fine ſiniſtri
Perſeus protollit: locus has habet arctior omnes
Connexas * lentæ facis haud procul iſtas
Oſtentat rutili lux ſideris, ægra ſororum
Lumina, nec claro flagrat rubor aureus aſtro.
His genitor, vero ſi fluxit fabula fonte,
Pœnus Atlas, ſubiit celſæ qui pondera molis,
Cæliſer, atque humero magnum ſuper æthera torquet.
Fama vetus ſeptem memorat genitore creatas
Longævo: ſex ſe rutila inter ſidera tantum
Suſtollunt. ſeptem fert fabula priſca ſororum
Nomina, ſex ſeſe tenui ſub lumine reddunt,
Electra, Alcyone, Celæno, Taygeteque,
Et Sterope, Meropeque, ſimul famoſaque Maia.
Prole dei cerni ſex ſolas carmine Mynthes
Afferit: Electram cælo abſceſſiſſe profundo
Ob formidatum memorat prius Oriona.
Pars ait Idææ deflentem incendia Troiæ,
Et numeroſa ſuæ lugentem funera gentis,
Electram tetris mœſtam dare nubibus orbem,
Sæpius obſcuris caput ut ſit cincta tenebris:
Nonnumquam Oceani tamen iſtam ſurgere ab undis
In convexa poli, ſed ſede carere ſororum:
Atque os diſcretum procul edere deſtitutam,
Germanoque choro ſobolis lacerata ruinis,
Diffuſamque comas cerni, criniſque ſoluti
Monſtrari effigiem: diros hos fama cometas
Commemorat triſti procul iſtos ſurgere forma.
Vultum ardere diu, perfundere crinibus æthram,
Sanguine ſub pingui rutiloque rubere cruore.
Quin Meropen addit poſtquam Siſypheia vincla,
Et thalamos ſævo ſortita eſt omine divum,
Indignam aeria credunt mage ſede fuiſſe.
Sic anceps numeri fit fabula, ſexque per æthram,
Vergilias cerni tenet uſus, ſed ſimul omnes
Arctavere globum: ter in auras angulus exit
Flammiger, & mixtis Atlantides ignibus ardent.
Nec tamen eſt famæ ſimilis vigor, ampla ſorores
Fabula nobilitat: modus ollis parcus, & ignis
Vix tenui longe face fit ſpectabilis iſtas
Alterno redeunt cum bina crepuſcula mundo,
Seu nox auſtrales adolet cum cærula flammas,
Seu matutinus cum ſidera disjicit ortus,
Convolvi cælo ſummæ parer annuit æthræ.
Nec minus arenti cum crine attollitur æſtus,
Et cum cana comas redit anno bruma rigenti,
Tempora deſignat. nam ſi ſe gurgite tollunt
Vergiliæ, curvas in flava novalia falces
Exercere dies: ſi condunt æquore flammas,
Tellurem preſſo proſcindere tempus aratro.

LYRA.

Eſt Chelys illa dehinc, tenero qua luſit in ævo
Mercurius, curva religans teſtudine cordas,
Ut Parnaſſeo munus memorabile Phœbo
Formaret nervis opifex deus. hanc ubi rurſum
Concentus ſuperi complevit pulcher Apollo,
Orphea Pangæo docuit geſtare ſub antro.
Hic jam fila novem docta in modulamina movit,
Muſarum ad ſpeciem: Muſa ſatus ille repertor
Carmina Pleiadum numero deduxerat: at cum
Impia Baſſaridum carpſiſſet dextera vatem,
Et devota virum tegeret Libethra peremptum,
Intulit hanc cælo miſeratus Jupiter artem
Præſtantis juvenis, pecudes qui & flumina vates
Flexerat: adnixi qua ſemet ſidera porro
Suſtollunt, lævum propter Chelys hæc femur adſtat.
Advolat aſt aliud latus Ales, & ore canoros
Tenditur ad nervos, media eſt Lyra ſede dicata
Cycneo capiti, curvo contermina ſigno.

CYCNUS.

Namque & ſidereis Cycnus ſecat æthera pennis,
Donatus cælo, non claro lucidus aſtro,

Sed tamen os flagrans, & guttura longa coruſcans,
Grandibus haud equidem ſtellis, non his tamen atris
Obſcuriſve micat, trahit in convexa volatum
Perfacilem, & dextro late Cepheida dextram
Radens remigio, ſumma ad veſtigia lævam
Declinatur Equi: ſic magno præpes Olympo
Subvehitur, ſubit occidui ſic marmoris undas.

AQUARIUS.

Nam poſt Cornipedem flagrant duo ſidera Piſces,
Piſces Bombycii: caput autem ſubter equinum
Laomedontiadæ ſe dextera tendit ephebi.
Ipſe dehinc longos inſignis Aquarius artus,
Adſtat ad hirſuti caudam pulcher Capricorni.

CAPRICORNUS.

Imus ut Auſtrali deſcendit circulus axe
Signifer, inque notum rutili cadit orbita ſolis,
Hiſpida ſetoſi marcet ſpecies Capricorni.
Huc cum Threicio veniens a cardine Phœbus,
Vertit iter, pulſuſque Deum, mirabile dictu,
Brumalis redigit, non tum mihi longa phaſelis
Æquora tententur, non tum freta turbida pinu
Quis petat: anguſto decurrit tramite namque
Parva dies, vaſtoque dehinc deprenſus in alto,
Nequidquam pigræ clamarit ſidera lucis:
Interea totis notus acer ſæviet undis,
Excitumque ſalum verret notus, aurea ſolis
Cum rota cornigeri ſidus pepulit Capricorni,
Tum dirum Cælo frigus redit: aſpera nautis
Tunc ſunt fluctivagis: tamen iſti ſæpe malorum
Immemores, agitant totos in fluctibus ānnos,
Mergorum & focæ ſimiles: trahit unda paventes,
Ac retrahit: quærunt oculis diſtantia longe
Littora, & in pontum cogunt lucra ſemper hiantes.

SAGITTARIUS.

Par metus ex pelago tibi ſit quoque, ſole Sagittæ
Cum levis adflatur, cum lux in arundine flagrat,
Ignis mundani cum tela extrema coquuntur,
Cumque Sagittiferi torret vapor aureus Arcus.
Tum quoque ſi piceam ſpectaris ſurgere noctem,
Informem tetris tellurem ut veſtiat alis,
Littus ama, fuge ſolers cærula tegmina noctis,
Exitiumque ſali, rabidique pericula ponti
Anteveni, jam ſolve memor vaga carbaſa malo,
Jam prolixarum jaceat rigor antennarum.
Menſis at infauſti vel duri ſideris index
Scorpius exoriens ſit tempore noctis adultæ.
Hic matutino veniens procul æquore cælum
Exigit e pelago, telum trahit ultima cauda.
Cunctatur pigro poſt tergum ſidera juxta,
Arcitenens tardos & gurgite liberat artus.
Tum Cynoſura & jam maturæ in tempore noctis
Altius in boream ſuſtollitur, abditus autem
Orion redeunte die, tum brachia Cepheus,
Protentaſque manus, mediamque immergitur alvum.

SAGITTA.

Quin norunt aliam Superum convexa Sagittam:
Sed tamen hæc arcu teteti caret, inſcia nervi:
Inſcia nam domini eſt: Cælum ſuper advolat ales,
Ales Olor, ſed Threicio conterminus axi,
Cana pruinoſas extendit colla ſub Arctos.

AQUILA.

Armiger hanc etiam Jovis advolat, arbiter ignis
Ætherii, ſed membra minor: procul hic tamen alto
Cum redit a pelago, & movet in convexa volatum,
Fine tenebrarum, ſummæque in margine noctis,
Spumoſum late mare ſubruit, omnia Cæli,
Omnia terrarum mox flabra procacia verrunt.

DELPHIS.

Tum curvus caudam ſubit inter ſidera Delphis,
Dux Neptune tui quondam ſuper æquor amoris.
Hic jam detruſæ in latebras procul Amphitrites,
Arduus occiduos humeris ubi ſuſtinet axes
Pleiadum genitor, perruperat hic vagus omni
Gurgite dilectam domino maris ultimo ab orbe.
Mollis dorſa tulit: breve ſigno corpus in aſtris,
Et ſuper auritum ponto ſurgit Capricornum:
Hic medios artus teter ſtupet, altera porro
Quattuor illuſtrat facibus rubor aureus, atque
Bis gemino diſcreta ſitu micat ignipotens lux,
Omnia quæ ſoli & rigido interfuſa aquiloni,
Ætheris incurvi moles rotat, inque frequentes
Occaſus ortuſque trahit moderator Olympi,
Sunt digeſta mihi, quæ rurſum limite abuſque
Seſe Hyperionio pluvialis concava in auſtri
Dimittunt, tetram donec notus ambiat æthram,
Dicere Romuleo connitor carmine ſolers.

ORION.

Subtrahit obliquo qua ſeſe circulus orbe
Signifer, in borean auſtrales egerit umbras:
Ut medii jam mole poli fera pectora Tauri,
Suſcipit Orion: neque quiſquam nocte ſerena
Tranſierit, celſo late ſe cardine pandit,
Auratumque rubens dimittit baltheus enſem.

SIRIUS.

Talis & ipſe virum gemina ad veſtigia cuſtos
Inſequitur, ſic flammigero diſtinguitur aſtro
Ætheriæ Canis ille plagæ, cui plurimus ardor
Æſtuat in mento, multus rubor imbuit ora,
Stridit anhelanti face peſtifer aera motu,
Torret & immodicis terras coquit ignibus aſtri:
Hic varios ardet ſtellis rutilantibus artus:
Sed non eſt ſimilis cunctis vigor: undique quippe
Alvus cyanea eſt, mento gravis effluit ardor,
Qui formidato ſub nomine Sirius æthram
Urit: huic rutilos ſi ſol adflexerit axes,
Quantus corporibus, quantus labor imminet agris!
Marcebunt ſata cuncta: diu namque indiga ſucci
Si qua jacent, cedunt, valido penetrata calori,
Ac decoctorum languebunt germina florum:
Illa autem interno quæ ſunt animata vigore,
Si prius attollit blanduſque illabitur herbas
Sirius, & dulci nutrit tepefacta ſereno,
Hunc hunc flammanti cum primum vibrat ab ortu,
Auribus atque animo capimus procul. altera ſi qua
Stellarum fulgent, rutilant quæ plurima, longi
Bellua fert lateris, neque multa luce coruſcant,
Et deſignandis tantum ſunt addita membris.

LEPUS.

LEPUS.

Parvulus in ſtellis Lepus eſt quoque : namque ubi magnus
Emicat Orion gemina ad veſtigia ſubter
Urgetur curſu rutili Canis : ille per æthram
Effugit inſtantem, premit autem Sirius ore.
Auritum primis emittit gurges ab undis :
Ille minax pavidum ſuperedıtur, & procul idem
Cum Lepus occiduum ſeſe inclinavit in æquor,
More latebrarum repetens freta, Sirius alto
Defluit ab Cælo, merſumque per humida quærit.

ARGO.

Magnus Iaſoniam cauda Canis extrahit Argo
Puppe refulgentem : neque enim ſe Theſſala cymba
Solenni in faciem monſtro movet extima puppis.
Surgunt Oceano velut alto a gurgite nautæ,
Cum portum tenuere avidi, volitantia raptim
Sipara convertunt, tergoque in curva remulco
Littora certatim ſubeunt ſimul, illa marinas
Jam defuncta vias, procul imi littoris algas
Pone ſubit, terramque tenens ſecura quieſcit:
Sic Argo rutilam tantum inter ſidera puppim
Ducitur, occultat rigido tenus altera malo.
Sponte gubernaclum puppis dimittit in undas,
Celſior, ac merſo deſcendit in æquora clavo.

CETOS.

Diſtantem Andromedam prolixi tramite mundi,
Perterret Cetos. nam Threicii prope flabra
Andromedam boreæ celſo rotat æthere cardo,
Bellua dira noto vehitur: trahit auſter in arcto
Ora inimica ſalo : nam qua ſe laniger alto
Cælo Aries tollit, qua Piſcibus aſtra duobus
Augentur, rutilat ſubter Nereia Piſtrix,
Efflua percurrens non multi fluminis aſtra.
Illa memor longæ formidinis, illa duorum
Inter ſigna tenax, horret ſquallentia monſtri
Terga procul,pavidumque ſuper caput inſerit undis.

FLUMEN.

Quin & cæruleo flumen quoque gurgite manans
Aſtra inter ſedeſque Deum, pars æquoris eſſe
Credidit Auſonii : namque hinc dixere priores
Eridanum, Venetos late qui lapſus in agros,
Alpino Adriacos impellit gurgite fluctus.
Hic fuſum Cælo quondam Phaethonta ſub undas
Excepit ſenior, leve cum ſenſere jugales
Ætherii rectoris onus, cumque ignifer axis
Tramite ſub mundi mortales ſprevit habenas.
Diis data tum late texere incendia terras,
Aſtra vorax ignis, flammæ ſola cuncta coquebant,
Donec fata ſui miſeratus Jupiter orbis,
Redderet ætherii Phœbo moderamina curſus,
Illum prolixis duræ Phaetontides ulnis
Planxerunt, rediit ſupero pax aurea mundo.
Eridanumque ſenem nutu Jovis omniparentis
Aſtra receperunt. Pharium pars altera Nilum
Commemorat, largo ſegetes quod nutriat amni,
Arenteſque locos unda fœcundat alumna:
Vel quod de medii prolapſus parte diei,
Vaſtus in æquoreas pelagi ſeſe inferat undas.
Iſte pedem lævum rutili ſubit Orionis,
Fuſaque quæ geminos adſtringunt vincula Piſces,
Eridani coeunt anfractibus, ut procul ille
Tenditur effuſi vi gurgitis: huc quoque criſtæ
Cedit apex, ſumma qua lux Piſtrice coruſcat
Deſuper, & flamma caudarum cingula figit.

PISCIS MAJOR.

Inter demiſſum procul in vada cærula clavum
Puppis Iaſoniæ depictaque terga carinæ,
Et Piſtrim undicolam, Leporis qua tenditur alvus,
Stellarum creber rutilat rubor, haud tamen iſtis
Vel lux multa micat, vel fit memorabile nomen:
Nulla etenim forma flammarum Jupiter ignes
Diſcrevit, nullos ſimulant hæc corporis artus,
Qualia digeſto mundus ſacer ordine volvit,
Semper in antiquum retrahens iter omnia ſecum
Seclorum ſerie longa. iſtas denique ſignant
Intervalla faces, ſimilis quoque lux habet omnis,
Par modus, occaſu pariter referuntur & ortu,
Ne expectanda forent ponto quod ſola carerent,
Cetera deſcriptis aptantur ſingula membris,
Formarum flagrans leporem, qua Sirius urget
Languida, nec certo ſub nomine cuncta teruntur:
Ultra ſetoſi rurſum ſpeciem Capricorni,
Cardinis immerſi qua ſunt auſtralia flabra,
In Piſtrim horrificam converſus viſcera piſcis
Subvehitur. notium vocat iſtum Græcia piſcem.
Stellæ aliæ mundo qua pulcher Aquarius inſtat,
Et qua criſtato conſurgit bellua dorſo,
Uſque ſub aerii rutilantia ſidera Piſcis,
Sunt mediæ flammæ ſteriles, ac lucis egenæ:
Nam paſſim ignoti vulgi vice ſemet in æthram
Protollunt dextram, ſed tantum propter ephebi
Pocula, quem divum menſis geſtare loquuntur,
Efflua ſe ſpecies liquidarum fundit aquarum
Partes in geminas: lux illic clara duabus
Eſt ſolum facibus, non hæ ſpatioſa per æthram
Intervalla tenent, neque lumen lumine forte
Collidunt, uni Phrygium nam ſubter ephebum
Ardet apex, alii qua curvam bellua caudam
Terminat inſignis, lato vomitur globus igni.
Cunctis nomen Aqua eſt, quæ ſtellæ denique propter
Ora Sagittigeri, qua ſe veſtigia prima
Cornipedis ſimulant, circumvolvuntur Olympo,
Queis face ſub tenui tenebroſus marceat ignis.

ARA.

Ecce venenatæ qua Scorpius agmine caudæ
Plurimus erigitur, tepidumque ſupermicat auſtrum,
Parvulus hic Aram locus exprimit. hoc ſatis arcto
Tempore ſuſpicies mundo rutilante referri.
Nam polus adverſo qui tollitur axe Bootis,
Quantum ſuſpenſo vada linquit turbida Cælo
Oceani, tantum in ſibimet contraria tendit.
Arcturum vertex levat arduus, imbrifer auſtri
Aram cardo premit: brevis olli ſemita Cæli,
Occaſuſque celer, tamen iſto luciparens nox
Fata hominum miſerata prius, miſerata labores,
Certa procellarum ſtatuit procedere ſigna,
Ne tibi, cum denſo conducitur aere cælum,
Inter nimbiferas nubes ſpectabilis extet
Ara poli, longa ut glomerent circumque ſupraque
Facta pruinarum ſe vellera, qualia triſti
Coguntur vento, terraque excita per æthram

Nubila conceptos effundunt deſuper imbres.
Non Aræ, non ſit tali ſub tempore vertex
Clarior hoc: nam ſæpe novum prænoſcere ſigno
Nox docuit, noctis ſiquis præcepta ſequatur,
Incaſſum zephyri volvunt mare: ſi quis at iſta
Reſpuat, incautas percellent flabra carinas:
Vix, ſcis, ſera Jovem ſubeat miſeratio rerum,
Pigra ſalus nautis redeat fluitantibus alto.
Certior aſt ollis veniet ſpes, axe ſupremo
Si boreæ ſtringat rutili coma fulguris auras.
His ſignis auſtri raptabunt flabra fluentum,
Donec de boreæ rutilum jubar emicet axe.
At ſi Centaurum medio ſub tramite Cæli
Videris, ut fluctu tantum diſcedat Eoo,
Quantum adit occaſum, ſit tectus deſuper autem
Nube humerum, & Cælo ſint omnia ſigna priora,
Eurus erit, verret ſalſi vada gurgitis eurus.

CENTAURUS.

Contemplator enim geminæ rutilantia formæ
Viſcera, quæ ſignis ſubtexit membra duobus.
Nam qua parte hominem quadrupes ſuſtollit equinus
Ventre ſuperſtantem, verſatur Scorpius ingens:
At qua cornipedem media vir fundit ab alvo,
Curva venenati ſunt tantum brachia ſigni.
Ille autem dextram protendere viſus ad Aram
Cælicolum, juſtæ perſolvit munera vitæ,
Agreſtemque manu prædam gerit: hic ubi celſo
Pelion adſurgit dorſo, nemoroſaque late
Inſerit aeriis juga nubibus, arbiter æqui
Egerat Alcidæ legum poſt bella magiſter.

HYDRA.

Deſuper ingenti ſeſe agmine porrigit Hydra,
Quæ prolata ſalo longe latus explicat æthra.
In Cancrum protenta caput, caudamque feroci
Centauro inclinat, tranſit ſpatioſa Leonis
Viſcera, & ingenti ſub Virgine ſumma quieſcit.
Quinetiam ſpirare putes, ſic agmina Cælo
Lubrica convolvit, ſic ſpiras pendula torquet,
Sic & flammigero linguam jacit ore triſulcam.
Spirarum medio geſtat Cratera coruſcum,
Ultima cæruleum ſuſtentant agmina Corvum,
Ales ut intento fodiat vaga viſcera roſtro.

PROCYON.

Ultimus eſt Procyon Geminorum ſubditus aſtro,
Ore micans rutilo, trina face viſcera lucens.
Iſta volutatos cernuntur cuncta per annos,
Hæc vehit Oceanus pater omnia, merſaque rurſus
Hauriet Oceanus, trahit ingens machina Cæli,
Cuncta ſuper pingunt rutilam ſua ſidera noctem.

PLANETÆ.

Quinque itidem ſtellæ, ſimilis quibus haud ſit imago,
Nec quas formarum doctus notet adfixarum,
Per biſſena poli volitant rutilantia ſigna,
Nullus eas alio pacto deprendere certet:
Nam vaga per totam cunctis via defluit æthram,
Semper & adverſo referuntur tramite mundi.
Mundus ab Eoo trahitur reparabilis alter,
Pronus Atlantei procul in vada cærula ponti:
Illæ in ſubjecti cogunt iter ætheris orbem,
Nitentes in ſumma poli, motuque feruntur
Adverſo Solis radiis, ceu cum vada cymbam
Prona vehant, ſi quis prora nitatur ab alta
In puppim proferre pedem, via carpitur olli
Curſibus inceptis contraria: vis tamen iſtis
Obvia, labenti ſemper ſuſtollitur æthræ,
Unicaque in Solis adolent incendia flammis.
Longa volutandis tamen ollis tempora currunt,
Pigraque ſe referunt, ſedes ſortita priores
Omnia: non illas animis audacibus ergo,
Carmine non cæco tentavimus, hoc ſatis unum
Muſa mihi, ſatis hoc longi labor egerit ævi,
Si defixarum curſus & ſigna retexam.

CIRCULI.

Quatuor aerios Zonæ cinxere meatus:
Quatuor has curſus & tempora noſſe volentem
Scire ſat eſt, quin ſigna etiam ſunt quatuor iſtis
Plurima, quæ zonis hærentia convolvuntur.
Ipſæ inconcuſſa retinentur ſede per annos,
Mutuaque implexa ſibimet conſortia mordent:
At modus in binis protenditur. æra, pepli
Sidera nocturni, ſi ſuſpectare libebit:
Nec ſcindunt medium Phœbeïa lumina menſem,
Languet ut in ſtellis ſpecies hebes, omnia Cæli
Illuſtrante dea, ac flammas ſuperante minores.
Orbe ſed haud pleno ſinit igni fervere acuto
Sidera, candentis ſpeciem ſuper inſpice Lactis
Protendi Cælo: color olli nomen ab ortu
Primigeno ſtatuit ſe, Zonam Græcia ſolers
Concelebrat, noſtro ſic Baltheus ore notatur.
Non iſti forma ſimilis, ſimiliſve colore
Circulus eſt alius: modus & menſura duobus,
Eſt compar ſolis: alios duo parcior arctat
Linea, nec multa trahit iſtos ambitus æthra.
Horum alius, duri cum ſolvunt flabra aquilones,
Et cum præcipitant borealia flamina ſeſe,
Axe Lycaonio jacet obvius: hic Geminorum
Sunt capita, hic genua Aurigæ defixa quieſcunt:
Circulus hic idem retinet pede Perſea lævo,
Atque ſiniſtro humero cubito tenus: hic quoque dextram
Suſtinet Andromedæ manus extima, deſuper acri
Subrigitur boreæ, cubito inclinatur in auſtrum
Mœrens Andromeda: hic celeris veſtigia ſumma
Præſtringuntur Equi, præſtringitur Ales ab ipſo
Verticis extremo; ſecat hic humeros Ophiuchi
Circulus, & ſecum flagrantia dorſa revolvit:
Erigone tepidum ſeſe ſummittit in auſtrum,
Virgineuſque pudens Zonæ ſuperimminet artus.
Sed Leo, ſed Cancer borealis tramite Cæli
Viſcera protendunt, at circulus ima calentis
Pectora perque alvum procul in poſtrema Leonis
Succedit: ſecat aſt alius per viſcera plana,
Et medio ſubter cava tegmina dividit orbem,
Lumina recludens altrinſecus. orbita porro
Iſta poli partes ſi diſcernatur in octo,
Quinque ſupervolvit ſe partibus: at tribus alti
Intrat ſtagna ſali: ſol iſtinc flammiger æthram
Jam relegit, pulſuſque Deus ſemel ordine facto
Flectitur æſtivo, neque celſum ſemita in axem
Sideris erigitur, via rurſum nota jugales
Suſcipit, inque notum rutili redit orbita ſolis.
Circulus iſte quidem Cancro tenus adjacet axe.

Semper inocciduo procul alter cardine in auſtri
Dividit imbriferi corpus medium Capicorni,
Idæique pedes pueri, poſtremaque caudæ
Cæruleæ, * brevis hic lepus, hic canis artus
Conditur extremos. hic Theſſala cernitur Argo:
Hic Centaureæ fera molis terga ſecantur:
Iſte venenatæ disjecta volumina caudæ
Amputat: hic arcu protenditur ampla Sagitta.
Ultimus hic Phœbo locus eſt, ubi lapſus in auſtrum
Pellitur, albenti cum canent tempora bruma:
Sideris hic metæ procul iſtuc cælite curſu,
Axe ſereniferi deſcendit Sol aquilonis.
Partibus iſte tribus tantum ſe circulus effert,
Quinque latet, creperi ſuccendens ſtagna profundi.
Inter utrumque dehinc quantus jacet ambitus illi
Zonarum, cani ſpeciem quæ lactis in æthra
Cernitur, ingenti ſe tramite linea tendens,
Dividit ima noti, diſcernit & alta aquilonis:
Hic luci modus & tenebris ſub lege magiſtra
Penſatur, nox æqua diem ſubit æmula, Phœbus
Lumina ſubſtituit paribuſque revolvitur horis,
Vel cum ſumma æſtas coquit agri viſcera hiantis,
Vel cum floricomo jam tellus vere movetur.
Aſt iſti celſæ qua tramite panditur æthræ,
Indicium eſt Aries: hunc totum linea quippe
Suſtinet: hic Tauri curvantur crura minacis,
Et rutilat ſtellis hic balteus Orionis.
Spira Anguis levis hic, craterque tenacia corvi
Ora inhiant: hic ſunt flexarum denique flammæ
Chelarum: genua hic rigidi vibrant Ophiuchi.
Nec Jovis armigero caret Alite: namque per ipſum
Fulva Aquila eſt caput. hic Equus eminet, hicque comanti
Cervice erigitur claræ dator Hippocrenes.
Tres omnes recte contentos tramite Cæli,
Diſtanteſque pari ſpatio ſibi tranſigit axis,
Omnibus & mediis ut circumfunditur idem.
Deſuper obliqua eſt aliis via, quartus & iſte
Stringitur arctatus Zonarum mole duarum,
Quas ab diverſa mundi regione locatas
Scire repercuſſi momentum diximus aſtri.
Hunc alius medium medius ſecat, haud Dea Pallas,
Vel licet hæc cunctos præcellat acumine Divos,
Compingat parili ſic lubrica plauſtra meatu,
Implicet ut ſpatiis ſibimet diſtantibus orbes,
Qualia devexo nectuntur ab ordine cuncta,
Urgenturque viam ſimilem, nocteſque dieſque,
Lucis ab exortu procul in vada Calpetitana.
Namque Titaneo cum ſunt elata profundo,
Rurſus in occiduos merguntur ſingula fluctus
Ordine partito. ſimilis naſcentibus ortus:
Scandendi lex una movet. par denique lapſus
Omnibus. & ſimili conduntur ſidera caſu.
Ille autem Oceani tantum deſcendit in æquor,
Quantum ab cæruleo diſtat Cancro Capricornus:
Et quam multus item eſt ubi gurgite protulit ortum,
Tantus in adverſas itidem eſt cum labitur undas,
Signifer in ſpatium quantum deducitur oræ
Ambitus extremæ. puncti vice terra locanda eſt,
Unde acies oculis cum tenditur, hæc quoque puncti
Sedem habet: hæc ſigno procurrit miſſa per auras
Signiferi in ſummum, medio de tramite ſi quis
Dirigat obtutus agilis procul, hoſque locorum
Defeſſos longo ſpatio tener amputet aer,
Id quod contenti viſus abſcinditur ultro
Si qui in ſigniferi patulum circumferat orbem,
Sed olli partes magnæ dabit ambitus oræ.

Aſt hæ dimenſa ſpatii ſic lege locantur,
Binaque deciſis includunt partibus aſtra.
Olli Cancer ineſt, Leo flammifer, Attica Virgo,
Brachia ſunt itidem Chelarum, & Scorpius ipſe,
Arcitenens: ſetoſa dehinc ſpecies Capricorni
Volvitur, auratam protendit Aquarius urnam.
Tum duo ſunt Piſces, Aries, Taurus, Geminique.
His ſe biſſenis ſol admovet, hiſque recurrens
Omnibus abſolvit totos reparabilis annos:
Quæ, cum ſigniferi graditur ſol aureus orbem,
Singula frugiparos attollunt tempora vultus.
Illius Oceano quantum ſubmergitur alto,
Tantum telluris ſupereminet, omnibus iſte
Noctibus illabens pelago ſex inſerit aſtra,
Sex reparat: tanto nox humida tempore ſemper
Tenditur, extulerit quantum ſe circulus undis.
At ſi ſcire velis, mora lucem quanta retentet,
Et quanto nox atra ſibi trahat otia lapſu,
Quæ procul Oceano conſurgunt ſigna notato:
Horum ſemper enim comes eſt Titanius uni:
Horum prima oculis memor incunabula quære
Luminis ipſa, vagi captans venatibus ipſa,
Ipſa notans mundo quæ ſic ſe nubibus abdent.
Aut ſi conſurgunt, ut tellus ſæpe tumeſcit,
Occultata jugo, prætentaque rupe latebunt,
Prompta via eſt aliis venientum tempora ſignis
Noſcere. namque ipſo deprenderis indice cuncta
Oceano, magnam qua circum amplectitur undis
Tellurem, curvet celando ut littora mundo,
Latius atque ſinu patuli ſalis hauriat aſtra,
Iſtius indicium præbebunt cornua ſemper,
Vel matutino qua perſtrepit aera fluctu,
Acer Atlantei vel qua furit æquoris æſtus.
Nam non obſcuræ, cum Cancer commovet ortum,
Oceano ſtellæ circumvolventur utroque
In freta labentes, * aut quæ rurſus Eoi
Parte ferunt mundi: Minoæ clara Coronæ
Serta cadent, auſtri tergo cadet incola Piſcis:
Hunc medium pendere tamen, mediumque ſub undas
Cedere per ſpinam rutila labente Corona
Semper ſuſpicies: at tergi plurima verſum
Ventre tenus ſummo ſupera inter ſidera cernes:
Os & colla dehinc & pectora vaſta per æquor
Merſantur. premit ab genibus celſos Ophiuchum
Uſque humeros Cancer. Cancer premit ortus & Anguem
Agmine qua vaſto fluit ad caput aſpera cervix.
Qua tumet & ſpiris, qua turgent pectora, primis.
Parte nec Arcturus diſtabit multus utraque:
Jam minor in ſuperis, jam viſcera plurimus alto
Conditur: hunc etenim conſortem quatuor aſtris
Oceanus recipit. ſatur hic vix luminis Amni
Cedit, & inſpiciens tandem convexa relinquit.
Tum jam plus mediis nox inclinabitur horis,
Cum labente die Phœbo comes ibit in undas,
Iſta quidem vaſti conduntur gurgitis alto:
Contra autem nulli concedit ſideris ortu
Orion rutilans ardentia cingula late,
Et flagrans humeros, & ſplendens enſe coruſco,
Eridanumque trahens alio ſe littore promit.
Adveniente dehinc villoſo colla Leone,
Omnia quæ Cancro ſeſe emergente per æthram
Extulerant, abeunt: quin & Jovis Ales in undas
Conditur, & totis raptim petit æquora pennis.
Sed Nixus genibus replicato luce reſidens
Poplite, jam Superi celatur corporis artus.
Non tamen iſte genu, non lævam gurgite plantam

Oc

Occulitur, non Oceanus vorat omnia ſigni.
Proferit Hydra caput, claro Lepus exilit ortu,
Et Procyon, primique pedes Canis ignicomantis.
Erigone ſalſis cum vultum exegerit undis,
Aeris ut patuli jam conſcia permeet æthram,
Aſtrorum numeroſa premit. nam Virgine Eoa
Cenſurgente, freto cedit Lyra Cyllenæa,
Cedit Delphinus pelago, ceditque Sagitta,
Primaque pennarum pars canum condit Olorem:
Vix jam cauda ſalum ſuperat: vix lumine parco
Eminet Eridanus, ponti procul efflua tingit.
Celatur Sonipes caput impiger, ardua cervix
Tethyos ima petit ſalſæ, jubar ora madeſcit:
Hydra ſuperpoſitum procul in cratera movetur:
Parte alia & liber veſtigia Sirius ardet:
Ultima cæruleo producens æquore puppim,
Illa micat, maloque tenus ſeſe exerit Argo,
Cum jam virgineos æther vehit altior artus.
Nec cum flagratas emittunt marmora Chelas,
Sideris expertes & clara luce carentes,
Non eſt nota dies, aut eſt ignobilis ortus:
Namque his indicium proprio fert ore Bootes
Plurimus exoriens, Arcturumque eminus alto
Cardine ſuccendit: jam celſo Theſſala puppis
Æthere ſubvehitur: jam mundo funditur Hydra
Longior, extremæque polum ſubit indiga caudæ:
Curva Chii Cælo conſurgunt brachia ſigni.
Inſpice ceu dextra referatur ab æquore planta,
Inque Genu tantum nixus pede proferat ortum.
Iſte Lyræ rutilat conterminus, atque ſub undis
Hic tenebris petit occidui vaga cærula ponti,
Et mox Oceano reparatur clarus Eoo.
Cum Chelis igitur pede tantum promitur uno:
Ipſe dehinc verſus procul in caput, ultima monſtri
Terga manet, manet Arcitenens dum ſpicula Cælo
Exerat, & ſupera vibret bellator in æthra.
Hoc ſidus revehunt Chelæ, crus Scorpius ipſe,
Cetera cum medio, lævam, & caput, oraque rurſum
Arcus agit. tribus hic tandem memorantia membra
Partibus erigitur, tria totum denique ſigna
Abſolvunt pelago. mediæ tum ſerta Coronæ,
Ex qua Centauro diffunditur extima cauda,
Prima venenati cum repunt brachia monſtri,
Surgunt Oceano jam gurgite, & ultima Cycni,
Et caput acris Equi premit æquora: jam procul iſta
Marmoris occidui penitus petiere profundum,
Hauſta ſalo: caput Andromedæ freta vaſta receptant:
Ac formidatam devexi cardine mundi
Fluctigeni ſpeciem monſtri ſuperinvehit auſter.
Sed boreæ de parte trucis velut aggere ab alto
Proſpiciens ſuperi ſubjecto verticis axe,
Intentuſque procul ſpecie, vaga brachia Cepheus
Exerit, & ſævam pelagi monet adſore peſtem.
Illa tamen verſa in fluvium poſtrema profundo,
Tingitur ab ſpina capiti quæ proxima ſummo eſt,
Undeque ſuccedens Cepheus, & verticem & ulnas
Merſatur patulus. quin & tum Scorpius acer
Naſcitur Oceano, quidquid per ſidera aquarum
Ad ſpeciem Eridanus pater expuit, abditur alta
Tethye, & occidui tegitur Padus æquore ponti.
Scorpius ingentem perterritat Oriona,
Proſerpens pelago. vetus, o Latonia virgo,
Fabula, nec noſtro ſtruimus mendacia verſu
Prima, neque obduri compegi germinis: ætas
Prima dedit populis. cæcus mos mentis acerbæ,
Immodicuſque furor ſceleris penetraverat œſtro
Impia corda viri: tabuerunt dira medullis
Protinus in mediis incendia: plurimus ardor
Pectore flagravit. tene improbus ille, procaxque,
Te, Dea, te dura valuit contingere dextra?
Cum ſacrata Chii nemora, & frondentia late
Brachia lucorum, cum ſilvæ colla comaſque
Devotæ tibimet manus impia demolita eſt.
Audax haud facinus donum foret OEnopioni:
Digna ſed immodico merces ſtetit ilicet auſu.
Nam Dea nubiferi perrumpens viſcera montis,
Dirum antris animal ſævos vomit hoſtis in artus.
Ergo ut falcatis monſtrum petit Oriona
Morſibus, & totas in membra ferocia chelas
Intulit, ille mali pœnas luit. iſta furori
Præmia debentur, ſunt hæc commercia læſis
Semper numinibus. metus hic, metus acer in aſtro
Permanet, & primo cum Scorpius editur ortu,
Orion trepido terræ petit extima curſu.
Nec minus Andromedæ quidquid volitabit in æthram,
Et ſi quid Piſtrix reliquum convexa vehebant,
Hoc oriente ruunt: omnes procul in vada terror
Ingerit, & cunctos pavor unus in æquora cogit.
Cepheus ipſe caput, diſtentaque brachia vaſto
Induitur ponto: tellurem cingula radunt
Extima, & Oceano merſantur pectora rauco
Sola ſenis, reliquum polus aſt a littore verſat.
Semper in occiduo genitrix quoque Caſſiepeja
Sidera præcipitis ſequitur labentia natæ,
Deformemque trahit procul in vada cæca ruinam,
Prona caputque ſolo, ſolio veſtigia ab alto
Suſtollit miſeranda: ſuperquatit ira furorque,
Doridos & Panopes poſt fata noviſſima matrum:
Ac memor has pœnas dolor exigit. omnia fluctus
Hæc ſimul occiduos ſubeunt. tamen altera in undis
Sufficit, inque vicem lapſorum multa reportat.
Tempore namque iſto reliquæ ſe ſerta Coronæ
Expediunt pelago, poſtremique agminis Hydra
Erigitur caudam: caput, & turgentia membra
Centauro exſuperant: manus effert dextera prædam
Silvarum. nam prima feræ veſtigia mollis,
Arcum fera manent: Arcu redeunte per æthram
Protulit, incipiunt reliquum Serpentis & artus
Anguitenentis: item fert primis fluctibus Arcus
Amborum capita, & primis geminas Ophiuchi:
Ac primam rutili ſpiram Serpentis Eoo
Scorpius Oceano ſurgens agitat. pede Nixi,
Quem procul averſum ſemper ſalis altera mittunt,
Tunc artus medii, tum pectora vaſta humeruſque,
Dexteraque ulnarum ſpumoſi gurgitis æſtu
Procedunt. pariter caput & manus altera porro,
Tota ſagittiferi cum vibrant aſtra, feruntur:
Mercurialis item Lyra volvitur, altàque Cepheus
Cardine ſuſtollens veſtigia: gurgite nondum
Pectora liber agit, ſed pectora merſus in undas,
Plauſtra Lycaoniæ pulſat pede deſuper Urſæ.
Tempore non alio magni Canis ignea cedunt
Sidera: protentum freta jam procul Oriona
Hauſerunt pelago, toto Lepus occidit aſtro,
Tum quoque & Oceano fugientem Sirius urget.
Sed non Aurigam, cum gurgitis ille profundi
Ima petit, pedibus Capra mox, Hædive ſequuntur:
Iſta polo rutilant, illum vada livida condunt:
Hæc membris diſcreta aliis, extantiaque alte
Lævum humerum & ſummæ ſeſe attollentia palmæ
Cernuntur, donec labenti congrada ſoli,
Sidere devexo freta late cærula turbent.

Namque manum Aurigæ, reliquum celſumque coruſci
Verticis, & dorſo qua ſpina attollitur alto,
Deprimit hirſuti ſidus ſurgens Capricorni.
Membra Sagittifero cedunt poſtrema revecto.
Jam non alatus remoratur ſidera Perſeus
Aeris in ſpatiis, neque clavum vindicat Argo.
Alluvione ſato Perſeus pede denique dextro,
Atque genu libero, merſatur cætera ponto.
Argo quod curvis puppim ſuperattrahit oris,
Tingitur, & duro tingit vada cærula dorſo.
Ipſa dehinc manet exortum Cilicis Capricorni:
Totaque cum pelago Cælo deſcendit ab alto,
Æquora cum Procyon, greſſum ſectatus herilem,
Intrat, & Oceano permutat celſa profundo.
Hæc habet occidui plaga gurgitis, iſta ſonoro
Supprimit unda ſalo. rurſum procul erigit æthra
Cycnum, Aquilamque Jovis. ſurgunt flammata Sagittæ
Sidera, perque notum rutila tum Numinis Ara,
Delphinum parvas promit Capricornus in auras.
Et matutino cum ſurgit Aquarius orbe,
Os Equus atque pedes novus exerit: ecce cadentis
Parte poli trahit occiduum nox atra ſub æquor
Centaurum cauda, ſed non caput, aut humerorum
Vaſta ſimul recipit: perſiſtit pectore celſo
Cornipedis ſpecies, & Cælum vertice fulcit.
Ora dehinc Serpens, & prima volumina tantum
Conditur: ingentis late tamen agmina caudæ
Pone trahit. ſubit iſta ſolum, ſubit æquora rurſum
Integer Oceani, cum ſe Centaurus in undas
Jecerit, atque novo vibrarint ſidere Piſces.
His in ſumma poli ſurgentibus, ille per auſtrum
Piſcis item planta, quem pulcher Aquarius urget,
Redditur, haud toto tamen hic ſe corpore promit:
Sed manet alterius venientis tempora ſigni:
Parte latet, partem ſupera in convexa ſonoris
Fluctibus abſolvit pelagi: ſic brachia mœſtæ
Andromedæ, ſic crura dehinc humerique nitentes
Paulatim recavo redeunt maris aurea Cælo.
Poſtquam adolent Piſces incendia, denique Piſces
Cum rutilant, mundo dextram hæc attollet in ulnam,
Lævaque virginei rurſum ſe corporis edunt.
Phrixei & poſtquam pecoris proruperit ortus,
Auſtralem hic aries Aram procul admovet undis
Gurgitis occidui: qua lux redit, excitat idem
Perſea proceri ſuſtollere verticis aſtra,
Et claros fulgere humeros: ac cætera nondum
Sunt exempta ſolo, quin totum hoc invida veri
Natura ambigua rerum ratione reliquit,
Extimus an reliquos Aries produceret artus:
Perſeos, an Tauro freta pelleret adſurgente
Hoc una Cælum, ſubit integer haud ipſe ulla *
Viſcera, naſcentis nova Tauri deſerit aſtra.
Quippe hujus flammis Aurigæ ſidus inhæret:
Nec tamen hunc totum ſuſtollit Taurus in æthram:
Aurigam ſalſis evolvunt fluctibus omnem
Surgentes Gemini, Tauro, Capra, plantaque læva
Nempe hœdi evadit, cum primum rurſus ab undis
Cetoſa in ſuperum referuntur viſcera cælum.
Nam caudæ & criſtæ rigor arduus aera celſum
Tunc repetunt, diri cum ſidera gurgite monſtri
Volvit præcipitis teres inclinatio mundi,
Eminus ingentem condit pars prima Bootem.
Quatuor hic etenim ſignis ſurgentibus altum
Vix penetrat pelagus, neque ſumma totus ab æthra
Labitur Arcturus. manus olli quippe ſiniſtra
Juge manet, celſiſque ſuper ſubducitur Urſis.

At cum jam pedibus repetit fluctus Ophiuchus,
Ut genua Oceanus vaſto procul æquore condat,
Signum erit Eoa Geminos procedere parte:
Nec lateri Piſtrix cuiquam vicina videtur,
Sed jam tota ſuper ſuſtollitur: expuit atram
Jam pelagus ſpeciem, nec adhuc tamen extima ſorbent.
Quid ne naſcentis ſuſpectat navita ponto
Agmina prima Padi Cælo tum fervere aperto?
Vicinaſque faces rutili manet Orionis,
Curricula ut ſolers vero mox indice diſcat
Certa tenebrarum, poſſitque fideliter aſtro
Explorare notos & tuto carbaſa ponto?
Credo, ni deſit magnorum congrua cura,
Prompta via eſt ipſo cognoſcere talia ſemper,
Præceptore Jove, & Cælo tibi ſigna magiſtri
Omnia ducentur: monet alta Jupiter æthra
Singula nos, facilis veram dedit arbiter artem,
Ne tempeſtatum primordia cæca laterent.

PROGNOSTICA.

Nonne vides, primum cum Phœbe in cornua ſurgit
Tenuia, & anguſto lumen jacit ore per æthram,
Decedente die, pronoque ab tramite Solis,
Promat ut ingreſſus ſolers tibi tempora menſis?
Namque facem quarti ſibimet profitebitur ignis,
Corpora cum primum perfundens lumine noſtra,
In ſubjecta ſoli tenuem porrexerit umbram.
Aſt orbis medii ſi cedat Cynthia formam,
Octavos ortus, octavaque plauſtra docebit.
Denique cum toto Dea jam ſurrexerit ore,
Integer ut magni reſplendeat ambitus orbis,
Effluxiſſe ſibi medii jam tempora menſis,
Monſtrabit Cælo: pleni cum rurſus egena
Oris eat, tanto procedens lumine formæ,
Inſerit aeriis quantum Dea nubibus ignes,
Eſſe ſeneſcentis ſibimet diſpendia menſis
Illa docet, quibus in rutili confinia fratris
Tertia vix mundo ſupereſt via: cum minus autem
Umbrarum excludit, ſunt tales quatuor ortus
Marcentis Lunæ, quales ſub menſe renato
Quatuor exurgunt languentis luminis umbræ:
Atque his octonas includunt ordine luces.
Interjectorum numerum quoque noſſe dierum
Prompta via eſt, proprio ſemper Dea proditur ore,
Scandat quanta polum, quoties temone jugales
Strinxerit, & quanto jam tramite liquerit undas.
At decedentis poſtrema crepuſcula noctis,
Bis ſex ſigna tibi quæ verſat Signifer orbis
Monſtrabunt curſu: nam Phœbus ſingula mutat,
Semper & alterno ſuccedit in omnia lapſu,
Conficiens iter ætherium: nunc igneus iſtud
Aſtrum adolet flammis, alii nunc aurea Titan
Lumina miſcetur, vel cum devexus in undas
Labitur, & rebus formam abſumpſere tenebræ:
Vel matutino redit in cunabula linquens
Cum pelago, & rebus ſuffudit luce colores.
Sic diverſa diem comitantur ſidera ſemper.
Non ego nunc longo redeuntia ſidera motu
In priſcas memorem ſedes, habet iſta priorum
Pagina, & incerta rerum ratione feruntur.
Nam quæ Solem hiberna novem putat æthere volvi,
Ut Lunæ ſpatium redeat, vetus Harpalus ipſam
Ocyus in ſedes momentaque priſca reducit.
Illius ad numeros prolixa decennia rurſum
Adjeciſſe Meton Cecropia dicitur arte,

Ir-

Inſeditque animis, tenuit rem Græcia ſolers,
Protinus & longos inventum miſit in annos.
Sed primæva Meton exordia ſumpſit ab anno,
Torreret rutilo cum Phœbus ſidere Cancrum,
Cingula cum veheret pelagus procul Orionis,
Et cum cæruleo flagraret Sirius aſtro.
Hoc ut fons eſt, unde & duxit tempora Lunæ
Navita, quo longum facili rate curreret æquor,
Æquora ruris amans, telluri farra parenti
Crederet: ingenti petat hæc indagine ſemper,
Seu qui vela ſalo, ſeu qui dat ſemina terræ.
Nec mora diſcendi, brevis hic labor, & breve tempus
Poſcitur: innumeros habet autem induſtria fructus.
Utilitas te certa manet, prænoſcere motus
Si libet aerios, & tempeſtatibus ipſis
Edere principium: te primum ſponte procellis
Arcebis rabidis, te rurſum principe fluctus
Vitabunt alii, ſi certis ſingula ſignis
Tempora diſcernas. nam mundi cardine verſo,
Ut ſtata rauciſoni redit indignatio ponti.
Sæpe etenim quamquam tranquillæ noctis amictu
Mitia protenti requieſcant terga profundi,
Doctus ſecuram ſubducit ab æquore claſſem
Navita, & actæa retinet ſtatione phaſelum,
Cum matutinæ præſenſit ſigna procellæ.
Namque alias Cælo cum tertia lumina Phœbus
Exerit, ille ſali fuit implacabilis horror,
Adfore quem pelago comitem ſibi dixerat aſtrum:
Crebro quinta dehinc lux commovet Amphitriten:
Sæpe inopina mali clades ruit. omnia certis
Indiciis tibi Luna dabit, ſeu lucis utrimque
Cæſa facem, ſeu cum teretem concreſcit in orbem.
Sol quoque venturas aperit tibi ſæpe procellas,
Sidera producens, & cum ſale ſidera condit.
Nec minus ex aliis aderit cognoſcere motus
Æquoris, & magnos Cæli callere tumultus,
Quos det certa dies, quæ longi tempora menſis,
Aſtrorumque vice & mundi ratione trahantur.
Aeris immadidum quiddam tellure creatum
Spiramenta vomunt, vis hoc cum fundit in auras
Venarum, occulte patulo prætexitur agro
In ſubjectum oculis, terramque ſupernatat omnem,
Multaque materies, quam cum calor ignicomantum
Hauſit ſtellarum, ſuperas ſubducit in auras,
Et concreta diu compingit nubila mundo.
Si minor hæc madidi ſubſtantia ceſpite ab imo
Subrigitur, tenues nebulæ caligine fuſa
Tenduntur Cælo: vis autem ſiccior olli
Cum fuit, in celeres diſſolvit undique ventos,
Vicinumque ſibi flabris dominantibus ultro
Aera propellit, ſi major protinus humor
Conſurrexit humo, pluvias quoque nubila fundunt,
Et pluviis late calor eſt pater. hic ſuper imbres
Exprimit, & ducta ferventis ut obice mundi
Reſpuit humorem: ſi molles, magna utriuſque
Occurſet ſibimet velut obvia, cominus agris
Compulſa aerio fragor intonat, amplaque late
Murmura diſcurrunt pariter crepitantibus auris.
Hic inflictus item, diverſorumque per æthram
Sæpe ſuperna furens, illiſos fulguris ignes
Excludit, rutilis totamque volantibus æthram
Præſtringit flammis, & Cælum ſulfure odorat.
Omnibus his genitrix tellus, & ceſpite ab imo
Ducuntur ſuperi motus: ipſa ignea mundi
Lumina, flammigero Phœbus temone coruſcans,
Et quæ noctivagos attollit Luna jugales,
His peperere malis exordia. namque deorſum
Movit humum cum forte calor, laxata repente
Spiramenta ſoli venas procul altaque pandunt
Viſcera telluris: bibit imum terra calorem
Deſuper, & madidum tepefactus ceſpes anhelat.
Aeris hos motus, rabiemque volubilis undæ,
Flabra procellarum, mundani tramitis iras,
Præſentire decet. cape ſolers ſingula mente,
Præceptiſque virum ſitientia pectora pande.
Cynthia cum primum Cælo nova cornua premit,
Cautus utrimque Deam circumſpice: namque revectæ
Nequaquam ſemper ſimilis lux imbuit ortum:
Sed ſpecies diverſa trahit, varioque notatur
Formarum primi cum ſurgit luminis igne,
Tertia cum rutilat, cum major ſideris æthram
Scandit, & aerias quarta face luminat oras,
Ingredientis erit plene tibi nuntia menſis.
Hæc caſtigato ſi tertia fulſerit ortu,
Pura ſit, ut fœdis ab ſordibus adfore dices,
Clara, ſerena diu. tenui ſurrexerit autem
Si face, & ignito ſuppinxerit ora rubore,
Turbida certantes converrent æquora cauri:
Luminis iſta dehinc ſi craſſior, atque retuſis
Cornibus ingreditur, ſi quarti ſideris ortu
Percuſſi ut tenuem prætendat corporis umbram,
Imbribus aut zephyris hebetabitur, arguet ultro
Flabra noti, aut pluvias. nam craſſus deſuper aer
Cornua cæca premens, notus uvidus aera cogit.
Tertia ſi rurſum protollat Cynthia curtus,
Sic ſubrecta faces & acumina tenta coruſcans,
Ut nec curva quaſi declinet cornua, nec tum
Fuſa ſupinatum diducat lumen in auras,
Occiduo zephyrum prædicet ſurgere mundo,
Aut Libyæ de parte notum. ſin quatuor autem
Cynthia curriculis Cælum ſubit, atque coruſcis
Cornibus immodice proſtantibus uſſerit ignes,
Vix prolixa ſalum ciet, ocyus omnia cauri
Marmora convolvent, fera verrent flabra profundum:
Iſtius in boream quod ſe ſuſtollit acumen:
Si curvum ſpecie velut annuat, adfore Cælo
Sæva procelloſi prædicet flabra aquilonis.
Namque hoc urgeri ſeſe adſerit, hocque gravari
Indice: rurſus eo veniet notus, hanc ubi partem
Pone ſupinari conſpexeris, inque reclinem
Sponte habitum: pandi nam ſubrigit auſter acumen
Inferiore plaga. ſi Lunam tertius ortus
Proferat, atque Deæ convolvat circulus oras,
Suffuſus rutilo, mox tempeſtate ſonora
Spumoſum late pelagus caneſcere cernes.
Major & hæc rauci verſabit gurgitis undas,
Ipſa quoque immodice ſi vultum Luna rubeſcat.
Contemplator item, ſeu plenum luminis orbem
Cynthia diſtendit, ſeu cum teres ambitus olli
Cæditur, & mediæ velut indiga lucis, utrimque
Suſtinet obductæ ſibimet diſpendia formæ.
Cornua prima replens, & cornua feſſa dehiſcens
Induit, & qualem procedens ore colorem
Hinc perpende oculis, ipſo monitore dierum
Signa tene, ac totum diſcerne in tempora menſem.
Non unum deprenſa diem tibi ſigna loquuntur,
Nec vulgo in cunctis adſunt præcepta diebus:
Sed quæ ſigna novo dederit nox tertia motu,
Quartave ſuſtollat medios dum Cynthia vultus,
Durabunt Cælo: medio quæ edixerit ore,
Ignes in plenos: hinc in diſpendia rurſus
Altera previſæ ſignantur tempora Lunæ.

Illa dehinc donec germani luminis ignis
Accedat Phœbæ, menſis poſtrema notabunt.
Hoc quod protento vehit ingens mundus inani,
Aera nomen habet: quod ſpirat ceſpite tellus,
Nubila dicuntur: Cælum ſuper aula Deorum
Axea compactum convolvitur. hic ſua certis
Sunt loca numinibus: borealis verticis alta
Regia Saturni: qua ſiccior annus anhelat,
Æſtatis rutilo, calida ſtat Jupiter æthra:
Immodicus terram qua deſuper ignis adurit,
Gradivo incolitur: brumalis pulſus habenas
Qua Solis redigit, pulchro Venus obtinet aſtro.
Aſt ubi demerſo latet ater circulus orbe,
Ceſſit Mercurio locus imbrifer: his ſuper amplas
Quinque tenens Zonas, certo via fervida Solis
Limite decurrit, cum Lunam nubila propter,
Exhalantis humi qua ſpiramenta madeſcunt
Ima, vehunt Cæli, luxit dum fruſtra frequenter,
Deſuper in nubes rutilantis lampade Lunæ.
Paſcitur humore, & varias Dea lumine formas
Exprimit incerto: ſic crebro denique Phœbo
Nubibus ambiri cum ſubſint nubila, Lunæ
Creditur, hanc quoties includere circulus ergo
Spectatur, proprio ſuccedunt ordine ſigna:
Ille alias trino cum volvit tramite Lunam,
Et geminis plerumque meat, ſolet unicus idem
Cingere. ſi ſimplex circumverſabitur orbis,
Signa procellarum certiſſima, ſigna ſereni
Præferet. abruptus ſubito prænunciat euros:
Marceſcens tenui ſenſim caligine, & æthra
Digeſtus patula, docet undis adfore pacem.
Si duo ſe Lunæ circumfudere, repente
Maxima vis pontum, vis verret maxima terras,
Majoreſque dehinc agitabunt ſtagna procellæ.
Si trinus rutilum conſtrinxerit ambitus orbem,
Et magis immodica formidine ſæviet auſter,
Zonarum teter fuerit ſi tractus in æthra,
Denique diſrumpant ſi ſeſe cingula Lunæ,
Ultima tempeſtas ruet imi gurgitis æſtum.
Solis quinetiam, Solis tibi cura videndi
Sit potior, Solem melius præviſa ſequuntur,
Aſtrorumque duci monſtrata tenacius hærent:
Sive ille occiduas vergat declivis in undas,
Seu ſe luciferis reparabilis exerat oris.
Iſtius ingentes radii, caliginis atrum,
Et nebuloſarum tractus piceos tenebrarum
Lumine diſpiciunt, cum per chaos umbriferum vis
Flammea pervaſit, cum ſemper noctis amictus
Inſerit aeriæ fulgor facis: ille calore
Pigra movet, ſimulac rutilis torpentia flammis
Sol ſopita animet, Sol dura obſtacula primus
Curru adamanteo referat pater, effluа Phœbus
Igne inhibet, Phœbus radiis denſata relaxat.
At cum dum nigeri cedit vis inclyta Solis
Lucis egens, craſſæque Deus latet obice nubis,
Et Cælo & pelago magnos ait adfore motus.
Non hic cum primos educet gurgite vultus,
Ceu picturato diverſos ore colores,
Proferat: haud etenim tali tibi Sole revecto,
Mitia jam Cæli fas expectare ſerena.
Et ſi tranquillo convexa cucurrerit auſtro,
Indideritque faciem ponto Deus integer, atra
Nube carens, puruſque coma, & ſplendidus orbe,
Convenit Eoæ faciem præſumere lucis.
Sed non ora cavo ſimilis medioque recedens
Orbe, quaſi vel ſi radios diſcingitur ultro,
Figat ut auſtralem porrecto ſidere partem,
Aut boreæ rigidi jaculetur luminis igne,
Et vento & pluviis reparata in luce carebit.
Denique per flammas procul atque incendia, Solis
Ipſa Dei cedunt blandi ſi lumina, ſolers
Tende oculos, certa hoc ducentur ſigna magiſtro.
Et ne ſanguineus late rubor induat ora,
Qualia protractu vaga nubila ſæpe rubeſcunt;
Aut ne labenti piceus color abdat amictu
Lampada, quære diu, ſi tetro craſſior orbe eſt,
Uveſcet pluviis tellus, inflataque celſas
Aggere devicto ſuperabunt flumina ripas.
Ignea ſi fulgor præcurrit plurimus ora,
Flamina crebra ſalis quatient vada, flumina terras
Converrent omnes, & duri flabra aquilonis,
Silvarumque comas, & celſa cacumina flectent.
Vis ſimul amborum ſi vultum Solis oberret,
Cuncta noti quatient, imbres procul arva rigabunt.
Ecce alias primo naſcentis Solis in ortu,
Vel cum præcipites pelago Deus inſerit ignes,
Ut coeunt radii nebuloſo: cætera quippe
Par Hyperioniæ rutilat facis, hicque comarum
Vis confuſa micans mundo ſua lumina præſtat:
Hic globus ater item liventia nubila cogit,
Nonnumquam craſſo nebularum tectus amictu,
In convexa redit, tum Cælo rurſus aperto
Cum ruit, oppoſita vultum caligine condit:
Omnibus his ſignis in terram defluit imber
Plurimus. interdum tenuis prævertere nubes
Viſa Deum: hæc celeris ſi præſurrexerit ortum,
Ipſeque pone ſequens radiorum luce carere
Cernatur, nimbis ingentibus arva madebunt.
At matutini ſi Phœbum in littoris acta
Majorem ſolito produxerit, atque per æthram
Marcenti ſimilis defluxerit extimus orbis,
Alta dehinc ſcandens minuat jubar igniferum Sol,
Pura ſerena aderunt: namque olli gurgitis aer
Craſſior in modicum ſurgens diffuderat orbem.
Et jam ſi tenero ſuſtollens tramite Cæli
Oblitum juſti jubar attrahit, hic quoque magnis
Cum madefacta die ſub tempeſtatibus horret,
Pallidus ora cadens promittent pura ſerena:
Diſploſis etenim per apertam nubibus æthram
Ora laboranti ſimilis languentia pallet:
Et disjectarum moles late nebularum
Indicat exuti faciem clareſcere mundi.
Quin naſcente die venturos convenit imbres
Noſcere, cum proni procul ad confinia Cæli
Deferri piceo ſpectaris nubila tractu.
Et cum declinant radii ſe partem in utramque,
Lucis in occaſu, nox ut ferat algida rores,
Imber erit. puras ſi Phœbus condit habenas,
Et Calpetano tranquillum gurgite lumen
Tingat, at in lapſu nubes ignita ſequatur,
Noxque dieſque dehinc venturi rurſus Eoi
Nimborum expertes & tempeſtatibus atris
Durabunt. ſed cum radiis marcentibus ardor
Languet, & in tenui tenduntur acumine fruſtra
Phœbei crines, nimbos aget atra procella.
Talis & obducti cernetur forma diei,
Qualem fraternos ſubtexens Luna jugales
Lucem hebetat: ſubit hæc ſuperi ſacra lumina Solis
Inferior, mediæque inter ſtans lampadis orbe,
Arcet flammigeræ radium facis: aut tibi rurſum
Cum matutinos molitur lucifer ortus,
Ebria ſanguineæ ſubvolvant vellera nubes:

Nam

Namque gravis cælo ſundetur protinus imber.
Nec ſi Sole procul rutila inter ſtagna morante
Emineant radii, radios quoque craſſior umbra
Contegat, ille dies pluviis ventoque carebit.
Quin erit imber item, ſi Solem circulus ater
Ambiat exortum major ſe denique nimbus
Urgebit cælo, major ſola perluet imber:
Circumfuſa adeo ſi cingula neſcia ſolvi
Servarent terræ ſpeciem torpentia molis.
Sæpe etiam Phœbo nubes percuſſa rubeſcit,
Et meditata Dei formam, procul igne recepto,
Concipit effigiem, ſimulato luminis orbe.
Id qua parte poli ſpectaveris, adfore ab ipſa
Parte tene ventos tamen hæc tamen omnia ſemper
Decedente die melius ventura docebunt.
Convenit hic etiam parvum Præſepe notare:
Id nubi nomen, quæ Cancro obvolvitur alto:
Græcia docta dedit: duo propter denique Aſellos
Suſpice, quorum alius Septem vicina trioni
Aſtra adolet, tepidum procul alter ſpectat in auſtrum.
In medio quod nube quaſi concreſcit adacta,
Id Præſepe vocant. porro hoc Præſepe repente
Si ſeſe ex oculis procul auferet, ardeat autem
Congruus aeriis late rubor ignis Aſellis,
Nequaquam tenues agitabunt ſtagna procellæ:
At ſi ſideribus ſimilis lux duret, & illi
Tetra ſit effigies, cadet altis nubibus imber
Lenior, & parco mox tellus rore madebit:
Sed boreæ ſi parte trucis velut indiga juſtæ
Stella facis, lento marceſcere cernitur igne,
Et procul alterius juba late flagrat Aſelli,
Protinus Æthiopum ſurget convallibus auſter:
At regione noti ſi lucem ſtella ſeneſcat,
Segnis Riphæis aquilo crepitabit ab oris.
Quin & terrenis cape rebus certa frequenter
Signa procellarum. nam cum traxere tumorem
Æquora prolixum, cum littora curva reſultant
Sponte procul, neque cæruleus colliditur æſtus:
Aut cum proceris vertex in montibus ultro
Perſtrepit aerium, ventos inſtare docebunt.
Et cum parva fulix trepido petit arva volatu,
Stagna ſinens, longaſque iterat clangore querelas,
Indicat inſanis freta mox caneſcere ventis.
Denique cum cælo tenduntur pura ſerena,
Sævitura polo ſunt flamina, primus in ipſa
Mox picturati convertit pectoris artus
Sturnus edax, premat ut tenues vis obvia plumas,
Et ne poſt tergum pateat penetrabilis euro.
Latipedemque anatem cernes excedere ponto
Sæpius, & ſumma nebulam ſe tendere rupe:
Jamque ſuper latices florum volitare ſenectam,
Stellarumque comas rumpi procul æthere celſo,
Decidere in terras, rutilarum ſpargere crines
Flammarum, & longos a tergo ducere tractus:
Inde etiam ventos mox adfore præmonet uſus.
Quod ſi diverſis ſe paſſim partibus ignes
Excutiant, verret pelagus ſine fine modoque
Turba procellarum, ſi duri limite ab euri,
Si regione noti, ſi lenis parte Favoni,
Aut de Biſtonio mundi procul axe coruſcat.
Si repetunt veterem ranæ per ſtagna querelam,
Vellera ſi cælo volitent, ſi diſcolor iris
Demittat gemino ſe fornice, circulus albam
Si ſtellam teter velut ambiat, æquora propter
Si crepitent volucres, ſi gurgite ſæpius alto
Pectora merſentur, ſi crebro garrula hirundo
Stagna adeat, rutilæ cum ſint primordia lucis:
Si matutinas ululæ dant carmine voces,
Improba ſi cornix caput altis inſerit undis,
Flumine terga rigans, ſi ſævit gutture rauco,
Plurimus abruptis fundetur nubibus imber.
Imber erit, totis cum bucula naribus auras
Concipit: & late pluviis ſola cuncta madebunt,
Cum proprias ſolers ſedes formica relinquens,
Ova cavis effert penetralibus, aſpera quippe
Tempeſtas, gelidusque dies, & frigidus æther,
Inſerit internis terrarum redditus æſtus,
Pectora cum curvo purgat gallinula roſtro.
Agmine cum denſo circumvolitare videtur
Graculus, & tenui cum ſtridunt gutture corvi,
Cum procera ſalum repetit clangore frequenti
Ardea; cum parvæ defigunt ſpicula muſcæ,
Et ſi nocturnis ardentibus undique teſtis,
Concreſcunt fungi, ſi flammis emicet ignis
Effluus, aut lucis ſubſtantia langueat ultro,
Convenit inſtantes prænoſcere protinus imbres:
Denique cum patulum torrens Vulcanus ahenum,
Scintillas flamma circumlabente reliquit.
Si notus humentes Libyco trahit æthere nubes,
Si nimium ad montem nebularum craſſus amictus
Tendatur, ſummo nudentur vertice ſaxa:
Et qua pontus item freta per diſtenta quieſcit,
Nubila ſi longo ſe procumbentia tractu
Diffundunt cælo, & Thediti terriſque ſupinis
Pax aderit, nuſquam mundo ruet effluus imber.
Sed cum tranquillo tenduntur craſſa ſerena
Sub Jove, venturæ prænoſcere ſigna procellæ
Convenit: & rurſum cum perfurit aeris horror,
Inſpice quam referant terris pelagoque quietem.
Inter prima tamen parvum Præſepe notatur,
Arduus excelſo quod Cancer cardine volvit,
Hoc cum concretus tenuari cœperit aer,
Diſcutit impoſitæ latæ ſibi molis amictum.
Namque ſereniferi patet hoc in flabra aquilonis,
Cum minus & primo purgatur flamine venti
Tempore tum propior modulatur noctua carmen,
Tum veſpertinum cornix longæva reſultat,
Tum corvi crepitant, & ovantia gutture rauco
Agmina crebra vocant, tum nota cubilia læti
Succedunt pariter, tum pennis corpora plaudunt.
Tunc & Strymonias circumvolitare repente
Suſpicies per aperta grues, ubi mitior annus
Sponte procelloſum disjecerit aera cæli.
Tunc quoque cum ſtellis hebes eſt lux omnibus ultro,
Nubila nec craſſos circumduxere meatus,
Ut jubar occulerent flagrantibus obvia flammis:
Nec caligo inhibet rutilantis lampados ignes,
Orbe nec expleto ſacra ſidera Luna recondit:
Sed jam ſponte ſua ſtellarum lumina marcent,
Convenit hibernæ prænoscere ſigna procellæ.
Nubila ſi cælo conſiſtere, nubila ferri,
Si qua ſuperfundi ſibimet ſuſpexeris ultro:
Gramina ſi carpit ſemeſa petacius anſer:
Si nocturna tibi cornix canit, heſperus æthra
Cum redit, innumero ſi cantu graculus inſtat,
Si matutino fringuilla reſultat ab ore,
Si fugiunt volucres raptim freta turbida Nerei,
Orchilos infeſtus ſi floricomis hymenæis
Ima petit, terræ ſi denique parvus eritheus
Succedit trepide ſcrupoſæ concava rupis,
Cecropias ſi paſtus apes vicinus ad ipſa
Caſtra inhibet, florumque ſimul libamina mœſtæ

Pro-

Fraxina decerpunt : ſi Threiciæ per aperta
Sponte grues trepidant, nec ſeſe audacius æthræ
Committunt, pinnis ut longos ſæpe volatus
Formavere ſuper : ſi ſolvit aranea caſſes,
Tenuia ſi toto vehit auſter licia cælo,
Mox tempeſtates, & nubila tetra cientur.
Quid? majora canam : cinis, cinis ipſe repente
Cum coit, albenti nix terras veſtit amictu,
Nix operit terras, rutilis ubi lumina prunis
Summa rubent, errantque brevi caligine craſſa
Interius nebulæ, & denſo jam fomes in igni
Marceſcit penitus, pluvios mox arguet auſtros.
Induit immodicis eum ſemet floribus ilex:
(Indiga nam ſucci ligno natura rigenti eſt)
Et cum flore novo, cum brachia glande gravantur
Uventis cæli ſub nutrimenta latenter
Sponte operata docet. quin & lentiſcus amara,
Indicium eſt pluviis. ter fœtum concipit arbos,
Terque novos genitrix fructus alit: ipſaque trino
Flore renideſcens tria tempora prodit arandi.
Ter prorumpentis ſcillæ teres erigitur flos,
Sulcandique ſolum ter monſtrat tempus adeſſe.
Sic & crabronum rauca agmina, ſi volitare
Fine ſub autumni conſpexeris æthere longo,
Jam veſpertinus primo cum commovet ortus
Vergilias pelago, dices inſtare procellas.
Sique ſues lentæ, ſi lanæ ſedula nutrix,
Si capra dumoſis errans in ſaltibus, ultro
In Venerem pergat : quippe ollis uvidus aer
Excitat internum per viſcera mota furorem:
Et tempeſtates & nubila protinus atra
Adfore præcipies. quin & gaudebit arator,
Quique ſolum juſtis verſabit menſibus anni,
Plebe gruum prima: gaudebit tardus arator
Agmine pigrarum : ſic quadam lege deorum
His comes eſt imber. pecudes ſi denique terram
Lanigeræ fodiant, caput aut tendatur in arcton,
Cum madidus per * marmora turbida condit
Pleiadas occaſus, cum brumæ in frigora cedit
Frugifer autumnus, ruet æthra concitus imber.
At ne perruptis terrarum dorſa lacunis
Infodiant pecudes: ſi vaſto viſcera hiatu
Diſcutiant terræ, veniet vis æthere toto
Dira procellarum, nix omnes veſtiet agros,
Nix herbas lædet teneras, nix uret ariſtas.
At ſi contigerit plures ardere cometas,
Invalidas ſegetes torrebit ſiccior aer.
Namque prorumpuntur naturæ legibus ultro
Spiramenta ſoli, ſi juſtus defuit humor,
Arida per cælum ſurgentia deſuper æthræ
Igneſcunt flammis, mundique impulſa calore
Excutiunt ſtellas, & crebro crine rubeſcunt.
Contemplator item, ſi longo plurima ponto
Agmina feſtinant volucrum, ſolitamque frequentes
Succedunt terram, ſterilis deſæviet æſtus,
Ac ſitient agri : nam qua circumflua tellus
Adluitur pelago, coquit altam ſiccior aer
Ceſpitis arentis ventis, citiuſque calorem
Sentit humus ſic cincta ſalo : ſuga protinus ergo
Eſt avium in terras : pavet hos ut viderit æſtus
Agricola, & ſicco jam deflet mergite culmos.
Sed ſi tum modico producant agmina ab undis,
Nec trepido paſſim verſant convexa volatu,
Lætitia eſt duris paſtoribus, adfore parcos
Præſumunt imbres : ſic in contraria ſemper
Vota homines agimur, noſtrique cupidine fructus
Poſcimus alterius diſpendia : denique & ipſa
Solers natura, & rerum genitabilis ordo,
Certa ſuis ſtudiis adfinxit ſigna futuri.
Namque & ovis cupido ſi gramina tondeat ore
Inſaturata cibi, decerpens latius agros,
Paſtor id indicium pluvialis frigoris edet.
Et ſi perſultans aries laſcivius herbas
Adpetit, aut ſeſe ſuſtollant ſaltibus hœdi:
Vel ſi juge gregi cupiant hærere, nec uſquam
Matribus abſcedant, & ſi ſine fine modoque
Pabula delibent, cum tutas veſper adire
Compellat caulas, monſtrabunt adfore nimbos.
Bubus arator item trahit atræ ſigna procellæ,
Lambere ſi lingua prima hos veſtigia forte
Viderit, aut dextrum proſternere corpus in armum.
Vel ſi prolixis auras mugitibus implent,
Paſcua linquentes vix veſpere. dat capra moti
Rurſum ſigna poli, cum ſpinis ilicis atræ
Multa inhiat. docet hæc eadem ſus horrida, cœno
Gurgitis illuvie ſi ſæpius involvatur.
Martius ipſe lupus villarum proxima oberrans,
Affectanſque locos hominum, lectumque laremque
Sponte petens, craſſo conſurgere nubila cælo
Præmonet. id parvi cum ſtringunt denique mures
Cum geſtire ſolo, cum ludere forte videntur:
Protendit tibimet canis id præſentia, multam
Tellurem fodiens. tamen hæc tamen omnia rerum
Adfore vel primo nimbos mox ſole docebunt,
Vel cum curriculis lux ibit cepta ſecundis,
Tertius aut verſo cum venerit ortus Olympo.
Non ſpernenda tibi ſint talia, ſed memor uni
Adde aliud ſemper : ſi tertia denique ſigna
Proveniant, firmo venturum pectore fare:
Et tranſactorum ſolers componere menſum
Signa laborabis, ſi ſic fluxere reperta,
Nequaquam trepidare pudor perſuadeat ullos
Aſtrorum lapſus, aſtrorum protinus ortus
Diſcute, ſi caſus ſimiles & ſtella per æthram
Prodidit : exacti jam ſumma crepuſcula menſis,
Et ſurgentis item primordia conſcius artis
Fare ſacræ. menſum confinia ſumma duorum
Cæca latent : luces hæc ſemper ſemet in octo
Inſcia lunaris tendunt facis : ipſe fideli
Perquires ſtudio : & ſi quid tibi forte repertum,
Pluribus indiciis ſolers fulcire memento.

EJUSDEM
DESCRIPTIO
ORBIS TERRÆ.

Qua protenta jacent vaſtæ divortia terræ,
Et qua præcipiti volvuntur prona meatu
Flumina per terras, qua priſcis inclyta muris
Oppida nituntur, genus hoc procul omne animantum
Qua colit, Aonii peraget ſtylus impiger oris,
Ardua res, muſæ. deus, en deus intrat Apollo
Pectora fatidicæ quatiens penetralia Cirrhæ.
Pierides toto celeres Helicone venite,

Concinat & Phœbo veſter chorus, Oceanumque
Carminis auſpicium primum memorate Camenæ.
Oceani nam terra ſalo præcingitur omnis,
Parva ut cæruleo caput effert inſula ponto:
Nec tamen extremo teres eſt ſinus undique in orbem
Qua colitur populis, qua tellus paret aratro:
Sed matutino qua cælum ſole rubeſcit,
Latior, acciſi curvantur ceſpitis arva,
Cætera protentus. tria ſunt confinia terræ
Unius: eſt primum Libyæ, Europæque, Aſiæque.
Æquore ab Heſperio qua ſe ſalis inſinuat vis,
Terrarumque cavis inlabitur arduus Atlas,
Qua juga celſa tument, Libyæ ſeſe explicat ora:
Finis huic Gades, ſeptenaque gurgite vaſto
Ora procul Nili. Phariorum hic gleba recumbit,
Et Peluſiaci celebrantur templa Canopi.
Europæque dehinc lævum eſt latus. & procul ambas
Una Aſia inclinans, geminis ſe cornibus urget
Deſuper, ac rupti divortia continet orbis.
Europam atque Aſiam Tanais diſterminat amnis.
Hic ſe Sarmaticis evolvens finibus arte
Sciſſus Araxeo prius æquore, jam ſuus, unda
Effluit in Scythiam: procul hinc Mæotida Tethin
Intrat, & inſerto freta pellit vaſta fluento,
Iſmaricique riget ſemper flabris Aquilonis.
At qua piſcoſi gurges ſtrepit Helleſponti,
Vis obliqua ſali tepidum procumbit in Auſtrum,
Terrarumque trium modus eſt mare, donec in altis
Ora procul Nili late Thetis efflua ſerpat.
Altera pars orbem telluris limite findit.
Ceſpes terga jacens Aſiæ ſuccedit in oras,
Immenſuſque modi protenditur. hic latus artans
Caſpia contingit freta deſuper, atque tumenti
Proximus Euxino eſt. Aſiam conterminus iſte
Europamque ſecat. tellus ſeſe altera in Auſtrum
Porrigit, inſertoque ſinus interjacet agro.
Nam ſinus hinc Arabum, ſinus hinc Ægyptius unda
Æſtuat, & Libycis Aſiam diſcernit ab oris.
Sic diverſa fuit ſententia, rite quis orbi
Limes haberetur. totum hoc circumlatrat æſtus,
Et maris infeſti moles ligat. una furenti
Natura eſt pelago, pelagi ſed nomina mille,
Æquor ut innumeris terrarum admoverit oris.
Qua ſe blanda ſatis intendunt flabra Favoni,
Heſperium Oceano mare terras intrat ab alto.
Axe Lycaoniæ rurſum facis, atque ubi dura
Belligeratores nutrit tellus Arimaſpas,
Nomine Saturni late jacet æquoris unda.
Hic denſata ſali ſtant marmora, pigraque ponti
Se natura tenet, numquam ruit effluus humor.
Mortuus hic Graio perhibetur gurges in uſu.
Denique quam lento ſtupeat plaga ſalſa profundo,
Vel quam ſole carens pars orbis tetra rigeſcat,
Vix hebes has oras ardor Titanius adflat,
Vix evecta dies illuminat, omneque late
Pingue tenebroſa cælum ſubtexitur æthra.
At qua prima dies rutilo ſuſtollitur ortu,
Aureus & tremulas late rubor inficit undas,
Eoum pelagus, freta dicunt Indica. ponti
Propter Erythræi tenduntur dorſa profundi,
Æthiopumque ſalum. diffunditur hic notus; æthram
Urit, & hic æſtu radiorum Phœbus anhelo
Arva coquit. ſterilis regio eſt & inhoſpita late,
Aret humus, caſſæque ſolo torrentur arenæ.
Oceanus ſic cuncta vago complectitur æſtu,
Undique ſic unus terras interminus ambit,

Innumeroſque ſinus cavat inlabentibus undis
Deſuper & multis: celebri ſub nomine tantum
Quatuor infuſo late ſale terga dehiſcunt.
Primus in orbe ſinus vaſti maris æquora cingit.
Gurgitis Heſperii procul hic protentus in oras
Faucibus a Libycis æſtum trahit, atque ubi lætam
Ceſpite ſub pingui pandit Pamphylia glebam,
Deficit, & curva ſinuatur littoris ora.
Alter item eſt primo brevior, majorque duobus.
Hic prolapſus aquas Boreali fuſus ab alto
Terga procelloſo turgeſcit Caſpia fluctu.
Hyrcanum hoc pelagus pars nominat. hinc duo rurſum
Ora patent ponti: geminus ſinus æquoris intrat
Telluremque cavat, qua ſe Notus axe tepenti
Erigit. horum unus vada longe Perſica fundit,
Caſpia converſus procul in freta porrigiturque.
Quartus Arabs tumet hic rabido per aperta fluento,
Euxinumque ſalum videt eminus. en tibi rurſum
Æquoris Heſperii tractus loquar: iſtius unda
Lambit terga ſoli qua ſe vagus explicat orbis.
Nam vel cæruleo loca circumplectitur æſtu,
Vel celſo dimiſſa jugo confinia radit,
Mœnia vel fuſi perſtringit gurgite ponti.
In Zephyrum tellus extenditur, oraque terræ
Ultima proceras ſubducit in aſtra columnas.
Hic modus eſt orbis: Gadir locus. hic tumet Atlas
Arduus, hic duro torquetur cardine cælum,
Hic circumfuſis veſtitur nubibus axis.
Et primum ruptas ſe pontus Ibericus illinc
Inſerit in terras. caput autem principiumque
Europæ & Libyæ eſt. mediis infunditur oris,
Inrepitque ſalum. ſcopuli ſtant ardui utrimque,
Unus in Europam, Libyam procul aſpicit alter,
Sic deſerta freto procera cacumina celſis
Emicuere jugis, ſic intrant ſaxa profundum,
Sic ſubeunt nubes, ſic cælum vertice fulcit
Maura Abila, & dorſo conſurgit Iberica Calpe.
Gallicus hinc æſtus provolvitur. hic ſuper, urbem
Maſſiliam gens Graia colit, Ligurumque tumeſcit
Æquor, & indomito tellus jacet Itala regno.
Auſonis hæc regio eſt; pubi genus ab Jove ſummo.
Qua ſe flabra trucis Boreæ per inhoſpita terræ
Eructant cælo, populis caput Ænea clarum
Alba, dehinc cautes eſt terminus. hæc freta propter
Trinacriæ ſummo conſurgit littoris ora.
Evolvuntur item vada fuſi cærula ponti,
Inſula qua Cyrnus fluctu madet alludente
Littoris oſtriferi protendens latius undam.
Sardiniamque dehinc moles circumflua cingit
Æquoris, & cano ſpumant freta concita fluctu.
Hinc Tyrrhena ſali ſunt agmina, qua Notus axem
Humidus inclinat. qua lux ſe rurſus eoa
Emergit pelago, Siculi maris æſtuat unda,
Obliquumque quatit gurges protentior altum
Uſque in ſaxoſi Pachyni juga. plurimus inde
In Cretam trahitur ponti tumor. hicque procul ſe
Inclinat rupes ſeſe, obvia fluctibus altis.
Ingreditur pelagus Cortynia mœnia juxta,
Ac procumbentis ſola propter pinguia Sexti,
Prona maris cautes extenditur, ut ferus ora
Eſt aries, ultroque minans petit obvia fronte.
Denique ſic olli nomen prior indidit ætas:
Nec minus Italiam cornu proſpectat acuti
Littoris, & rapidi perflatur Japygis ortu.
Hinc ſe rurſus aquis Adriatica marmora fundunt,
In Boream Zephyrumque dehinc deflexa parumper.

Hic ſinus Ionius curvatur littoris acta,
Alta petunt rauco penitus repentia fluctu,
Ceſpitis & gemini tellus inrumpitur alto.
Nam qua cæruleis pontus ſeſe inſerit undis,
Illyris in dextris pandit regionibus agros,
Æmathiamque ſuper ſulcat genus acre virorum.
Auſonidum læva eſt. hic longo ceſpite tellus
Funditur, & varia populorum pube domantur
Arva ſoli. trina hæc pelagi circumtonat unda.
Nam qua ſe Zephyri ſuſtollunt flabra, profundum
Tyrrheni eſt pelagi: qua ſe notus erigit æthræ,
Sicanum late fluitat mare, qua procul autem
Spirat ab Eois pulcher regionibus Eurus,
Ionii ſunt terga ſali. ſic Itala tellus
Ut circumfuſis latus amplum labitur undis.
Efflua poſt Siculi moles evolvitur alti,
Inque Notum late vada ponti cærula ſerpunt,
Donec arenoſas attollant æquora Syrtes,
Inſidumque rati tenuent mare. languida quippe
Æquore jam feſſo ſeſe trahit unda per ambas.
Montibus ab Siculis capit autem prona meatum
Cretæiſque jugis, vix Syrtes inter oberrans,
Parcior & tenui prætexens ima fluento.
Rurſus ab Idæa Salmonide porrigit æquor
Se geminum: nautæ Pharium dixere profundum,
Quod procul hinc Caſiæ vergit confinia cautis.
Sidoniique dehinc late ſalis æſtuat unda,
Iſſicus in modico donec ſinus ore pateſcit,
Æquoris & noſtri fit terminus: arva ubi late
Pinguia proceris Cilicum verſantur aratris.
Curva ſalo forma eſt: hinc ſeſe marmora ponti
In Zephyrum torquent, ac flexu lubricus errat
Gurges, & exeſas inlabitur unda lacunas.
Sic viroſarum prolixa volumina ſeſe
Sponte Ceraſtarum facili ſub viſcere curvant,
Sic ſpiras crebro ſinuat draco, ſeque vel orbe
Colligit inclinans, vel pronis agmina longe
Tractibus abſolvit: ſtridet nemus undique totum,
Peſtifero afflatu ſerpens vagus inquinat æthram.
Haud ſecus inlapſo penetrantur littora fluctu,
Et rurſum tellus init æquora: jugis ubique
Mugitus pelago eſt, gemitu loca cuncta reſultant,
Imminet hic late Pamphylia, ſubluit illic
Unde Chelidonias inliſum murmurat æquor,
Sæpius & crebra ſpumeſcunt æquora rupe.
Terminus hic cautes Patareidis eminet arcis,
Ac rurſum in Zephyrum vada ſemet cærula curvant.
Hic ſalis Ægæi tractus tonat, inque Bootis
Plauſtra dehinc rapidi flectuntur marmora Nerei,
Saxoſis Sporadum ſæpe obluctantia ripis.
Non aliud tanta conſurgit mole profundum:
Non ſic curva Thetis fluctu tumet. exſtimus olli
In Tenedum curſus, pelagi caput incipit Imbri.
Ceſpitis hic proni protendens dorſa Propontis
Flatibus ex Boreæ tepidum procumbit in auſtrum,
Immenſæque Aſiæ populos alit ubere terræ.
Hic artas inter fauces atque obvia ſaxa
Thracius anguſtas diſcludit Boſporus oras:
Boſporus Inachiæ ſubvector virginis olim.
Nam vicina ſibi ſtant littora, terraque parci
Faucibus oris hiat, prona ſinus evomit unda:
Proxima non alibi tantum divortia cernas
Ceſpitis. hac pecoris dorſo ſternacis in æquor
Inachis illata eſt. ſic pectus canduit ira
Pellicis, & tanto divam dolor extulit igni,
Illic inſtabili fama eſt ſale ſaxa moveri,
Inferrique ſibi flabris urgentibus oras.
Hic rigidas errare ferunt per marmora cautes,
Et nunc ora ſoli vaſtas prætendere rupes,
Nunc aperire ſinum: gemit amplo murmure pontus,
Seu quod colliſas Thetis indignata per arces
Sæviat objectis, ſeu quod brevis exitus undas
Exerat, & ſtrictis eructet faucibus æquor.
Interius lato Pontus ſe gurgite fundit,
Undarumque procul latus explicat, aurea Phœbi
Qua rota purpureo repetit convexa ſub ortu.
Sic obliqua maris panduntur denique dorſa,
Ut matutinis inclinet æquor habenis;
Longior aut Boreæ concedat gurges in axe.
Pontus enim noſtræ ſinus eſt ampliſſimus undæ.
Hic Aſiæ ab læva præcingitur, Europamque
Excipit, adverſuſque dehinc ſe Thracius artat
Boſporus, & tenui vix panditur oris hiatu.
At qua diducto pontus diſtenditur æſtu,
Et porrecta mari terræ juga longius intrant
In pelagus, tractuque vago ſua littora linquunt,
Ceſpite Paphiaco prodit ſaxoſa Carambis.
Altera ſe cautes ſimilis procul arietis ori,
Dura pruinoſo qua torpet Taurica cælo,
Exerit, & tenta late premit æquora fronte.
Eminus iſta Notum videt, Arctos eminus illa.
Porro inter fluctus ac fuſi marmora ponti
Proxima celſorum ſic ſunt ſibi dorſa locorum:
Quamvis vaſta ſali moles interfluit arces,
Ut gemini ſit forma maris, ſed brachia Pontus
Finibus arctois Eoæ lucis in ortum,
Et qua prona dies atris involvitur umbris,
Molliter inclinans Scythici ſpeciem facit arcus:
At tepidi de parte Noti directitur ora,
Continuumque jacens rigidi ſub imagine nervi
Tenditur. excedit confinia ſola Carambis
In Boream vergens. Boreali rurſus in arcto
Ore ſinus patulo Mæotidis arta plaudis
Æquora prorumpunt. Scytha late barbarus oras
Incolit, & matrem ponti cognominat undam.
Sola parens ponto, genitrix hæc ſola fluento eſt,
Hoc ſe fonte trahunt vaga glauci marmora ponti,
Cimmerio prolapſa ſinu. nam Boſporus illic
Cimmerius fauces aperit. circumque ſuperque
Cimmerii gens dura colunt. hic ardua Taurus
In juga conſurgit, cælumque cacumine fulcit,
Verticis & celſis late caput inſerit aſtris.
Huic, mirante ſalo, quondam ſeſe intulit agro
Theſſala, & innantem ſtupuerunt æquora cymbam.
Sic vaſti moles pelagi interfunditur oras,
Sic ſe forma maris toto procul explicat orbe.
Nunc tibi tellurem verſu loquar. incute docto
Phœbe chelym plectro. muſis intermina vita
Permanet, & memori laus ſemper pullulat ævo.
Indefeſſa tuæ ſint mentis acumina, lector,
Sudoriſque mei patulo bibe carmina rictu.
Dulcis in his hauſtus; meritum grave, gratia perpes.
Ergo ſolum terræque Libyſtidis ora per auſtrum
Tenditur, Eoæ procul in confinia lucis.
Gades principium eſt, caput hujus ceſpitis autem
Artius anguſto conducit littora tractu,
Oceanique ſalum cuneo ſubit iſtius oræ.
Terminus immenſis Arabum concluditur undis.
At latus hoc terræ diffuſius explicat agros,
Arvaque tenta patent. hæc pingui ceſpite tellus
Æthiopum eſt nutrix, qui nigras propter Erembas
Extremi Libyæ curvo ſola vomere ſulcant.

Et

Et rurſum Æthiopes ſoli ſubjecta cadenti
Arva tenent. ſic ſciſſa virum gens ultima terræ
Incolit: hos adflant rutilæ incunabula lucis.
Hic jam præcipitis terrentur ſolis habenis.
Propter proceras Zephyri regione columnas
Mauri habitant. his fluxa fides, & inhoſpita ſemper
Corda rigent, trahitur puris vaga vita rapinis.
Proxima ſe late Numidarum paſcua tendunt,
Maſſaliique ſuper populi per aperta locorum
Pallantes agitant. certi laris inſcia gens eſt:
Nunc in dumoſas erepunt denique rupes,
Nunc quatiunt campos, nunc ſilvas inter oberrant
Conjugibus natiſque ſimul. cibus aſpera glando
Omnibus: haud ullis ſulcatur ceſpes aratro:
Non his mugitus pecudum ſtrepit. inclita poſt hos
Mœnia conſurgunt Tyriæ Carthaginis, illa
Urbs Phœniſſa prius, Libyci nunc ruris alumna,
Paci blanda quies, & bello prompta cruento.
Aſt hinc in Syrtim præceps ruit una minorem,
Ulteriuſque dehinc qua lux ſe reddit Olympo,
Major vaſta ſibi late trahit æquora Syrtis,
Infidumque rati pelagus furit. ardua quippe
Undarum moles Tyrrheno cogitur æſtu,
Curvatumque ſalum quatit amplo littora fluctu.
Ecce alia lento prorepit gurgite Nereus,
Undaque vix tenuis ſiccas prætexit arenas.
Immemor ergo modi ſemper natura duabus
Syrtibus & claſſem ſors crebro cæca fatigat.
Ambarum medio procera Neapolis arcem
Subrigit. hanc rurſum gens late priſca virorum
Lotophagi includunt. duroſque Naſamonas inde
Accipe, queis quondam populorum examina multa
Verſavere ſolum, multos ſonuere per agros
Balatu pecudes; nunc lati jugera campi
Et grege nuda jacent, & ſunt cultoribus orba.
Auſonis hæc duro vaſtavit dextera bello:
Auſonis invicti gens roboris, una per orbem
Arma tulit, pubem Latiam ferus horruit Iſter,
Romanas aquilas Rhodanus tremit, Italidum vi
Mœſta paludivagos Germania flevit alumnos.
Illi cæruleas attingunt æquoris undas:
At qua navigero tellus diſcedit ab æſtu,
Innumeræ gentes, populorum examina mille
Arva tenent. hic fata canit venerabilis Hammon,
Mugit arenoſis nemus illic denique lucis.
Adſtat Cyrene propter vetus, erigiturque
Urbs procera arces, & Apolline dives alumno.
Marmaridæ juxta procul hic tamen ultima regni
Ægypto inclinant, tergo Gætulia glebam
Porrigit, & patulis Nigretæ finibus errant.
Protinus hinc Garamas late confinia tendit,
Trux Garamas, pedibus pernix, & arundinis uſu
Mobilis. at quantum terrarum interna recedunt,
Ut procul Oceano tellus vicina madeſcat,
Æthiopum populos adit ampli ceſpitis ora.
Terminus Æthiopum populos adit ultima Cerne,
Poſt Blemyes medii ſuccedunt ſolis habenas,
Corpora proceri, nigri cute, viſcera ſicci,
Et circumvincti nervis exſtantibus artus.
Hi celeres molles currunt pede ſemper arenas,
Nec tamen impreſſæ lingunt veſtigia plantæ.
Eminus evolvunt hinc ſeſe pinguia Nili
Flumina, & intenti prolabitur æquoris unda.
Hic qua ſecretis incidit flexibus agros,
Æthiopum in lingua Siris ruit: utque Syenes
Cærulus accedens diti loca flumine aduiat,
Nomine ſe claro Nilum trahit, inque jacentem
Ægyptum fuſus fluctu premit arva marito,
Fœcundatque ſolum. procul illic agmina cogit
In Boream, ſciſſuſque vagis anfractibus æquor
Proſerit, & ponto ſeptem ferus explicat ora.
Non olli compar quiſquam fluit, inclyta quamquam
Undique ſe totis eructent flumina terris.
Nilus & immenſos ulnam diſpergit in agros,
Et fovet invecto ſata gurgite: Nilus honorem
Telluri reparat: Nilus freta maxima pellit.
Hic Aſiam ab Libya diſterminat, axe Favoni
Secernens Libyam, redeuntis ſolis ab ortu
Disjungens Aſiæ medio confinia fluctu.
Nec procul illa virum gens incolit, actibus olim
Quæ prior humanas leges & jura notavit,
Vomere quæ duro, quæ longi pondere aratri
Sollicitavit humum, quæ rectis cædere ſulcis
Tellurem docuit, quæ cedens partibus æthram,
Prodidit obliquo ſolem decurrere cælo.
Iſtius ergo tibi formam regionis & oræ
Expediam verſu. blandus prætenditur aer,
Prodigus herbarum ceſpes jacet, aſpera nuſquam
Culmina conſurgunt, portus cavat ora frequentes,
Quidquid terra dehinc redeuntis ſufficit anni
Tempore, præ cunctis ſtupeas ſpecieſque modoſque.
Trina loco frons eſt, ſed latior axe Bootis,
Luce ſub Eoa conſtrictior, uſque Syenen
Tenditur, unde pii volvuntur flumina Nili.
Hic urbs eſt Thebæ, Thebæ quæ mœnibus altis
Præcinxere larem; Memnon ubi Tithonæus
Suſpectat roſeas Auroræ matris habenas.
Parſque coean diſcedit ab æquore, ſeptem
Oppida ſuſtentat: Noti pars vergit in oram,
Et modus eſt olli Serbonidis alta paludis:
Altera pulſatur genitabilis ore Favoni.
Hic urbem poſuit Pellææ dextera gentis.
Hic inter celſas late ſurgentia nubes
Templa Sinope Jovis adſtabant nixa columnis,
Divite ſaxorum circumveſtita metallo,
Auro fulta gravi, niveo radiantia dente.
Nec minus hic ſpeculæ vertex ſubducitur, ex quo
Cernere ſit longe Pallenidis intima terræ.
At qua ſurgenti terræ pars conſcia Phœbo eſt,
Aggere murorum Peluſia mœnia ſurgunt.
Gens hic docta ſali tumido freta gurgite currit,
Inque procelloſos lembum convertere fluctus
Ludum habet, & rauca vitam producit in unda.
Talis forma jacet Libyæ, talique receſſu
Ab Zephyro Eoum tellus incumbit in axem.
Iſtius extenti ſala ceſpitis undique ſulcant
Gentes innumeræ, quæ ſparſæ littore longo
Oceani auſtralis vada late cærula tangunt,
Et quæ multimodi media tellure agitantes
Arva domant, & quæ Tritonidis alta paludis
Ut circumfuſo populorum examine tingunt.

Nunc tibi & Europæ fabor latus. hæc, ubi terras
Intrat Atlantæi vis æquoris, accipit ortum.
Unus utramque ſalis fluxus ſecat, & procul unum
Diſtinet os ambas. eadem inſinuatio ponti
Europam & Libyam rapido diſterminat æſtu:
Sed prior illa tamen tepido perfunditur auſtro,
Hæc ſubit inſanos tergum curvata Aquilones.
Ambæ Aſiam rurſum ſimili ſub limite tangunt.
Æquus utrimque modus protenditur: ut ſimul ambas
Si conferre ſibi quiſquam velit, una parumper
Ut credatur humus, mediique interflua ponti

Subtrahat extemplo quali nux pinea forma eſt.
Singula verſanti talis ſuccedat imago
Europæ & Libyæ. ſic nam latus explicat ambas
Unum, & utrimque caput, ſimilis quoque finis utrimque.
Sed tamen Heſperii qua ſpectant æquoris undam,
Ambæ producto coeunt ſibi ceſpite terræ.
Qua matutinus ſol iſtas ignibus adflat,
Latior ambabus ſpecies diſtenditur. unum
Hoc agili ſub mente teras; velut obvia habebis
Cætera terrarum. tellus Europa columnis
Proxima magnanimos alit æquo ceſpite Iberos.
Hi ſuper Oceani borealis frigida tangunt
Æquora, & excurſu diffuſi latius agri
Arva tenent. auris nimium vicina Britannis
Flavaque cæſariem Germania porrigit ora,
Dumoſæ Hercyniæ peragrans confinia ſilvæ.
Inde Pyrenæi turgeſcunt dorſa nivalis:
Gallorumque truces populi per inhoſpita terræ
Vitam agitant. tum cæruleum Padus evomit antro
Flumen, & extento patulos premit æquore campos.
Hic prius Eridani propter nemoroſa fluenta
Fleverunt liquidæ lapſum Phaethonta ſorores,
Mutatæque manus planxerunt pectora ramis.
Nec procul hinc rigidis inſurgunt rupibus Alpes,
Naſcentemque diem celſo juga vertice cernunt.
Porro inter cautes & ſaxa ſonantia Rhenus,
Vertice qua nubes nebuloſus fulcit Atulla,
Urget aquas, glaucoque rapax rotat agmine molem
Gurgitis Oceani, donec borealis in undas
Effluat, & celeri perrumpat marmora fluctu.
Quin & Danubium produnt ſecreta repente
Barbara, ſed diſcors tamen eſt natura fluento.
Abnoba mons Iſtro pater eſt: cadit Abnobæ hiatu.
Flumen in Eoos autem convertitur axes,
Euxinoque ſalo provolvitur: ora per æquor
Quinque vomunt amnem, qua ſe procul inſula Peuce
Exerit. hinc rigidi qua ſpirant flabra Aquilonis,
Sarmata, Germani, Geta, Baſternæque feroces,
Dacorumque tenent populi, tenet acer Alanus.
Incola Tauriſci Scytha littoris; indeque rurſum
Dira Melanchlæni gens circumfuſa vagatur.
Proxima Neurorum regio eſt, celereſque Geloni,
Præcinctique ſagis ſemper pictis Agathyrſi.
Inde Boryſthenii vis ſeſe fluminis effert
Euxinum in pelagus. tunc æquora Panticapæi
Ardeſcique ibi cæſo de vertice ſurgunt.
Riphæi montes ibi dura ſæpe ſub arcto
Denſa pruinoſos eructant nubila nimbos.
Hic dites venæ niveum gignunt cryſtallum,
Atque hic indomito tellus adamante rigeſcit
Inter Riphæos & proceros Agathyrſos.
Hæ gentes Iſtrum, qua ſe plaga dura Bootis
Porrigit, incumbunt. medii de parte diei
Per dumoſorum reptantes dorſa jugorum
Gerrhæ habitant. Gerrhas attingunt oppida late
Norica, & immodicæ rurſum loca pinguia glebæ
Pannonia exercet. Boream ſubit altior agro
Mœſus, & extento poſt tergum ceſpite Thracas
Plurimus excedit. tunc ipſi maxima Thraces
Vomere ſollicitant curvo loca. denique longo
Qua porrecta jacet ſpatio piſcoſa Propontis,
Et ſe præcipiti fluctu furit Helleſpontus
Ægæum dehinc procul in mare; plurima Thraces
Arva tenent. hic mellifluis Pallena ſub antris
Lychnitis rutilæ flammas alit: hic & iaſpis
Fulva micat ſtellis, quantum convexa per æthræ
Ignea perpetuis ardeſcunt ſidera flammis.
Hic rurſum occiduis Europam ſabor ab oris.
Hæc tamquam ſpeculis adſurgens plurima trinis,
Spectat Achemeniæ lucis jubar. unus Iberos
Limes habet, limes tenet alter denique Graios,
Auſoniæ medius protendit latius arva.
Oceani vicina ſalo qua glauca recumbit,
Oceani Heſperii tum & illic ardua Calpe,
Hic Hiſpanus ager, tellus ibi dives Iberum:
Tarteſuſque ſuper ſuſtollitur: indeque Cempſi
Gens agit in rupis veſtigia Pyreneæ.
Protendens populos medios e limite glebæ
Auſonis effundit. mediam ſecat Apenninus
Auſoniam. nam qua Boreali vertice ad æthram
Concreſcunt Alpes, ſurgit caput Apennino:
Et qua Sicanii tellus madet æquoris æſtu,
Ut protelatæ molis juga gurgite condit.
Hunc circa multæ ſola ſulcant proxima gentes;
Et tamen has omnes ſolers tibi muſa loquetur.
Prima vetuſtorum gens eſt ibi Tyrrhenorum:
Inde Pelaſga manus, Cyllenæ finibus olim
Quæ petit Heſperii freta gurgitis, arva retentat
Itala. tum multa tenduntur parte Latini,
Per quos flaventes Tybris pater explicat undas,
Romanoſque lares lapſu prælambit alumno.
Hic Campanus ager glebam jacit. hic freta quondam
Parthenopen blando labentem in marmora ponti
Suſcepere ſinu. tepidum ſi rurſus in auſtrum
Convertare oculis, nemoroſi maxima cernes
Culmina Picani. coma largi palmitis illic
Tenditur, ac fuſo Bacchus tegit arva flagello.
Tunc Lucanorum regio inſurgentibus alte
Cautibus horreſcit, ſcrupus ſola creber iniqua
Aſperat, & denſo cæcantur ſtipite ſilvæ.
Brutius hic dumos acer colit inter & arces
Obſidet inſidas, donec Sicana fluenta
Intendant pelagus, diſploſiſque æquora terris
Inſtabile inclinent ſemper mare, qua vel Eois
Hadrias unda vadis largam procul expuit algam,
Vel qua Tyrrheni præceps involvitur æſtus.
Ab Zephyro hinc rupes dorſum tumet, inque Bootis
Plauſtra patens albo conſurgit vertice ſaxum.
Huc ſe priſca Locri gens intulit, & ſale longo
Eminus invecti, qua pontum gurgite rumpit
Flumen Alex, Graiæ texerunt lintea cymbæ.
Hinc Metapontini diſcurrunt latius arva.
Inde Croton priſcis attollit mœnia muris:
Æſarus hic amnis ſalſa convertitur unda.
Et Junone calent hic aræ præſule ſemper.
Nec minus exciti poſt flumina dira tonantis
Infortunatæ Sybaris vicina ruinæ eſt.
Samnitæque truces habitant confinia. poſt hos
Gens Marſum quondam tenuit loca, tumque Tarentum
Surgit Amyclæi ſoboles prædura tyranni.
Hinc jacet in patulos projecta Calabria campos,
Et ſuper arenti tonduntur Iapyges agro.
Huc ſe præcipiti cogit ſerus Hadria ponto.
Hic Aquileia decens celſis caput inſerit aſtris.
Tergeſtumque dehinc curvi ſalis incubat oram,
Extimus Ionii qua ſe ſinus æquoris abdit.
Tot populi Auſoniam circumdant mœnibus altis,
Italiam cingunt tot diti ceſpite gentes.
In vuia r* eorum rurſum ſe caper via flectunt
Æquora, & Aſſyrium ſuſpectant eminus axem
Ionii freta glauca ſali, primoſque Liburnos
Præſtringunt; pelago gens Hylli plurima rurſum
Acco-

Accolit: hic tenui tellus diſcluditur æſtu.
Illyris ora dehinc diſtenditur: hicque periclis
Sæpe carinarum famoſa Ceraunia ſurgunt.
Tunc prorepentis qua ſunt vada turgida Nerei,
Harmoniæ & Cadmi ſuſtentat gleba ſepulchrum
Barbara. nam longo jactati ſæpius orbe
Poſtquam liquerunt Iſmeni fluminis undam,
Hic in cæruleos mutati membra draconis
Abſolvere diem, finemque dedere labori.
Nec minus hic aliud monſtri genus arbiter æthræ
Edidit. adſiſtunt ſcopuli duo, cumque quid atri
Imminet eventus, ut vulgi corda fatiget
Sors rerum, & gentem terat inclementia fati,
Et motantur humo, & coeunt ſibi vertice ſaxa.
Sed qua mitis item ſpirat Notus, Oriciumque
Pulſant flabra ſolum, Graiæ confinia terræ
Incipiunt aperire latus, prolixaque longis
Jugera producunt ſpatiis, præcincta duobus
Æquoris inſuſi procurſibus. hanc freta quippe
Ægæi lambunt pelagi, citus Hadria rurſum
Subluit hanc fluctu. gemino ſic gurgite late
Graia manet tellus. ſortitaque marmora ventos
Quæque ſuos, imo turgeſcunt mota profundo.
Eurus in Ægæum contorquet flabra: latentis
Parte poli Zephyris Hadriatica terga tumeſcunt.
Inſula ſe rurſum Pelopis viſentibus offert,
Inſula quæ platani folio compar ſedet Iſthmi.
Quippe caput ſummum conducitur, artaque vergit
In Boream tellus, & Graios adjacet agros.
Cætera ſub folii ſpecie diſtenditur arva,
Ac per utrumque latus ſinuoſo ſæpe recedit
Ceſpite, ſed tepido qua tellus tenditur auſtro,
Graiorum Tripolis ſterili ſe porrigit ora.
Hinc ſacer Alpheus flumen trahit, & vagus æquor
Influit Eurotas. Piſanos alter hiulcat,
Alter Amyclæas celeri ſecat agmine terras.
Inſula qua curvas inclinat concava valles,
Arcades immenſum propter deguut Erymanthum.
Hic diſtentus aquas ſata lambit pinguia Ladon.
Juxta Argivus ager, juxta ſunt culta Laconum.
Illos prima dies celer, iſtos aſpicit auſter.
Iſthmi terga dehinc geminus circum latrat æſtus;
Parte Ephyres piceas qua nox agit atra tenebras,
Et matutinus qua lucem proſerit ortus.
Hic uſu Graio nomen tenet unda Saronis.
Atticus hanc ultra limes jacet, Attica tellus
Belligeratorum genitrix memoranda virorum.
Fertilis hæc herbas Iliſſum ſubvehit amnem.
Iliſſi Boreas ſtagno tulit Orithyam.
Bœotumque dehinc ſeſe confinia jungunt,
Et Locris, & patuli ſulcator Theſſalus agri,
Et Macetum præpingue ſolum, tumet arduus Hæmus,
Threiciumque caput ſubducitur. adjacet Hæmum
Partibus ab Zephyri Dodonæ vatis alumnus.
Axe Noti tritas ſubter rupes Aracynthi
Gens Ætola colit. campis ibi pulcher apertis
Labitur, & virides ſulcans terras Achelous
Inruit Hadriaci tergum maris. hicque frequentes
Fluctibus attolluntur Echinades. haud procul inde
Priſca Cephallenæ conſurgunt oppida terræ.
Delphica quinetiam miſcet confinia Phocis
Lucis in exortum protentior, inque Booten
Termopylæ cedunt. hic ſe Parnaſia rupes
Erigit: hic celeri Cephiſſus volvitur unda:
Hic quondam Python transfactus arundine membra,
Sanguinis & caſſus prolixa volumina ſolvit.
Illic ſæpe deum conſpeximus adridentem,
Inter thuricremas hic Phœbum vidimus aras.
Nunc ut quæque vagos ſurrexerit inſula ponto,
Ordine quo ſteterint pelago circumflua ſaxa,
Expediam. cymbæ ducatur curſus ad undam
Gurgitis occidui. precor aſpirate Camenæ,
Inter & oppoſitas intendite linea terras.
Gadir prima fretum ſolida ſuper eminet arce,
Attollitque caput geminis inſerta columnis.
Hæc Cotinuſſa prius fuerat ſub nomine priſco,
Tarteſſumque dehinc Tyrii dixere coloni.
Barbara quinetiam Gades hanc lingua frequentat,
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique ſeptum
Aggere præducto. Tyrii per inhoſpita late
Æquora provecti tenuere ut ceſpitis oram,
Conſtituere domus: dant hi quoque maxima templa
Amphitryoniadæ, numenque verentur alumnum.
Inſula ſe propter Gymneſia tollit ab alto,
Ac dilecta vago pecori conſurgit Ebuſus,
Sardiniæque arces, & inhorrens Corſica ſilvis,
Æolideſque dehinc tumidis ſe fluctibus edunt
Inſulæ, & inſerto caneſcunt undique ponto.
Has dudum tenuit rex Æolus. Æolus illic
Hoſpita jactatis indulſit littora nautis.
Æolus imperio ſummi Jovis arbiter alto
Impoſitus pelago eſt, effundere carcere ventos,
Et ſedare ſalum ſeptem ſeſe æquoris æſtu
Emergunt arces ſeſe æquoris æſtu * * *
Hic habuit tunc. Auſoniam ſe pandit in oram
Tellus Trinacria, & patulo diſtenditur agro.
Hæc autem trinis laterum prucurſibus adſtat,
Ternaque cæruleis longe juga porrigit undis.
In matutinos Pachynos producitur ortus:
Pars tepet a Zephyro Lilybeia: celſa Peloris
Tota ſereniferæ pulſatur flatibus urſæ.
Hic iter infidum pelagi, miſerandaque fata
Involvere ſalo, fluctuque hauſere voraci
Sæpe rates. ſurgunt anguſtæ marmore fauces,
Arctam præcipitant properum confinia pontum.
Qua ſe parte dehinc celſæ Notus erigit æthræ,
Vis late Libyci furit æquoris. una ibi Syrtis,
Aſt aliam ulterius freta prolabentia tendunt:
Parvaque cæruleo circumſonat æquore Mixam.
Rurſus in Hadriacam lembum cogentibus undam,
Et lævum curva pelagus ſulcantibus alno,
Inſula ſe Graii Diomedis gurgite promit,
Italiam ſpectans & Iapygis arva coloni.
Huc illum motæ quondam tulit ira Diones,
Poſtquam per celeres extorrem traxit Iberos:
Conjugis huc diræ miſit furor Ægialiæ.
Ionii ſi quis rate rurſum cærula currat
Æquora, & Eoos cymbam producat in ortus,
Abſyrti cautes & crebras protinus arces
Inveniet. Colchus hunc quondam cura fideſque
Extulit inſanam ſectantes & inent * *
Nec procul Ionii per terga Libyrnides adſtant.
Inque Notum poſt dura Ceraunia carbaſa ſi quis
Torqueat, & tepidos lembum declinet in axes,
Ambraciotarum ſuccedunt protinus arces.
Alcinoique domus pandetur Corcyra rurſum,
Corcyra compta ſolum, locupleti Corcyra ſulco.
Hanc ſuper eſt tellus Ithaci vetus aula tyranni,
Exulis & toto raptati ſæpe profundo.
Plurima præterea conſurgunt gurgite ſaxa,
Quæ protentus aquas Achelous pulcher oberrat,
Amniſuſque dehinc alias circumfluit undas,

 Quæ

Quæ tamen in Boream vergant magis. Ægyla parva,
Et procera caput turgeſcunt pulchra Cythera.
Eminet hic etiam ſaxoſa Calauria juxta.
Carpathus hic rupes attollitur: hæc tamen axem
Reſpicit occiduum. nutrix hic Creta Tonantis,
Multa latus, glebamque ferax, & opima virentum,
Erigitur pelago. Cretam ſuper adſtitit Ida,
Ida procelloſis agitans Aquilonibus ornos.
Nec procul Ægyptum Rhodus adjacet, adjacet ora
Suniados. qua ſe prætendit ceſpes Abantum,
Fertilis Æginæ tellus, & opima Salamis.
Lucis ab exortu Pamphylia qua cavat æſtum
Prolabentis aquæ, Cyprus alta cingitur unda,
Atque Dionæi pulſatur littoris acta.
Inde Chelidoniæ tres ſeſe gurgite tollunt,
Qua frons tenta ſalo Patereidis eminet arcis.
Læta dehinc Aradus Phœnicum præjacet oram,
Multus ubi exeſæ ſinus eſt telluris ab alto,
Ac latus omne ſoli procul in diſpendia cedit
Littoris, & curvo prælambitur ora fluento.
Mirus & ille dehinc Ægæi gurges habetur,
Qui gemina de parte ſali velut ordine juſto
Saxa mari profert circumflua, tenuia ſeſe
Qua freta præcipitant Athamantidis inclyta leto.
Seſtus ubi atque Abydus parvo ſale diſcernuntur,
Et vicina ſibi lambit confinia pontus.
Pars procul Europæ lævum latus, altera porro
Ditem Aſiam ſpectat: cunctæ tamen ordine facto
Inſulæ in Arctoi procedunt plauſtra Bootis.
Europam incumbit prolixus limes Abantum.
Scyrus ibi late dorſum tumet. ac Peparethum
Protollit pelagus. juxta Vulcania Lemnus
Erigitur, Cereri que Thaſus dilecta profundo
Proferit albenti ſe vertice. prominet Imbrus,
Threſſaque conſurgit propter Samus. indeque rurſum
Cyclades accedunt Aſiam, Delumque coronant.
Omnes fatidico curant ſolennia Phœbo.
Nam cum vere novo tellus ſe dura relaxat,
Culminibuſque cavis blandum ſtrepit ales hirundo,
Gens devota choros agitat, cratituque ſacrato
Ludunt feſta die viſit ſacra numen alumnum.
Hinc Sporades crebro producunt ceſpite ſeſe,
Denſa ſerena toceus ſplendentia ſidera Cælo.
Nec minus attolluntur Ionides inſulæ ab alto.
Hic juxta Caunus, Samus hic, Saturnia juxta,
Tumque Chius patulæ proſpectans arva Pelinæ.
Lesbus item, & Tenedus per aperti marmora ponti
Expediunt arces, & culmina nubibus indunt.
Hinc ſe piſcoſi pandit ſinus Helleſponti.
Hic ſalis arctoi ſpumas vehit impiger æſtus,
Hic protenta quatit late freta glauca Propontis.
Si quis læva dehinc Euxini marmora ſulcat,
Ora Boryſthenii qua fluminis in mare vergunt,
E regione procul ſpectabit culmina Leuces:
Leuce cana jugum, Leuce ſedes animarum.
Nam poſt fata virum ſemper verſarier illic
Inſontes aiunt animas, ubi concava vaſto
Cedit in antra ſinu rupes, ubi ſaxa dehiſcunt
Mollibus exeſis & curvo fornice pendent.
Hæc ſunt dona piis: ſic illos Iupiter imis
Exemit tenebris. Erebi ſic inſcia virtus.
Rurſum Cimmerius qua Boſporus ora pateſcit,
Dexterior ponto ſubit inſula, vaſtaque late
Excelſis moles pelagus, ſedet eminus ingens
Phanagore, & medio attollitur Hermonaſſa.
Hic maris inſuli conſurgunt inſulæ ab alto.

Exterior quas unda dehinc, circumfluus & quas
Æſtuet Oceanus, quibus illæ flatibus omnes
Culmine pulſentur, memori date carmina Muſæ.
Propter Atlantæi tergum ſalis Æthiopum gens
Heſperides habitat: dorſum tumet hic Erytheia,
Hicque Sacre, ſic terga vocat gens ardua montis.
Nam protenta jugum tellus trahit. hoc caput amplæ
Proditur Europæ. genitrix hæc ora metalli,
Albentis ſtanni venas vomit. acer Iberus
Hæc freta veloci percurrit ſæpe faſelo.
Eminus hic aliæ gelidi prope flabra Aquilonis
Exuperant undas, & vaſta cacumina tollunt.
Hæ numero geminæ, pingues ſola, ceſpitis amplæ,
Conditur occidui qua Rheni gurgitis unda,
Dira Britannorum ſuſtentant agmina terris.
Hinc ſpumoſus item ponti liquor explicat æſtum,
Et brevis e pelago vertex ſubit. hic chorus ingens
Feminei cœtus pulchri colit Orgia Bacchi:
Producit noctem ludus ſacer: aera pulſant
Vocibus, & crebris late ſola calcibus urgent.
Non ſic Abſynthi prope flumina Thraces & almæ
Biſtonides, non qua celeri ruit agmine Ganges,
Indorum populi ſtata curant feſta Lyæo.
Longa dehinc celeri ſi quis rate marmora currat,
Inque Lycaonias cymbam procul urgeat arctos,
Inveniet vaſto ſurgentem vertice Thylen.
Hic cum plauſtra poli tangit Phœbeius ignis,
Nocte ſub inluſtri rota ſolis fomite flagrat
Continuo, clarumque diem nox æmula ducit.
Nam ſol obliqui torquetur cardine mundi,
Directoſque ſuper radios vicinior axi
Occiduo inclinat, donec juga rurſus anhela
Devexo accipiat cælo Notus. inde fluenta
Tenduntur Scythici longe maris in facis ortum
* Eoa & ut coeaneis ſe repit ab undis
Inſula, quæ priſci ſignatur nominis uſu
Aurea, quod fulvo Sol hic magis orbe rubeſcat.
* Contemplator item ceu ſe mare in Auſtrum
Inque Notum Oceanus freta ponti cærula curvet:
Altaque Coliadis mox hic tibi dorſa pateſcent
Rupis, & intenti ſpectabis ceſpitis arces.
Pro quibus ingenti conſiſtens mole per undas
Inſula Taprobane gignit tetros Elephantos,
Et ſuper æſtiferi torretur ſidere cancri.
Hæc immenſa patet vaſtiſque extenditur oris
Undique per pelagus latus, aut protinus olli
Agmina cetoſi pecoris vaga monſtra profundi
Adludunt. fervent Erythræi marmora ponti
Tota feris. hæc ut rigidi juga maxima montis
Nubibus attollunt latus omne, & terga tumeſcunt:
Inſtar in his rupis ſpinæ tenor arduus adſtat.
Molibus in celſis rupis quoque creber inhorret
An æquis rapidi ſubtectus gurgitis unda
Nec in terga ſalis lembum contorqueat umquam
Anne monſtrigenis hoſtem licet inferat æſtus
Fluctibus. immodice late patet oris hiatus
Quippe feris, antro panduntur guttura vaſto:
Protinus hæc ipſas abſorbent fauce carinas,
Involvuntque ſimul mox monſtra vorantia nantes.
Ogyris inde ſalo promit caput, aſpera rupes
Carmanidis qua ſe pelagi procul invehit undas.
Regis Erythræi tellus hæc nota ſepulchro
Tenditur, & nudis juga tantum cautibus horrent.
Perſicus hinc æſtus fauces hiat. inſula rurſum,
Si tamen in Boream flectantur carbaſa cymbæ,
Icarus aerio conſurgit vertice in auras,

Icarus

Icarus ignicomo Soli ſacra. namque Sabæi
Thuris ibi ſemper vaga fumum nubila volvunt.
Inſulæ in Oceani procurſibus hæ tibi tantum
Carmine rundigenæ. multas vehit undique pontus
Præterea parvas ſpecie famaque carentes.
Pars videt Europam: non has tamen aut modus oræ,
Aut interna cavi commendat vena metalli.
Harum aliæ diris referant vix littora nautis,
Et ſcaber in multis ſcrupus riget: undique iniquus
Subrigitur vertex, & inhoſpita ceſpitis ora eſt.
Harum quis valeat numeroſa ut nomina fari?
Pars Aſiam, Lybiam pars adjacet altera ponto.
Si velit has ullus, velit idem ſcire quot alto
Curventur fluctus pelago, quot ſidera Cæli
Elucent flammis, quot robora proferat Ida,
Quantus arenarum numerus verſatur ab Euro.
Carmine nunc Aſiam formet ſtylus. incute doctam
Phœbe chelyn, totis Helicon aſpiret ab antris.
Maxima pars orbis narrabitur, inclyta tellus
Prometur Muſis. terrarum ſumma duarum
Unius eſt limes, qua ceſpite protegit ambas.
Vaſtius eſt Aſiæ diti caput, indeque ſenſim
In matutinos oram conducitur axes.
Hic adſtare procul Bacchi fert fama columnas,
Ultimus Oceani qua terras adluit æſtus,
Indica qua rupes tumet extima, qua vaga Ganges
Ceſpite dorſa trahens Nyſſæum in Platamona
Porrigitur. ſimilis nequaquam eſt forma duabus,
Nec modus eſt compar. ſecat unus denique pontus
Europam & Lybiam: multus circumſonat iſtam
Oceanus, trinoque ſinu vagus influit æſtus
Unam Aſiæ molem. ſinus iſtam Perſicus inſtat,
Maximus hanc Arabum ſcindit ſinus,& ſinus æquor
Inſerit Hyrcanus. duo nigri partibus auſtri
Curvantur, rigidam ſuſpectat tertius Arcton.
Hic & in Euxini prorepit marmoris undam,
Et zephyrum tergo ſpectat procul. adjacet ambos
Tellus multa dehinc, & longis tenditur arvis.
Aſt Aſiam incumbit vaſto mons aggere Taurus,
Interſtatque jugo mediam, Pamphylia campo
Qua jacet, incipiens ad verticis ardua ducit
Indorum pelagus: nunc autem ſubrigit idem
Obliquas arces, & flexilis aera pulſat:
Nunc directa ſolo tentus veſtigia figit.
Mille dehinc amnes unus vomit, exerit unus
Flumina per terras vel qua riget ora Bootis,
Vel qua lene Notus ſpirat, qua perſtrepit Eurus,
Et qua delecto Zephyrus ſuſtollitur axe.
Nec tamen hic uno ſignatur nomine ubique,
Sed dum flectit iter, novus emicat, utque tumenti
Gens vicina ſubeſt, peregrina vocabula mutat.
Accipe qui populi circumdent denique Taurum.
Mæotæ primi ſalſam cinxere paludem.
Obverſatur item trux Sarmata, bellica quondam
Gentis Amazonidum ſoboles: nam cum prius illæ
Egiſti vaſti prope flumina Thermodontis
Treicio de Marte ſatæ, junxere profectæ
Concubitus. longas exercet Sarmata ſilvas:
Ex quibus elapſus Tanais procul arva pererrat
Barbara, & in ſalſam protendit terga paludem.
Hic Aſia Europam diſterminat. arduus iſtum
Caucaſus eructat. Scythicos hic fuſus in agros
Impacatorum nutrit pubem populorum.
Hujus utrumque latus quatit amplis bruma procellis,
Conſtrictumque tenent hunc frigora. proxima rurſus
Cimmerii Sindique colunt: Cercitia gens eſt
Atque Oretarum propter genus: indeque Achæi
Ab Xanthi ripis atque Idæo Simoente
Inter chauri crepaſſent ſcrupoſas convallis *
Tranſvexere larem. juxta gens aſpera degit
* Iniochi perique hinc, qui regna Pelaſgum
Linquentes quondam tenuerunt proxima ponti.
Impiger hos propter Colchus colit. iſte feraci
Exul ab Ægypto celſæ ferit aſpera rupis.
Caucaſus Hyrcanæ nimium conterminus undæ
* Hujus valle pro Faſis gemit iſtius antro
Agmina provolvit, Circæaque lapſus in arva
Incidit Euxinum borealis cardine Cæli.
Rurſus in Eoæ lucis confinia tellus
Inclinata jacet gemino vicina profundo.
Caſpinam late terram ſuperabluit unda.
Euxinique ſubeſt tergum ſalis. aſper Hiberus
Hic agit: hic olim Tyrrhenide pulſus ab ora
Ceſpitis Eoi tenuit ſola; ceu vaga ſæpe
Fors rapit exactos. prima tenet æquora campi
Gens Camaritarum, qui poſt certamina Bacchum,
Indica Baſſaridum cum duceret agmina victor,
Accepere caſis, menſaſque dedere Lyæo,
Orgia ludentes & nebride pectora cincti
Deduxere choros Nyſæi ludicra ritus.
Hos ſuper in fluctus adſurgit Caſpia Tethys.
Hæc dicenda mihi. nec diri gurgitis umquam
Luſtravi pinu freta barbara, nec vagus orbem
Undique raptavi. ſic vaſti flumina Gangis,
Caucaſeas arces, & dumicolas Arienos
Incentore canam Phœbo, Muſiſque magiſtris
Omnia veridico decurrens carmine pandam.
Caſpia per teretes Tethys diſtenditur oras,
Et ſinuant curvis hanc totam littora terris:
Tantum ſed fuſo Pontus jacet iſte profundo,
Ut ter Luna prius reparet facis incrementa,
Quam quis cæruleum celeri rate tranſeat æquor.
Gurgitis Oceanus pater eſt: namque iſte nivalis
Axe Helices infert rapidi freta concita ponti,
Et ſinus inde tibi pelagus trahit. hic vada propter
Caſpia verſatur Scytha belliger: hicque feroces
Degunt Albani. trux illic arva Caduſus
Dura tenet, Mardi celeres, Hyrcani, Apyrique.
Ceſpite vicino Mardus fluit, & procul ipſos
Accedit Bactros, attingens denique atroces
Agmine Dercebios, medius diſterminat ambos,
Hyrcanique ſalis tumido convolvitur æſtu.
Sed Bactrena ſalo vaſto procul arva recedunt;
Parnaſſique jugi tegitur gens rupibus illa.
Dercebios aliud cohibet latus, & vada tangit
Caſpia. tum clari pharetris agilique ſagitta
Maſſagetæ glauci ſuccedunt flumen Araxis,
Durum ab ſtirpe genus, placidæ mens neſcia vitæ,
Ignorant flavæ Cereris commercia, Bacchi
Semper inexpertes animam traxere ferinam.
Hic cibus & potus ſimul eſt: nam ſanguinem equinum
Et lac concretum per barbara guttura ſorbent.
Nec procul ad Boream diri poſuere Choraſmi
Hoſpitia, & juxta protendit Sugdias agros,
Sugdias ingenti quam flumine diſſicit Oxus.
Hic procul Emodi late ruit aggere montis,
Et per prolixos evectus protinus agros
Caſpia propellit fluctu freta. qua petit hujus
Fluminis oſdibi ripas habitant Jaxartæ.
Tendere non horum quiſquam certaverit arcus.
Ambitus hoc etenim multus trahit, & grave curvis
Pondus ineſt taxis, longo ſunt ſpicula ferro,

Et

Et rigor in nervis velut obvius. inde cruenti
Sunt Tochari, Frurique truces, & inhoſpita Seres
Arva habitant, gregibus permixti oviumque boumque
Vellera per ſilvas Seres nemoralia carpunt.
Ultima Epetrimos tellus habet: & procul iſta
Caſia virum eſt, nullis pecorum balatibus agri
Perſultant, herbæ viduus jacet undique ceſpes,
Fronde carens, nuſquam terras interſecat amnis.
Caſpia tot late circumdant æquora gentes.
Nunc rurſum ab Colchis & glaucis Phaſidis undis
Occiduum ad ſolem populos memorate Camenæ,
Uſque in Threicii fauces maris. aſpera primum
Byzerum eſt gens: diri ſunt inde Bechiri,
Macrones, Phylirique, & pernix Durateum gens.
Inde Tibareni, Chalybes ſuper, arva ubi ferri
Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.
Poſt hos Aſſyriæ tenduntur jugera terræ,
Armenioque jugo late ſurgens Thermodon
Gentis Amazonidum lambit ſata. nec minus illic
Erigit excelſa in faſtigia priſca Sinope.
Hanc urbem quondam magni Jovis ardor Aſopis
Virgo locans ſævæ propter confinia terræ
Aulam habuit, plebemque ſuo de nomine dixit.
Nec procul hinc purus latice provolvitur Iris,
Et citus Armeniæ rurſum convallibus artis,
Qua vaſtum in pelagus vergit ſaxoſa Carambis,
Surgit Halys. tum Paphlagonum ſata longa pateſcunt,
Et Matyandinum gens incolit, unde triformis
Ora canis ſuperas quondam produxit in oras
Alcides erebo. propter Bithynia glebam
Exerit. hic late Rhebas extenditur amnis,
Rhebas cyanei qui diſſicit æquora ponti,
Rhebas argento ſimilem qui porrigit undam.
Hi pontum cingunt populi. nunc illa canetur
Ora Aſiæ, glaucus pelagi quam ſubluit æſtus
Axe Noti in fauces rapidi procul Helleſponti,
Et freta qua ſpumant Ægyptia partibus Auſtri
Uſque Arabes & longa Syræ confinia terræ.
Dictus. n. quantus rigidas Scytha degat ad Arctos.
Chalcedon tumulus fluctu circumdatus alto,
Eminus Europen proceraque mœnia Byzæ
Aſpicit. ab tergo tendit Bebrycia glebam,
Celſaque nubiferæ ſuſtollit culmina rupis.
Myſus ager. Myſos tacitum diffuſus in æquor
Tergaque flaveſcens ſulcat Cius. hujus ad undam
Pulcher Hylas Nymphis quondam fuit anxia cura.
Hinc in cæruleum cedit ſinus Helleſpontum,
Explicat & Phrygiam tellus incurvat in orbem.
Major Sangario late præſtringitur amni:
Hæc procul Eoos procedit plurima in axes
Fertilis herbarum. qua Cælum rurſus in umbras
Inclinat vertex, panduntur terga minori,
Quæ jacet immenſæ late ſub rupibus Idæ,
Infortunatam pertingens ceſpite Trojam.
Æolis inde patet vaſtum ſuper Helleſpontum.
Ægæi per terga ſali prolixus Ionum
Rurſus ager glebam protenditur. hunc ſecat ingens
Mæander, ſalſique ruens vada gurgitis intrat.
Comminus hic gelidi qua ſpirant flabra Aquilonis,
Urbs qua Epheſus terræ ſuſtollit fana Dianæ,
Munus Amazonidum memorabile. nec minus inde
Lydia procedens longum latus explicat Euro:
In qua vitiferæ Tmolus juga proferit arcis,
Et Pactolus aquas agit auriger, arva canoris
Perſultans cygnis, curvas ſed & undique ripas
Creber ales. lætis adſurgunt gramina campis
Herbaque luxuria ſola ſemper pinguia veſtit.
Sed locuplete magis Mæandria gleba recumbit
Ubere: nam blandi terram rigat unda Cayſtri.
Mæonis hic etiam deducit turba choreas.
Aurea ſubnectunt hæ vincula, ritus Iaccho
Luditur, atque ſacris feriunt ululatibus æthram:
Virgineuſque chorus late ſtrepit, exilit omnis
Cœtus, & inſtabilis vaga pendent corpora damæ.
Caurorum quoque flabra Deo famulantia ludunt
Ritibus in vulgi; ſubeunt hæc ſerica ſæpe
Pallia, & impulſi zephyris agitantur amictus.
Hæc linquenda tamen læto reor omnia Lydo.
Qua ſe Xanthus agit, Lyciorum tenditur ora
Inclinata mari. ſurgunt ibi culmina Tauri
Pamphyliæ in fines. hic idem Cragus habetur
Nomine ſub gentis. prope celſam ſurgit in arcem
* Priſcas idæ fomes calidis adoletur in aris
Sæpe Dionææ Veneri. ſtat Corycus alta,
Stat Perge propter, ſtant ardua tecta Phaſelis
Eminus, & Phœbi radiis tremit æmulus ardor.
Inde Lycaoniæ tractus jacet. impiger agros
Incola decurrit, ſitit atrum dira cruorem
Gens hominum, & ſævo paſcuntur pectora bello.
Tum Piſida ferox exercet pinguia culta.
Termeſſuſque dehinc urbs eminet, arcem
Inclyta per nubes attollens mœnia Lyrbe,
Et Lacedæmoniæ ſurgunt faſtigia Selges.
Plurimus hinc terras intrat ſinus, undique longe
Vicina Euxino rupti ſola ceſpitis urget.
Hic diras Cæli caſtrames tenet, inque diei
Tenditur exortum. ſulcant duo flumina terram:
Pyramus hic undas, hic volvit Pinarus æquor.
Cydnus item mediæ diſcernit mœnia Tharſi.
Pegaſus hoc olim ſuſpendit ceſpite ſeſe,
Impreſſæque ſolo liquit veſtigia calcis:
Eſſet ut inſignis revoluta in ſæcula ſemper
Nomen humo. clari poſt ultima Bellerophontis
Hic ceſpes late producit Aleius arva;
Horreſcitque comis nemorum, per inhoſpita cujus
Æquora ſecreto vitam protraxerat agro.
Lyrneſſuſque dehinc, hic Malus & Anchialia,
Inluſtreſque Soli poſt carmina vatis alumni.
Commagenorum propter diffunditur ora:
Et procul Heſperium curvatur limes in axem,
Donec piniferas Caſii prorepat ad arces.
Hinc ſolers Aſiam facili cape carmine totam.
Forma ſit hujus enim talis tibi. quatuor illa
In latera effuſa cordi dato. longior autem
Sit modus his rutili quæ ſpectant ſideris ortum.
Tumque tene primo quod carmine Muſa loquuta,
Totam Aſiam celſi præcingi vertice Tauri
Extima in Indorum. montis tamen accipe molem
Per latus id duci quo dat Cynoſura pruinas:
Solis ab occaſu vaſtum decurrere Nilum,
Indicum ab Eois mare fervere, rurſus ab auſtro
Fluctibus immodicis rubri ſalis æquora volvi.
Ora Syrum curvi procumbens littoris acta
In Notum & Eoi confinia tenditur Euri.
Hæc Cœle eſt Grajo ſub nomine. namque duobus
Ut concluſa jugis vallis vice multa cavatur.
Ab Zephyro Caſius mons imminet: axe diei
Conſurgentis item Libanus premit arduus arva.
Pars procul a pelago terras colit, inque receſſu,
Gens agitat. ſalſo quidquid pulſatur ab æſtu,
Phœnicum regio eſt. hi rubro a gurgite quondam
Mutavere domus, primique per æquora vecti

Luſtra-

Luſtravere ſalum, primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia, ſidera primi
Servavere poli. populis Phœnicibus ergo
Urbs Iope, ſterilisque dehinc habitatur Elais,
Gazaque proceris adſurgens undique muris.
Hic Tyrus eſt opulens, & Berytus optima, Byblos,
Sidoniique lares; ubi labens agmine amœno
Ceſpitis irrigui Boſtrenus jugera findit.
Nec minus hic Tripolis pingui ſola porrigit agro;
Ortoſisque dehinc attollitur. hic Marathus ſtat.
Littoris extremo caput altis turribus effert
Laodice, & glauci prælambitur æquoris unda.
Hic nemoroſa virent Daphnæ loca, celſa cupreſſus
Erigitur, ramis innectit laurus odora,
Crine Dionæo myrtus diffunditur, altæ
Conſurgunt pinus, & Cælum ſibila pulſant
Robora, molliicomis tellus inſternitur herbis.
Urbs mediis Apamena dehinc conſiſtit in arvis,
Et qua Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emeſus faſtigia celſa renidet.
Nam diffuſa ſolo latus explicat, ac ſubit auras
Turribus in Cælum nitentibus. incola claris
Cor ſtudiis acuit * amplius imbuit ordo.
Denique flammicomo devoti pectora ſoli
Vitam agitant. Libanus frondoſa cacumina turget,
Et tamen his celſi certant faſtigia templi.
Hic ſe indit juxta tellurem glaucus Orontes,
Nec procul Antiochi vagus interlabitur urbem,
Præſtringitque undis Apamenæ jugera glebæ.
Fertilis hic ceſpes protenditur, arvaque amica
Sunt pecori, in faſtus facilis Pomona reſurgit,
Et fœcunda Ceres campo flaveſcit aperto.
Si rurſus tepidum via deflectatur in auſtrum,
Curva ſinus Arabi ſuccedent æquora propter.
Namque Araba Syriæque ſolum ſinus iſte fluento
Dividit, & tentis procul interfunditur undis:
Et tamen Eoos paulum inclinatur in axes
Uſque in belligeri confinia flexus Hanali.
Hinc tellus Arabum producit ceſpite campos,
Et latera ab gemino ſale tingitur: abluit æſtus
Perſicus hanc, Arabumque ſinus rigat æquore terras.
Hic ſua flabra polo ſpirant: nam Perſicus Euro
Turgeſcit vento, Zephyro ſinus æſtuat alter.
Pars alia in primos qua ſemet porrigit ortus,
Et Notus inſurgit cum nubifer æquore rubri
Tangitur Oceani, felici terra recumbit
Tota ſolo, tellus hic ſemper flagrat odoro
Ceſpite: prorumpit lacrimoſo ſtipite myrrha,
Myrrha furor quondam Memyreius. hic ladani vim
Vellera defundunt, calami coma pullulat almi,
Gignit humus caſiam, concreſcunt thura per agros,
Longaque fœcundis pingueſcit odoribus ora.
Vera fides illic femori ſub imagine partus
Diſrupiſſe Jovem penetralia: proderet ortus
Ut ſacer ætheria fulgentem fronte Lyæum.
Naſcenti Baccho riſit pater, undique fulſit
Cælicolum ſedes, convexaque pura tetendit
Feſta dies: tellus effudit dives odores,
Villoſum ſubitis tumuit pecus incrementis.
Ver habuere ſuum nova ſtamina, flore frequenti
Pinxit terra ſinus, ac nymphis unda cucurrit
Largior: internis etiam procul undique ab oris
Ales amica Deo largum congeſſit amomum.
Extemplo Liber ſubnectit nebride pectus,
Effuſaſque comas hedera ligat, inde virentes
Attollit thyrſos, & blandi luminis igne

Os hilarat, totaque celer diffunditur æthra.
Sed propter Libanum terram ſulcant Nabatæi,
Chaulaſiique dehinc, Agreni rurſus, & inde
Lybdanus eſt tellus Camæ vicina fluento.
Perſidis accedunt rutili contermina ponti
Minæi, Sabatæque tenent ſuperi. impiger ampla
Æquora deſulcat glebæ ditis Cletabenus.
Plurima præterea gens circumplectitur illic
Oram Arabum, muta ſed degunt agmina fama,
Et numerus cunctis inglorius. inde Favoni
Qua plaga fœcundos alit almos fluctibus agros.
Barbara montivagos tellus extendit Erembas.
Hi vitam duris agitant in cautibus omnes,
Intectique artus erepunt ardua ſemper
Culmina ſaxorum. non ollis pabula in uſum
Terra parit: glebas abrodunt more ferarum
Jejunas herbæ, nec amicas frugibus ullis.
Hinc ultra Libani rurſum faſtigia celſi
Lux Hyperionio qua ſe ſuſtollit ab ortu,
Alterius Syriæ limes jacet uſque Sinopen
Gurgitis attiguam. mediis hic impigra in arvis
Cappadocum gens eſt propter freta turgida. rurſus
Aſſyrii juxta ſunt oſtia Thermodoontis,
Et feſtina citis evolvitur unda fluentis.
Nec procul attollit qua ſe facis ardor Eoæ,
Plurimus Eufratæ manat liquor. iſte feroci
Fuſus ab Armenia vaſtum caput exerit antro,
Inque Notum primæ protenditur agmine molis,
Et matutinos iterum converſus in axes
Dividit inſerto mediam Babylona fluento.
Inde Teredoniæ juga præter maxima rupis
Perſidis in pontum ſparſo cadit effluus amnis.
Hunc ſuper in ſeptem quantum via carpitur ortus
Ceſpitis extenti ſpatiis citus æquora Tigris
Prona rotans, & ſaxa jugis avulſa ſupremis,
Et totas late celeri trahit agmine ſilvas.
Quin & vaſta palus medio diſtenditur agro:
Maximus hanc fluctu Tigris intrat: aperti
Terga lacus ſtupet unda ſilens, tacitæque recumbunt
Æquora Thoſippes: ſolidarum denique more
Riparum ſtagni facies inſcia * quieſcit,
Invectumque ſibi cohibens altrinſecus amnes
Stat diſcluſa palus. ſic Elidis incola pontum
Diſſicit Alpheus: pelago ſic inſerit undas
Illæſum optatæ flumen ducens Arethuſæ.
Ergo per & ſtagnum vehitur celer amnis apertum:
Hoc elapſus item vim proni gurgitis urget.
Non alium tantus rapit impetus; haud ita quiſquam
Spumeſcit fluctus, neque tentos ulla fragores
Unda ciet, medio quæ tellus funditur agro.
* Hos Interamnis nomen tenet. aut ſuus illam
Flumine præcinctam gemino per aperta locavit.
Non qui lanatum longo pecus educat agro,
Aut qui cornigeri ductor gregis arva pererrat,
Gramina qui paſtor ſimis petit apta capellis,
Quique cavo ſolers committit ſemina ſulco,
Quem Pomona juvat, quem ramis æſculus altis
Inlicit, & pingui dependens ſubere glando,
Brachia Nyſæi qui palmitis ordine juſto
Digerit, aut tectis ſi quis dolat impiger ornos,
Vel ſalis in fluctus qui cymbam navita rexit,
Si * terit hos ſaltus, nihil indiga ſubtrahit ora:
Dives humo tellus, dives jacet arbore ceſpes.
Iſtius in Boream quidquid protenditur agri,
Armenii & vita duri ſulcant Matieni.
Qua ſunt flabra Noti, Babylon ſubducitur arce

Procera

Procera in nubes. hanc priſca Semiramis urbem
Vallavit muris, quos non abſumere flammæ,
Non aries penetrare queat. ſtat maxima Beli
Aula quoque argento. domus Indo dente niteſcit,
Aurum tecta operit, ſola late contegit aurum:
Ipſa dehinc tellus quæ circumplectitur urbem,
Et procerarum fluctu vernat palmarum,
Et ſplendente procul beryllo ſerta renidet.
Hic tamen internis Ophietidis arcis in arvis
Inter gemmiferas excreſcit creber arenas.
Hinc Babylona ſuper geminæ pro finibus urſæ
Coſſi Marragataque & Chalonita vagantur.
At rurſum Armeniæ ſi quis pede pergat ab arce
Rupis, & Eoas greſſum producat in oras,
Medica prolixos ſpectabis regna per agros.
Horum qui gelidi ſuccedunt plauſtra Bootis,
Pinguia rura tenent. ſunt illic Atropateni,
Sunt Gerri, & Mardæ. tepidum qui rurſus ad auſtrum
Oram habitant, Scythicæ deducunt ſemina gentis.
Nam Medea ferox fuit ollis ſanguinis autor.
Hæc cum Pandionis lectum componeret aulæ,
Attica qua pulchro tellus pingueſcit Iliſſo,
Proditur, inque fugam propere convertitur exul.
Has poſt in terras pinu ſubivit Etine,
Inſeditque locos: veteres accedere Colchos
Nulla inerat menti fiducia: denique ab illa
Medorum ſuboli magicæ furor artis inhæret.
Pars gentis rutilos Phœbi quæ ſpectat in ortus,
Saxa habitat: ſaxis excudit Narciſſiten.
Qui propter dumos nemoroſaque rura vagantur,
In pecus intenti, crebro grege paſcua tondent.
Medica ſe tantos effundit gleba per agros,
Caſpia ut extento contingat ceſpite clauſtra.
Hæc Aſiæ dixere fores, hiet ore quod illo
Porta quaſi & longas * vium diſcedat in oras.
Quippe nivoſa poli qua cardine vertitur arctos,
Panditur Hyrcanis hinc janua: janua Perſis
Hic patet, imbriferum qua vergit mundus in auſtrum.
Ecce ſub immenſo portarum vertice Parthi
Rura tenent. curvi nequidquam vomeris uſus,
Sollicitanda cibi non ollis cura, laborque
Æquora terrarum gravibus componere raſtris.
Exercent ſævi ſe ſemper Martis in arma.
Sica comes lateri eſt, manus aut haſtilia vibrat,
Demittunt pharetras humeris, & letifer arcus
Semper ineſt lævæ, neque per compendia diras
Producunt animas; non puppibus æquora ſulcant:
Non proni gregibus pecoris fera vita juvatur:
Sed quatit alipedum ſola ſemper curſus equorum:
Pulſaque terra gemit: diſcurrunt crebra per auras
Spicula, miſſilibus late ſubtexitur aer.
Quin impactus amor * eſt ſi dicere Perſas
Conſimilis, ſolerſque trahit te cura per orbem,
Has quoque Muſa tibi formabit cardine terras.
Quæ liquidis amnis via debeat, utque jugorum
Conſurgat vertex, quibus oris arva recumbant
Barbara Samoſum qui Perſam robur & uſus.
Quippe Aſianarum primi degunt regionum.
Vita opulens genti, gazas quoque terra miniſtrat,
Omnibus & largum populis producitur ævum.
Dives in his mos eſt jam longi tempora ſecli,
Ex quo Mæoniam bello trivere cruento.
Illudunt auro veſtes, & cuncta teguntur
Auro membra viris, auro veſtigia condunt.
Tantus Perſarum diſſolvit pectora luxus.
Ipſa autem tellus incluſa eſt montibus altis,
Undique in auſtralem latus inclinatior axem,
Ac Boream longe, longe quoque Caſpia clauſtra
Deſerit, atque Noti placida perfunditur aura.
Iſtius at ſpatiis finem dat Perſicus æſtus,
Incoliturque ſolum populis tribus. una ſub arcto
Pars agit armigeris nimium contermina Medis:
Altera per mediæ telluris terga vagatur:
Porro ad flabra Noti pelagus prope tertia degit.
Plurima præterea percurrunt flumina terram
Perſidis, & rigidas curvant labentia ripas.
Arva ſecat Cyrus, perrumpit rura Choaſpes
Indica provolvens procul æquora. cujus ad undam
Incola flaventem ſtudio ſectatur Achatem.
Nam cum brumali ciciderunt ſidere nimbi,
Imbribus & cælo fuſis furit auctior amnis,
Hos lapides late flumen trahit: undique tellus
Circumvecta dehinc læti viret ubere campi.
Sed qua cæruleam ſinus infert Perſicus undam,
Gens Carmanorum late colit. hanc facis ortus
Urit Phœbeæ. tanto quoque funditur agro,
Ut ſimul & glauci contingat gurgitis æſtum,
Et procul internæ perreptet jugera terræ.
Hos ſuper eſt tellus: tendit Gedroſia glebam
Oceani vicina fretis, & flumen ad Indum
Auroræque latus Scytha miti proximus Auſtro
Adcolit. auſtralis certe Scytha dicitur iſte.
Namque alii dura pulſantur deſuper Arcto.
Indus Caucaſiæ prærumpens rupis ab antro
Adverſum pelago rubri procul æquoris amnem
Porrigit, inque Notum recto fluit agmine aquarum.
Ora dehinc Indo duo ſunt, mediumque per agrum
Inſula ſe vaſto fundit tergo Patalene.
Innumeras idem diſpeſcit flumine gentes.
Oritas, Arabaſque, & veloces Arachotas,
Et Sagam infidum, vel qui per inhoſpita late
Diſcreti populi, diſcreti finibus agri
Arva agitant, uno ſed nomine ſunt Arieni.
Hi quamquam ſteriles decurrant ſemper arenas,
Munera nec carpant Cerealia, nec nova prælo
Muſta premant, fulvo tamen invenere corallo
Pandere vivendi commercia, quærere pulchræ
Sapphiri latebras, & præduros adamantas.
Calliope Indorum populos & regna canamus.
Ultima terrarum tellus adſpergitur Indi
Fluctibus Oceani: primam coquit hanc radiis Sol,
Sol Hyperionius, Sol magni gratia mundi,
Aſtrorum genitor, lucis ſator, & vigor æthræ.
Sed genti Indorum teter color: efflua ſemper
His coma liventes imitatur crine hyacinthos.
Pars ſubit abrupti ſola ceſpitis, aurea ut illis
Terrarum in latebris excludant caute metalla:
Pars telas ſtatuunt, & veſtimenta laborant
Lintea: pars Indi procurat ſegmina dentis,
Atque ebur invigilat: multi qua flumina nimbis
Auget hiems, vaſtum ut late trahit agmen aquarum
Albens, & celſas evincant æquora ripas,
Palantes obeunt beryllum prona fluenta.
Nel procul internis a finibus aut adamanta
Detulerint: his glauca dehinc tornatur iaſpis.
Nec minus & baccas alii prope marmora curvis
Excudunt conchis: pars rurſum divite cura
Herboſi lapidis venas fodit: hique rubore
Suffuſas blando quærunt campis amethyſtos.
Horum dives enim tellus eſt Indica ſemper,
Et tali ſcrupo ceſpes tumet: amnibus autem
Fertilis inriguis crebro prælambitur ora:

Exter

Extendunt celſi vaga late brachia luci,
Et vernat nemorum ſemper coma. nunc tibi formam
Terrarum expediam, nunc carmine flumina fabor,
Nunc rigidos montes, nunc multæ denique gentis
Abſolvam populos. latera agris undique in Indis
Quatuor eſſe tene: coeant tot & anguli ab omni
Parte ſibi obliquo claudentes extima terræ.
Ceu ſpecies rhombo eſt. zephiri de partibus Indus
Gurgitis occurſu fit certæ terminus oræ:
Axe Noti rubri late ſalis objacet unda:
Flumen item Ganges fit limes ceſpiti Eoo:
Atque Lycaonia conſurgit Caucaſus arcto.
Æquore qua fuſo laticem producitur Indus,
Dardanidum gens eſt: ubi magnus ſorbet Hydaſpes
Delapſum ſumma ſaxorum mole Aceſinen.
Tertius amnis item ſecat agri proxima Cophes.
In medioque Sabæ ſunt ceſpite: gens quoque Scodri
Propter agit: populique dehinc velut ordine facto
Hylleum longas exercent vomere terras.
Gargaridæ rurſum, gens hæc obnoxia Baccho,
Et glebam ſulcant, & ritibus orgia ludunt.
Hic Hypanis, lateque trahens vaga tergaCymander,
* Magnus utrumque modi dimittitur, Hermodoontis
Rupe procul fulvum provolvunt fluctibus aurum:
Nec minus hi campos intrant Gangitidis oræ;
Quæ per flabra Noti fuſo diſtenditur agro
Uſque in celſa jacens confinia Colidis arcis.
Colis ipſa dehinc cetoſi vergit in æquor
Oceani, tantoque jugo ſubit ætheris auras,
Arceat alituum ſubducta ut rupe volatum.
Sed circum Gangem regio eſt devota Lyæo,
Perpetuique ſacri talis narratur origo.
Indorum in populos fatalia Liber agebat
Prælia, vipereo late Bellona flagello
Increpat, & magno tremuerunt regna pavore
Inſiſtente Deo. venit ergo ad flumina Gangis,
Diſcurſuque ſacro præludit prælia Liber:
Mænades extemplo maculoſæ nebridis uſum
Permutant clypeis, viridique haſtilia thyrſo
Succedunt, ſolvunt properantes lintea Bacchæ
Vincula, viroſo pectus vinxere dracone,
Pro molli vitta prorepunt crine chelydri,
Excitoque ferus perſultat in agmine Mavors.
Dux aquilas in bella rapit, tremit Indica tellus
Preſſa pede, & toto tenuerunt claſſica Cælo.
Ergo & Nyſæos diſcit gens rite receſſus,
Et ſtata ſollicito deducunt orgia ritu.
Ipſe dehinc diros ut Liber perculit Indos,
Emodi victor conſcendit verticis arces,
Effuſamque ſalo gentem procul aſpicit omnem,
Iama juga extantis veſtigia gurgite canent.
Oceani Eoi prætento denique Bacchus
Littore, & extrema terrarum victor in ora
Ducit laurigeros poſt Indica bella triumphos,
Erigit & geminas telluris fine columnas,
Inviſitque dehinc Iſmeni fluminis undam.
Has tantum gentes commendat fama per orbem:
Vile aliæ vulgus pecorum vice terga pererrant
Ceſpitis abjecti. non his aut gloria forti
Parta manu eſt, aut clara decus peperere metalla
Terrarum venis: habitant ignota locorum
Semper inexpertes famæ, per inoſpita degunt
Arva procul, nullis ſunt dignæ denique Muſis.
At tu, Phœbe pater, vos clari turba, Camenæ,
Nominis, Aonio famam inſpirate labori.

EJUSDEM
AVIENI
ORÆ MARITIMÆ.
LIBER PRIMUS.

Quæſiſſe temet ſæpe cogitans Probe
Animo atque ſenſu Taurici ponti ſinus
Capi ut valeret his probabili fide
Quos diſtinerent ſpatia terrarum extima;
Subii libenter id laboris, ut tibi
Deſideratum carmine hoc clareſceret.
Fas non putavi quippe prolixa die
Non ſubjacere ſenſui formam tuo
Regionis ejus quam vetuſtis paginis,
Et quam per omnem ſpiritus noſtri diem
Secretiore lectione acceperam.
Alii invidere namque quod diſpendio
Tibi haud ſit ullo, agreſtis & duri reor.
His addo & illud, * liberum temet locum
Mihi eſſet amor ſanguiniſque vinculo.
Neque ſat ſit iſtud, ni ſciam te litteras
Hiantibuſque faucibus veſtarum abdita
Hauſiſſe ſemper, eſſe patuli pectoris
Senſu capacem, talium jugem ſitim
Tuo eſſe cordi, & eſſe te præ cæteris
Memorem intimati: cur inefficaciter
Secreta rerum in non tenacem effunderem?
In non ſequacem quis profunda ogganniat?
Multa ergo, multa compulere me, Probe,
Efflagitatam rem tibi ut perſolverem.
Quin & * parent credidi officium fore
Deſideratum ſi tibi locupletius
Profuſiuſque Muſa promeret mea.
Dare expetitum quippe non parci viri eſt;
Augere porro muneris ſummam novi
Mentis benignæ ſatque liberalis eſt.
Interrogaſti, ſi tenes, Mæotici
Situs quis eſſet æquoris. Salluſtium
Noram id dediſſe, dicta & ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier
Non abnuebam. ad ejus igitur inclytam
Deſcriptionem qua locorum formulam
Imaginemque expreſſor efficax ſtyli
Et veritatis pene in obtutus dedit
Lepore linguæ, multa rerum junximus
Ex plurimorum ſumpta commentariis.
Hecatæus iſtic quippe erit Mileſius,
Hellanicuſque Leſbius, Phileus quoque
Athenienſis, Caryandæus Scylax,
Pauſimachus ille, priſca quem genuit Samos,
Quin & Damaſtus nobili natus Sige,
Rhodoque Bacoris ortus, Euctemon quoque
Popularis urbis Atticæ, Siculus Cleon,
Herodotus ipſe Thyrius, tum qui decus
Magnum loquendi eſt Atticus Thucydides.
Hic porro habebis, pars mei cordis Probe,
Quidquid per æquor inſularum attollitur:
Per æquor illud ſcilicet, quod poſt cava
Hiantis orbis a freto Tarteſio

Atlanticiſque fluctibus procul ſitam
Inuſque glebam proruit noſtrum mare,
Sinuſque curvos atque prominentia,
Ut ſe ſupino porrigat littus ſitu,
Ut longe in undas inſerant ſeſe juga,
Celſæque ut urbes alluantur æquore:
Quis ortus amnes maximos effuderit,
Ut prona ponti gurgitem intrent flumina,
Ut ipſa rurſum ſæpe cingant inſulas,
Sinuentque late ut tuta portus brachia,
Ut explicentur ſtagna, ceu jaceant lacus,
Scrupoſum ut alti verticem montes levent,
Stringatque nemora ut unda cani gurgitis.
Laboris autem terminus noſtri hic erit,
Scythicum ut profundum, & æquor Euxini ſali,
Et ſi quæ in illo marmore inſulæ tument,
Ediſſerantur. reliqua porro ſcripta ſunt
Nobis in illo plenius volumine
Quod de orbis oris partibuſque fecimus.
Ut aperta vero tibimet intimatio
Sudoris hujus & laboris ſit mei,
Narrationem opuſculi paulo altius
Exordiemur. tu ex intimum jecur
Prolata conde. namque fulcit hæc fides
Petita longe, & eruta ex auctoribus.
Terræ patentis orbis effuſæ jacent,
Orbique rurſus unda circumfunditur.
Sed qua profundum ſemet inſinuat ſalum
Oceano abuſque, ut gurges hic noſtri maris
Longe explicetur, eſt Atlanticus ſinus.
Hic Gadir urbs eſt dicta Tarteſſus prius:
Hic ſunt columnæ pertinacis Herculis,
Abila atque Calpe. læva dicti ceſpitis,
Libyæ propinquæ ſtalia duro perſtrepunt
Septentrione, ſed loco certæ tenent,
Et prominentis hic jugi ſurgit caput,
(Oeſtrymnin iſtud dixit ævum antiquius)
Moleſque celſa ſaxei faſtigii
Tota in tepentem maxime vergit Notum.
Sub hujus autem prominentis vertice
Sinus dehiſcit incolis Oeſtrymnicus,
In quo inſulæ ſeſe exerunt Oeſtrymnides
Laxe jacentes, & metallo divites
Stanni atque plumbi. multa vis hic gentis eſt,
Superbus animus, efficax ſolertia,
Negotiandi cura jugis omnibus.
Noluſque cumbis turbibum late fretum
Et beluoſi gurgitem Oceani ſecant.
Non hi carinas quippe pinu texere
Facere morem non abiete, ut uſus eſt,
Curvant faſelo: ſed rei ad miraculum
Navigia junctis ſemper aptant pellibus,
Corioque vaſtum ſæpe percurrunt ſalum.
Aſt hinc duobus in Sacram, ſic inſulam
Dixere priſci, ſolibus curſus rati eſt.
Hæc inter undas multum ceſpitem jacit,
Eamque late gens Hibernorum colit.
Propinqua rurſus inſula Albionum patet.
Tarteſiiſque in terminos Oeſtrumnidum
Negotiandi mos erat, Carthaginis
Etiam colonis, & vulgus inter Herculis
Agitans columnas, hac adibant æquora:
Quæ Himilco Pœnus menſibus vix quatuor,
Ut ipſe ſemet rem probaſſe retulit,
Enavigantem poſſe tranſmitti adſerit.
Sic nulla late flabra propellunt ratem,
Sic ſegnis humor æquoris pigri ſtupet.
Adjicit & illud, plurimum inter gurgites
Extare fucum, & ſæpe virgulti vice
Retinere puppim. dicit hic nihilominus
Non in profundum terga dimitti maris,
Parvoque aquarum vix ſupertexi ſolum,
Obire ſemper huc & huc ponti feras,
Navigia lenta & languide repentia
Inter natare beluas. ſi quis dehinc
Ab inſulis Oeſtrymnicis lembum audeat
Urgere in undas axe qua Lycaonis
Rigeſcit æthra, ceſpitem Ligurum ſubit
Caſſum incolarum. namque Celtarum manu
Crebriſque dudum præliis vacuata ſunt.
Ligureſque pulſi, ut ſæpe fors aliquos agit,
Venere in iſta, quæ per horrentes tenent
Plerumque dumos: creber his ſcrupus locis,
Rigidæque rupes atque montium minæ
Cælo inſeruntur. & fugax gens hæc quidem
Diu inter ätra cautium duxit diem,
Secreta ab undis: nam ſali metuens erat
Priſcum ob periculum: poſt quies & otium,
Securitate roborante audaciam,
Perſuaſit altis devehi cubilibus,
Atque in marinos jam locos deſcendere.
Poſt illa rurſum quæ ſuper fati ſumus,
Magnus pateſcit æquoris fuſi ſinus
Ophiuſam aduſque rurſum ab hujus littore
Internum ad æquor, qua mare inſinuare ſe
Dixi ante terris, quodque Sardum nuncupant,
Septem dierum tenditur reditu viæ.
Ophiuſſa porro tanta panditur latus,
Quantam jacere Pelopis audis inſulam.
Grajorum in agro hæc dicta primo Oeſtrymnis,
Locos & arva Oeſtrymnicis habitantibus.
Poſt multa, ſerpens effugavit incolas,
Vacuamque glebam nominis fecit ſui.
Procedit inde in gurgitis Veneris jugum,
Circumlatratque pontus inſulas duas
Tenue ob locorum inhoſpitas. Arvium
Rurſum tumeſcit prominens in aſperum
Septentrionem. curſus aut hinc claſſibus
Uſque in columnas efficacis Herculis
Quinque eſt dierum. poſt Pelagia eſt inſula
Herbarum abundans atque Saturno ſacra:
Sed vis in illa tanta naturalis eſt,
Ut ſi quis hanc in navigando acceſſerit,
Mox excitetur propter inſulam mare,
Quatiatur ipſa, & omne ſubſiliat ſolum
Alte intremiſcens, cætero adſteni vicem
Pelago ſilente. prominens ſurgit dehinc
* Ophiuſſa e moras, abque Arvi jugo
In hæc locorum bidui curſus patet.
At qui dehiſcit inde prolixe ſinus,
Non totus uni facile navigabilis
Vento recedit. numquam medium aceris
Zephyro vehente, reliqua depoſcunt Notum.
Et rurſus inde ſi petat quiſquam pede
Tarteſſiorum litus, exuperet viam
Vix luce quarta: ſi quis ad noſtrum mare
Malacæque portum ſemitam tetenderit,
In quinque ſoles eſt iter. tum Cepreſicum
Jugum intumeſcit: ſubjacet porro inſula
Achale vocata ab incolis. agreſti fides
Narrationis præ rei miraculo;
Sed quam frequens auctoritas ſat fulciat.

Ajunt

Ajunt in hujus inſulæ confiniis
Numquam eſſe formam gurgiti reliquo parem :
Splendorem ubique quippe ineſſe fluctibus
Vitri ad nitorem, & per profundum marmoris
Cœaneam in undis eſſe certum imaginem eſt.
Confodiat illic æquor immunda luto
Memorant vetuſti ſemper atque ſordibus
Ut feculentos gurgites hæreſcere.
Cempſi atque Sæſes arduos colles habent.
Ophiuſſæ in agro propter hos pernix lucis
Draganumque proles ſub nivoſo maxime
Septentrione conlocaverant larem.
Pœtanion autem eſt inſula * ad ſe fumum latet
Patuluſque portus inde Cempſis adjacent
Populi Cynetum Cyneticum jugum.
Qua ſideralis lucis inclinatio eſt,
Alte tumeſcens ditis Europæ extimum
In belluoſi vergit Oceani ſalum.
Ana amnis illic per Cynetas effluit,
Sulcatque glebam. panditur rurſus ſinus,
Canuſque ceſpes in meridiem patet.
Memorato aliam in gemina ſeſe flumina
Scindunt repente, per quæ prædicti ſinus
Craſſum liquorem, quippe pingueſcit luto
Omne hic profundum, lenta trudunt agmina.
Hic inſularum ſemet alte ſubrigit
Vertex duarum : nominis minor indiga eſt,
Aliam vocavit mos tenax Agonida.
Inhorret inde rupibus cautes ſacra,
Saturni & ipſa, fervet inliſum mare,
Littuſque latus ſaxeum diſtenditur.
Hirtæ hic capellæ & multus incolis caper
Dumoſa ſemper intererrant ceſpitum.
Caſtrorum in uſum & nauticis velamina
Productiores & graves ſetas alunt.
Hinc dictum ad amnem ſolis unius via eſt,
Genti & Cynetum hic terminus. Tarteſius
Ager his adhæret, adluitque ceſpitem
Tarteſus amnis. inde tenditur jugum
Zephyro ſacratum : denique arcis ſummitas
Zephyris vocata, celſa ſed faſtigia
Jugo eriguntur, vertici multus timor,
Conſcendit auras & ſuper ſideris quaſi
Caligo ſemper nubilum condit caput.
Regio omnis inde maxime herboſo ſolo eſt,
Nebuloſa juge his incolis convexa ſunt,
Coactus aer atque craſſior dies,
Noctiſque more ros frequens : nulla, ut ſolet,
Flabra inferuntur, nullus æthram diſcutit
Superne venti ſpiritus, pigra incubat
Caligo terras, & ſolum late madet.
Zephyridos arcem ſi quis excedat rate,
Et inferatur gurgiti noſtri maris,
Flabris vehetur protinus Favonii.
Jugum inde rurſus & ſacrum infernæ Deæ
Diveſque fanum penetral abſtruſi cavi
Aditumque cæcum. multa propter eſt palus
Etrephæa dicta : quin & Herbi civitas
Stetiſſe fertur his locis priſca die,
Quæ præliorum abſumpta tempeſtatibus
Famam atque nomen ſola liquit ceſpiti.
An Hiberus inde manat amnis, & locos
Fœcundat unda. plurimi ex ipſo ferunt
Dictos Hiberos, non ab illo flumine
Quod inquietos Waſconas prælabitur.
Nam quidquid amni gentis hujus adjacet
Occiduum ad axem, Hiberiam cognominant.
Pars porro Eoa continet Tarteſios
Et Cilbicenos. Cartare poſt inſula eſt,
Eamque pridem influxe, ſatis eſt fides,
Tenuere Cempſi, proximorum poſtea
Pulſi duello, varia quæſitum loca
Se protulere. Caſſius inde mons tumet :
Et Graja ab ipſo lingua Caſſiterum prius
Stannum vocavit. inde fani eſt prominens,
Et quæ vetuſtum Græciæ nomen tenet,
Gerontis arx eſt eminus. namque ex ea
Geryona quondam nuncupatum accepimus.
Hic ora late ſunt ſinus Tarteſii.
Dictoque ab amni in hæc locorum, puppibus
Via eſt diei. Gadir hic eſt oppidum.
Nam Punicorum lingua conſeptum locum
Gadir vocabat. ipſa Tarteſſus prius
Cognominata eſt. multa & opulens civitas
Ævo vetuſto, nunc egena, nunc brevis,
Nunc deſtituta, nunc ruinarum ager eſt.
Nos hoc locorum præter Herculaneam
Solemnitatem, vidimus miri nihil.
At vis in illis tanta vel tantum decus
Ætate priſca ſub fide rerum fuit,
Rex ut ſuperbus omniumque præpotens,
Quos gens habebat forte tum Mauruſia,
Octaviano principi acceptiſſimus,
Et literarum ſemper in ſtudio Juba,
Interfluoque ſeparatus æquore,
Inluſtriorem ſemet urbis iſtius
Duumviratu crederet. ſed inſulam
Tarteſſus amnis ex Liguſtico lacu
Per aperta fuſus undique ablapſu ligat.
Neque iſte tractu ſimplici provolvitur,
Unuſne ſulcat ſubjacentem ceſpitem.
Tria ora quippe parte Eoi luminis
Infert in agros, ore bis gemino quoque
Meridiana civitatis adluit.
At mons paludem incumbit Argentarius,
Sic a vetuſtis dictus ex ſpecie ſui.
Stanno iſte namque latera plurimo nitet,
Magiſque in auras eminus lucem evomit,
Cum Sol ab igni celſa perculerit juga :
Idem amnis aut fluctibus ſtanni gravis
Ramenta volvit, invehitque mœnibus
Dives metallum. qua dehinc ab æquore
Salſi fluenti vaſta per medium ſoli
Regio redit, gens Etmaneum accolit.
Atque inde rurſus uſque Cempſorum ſata
Ileates agro ſe feraci porrigunt.
Maritima vero Cibiceni poſſident.
Gerontis arcem & prominens fani, ut ſupra
Sumus elocuti, diſtinet medium ſalum,
Interque celſa cautium cedit ſinus.
Jugum ad ſecundum flumen amplum evolvit.
Tarteſiorum mons dehinc attollitur
Silvis opacus. hinc Erythia eſt inſula
Diffuſa glebam & juris olim Punici.
Habuere primo quippe eam Carthaginis
Priſcæ coloni, interfluoque ſcinditur
Ad continentem quinque per ſtadia modo.
Erythia ab arce, qua diei occaſus,
Veneri marinæ conſecrata eſt inſula,
Templumque in illa Veneris, & penetral cavum,
Oraculumque monte ab illo, quem tibi
Horrere ſilvis dixeram, in Veneris *

Litus recline & molle arenarum jacet.
In quas Belilus atque Cilbus flumina
Urgent fluentum. poſt in occiduum diem
Sacrum ſuperbas erigit cautes jugum.
Locum hunc vocavit Herma quondam Græcia,
Eſt herma porro ceſpitum munitio.
Interfluumque altrinſecus munit locus,
Aliiſque rurſus Herculis dicunt viam.
Straviſſe quippe maria fertur Hercules,
Iter ut pateret facile captivo gregi.
Porro illud Herma jure ſub Libyci ſoli
Fuiſſe pridem, plurimi auctores ferunt.
Nec reſpuendus teſtis eſt Dionyſius,
Libyæ eſſe finem qui docet Marteſſium.
Europæ in agro quod vocari ab incolis
Sacrum indicavi, prominens ſubducitur
Locus. utroſque interfluit tenue fretum,
Quod Herma porro aut Herculis dictum eſt via.
Amphipolis urbis incola hoc Dæmon ait
Non plus habere longitudinis modo
Quam porriguntur centum & octo millia,
Et diſtineri * * millibus tribus.
Hic Herculanæ ſtant columnæ, quas modum
Utriuſque haberi continentis legimus.
Sunt parva porro ſaxa prominentia
Abila atque Calpe. Calpe in Hiſpano ſolo,
Mauruſiorum eſt Abila. namque Abila vocant
Gens Punicorum, mons quod altus Barbaro eſt.
Id eſt, Latino; dici ut auctor Plautus eſt.
Calpeque rurſum in Græcia, ſpecies cavæ
Tereteſque viſu nuncupantur, & jugi.
Athenienſis dicit Euctemon item
Non eſſe ſaxa, aut vertices adſurgere
Parte ex utraque. ceſpitem Libyci ſoli
Europæ & oram memorat inſulas duas
Iter acervi: nuncupari has Herculis
Ait columnas; ſtadia triginta refert
Has diſtinere, horrere ſilvis undique,
Inhoſpitaſque ſemper eſſe nauticis.
Ineſſe quippe dicit ollis Herculis
Et templa & aras: invehi advenas rates,
Deo litare, abire feſtino pede:
Nefas putatum demorari in inſulis.
Circum atque juxta plurimo
Manere tradit tenue prolixe mare.
Navigia onuſta adire non valent locos
Breve ob fluentum & pingue littori lutum.
Sed ſi voluntas forte quem ſubegerit
Adire fanum, propter ad Lunæ inſulam
Agere carinam, eximere claſſi pondera,
Levique cymba vix ſuperferri ſalo.
Sed ad columnas quidquid interfunditur
Undæ æſtuantis, ſtadia ſeptem vix ait
Damaſtus eſſe. Caryandæus Scylax
Medium fluentum inter columnas adſerit
Tantum patere, quantus æſtus Boſphoro eſt.
Ultra has columnas propter Europæ latus
Vicos & urbes incolæ Carthaginis
Tenuere quondam: mos at ollis hic erat,
Ut planiore texerent fundo rates,
Quo cymba tergum fuſior, brevius mare
Prælaberetur. porro in occiduam plagam
Ab his columnis gurgitem eſſe interminum,
Late patere pelagus, extendi ſalum
Himilco tradit. nullus hæc adiit freta,
Nullus carinas æquor illud intulit,
Deſint quod alto flabra propellentia,
Nulluſque puppim ſpiritus Cæli juvet.
Dehinc quod æthram, quod amictu veſtiat
Caligo ſe per nebulas condat gurgitem,
Et craſſiorem nubilum perſtet die.
Oceanus iſte eſt, orbis effuſi procul
Circumlatratur iſte pontus maximus.
Hic gurges oras ambiens, hic intimi
Salis inrigator, hic parens noſtri maris:
Pleroſque quippe extrinſecus turbat ſinus,
Noſtrumque in orbem vis profundi inlabitur.
Sed nos loquemur maximos tibi quatuor.
Prima hujus ergo in ceſpitem inſinuatio eſt,
Heſperius æſtus, atque Atlanticum ſalum,
Hyrcana rurſus unda, Caſpium mare,
* Solo Indicorum terga fluctum Perſici,
Arabſque gurges ſub tepente jam Noto.
Hunc uſus olim dixit Oceanum vetus,
Alterque dixit mos Atlanticum mare.
Longo explicatur gurges hujus ambitu,
Produciturque latere prolixe vago.
Plerumque porro tenue tenditur ſalum,
Ut vix arenas ſubjacentes occulat.
Exuperat autem gurgitem fuſus frequens,
Atque impeditur æſtus hic uligine,
Vis vel varium pelagus omne internatat,
Multuſque terror ex feris habitat freta.
Hæc olim Himilco Pœnus Oceano ſuper
Spectaſſe ſemet & probaſſe retulit.
Hæc nos ab imis Punicorum annalibus
Prolata longo tempore, edidimus tibi.
Nunc jam recurſus ad priora ſit ſtylo.
Igitur columnæ, ut dixeram, Libyſtidis,
Europæ in agro adverſa ſurgit altera.
Hic Chryſus amnis intrat altum gurgitem:
Ultra citraque quatuor gentes colunt.
Nam ſunt feroces hoc loci Libyphœnices,
Sunt Maſſieni, regna Selbyſſina, ſunt
Feracis agri & divitis Tarteſii,
Qui porriguntur in Calacticum ſinum.
Hos propter autem mox jugum Barbetium eſt,
Malachæque flumen, urbe cum cognomine,
Mænace priore quæ vocata eſt ſæculo.
Tarteſiorum juris illic inſula
Antiſtat urbem Noctilucæ ab incolis
Sacrata pridem; in inſula ſtagnum quoque
Totuſque portus oppidum, Minace ſuper.
Qua ſeſe ab undis regio dicta ſubtrahit,
Siſurus alto mons tumet cacumine.
Adſurgit inde vaſta cautes, & mare
Intrat profundum. pinus hanc quondam frequens
Ex ſe vocari ſub ſono Grajo dedit.
Fanumque aduſque Veneris ac Veneris jugum
Littus recumbit. porro in iſto littore
Stetere crebræ civitates antea,
Phœnixque multus habuit hos pridem locos.
Inhoſpitales nunc arenas porrigit
Deſerta tellus, orba cultorum ſola
Squalent jacentque. Veneris abdito jugo
Spectatur Herma ceſpitis Libyci procul,
Quod ante dixi. littus hic rurſum patet,
Vacuum incolarum nunc, & abjecti ſoli:
Porro ante & urbes hic ſtetere plurimæ,
Populique multi concelebrarunt locos.
Nam natius inde portus * op pe
Se Maſſienum curvat alto ab æquore,

Sinuque

Sinuque in imo ſurgit altis mœnibus.
Urbs Maſſiena poſt jugum traete eminet,
Breviſque juxta Strongyle ſtat inſula:
Dehinc in hujus inſulæ confiniis
Immenſa tergum latera diffundit palus
Theodorus illic. nec ſtupori ſit tibi
Quod in feroci barbaroque ſtat loco,
Cognomen huius Græciæ accipis ſono,
Prorepit amnis. iſta Phœnices prius
Loca incolebant. rurſus hinc ſe littoris
Fundunt arenæ, & littus hoc tres inſulæ
Cinxere late. hic terminus quondam ſtetit
Tarteſiorum, hic Herna civitas fuit;
Gymnetes iſtos gens locos inſederant.
Nunc deſtitutus, & diu incolis carens
Sibi ſonorus Alebus amnis effluit.
Poſt hæc per undas inſula eſt Gymneſia,
Populo incolarum quæ vetus nomen dedit,
Aduſque cani præfluentis alveum.
Pityuſſæ & inde proferunt ſeſe inſulæ
Balearicarum late inſularum dorſa ſunt,
Et contra Iberi in uſque Pyrenæ jugum
Jus protulere propter interius mare
Late locati. prima eorum civitas
Ilerda ſurgit. littus extendit dehinc
Steriles arenas. Hemeroſcopium quoque
Habitata pridem hic civitas, nunc jam ſolum
Vacuum incolarum languido ſtagno madet.
Attollit inde ſe Sitana civitas,
Propinquo ab amni ſic vocata Ibericis.
Neque longe ab hujus fluminis divortio
Præſtringit amnis Tyrius oppidum Tyrin.
At qua recedit ab ſalo tellus procul,
Dumoſa late terga regio porrigit:
Berybraces illic, gens agreſtis & ferox,
Pecorum frequentes intererrabat greges.
Hi lacte ſemet atque pingui caſeo
Prædure alentes proferebant ſpiritum
Vicem ad ferarum. poſt Crapraſiæ jugum
Procedit alte, ac nuda littorum jacent
Ad uſque caſſæ Cherſoneſi terminos.
Palus per illa naccararum extenditur:
Hoc nomen iſti nam paludi mos dedit.
Stagnique medio parva ſurgit inſula
Ferax olivi, & hinc Minervæ ſtat ſacra.
Fuere propter civitates plurimæ:
Quippe hic Hylactes, Hyſtra, Sarna, & nobiles
Tyrichæ ſtetere: nomen oppido vetus,
Grajæ incolarum maxime memorabiles,
Per orbis oras. namque præter ceſpitis
Fœcunditatem, qua pecus, qua palmitem,
Qua dona flavæ Cereris educat ſolum,
Peregrina Ibero ſubvehuntur flumine:
Juxta ſuperbum mons Acer caput exerit,
Oleumque flumen proxuma agrorum ſecans
Geminos jugorum vertices interfluit.
Hox quippe Sellus (nomen hoc monti eſt vetus)
Aduſque celſa nubium ſubducitur.
Adſtabat iſtum civitas Lebedontia
Priore ſæclo, nunc ager vacuus late
Luſtra & ferarum ſuſtinet cubilia.
Poſt hæc arenæ plurimo tractu jacent,
Inter quas Salauri oppidum quondam ſtetit,
In queis & olim priſca Callipolis fuit,
Callipolis ill   mœnium
Proceritatem & celſa per faſtigia
Subibat auras, quæ laris vaſti ambitu
Latere ex utroque piſcium ſemper ferax,
Stagnum imprimebat. inde Tarraco oppidum
Et Barcilonum amœna ſedes ditium.
Nam pandit illic tuta portus brachia,
Uvetque ſemper dulcibus tellus aquis.
Poſt Indigetes aſperi ſe proferunt.
Gens iſta dura, gens ferox, venatibus
Luſtriſque inhærens. tum jugum Celebandicum
Inuſque ſalſam dorſa porrigit Thetim.
Hic adſtitiſſe civitatem Cypſelam
Jam fama tantum eſt: nulla nam veſtigia
Prioris urbis aſperum ſervat ſolum.
Dehiſcit illic maximo portus ſinu,
Cavumque late ceſpitem inrepit ſalum.
Poſt quæ recumbit littus Indigeticum
Pyrenæ aduſque prominentis verticem.
Poſt littus illud quod jacere diximus
Tractu ſupino ſe Malodes exerit
Mons inter undas * tument ſco
Geminuſque ver *
Hos inter aut portus effuſe jacet,
Nulliſque flabris æquor eſt obnoxium.
Sic omne late, prælocatis rupibus,
Latus ambiere cautium cacumina;
Interque ſaxa immobilis gurges latet,
Quieſcit æquor, pelagus incluſum ſtupet.
Stagnum inde Toni montium in radicibus,
Tononitæque attollitur rupis jugum,
Per quæ ſonorus volvit æquor ſpumeum
Anyſtus amnis, & ſalum fluctu ſecat.
Hæc propter undas atque ſalſa ſunt freta.
At quidquid agri cedit alto a gurgite,
Cæretes omne, & Aucoceretes prius
Habuere duri: nunc pari ſub nomine
Gens eſt Iberum. Cordus inde denique
Populus agebat inter avios locos
Ac pertinentes uſque ad interius mare;
Qua piniferæ ſtant Pyrenæ vertices
Inter ferarum luſtra duceba *
Et arva late & gurgitem ponti premit.
In Sordiceni ceſpitis confinio
Quondam Pyrenæ latera civitas ditis laris
Stetiſſe fertur: hicque Maſſiliæ incolæ
Negotiorum ſæpe verſabant vices.
Sed in Pyrenen ab columnis Herculis
Atlanticoque gurgite & confinio
Zephyris oræ, curſus eſt celeri rati
Septem dierum. poſt Pyrenæum jugum
Jacent arenæ littoris Cynetici,
Eaſque late ſulcat amnis Roſchinus.
Hoc Sordicenæ, ut diximus, glebæ ſolum eſt.
Stagnum hic paluſque quippe diffuſe patet,
Et incolæ iſtam Fordicen cognominant:
Præterque vaſti gurgitis crepulas aquas.
Nam propter amplum marginis laxe ambitum,
Ventis tumeſcit ſæpe percellentibus.
Stagno hoc ab ipſo Sordus amnis effluit
Ru * effluentis hoſtiis.
* * *
Sinuatur alto, & propria per diſpendia
Ceſpes cavatur, eripit unda longior,
Moleſque multa gurgitis diſtenditur.
Tres namque in illo maximæ ſtant inſulæ,
Saxiſque duris pelagus interfunditur.
Nec longe ab iſto, ceſpitis rupti ſinus

Altes

Alter dehiſcit, inſulaſque quatuor
(At priſcus uſus dixit has omnes Piplas)
Ambit profundo. gens Eletycum prius,
Loca hæc tenebat, atque Naro civitas
Erat ferocis maximum regni caput.
Hic ſalſum in æquor amnis Attagus ruit:
Heliceque rurſus hic palus juſta. dehinc
Beſaram ſtetiſſe fama caſſa tradidit.
At nunc Heledus, nunc & Orobus flumina
Vacuos per agros, & ruinarum aggeres
Amœnitatis indices priſcæ meant.
Nec longe ab iſtis Thyrius alto evolvitur
* Cinorus agmen *
Num qua excitent fluctuum volumina,
Sternatque ſemper gurgitem Alcyonæ quies.
Vertex ad * hujus cautis e regione ſe
Illi eminenti porrigit, quod candidum
Dixi vocari. Blaſco propter inſula eſt,
Teretique forma ceſpes editur ſalo.*
In continenti & inter adſurgentium
Capita jugorum, rurſum arenoſi ſoli
Terga explicantur: ſeque fundunt littora
Orba incolarum. Setyus inde mons tumet
Procerus arcem, & pinifer Fecyi jugum
Radice fuſa inuſque Taurum pertinet.
Taurum paludem namque gentici vocant
Orani propinquam flumini. hujus alveo
Ibera tellus atque Ligyes aſperi
Interſecantur. hic ſat anguſti laris
Tenuiſque cenſu civitas Polygium eſt.
Tum Manſa vicus, oppidumque Nauſtalo;
Et urbs hæſice gen ſale
* *
Eiuſque in æquor Claſſius amnis influit.
At Cimenice regio deſcendit procul
Salſo ab fluento, fuſa multo ceſpite,
* Et a priſca ſilvis nominis porro auctor.
Mons dorſa celſus: hujus imos aggeres
Stringit fluento Rhodanus, atque ſcrupeam
Molem imminentis intererrat æquore.
Ligures ad undam ſemet interni maris,
Secyena ab arce & rupe ſaxoſi jugi
Procul extulere, ſed quaſi expoſcit locus
Rhodani ut fluentum plenius tibi differam,
Styli immorantis patere tractatum Probe.
Quippe amnis ortum, gurgitis lapſum vagi,
Quas iſte gentes lambat unda fluminis,
Quantoque manet incolis compendio,
Et oſtiorum ſabimur divortia.
Nivoſum in auras erigunt alpes jugum
A ſolis ortu, & arva Gallici ſali
Interſecantur ſcrupeo faſtigio,
Et anhela ſemper flabra tempeſtatibus,
Effuſus ille & ore ſemet exigens,
Hiantis antri vi truci ſulcat ſola,
Aquarum in ortu & fonte primo naviger.
Ad rupis illud erigentis ſe latus
† Quod de ditamne gentici cognominant
Solis columnas, tanto enim faſtigio
Inuſque celſa nubium ſubducitur
Meridianus ſol, ut oppoſitu jugi
Conſpicuus haud ſit, cum relaturus diem
Septentrionum acer ſeiit confinia.
Scis nam fuiſſe ejuſmodi ſententiam
Epicureorum. non occaſu premi,
Nullos ſubire gurgites, numquam occuli,
Sed obire mundum, obliqua cæli currere,
Animare terras, alere lucis pabulo
Convexa cuncta, & in vicem regionibus
Cer * negari candidam Phœbi facem
Reſi *
Meridianam cum ſecuerit orbitam,
Cum lumen axi Atlantico inclinaverit,
Ut in ſupremos ignem Hyperboreos agat,
Ac Hæmoniaco qua ſemet ortui ferat,
Diſcreta in æthræ flectitur curvo ambitu,
Metamque tranſit; cumque noſtro obtutui
Jubar negarit, tetra nox cælo ruit,
Cæcæque noſtra protinus tenebræ tegunt:
Dies at illos clara tunc inluminat
Septentrione qui ſuperpoſito rigent.
Cum rurſus umbra noctis arctoos habet,
Genus omne noſtrum ſplendidum ducit diem.
* Meat amnis aut fonte per Tylangios,
Per Daliternos, per Clahilcorum ſata,
Temenicum & agrum, dura ſat vocabula,
Auremque primam cuncta vulnerantia:
Sed non ſilenda tibimet, ob ſtudium tuum
Noſtramque curam. panditur porro in decem
Vexis recurſu gurgitum ſtagnum grave
Plerique tradunt: inſerit ſemet dehinc
Vaſtam in paludem, quam vetus mos Græciæ
Vocitavit Accion, quæ præcipites aquas
Stagni per æquor egerit: rurſum effluus
Arctans qua ſeſe, fluminum ac forma, dehinc
Atlanticos in gurgites, noſtrum in mare
Et occidentem contuens evolvitur,
Patulaſque arenas quinque ſulcat oſtiis.
Arelatus illic civitas attollitur,
Theline vocata ſub priore ſeculo
Graio incolente. multa nos Rhodano ſuper
Narrare longo res ſubegerunt ſtylo.
At numquam in illud animus inclinabitur,
Europam ut iſto flumine & Libyam adferam
Diſterminari; Phileus hoc quamquam vetus
Putaſſe dicat incolas. deſpectui
Deriſuique inſcitia hæc ſit barbara,
Et compete *
Curſus carinæ biduo & binoctio eſt.
Gens hinc Nearchi, Bergineque civitas,
Salyes atroces, oppidum priſcum Ramas,
Trabalæ paludes, terga celſum prominens,
Quod incolentes Cecyliſtrium vocant.
Maſſilia & ipſa eſt; cujus urbis hic ſitus:
Pro fonte littus præjacet, tenuis via
Patet inter undas, latera gurges adluit,
* Stagnum lambit urbem, & unda lambit oppidum.
Laremque fuſa civitas pene inſula eſt.
Sic æquor omne ceſpiti infudit manus,
Labos & olim conditorum diligens
Formam locorum & arva naturalia
Evicit arte; ſi quæ priſca te juvant
Hæc in novella nominum deducere.
* * * * *

A V I E N I

ÆSOPICARUM FABULARUM

L I B E R.

I. *Ruſtica, & Lupus.*

RUſtica deflenti parvo juraverat olim,
 Ni taceat, rabido quod foret eſca lupo.
Credulus hanc vocem lupus audiit, & manet ipſas
 Pervigil ante fores, irrita vota gerens.
Nam laſſata puer nimiæ dat membra quieti,
 Spem quoque raptori ſuſtulit inde fames.
Hunc ubi ſilvarum repetentem luſtra ſuarum
 Jejunum conjux ſenſit adeſſe lupa,
Cur, inquit, nullam refers de more rapinam:
 Languida conſumptis ſed trahis ora genis?
Ne mireris, ait, deceptum fraude maligna
 Vix miſerum vacua delituiſſe fuga:
Nam quæ præda, rogo, quæ ſpes contingere poſſet,
 Jurgia nutricis cum mihi verba darent?
Hæc ſibi dicta putet, ſeque hac ſciat arte notari,
 Femineam quiſquis credidit eſſe fidem.

II. *Aquila & Teſtudo.*

PEnnatis avibus quondam teſtudo locuta eſt,
 Si quis eam volucrum deſtituiſſet humi,
'rotinus e rubris conchas proferret arenis,
 Queis pretium nitido cortice bacca daret.
ndignans ſibimet tardo quod ſedula greſſu
 Nil ageret toto, perficeretque die.
ſt ubi promiſſis aquilam fallacibus implet,
 Experta eſt ſimilem perfida lingua fidem.
t male mercatis dum quærit ſidera pennis,
 Occidit infelix alitis ungue fero.
Tum quoque ſublimes, cum jam moreretur, in auras
 Ingemuit, votis hæc licuiſſe ſuis.
Iam dedit exoſæ poſt hæc documenta quieti,
 Non ſine ſupremo magna labore peti.
ic quicumque nova ſublatus laude tumeſcit,
 Dat merito pœnas, dum meliora cupit.

III. *Cancri.*

Urva retro cedens cum fert veſtigia cancer,
 Hiſpida ſaxoſis terga reliſit aquis.
unc genitrix facili cupiens præcedere greſſu,
 Talibus alloquiis præmonuiſſe datur.
e tibi tranſverſo placeant hæc devia, nate,
 Rurſus in obliquos neu velis ire pedes:
d niſu contenta ferens veſtigia recto,
 Innocuos prono tramite ſiſte gradus.
ui gnatus, faciam, ſi me præceſſeris, inquit,
 Rectaque monſtrantem certior ipſe ſequar.
am ſtultum nimis eſt, cum tu praviſſima tentes,
 Alterius cenſor ut vitioſa notes.

IV. *Boreas & Phœbus.*

IMmitis Boreas, placiduſque ad ſidera Phœbus
 Jurgia cum magno conſeruere Jove;
Quis prior inceptum peragat: mediumque per orbem
 Carpebat ſolitum forte viator iter.
Convenit hanc potius liti præfigere cauſam,
 Pallia nudato decutienda viro.
Protinus impulſus ventis circumtonat æther,
 Et gelidus nimias depluit imber aquas.
Ille magis duplicem lateri circumdat amictum,
 Turbida ſummotos qua trahit aura ſinus.
Sed tenues radios paulatim creſcere Phœbus
 Juſſerat, ut nimio ſurgeret igne jubar,
Donec laſſa volens requieſcere membra viator,
 Depoſita feſſus veſte ſederet humi.
Tunc victor docuit præſentia numina Titan
 Nullum præmiſſis vincere poſſe minis.

V. *Aſinus pelle Leonis indutus.*

MEtiri ſe quemque decet, propriiſque juvari
 Laudibus, alterius nec bona ferre ſibi.
Ne detracta gravem faciant miracula riſum,
 Cœperit in ſolitis cum remanere malis.
Exuvias aſinus Gætuli forte leonis
 Repperit, & ſpoliis induit ora novis,
Aptavitque ſuis incongrua tegmina membris,
 Et miſerum tanto preſſit honore caput.
Aſt ubi terribilis animo circumſtetit horror,
 Pigraque præſumptus venit in oſſa vigor:
Mitibus ille feris communia pabula calcans,
 Turbabat pavidos per ſua rura boves.
Ruſticus hunc magna poſtquam deprendit ab aure:
 Correptum vinclis, verberibuſque domat,
Et ſimul abſtracto denudans corpora tergo
 Increpat his miſerum vocibus ille pecus.
Forſitan ignotos mutato murmure fallis:
 At mihi, ceu quondam, ſemper aſellus eris.

VI. *Rana & Vulpes.*

EDita gurgitibus, olimque immerſa profundo,
 Et luteis tantum ſemper amica vadis,
Ad ſuperos colles, herboſaque prata recurrens
 Mulcebat miſeras turgida rana feras,
Callida quod poſſet gravibus ſuccurrere morbis,
 Et vitam ingenio continuare ſuo.
Nec ſe Pæonio jactat ceſſiſſe magiſtro,
 Quamvis perpetuos curet in orbe deos.
Tunc vulpes pecudum ridens aſtuta quietem,
 Verborum vacuam prodidit eſſe fidem.
Hæc dabit ægrotis, inquit, medicamina membris,
 Pallida cæruleus cui notat ora color?
Ne ſibimet quiſquam de rebus inaniter ullis,
 Quas nequit, imponat, iſta fabella monet.

VII. *Canis & Ruſticus.*

HAud facile eſt pravis innatum mentibus, ut ſe
 Muneribus dignas ſuppliciove putent.
Forte canis quidam nullis latratibus horrens,
 Nec patulis primum rictibus ora trahens,
Mollia ſed pavidæ ſummittens verbera caudæ,
 Concitus audaci vulnera dente dabat.
Hunc dominus, ne quem probitas ſimulata lateret,
Juſſe-

Juſſerat in rabido gutture ferre molam.
Faucibus & nexis crepitantia ſubligat æra,
Quæ facili motu ſigna cavenda darent.
Hæc tamen ille ſibi credebat munera ferri,
Et ſimilem turbam deſpiciebat ovans.
Tunc inſultantem ſenior de plebe ſuperbum
Alloquitur, tali ſingula voce monens.
Infelix, quæ tanta rapit dementia ſenſum,
Munera pro meritis ſi cupis iſta dari?
Non hoc virtutis decus oſtentatur in ære:
Nequitiæ teſtem ſed geris inde ſonum.

VIII. *Camelus & Jupiter*.

Contentum propriis ſapientem vivere rebus,
Nec cupere alterius noſtra fabella monet,
Indignata cito ne ſtet fortuna recurſu,
Atque eadem minuat, quæ dedit ante, rota.
Corporis immenſi fertur pecus iſſe per auras,
Et magnum precibus ſollicitaſſe Jovem.
Turpe nimis cunctis, irridendumque videri
Inſignes geminis cornibus ire boves;
Se ſolum nulla munitum parte camelum,
Objectum cunctis, expoſitumque feris.
Jupiter arridens poſtquam ſperata negavit,
Inſuper & magnæ ſuſtulit auris onus,
Vive minor merito, cui ſors non ſufficit, inquit,
Et tua perpetuum livide damna geme.

IX. *Viatores & Urſa*.

Montibus ignotis, curviſque in vallibus arctum
Cum ſocio quidam ſuſcipiebat iter.
Securus quodcumque malum fortuna tuliſſet
Robore collato poſſet uterque pati.
Dumque per inceptum vario ſermone feruntur,
In mediam præceps convenit urſa viam.
Horum alter facili comprendens robora curſu
In viridi trepidum fronde pependit onus:
Ille trahens nullo jacuit veſtigia greſſu,
Exanimem fingens, ſponte relifus humi.
Continuo prædam cupiens fera ſæva cucurrit,
Et miſerum curvis unguibus ante levat:
Verum ubi concreto riguerunt membra timore,
(Nam ſolitus mentis liquerat oſſa calor)
Tunc olidum credens, quamvis jejuna, cadaver
Deſerit, & luſtris conditur urſa ſuis.
Sed cum ſecuri paullatim in verba rediſſent;
Liberior juſto qui fuit ante fugax,
Dic ſodes, quidnam trepido tibi rettulit urſa?
Nam ſecreta diu multaque verba dedit.
Magna quidem monuit: tamen hæc quoque maxima juſſit,
Quæ miſero ſemper ſunt facienda mihi:
Ne facile alterius repetas conſortia, dixit,
Rurſus ab inſana ne capiare fera.

X. *Eques calvus*.

Calvus eques capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nudo vertice ferre comas,
Ad campum nitidis venit conſpectus in armis,
Et facilem frenis flectere cœpit equum.
Hujus ab adverſo Boreæ ſpiramina perflant,
Ridiculum populo conſpiciente caput.
Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.
Ille ſagax, tantis quod riſus millibus eſſet,
Diſtulit admota calliditate jocum.
Quid mirum, referens, poſitos fugiſſe capillos,
Quem prius æquævæ deſeruere comæ?
Ridiculo cuiquam cum ſis, abſolvere temet
Oppoſita veri cum ratione ſtude.

XI. *Olla ærea & lutea*.

Eripiens geminas ripis cedentibus ollas
Inſanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diverſa duas ars & natura creavit.
Ære prior fuſa eſt: altera ficta luto.
Diſpar erat fragili, & ſolidæ concordia motus,
Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen eliſam confringeret ærea teſtam,
Jurabat ſolitam longius ire viam.
Illa timens, ne quid levibus graviora nocerent,
Et quia nulla brevi cum meliore fides,
Quamvis ſecuram verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo decutiendus erit.
Nam, me ſive tibi, ſeu te mihi conferat unda,
Semper ero ambobus ſubdita ſola malis.
Pauperior caveat ſeſe ſociare potenti;
Namque fides illi cum parili melior.

XII. *Ruſticus qui theſaurum invenerat*.

Ruſticus impreſſo molitus vomere terram
Theſaurum ſulcis proſiluiſſe videt.
Mox indigna animo properante reliquit aratra,
Semina compellens ad meliora boves.
Continuo ſupplex Telluri conſtruit aram,
Quæ ſibi depoſitas ſponte dediſſet opes.
Hunc Fortuna novis gaudentem provida rebus,
Admonet indignam ſe quoque thure dolens.
Nunc inventa meis non profers munera templis,
Atque alios mavis participare Deos.
Sed cum ſubrepto fueris triſtiſſimus auro,
Me primam lacrymis ſollicitabis inops.
Non me ridenti, ſed triſti cernere vultu
Fas erit, & vacua ſint tibi vota tua.
Unius accepto peccat grave quiſque talento,
Si, quod ab hoc ſumpſit, imputat hoc alii.

XIII. *Taurus & Leo*.

Immenſum taurus fugeret cum forte leonem,
Tutaque deſertis quæreret antra viis:
Speluncam reperit, quam tunc hirſutus habebat,
Cinyphii ductor qui gregis eſſe ſolet.
Poſt ubi ſummiſſa meditantem irrumpere fronte
Obvius obliquo terruit ore caper;
Triſtis abit, longaque fugax de valle locutus:
Nam timor expulſum jurgia ferre vetat:
Non te demiſſis ſetoſum putide barbis,
Illum, qui ſupereſt, conſequiturque, tremo.
Nam ſi diſcedat, noſces ſtultiſſime quantum
Diſcrepet a tauri viribus hircus olens.
Dum cupis illatum tibimet perſolvere damnum,
Abſque tui damno hocce caveto fore.

XIV. *Simia & Jupiter*.

Jupiter in toto quondam quæſiverat orbe,
Munera natorum quis meliora daret.

Certum

Certatim ad Regem currit genus omne ferarum,
Permiſtumque homini cogitur ire pecus.
Sed nec ſquamigeri deſunt ad jurgia piſces,
Vel quidquid volucrum purior aura vehit.
Inter quos trepidæ ducebant pignora matres,
Judicio tanti diſcutienda Dei.
Tunc brevis informem traheret cum ſimia natum,
Ipſum etiam in riſum compulit ire Jovem.
Hanc tamen ante alias rupit turpiſſima vocem;
Dum generis crimen ſic abolere cupit.
Jupiter hoc norit, maneat victoria ſi quem,
Judicio ſupereſt omnibus iſte meo.
Ergo mos homini eſt, quidquid ſibi fecerit ipſe,
Vile licet maneat, comprobat ipſe tamen.
Nolo velis rerum quidquam laudare tuarum,
Alterius niſi ſint ore probata prius.

XV. *Grus & Pavo.*

THreiciam volucrem fertur Junonius ales
Communi ſociam continuiſſe cibo.
Namque inter varias fuerat diſcordia formas,
Magnaque de facili jurgia lite trahunt.
Quod ſibi multimodo fulgerent membra decore,
Cæruleam facerent livida terga gruem.
Et ſimul erectæ circumdans tegmina caudæ,
Sparſerat arcanum rurſus in aſtra jubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
His tamen inſultans vocibus uſa datur:
Quamvis innumerus plumas variaverat ordo,
Merſus humi ſemper florida terga geris.
Aſt ego deformi ſublimis in aere penna,
Proxima ſideribus, numinibuſque feror.
Si quadam virtute nites, ne deſpice quemquam,
Ex alia quadam forſan & ille nitet.

XVI. *Quercus & Arundo.*

MOntibus e ſummis radicitus eruta quercus
Decidit, inſani turbine victa Noti.
Quam tumidis ſubter decurrens alveus undis
Suſcipit, & fluvio præcipitante rapit.
Verum, ubi diverſis impellitur ardua ripis
In fragiles calamos, grande reſedit onus.
Tunc ſic exiguo connectens ceſpite ramos,
Miratur liquidis quod ſtet arundo vadis.
Se quoque tam vaſto nec dum conſiſtere trunco,
Aſt illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando reſpondit canna ſuſurro,
Seque magis tutam debilitate docet.
Tu rapidos, inquit, ventos, ſævaſque procellas
Deſpicis, & totis viribus acta ruis.
Aſt ego ſurgentes paullatim demoror Auſtros,
Et quamvis levibus provida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus:
Motibus aura meis ludificata perit.
Hæc nos dicta monent magnis obſiſtere fruſtra,
Paulatimque truces exſuperare minas.

XVII. *Tigris & Venator.*

VEnator jaculis haud irrita vulnera torquens,
Turbabat rabidas per ſua luſtra feras.
Tunc pavidis audax cupiens ſuccurrere tigris,
Verbere commotas juſſit adeſſe minas.
Ille tamen ſolito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi qualis eram nuntius iſte refert.
Et ſimul emiſſum tranſegit viſcera ferrum,
Perſtrinxitque citos haſta cruenta pedes.
Molliter affixum traheret cum ſaucia telum,
A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dic quis ille foret, qui talia vulnera ferret,
Aut ubi nam jaculum delituiſſet agens?
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure cœpit:
Nam ſolitas voces ira doloroque rapit.
Nulla quidem medio convenit in aggere forma,
Quæque oculis olim ſit repetenda meis:
Sed cruor, & validis in nos directa lacertis
Oſtendunt aliquem tela fuiſſe virum.
Bruta licet ſoleant animalia jure timeri,
Omnibus eſt illis plus metuendus homo.

XVIII. *Juvenci & Leo.*

QUatuor immenſis quondam per prata juvencis
Fertur amicitiæ tanta fuiſſe fides.
Ut ſimul emiſſos nullus divelleret error,
Rurſus & e paſtu turba rediret ovans:
Hos quoque collatis inter ſe cornibus ingens
Dicitur in ſilvis pertimuiſſe leo,
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et conjuratos horret adire boves.
Sed, quamvis audax, factiſque immanior eſſet,
Tantorum ſolus viribus impar erat.
Protinus aggreditur pravis inſiſtere verbis,
Colliſum cupiens diſſociare pecus.
Sed poſtquam dictis tauros disjunxit acerbis,
Invaſit miſerum, diripuitque gregem.
Tunc quidam ex ipſis, vitam ſervare quietam
Qui cupit, ex noſtra diſcere morte poteſt:
Neve cito admotas verbis fallacibus aures
Impleat, aut veterem deſerat ante fidem.

XIX. *Abies & Dumus.*

HOrrentes dumos abies pulcherrima riſit,
Cum facerent formæ jurgia magna ſuæ.
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus conſociaret honor.
Nam mihi deductum ſurgens in nubila corpus,
Verticis erectas tollit in aſtra comas.
Puppibus & patulis media cum ſede locamur,
In me ſuſpenſos explicat aura ſinus.
At tibi deformem quod dant ſpineta figuram,
Deſpectum cuncti præteriere viri.
Ille refert: nunc læta quidem bona ſola fateris,
Et noſtris fueris imperioſa malis.
Sed cum pulcra minax ſuccidit membra ſecuris,
Quam velles ſpinas tunc habuiſſe meas!
Nemo ſuæ carnis nimium lætetur honore,
Ne vilis factus poſt ſua damna gemat.

XX. *Piſcator & Piſcis.*

PIſcator ſolitus prædam ſuſpendere ſeta,
Exigui piſcis vile trahebat onus.
Sed poſtquam ſuperas caput perduxit ad auras,
Atque avido fixum vulnus ab ore tulit:
Parce precor, lacrimis ſupplex ita dixit obortis:
Nam quanta ex noſtro corpore damna feres!
Nunc me ſaxoſis genitrix fœcunda ſub antris
Fudit, & propriis ludere juſſit aquis:

Tolle minas, teneramque tuis ſine creſcere menſis:
Hæc tibi me rurſum littoris ora dabit.
Protinus immenſi depaſtus cærula Ponti,
Pinguior ad calamum ſponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens abſolvere piſcem:
Difficiles queritur caſibus eſſe vices.
Nam miſerum eſt, inquit, præſentem amittere prædam,
Stultius & rurſum vota diurna ſequi.
Incerta pro ſpe non munera certa relinque,
Ne rurſus quæras, forte nec invenias.

XXI. *Ruſticus & Avis*.

PArvula pregeniem terræ mandaverat ales,
Qua ſtabat viridi ceſpite flava ſeges.
Ruſticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam ſupplex forte petebat opem.
Sed vox implumes turbavit credula nidos:
Suaſerat & Laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet diſcedere mater:
Nam, quid ab externis perficietur? ait.
Ille iterum caris operam mandavit amicis:
At genitrix rurſum tutior inde manet.
Sed poſtquam curvas dominum comprendere falces,
Frugibus & veram ſenſit adeſſe manum:
Nunc, ait, o miſeri dilecta relinquite rura,
Cum ſpem de propriis viribus ille petit.

XXII. *Invidus & avarus*.

JUpiter ambiguas hominum prædiſcere mentes,
Ad terras Phœbum miſit ab arce poli.
Tunc duo diverſis poſcebant munera votis;
Namque alter cupidus, invidus alter erat.
His ſeſe medium Titan ſcrutatus utrumque
Obtulit, & precibus ut peteretur, ait.
Præſtabit facilis: nam quæque rogaverit unus,
Protinus hæc alter congeminata feret.
Sed cui longa jecur nequeat ſatiare cupido,
Diſtulit admotas in nova damna preces:
Spem ſibi confidens alieno creſcere voto,
Seque ratus ſolum munera ferre duo.
Ille ubi captantem ſocium ſua præmia vidit,
Supplicium proprii corporis optat ovans.
Nam petit, exſtinctus ut lumine degeret uno,
Alter ut hoc duplicans vivat utroque carens.
Tunc ſortem ſapiens humanam riſit Apollo,
Invidiæque malum rettulit ipſe Jovi.
Quæ dum proventis aliorum gaudet iniquis,
Lætior infelix & ſua damna cupit.

XXIII. *Statuarius*.

VEnditor inſignem referens de marmore Bacchum,
Expoſitum pretio fecerat eſſe Deum.
Nobilis hunc quidam, funeſta in ſede ſepulcri,
Mercari cupiens, compoſiturus erat.
Alter adoratis ut ferret munera templis,
Redderet & ſacro debita vota loco:
Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Cum ſpes in pretium munera diſpar agit,
Et me defunctis ſeu malis tradere Divis,
Sive decus buſti, ſeu velis eſſe Deum.
Subdita namque tibi eſt magni reverentia fati,
Atque eadem retines funera noſtra manu.
Convenit hoc illis, quibus eſt permiſſa poteſtas,
An præſtare magis, ſeu nocuiſſe velint.

XXIV. *Venator & Leo*.

CErtamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam nobilis, atque leo.
Hi cum perpetuum cuperent in jurgia finem,
Edita continuo forte ſepulchra vident.
Illic docta manus flectentem colla leonem
Fecerat in gremio procubuiſſe viri.
Scilicet affirmans pictura teſte ſuperbum
Se fieri: extinctam nam docet eſſe feram.
Ille graves oculos ad inania ſigna retorquens
Infremit, & rabido pectore verba dedit.
Irrita te generis ſubiit fiducia noſtri,
Artificis teſtem ſi cupis eſſe manum.
Quod ſi noſtra novum caperet ſollertia ſenſum,
Sculperet ut docili pollice ſaxa leo:
Tunc hominem adſpiceres oppreſſum murmure magno,
Conderet ut rabidis ultima fata genis.

XXV. *Puer & Fur*.

FLens puer extremam putei conſedit ad oram,
Vana ſupervacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrimis poſtquam fur vidit obortis,
Quænam triſtitiæ ſit modo cauſa, rogat.
Ille ſibi abrupti fingens diſcrimina funis,
Atque auri queritur deſiluiſſe cadum.
Nec mora, ſollicitam traxit manus improba veſtem,
Exutus putei protinus ima petit.
Parvulus exiguo circumdans pallia collo,
Sentibus immerſus delituiſſe datur.
Sed poſt fallacis ſuſcepta pericula votis
Triſtior amiſſa veſte reſedit humi.
Dicitur his ſollers vocem rupiſſe querelis,
Et gemitu ſummos ſollicitaſſe Deos.
Perdita, quiſquis erit, poſthac bene pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natet urna vadis.
Nemo nimis cupide ſic res deſideret ullas,
Ne plus cum cupiat, perdat & hic quod habet.

XXVI. *Leo & Capella*.

VIderat excelſa paſcentem rupe capellam,
Cominus eſuriens cum leo ferret iter.
Et prior: Heus inquit, præruptis ardua ſaxis
Linque, nec hirſutis paſcua quære jugis.
Sed cytiſi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas ſalices, & thyma grata pete.
Illa gemens, deſiſte precor fallaciter, inquit,
Securam placidis inſimulare dolis.
Vera licet moneas, majora pericula tollas,
Tu tamen his dictis non facis eſſe fidem.
Nam quamvis recti conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc rabidus conſiliator habet.
Ne citius blandis cujuſquam credito dictis:
Sed, ſi ſint fidei, reſpice quid moneant.

XXVII. *Cornix & Urna*.

INgentem ſitiens cornix adſpexerat urnam,
Quæ minimam fundo continuiſſet aquam.
Hanc enixa diu planis effundere campis,
Scilicet ut nimiam pelleret inde ſitim.
Poſtquam nulla viam virtus dedit, admovet omnes
Indignata nova calliditate dolos.
Nam brevis immerſis adcreſcens ſponte lapillis

Po

Potandi facilem præbuit unda viam.
Viribus hæc docuit, quam ſit prudentia major,
Qua cœptum volucris explicuiſſet opus.

XXVIII. *Ruſticus & Juvencus.*

VIncla recuſanti, dedignantique juvenco
Aſpera mordaci ſubdere colla jugo:
Ruſticus obliqua ſuccidens cornua falce,
Credidit inſanum defremuiſſe pecus.
Cautus & immenſo cervicem innectit aratro:
Namque erat hic cornu promtior atque pede.
Scilicet ut longus prohiberet verbera temo,
Neve ictus faciles ungula ſæva daret.
Sed poſtquam irato detrectans vincula collo,
Immeritam vacuo calce fatigat humum:
Continuo everſam pedibus diſpergit arenam,
Quam ferus in domini ora ſequentis agit.
Tunc ſic informi ſqualentes pulvere crines
Diſcutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum naturæ deerat iniquæ,
Qua fieri poſſes cum ratione nocens.

XXIX. *Satyrus & Viator.*

HOrrida congeſtis cum ſtaret bruma pruinis,
Cunctaque durato ſtringeret arva gelu:
Hæſit in adverſa membrorum mole viator:
Perdita nam prohibet ſemita ferre gradum.
Hunc nemorum cuſtos fertur miſeratus in antro
Exceptum Satyrus continuiſſe ſuo.
Quem ſimul adſpiciens ruris miratur alumnus,
Vimque homini tantam protinus eſſe pavet.
Nam, gelidos artus vitæ ut revocaret in uſum,
Afflatas calido ſolverat ore manus.
Sed cum depulſo cepiſſet frigore lætus
Hoſpitis eximia ſedulitate frui:
Namque illi agreſtem cupiens oſtendere vitam,
Silvarum referens optima quæque dabat:
Obtulit & calido plenum cratera Lyæo,
Laxet ut infuſus frigida membra tepor.
Ille ubi ferventem labris contigere teſtam
Horruit: algenti rurſus ab ore ſufflat.
Obſtupuit duplici monſtro perterritus hoſpes,
Et pulſum ſilvis longius ire jubet.
Nolo, ait, ut noſtris umquam ſucceſſerit antris,
Tam diverſa duo qui ſimul ore ferat.
Qui bene colloquitur coram, ſed poſtea prave:
Hic erit inviſus, bina quod ora gerat.

XXXX *Ruſticus & Sus.*

VAſtantem ſegetes, & pinguia culta ruentem
Liquerat abſciſſa ruſticus aure ſuem,
Ut memor accepti referens monumenta doloris,
Ulterius teneris parceret ille ſatis.
Rurſus in excepti deprenſus crimine campi,
Perdidit indultæ perfidus auris onus.
Nec mora, prædictæ ſegeti caput intulit horrens,
Pœna ſed indignum congeminata facit.
Tunc domini captum menſis dedit ille ſuperbis
In varias epulas plurima fruſta ſecans.
Sed cum conſumti dominus cor quæreret apri,
Impatiens fertur quod rapuiſſe cocus:
Ruſticus hoc juſtam verbo compeſcuit iram,
Affirmans ſtultum non habuiſſe ſuem.

Nam cur membrorum toties in damna rediſſet,
Atque uno demens poſſet ab hoſte capi.
Hæc illos deſcripta monent, qui ſæpius auſi,
Numquam peccatis abſtinuere manus.

XXXI. *Mus & Bos.*

INgentem fertur mus quondam parvus oberrans
Auſus ab exiguo lædere dente bovem.
Verum ubi mordaci confecit vulnera roſtro,
Tutus in amfractus conditur inde ſuos.
Ille licet vaſta torvum cervice minetur,
Non tamen iratus, quem petat, ille videt.
Tunc indignantem juſto ſermone fatigans
Diſtulit hoſtiles calliditate minas:
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,
Viribus effectum conſtituere tuis.
Diſce tamen brevibus quæ ſit fiducia monſtris,
Et faciat quidquid parvula turba cupit.

XXXII. *Ruſticus & Hercules.*

HÆrentem luteo ſub gurgite ruſticus axem
Liquerat, & nexos ad juga tarda boves.
Fruſtra depoſitis confidens Numina votis
Ferre ſuis rebus, cum reſideret, opem.
Cui rector ſummis Tirynthius infit ab aſtris:
[Nam vocat hunc ſupplex in ſua vota Deum]
Perge laborantes ſtimulis agitare juvencos,
Et manibus pigras diſce juvare rotas.
Tunc quoque congreſſus, majoraque viribus auſus
Fac Superos animis conciliare tuis.
Diſce tamen pigris non flecti Numina votis,
Præſenteſque adhibe, cum facis ipſe, Deos.

XXXIII. *Anſer & Ruſticus.*

ANſer erat cuidam pretioſo germine fœta,
Ovaque quæ nidis aurea ſæpe daret.
Fixerat hanc volucri legem natura ſuperbæ,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus cupidum ſperans vaneſcere votum,
Non tulit exoſas in ſua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Qui tam continuo munere dives erat.
Poſtquam nuda minax egit per viſcera ferrum,
Et vacuam ſolitis fœtibus eſſe videt:
Ingemuit tantæ deceptus crimine fraudis.
Nam pœnam meritis rettulit inde ſuis.
Sic qui cuncta Deos uno male tempore poſcunt,
Juſtius his etiam vota divina negant.

XXXIV. *Formica & Cicada.*

QUiſquis torpentem paſſus tranſire juventam,
Nec timuit vitæ providus ante ſuæ:
Confectus ſenio, poſtquam gravis adfuit ætas,
Heu, fruſtra alterius ſæpe rogavit opem.
Solibus obreptos hiemi formica labores
Diſtulit, & brevibus condidit ante cavis.
Verum ubi candentes ſuſcepit terra pruinas,
Arvaque ſub gelido delituere gelu,
Pigra nimis tantos non æquans corpore nimbos,
In propriis laribus humida grana legit.
Diſcolor hanc precibus ſupplex alimenta rogabat,
Quæ quondam querulo ruperat arva ſono.

Se quoque, maturas cum tunderet area meſſes,
Cantibus æſtivos explicuiſſe dies.
Parvula tunc ridens ſic eſt affata cicadam:
(Nam vitam pariter continuare ſolent.)
Mi quoniam ſummo ſubſtantia parta labore eſt,
Frigoribus mediis otia longa traho.
At tibi ſaltandi nunc ultima tempora reſtant,
Cantibus eſt quoniam vita peracta prior.

XXXV. *Simia & Gnati.*

FAma eſt, quod geminum profundens ſimia partum
Dividit in varias pignora nata vices.
Namque unum caro genitrix educit amore,
Alterius odiis exſaturata tumet.
Cœperit ut fœtam gravior terrere tumultus,
Diſſimili gnatos conditione rapit.
Dilectum manibus, vel pectore geſtat amico,
Contemtum dorſo ſuſcipiente levat.
Sed cum laſſatis nequeat conſiſtere plantis,
Oppoſitum fugiens ſponte relinquit onus.
Alter at hirſuto circumdans brachia collo
Hæret, & invita cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti ſuccedit in oſcula fratris
Servatus, vetulis unicus hæres avis.
Sic multos neglecta juvant, atque ordine verſo
Spes humiles rurſus in meliora refert.

XXXVI. *Vitulus & Bos.*

PUlcher & intacta vitulus cervice reſultans
Scindentem aſſidue viderat arva bovem.
Nec pudet, heus, inquit, longævo vincula collo
Ferre, nec expoſitis otia noſſe jugis.
Cum mihi ſubjectas pateat diſcurſus in herbas,
Et nemorum liceat rurſus opaca ſequi.
At ſenior, nullam verbis compulſus in iram,
Vertebat ſolitam vomere feſſus humum,
Donec depoſito per prata liceret aratro
Molliter herboſo procubuiſſe toro.
Mox vitulum ſacris innexum reſpicit aris
Admotum cultro cominus ire prope.
Hanc tibi triſtis, ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem noſtri quæ facit eſſe jugi.
Proderit ergo graves quamvis perferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.
Eſt hominum ſors iſta, magis felicibus ut mors
Sit cita, cum miſeros vita diurna regat.

XXXVII. *Canis & Leo.*

PInguior exhauſto canis occurriſſe leoni
Fertur, & infertis verba dediſſe jocis.
Nonne vides duplici tendantur ut ilia tergo,
Luxurietque toris nobile pectus? ait.
Proximus humanis ducor poſt otia menſis,
Communem capiens largius ore cibum.
Sed quod craſſa, malum, circumdat guttura ferrum,
Nec cuſtodita fas ſit abire domo.
At tu magna diu moribundus luſtra pererras,
Donec ſe ſilvis obvia præda ferat.
Perge igitur noſtris tua ſubdere colla catenis,
Dum liceat faciles promeruiſſe dapes.
Protinus ille gravem gemitu collectus in iram,
At ferox animi nobile murmur agit.
Vade, ait, & meritis nodum cervicibus infer,
Compenſentque tuam vincula dura famem.

At mea cum vacuis libertas redditur antris,
Quamvis jejunus quælibet arva peto.
Has illis epulas potius laudare memento,
Qui libertatem poſtpoſuere gulæ.

XXXVIII. *Piſcis fluviatilis & marinus.*

DUlcibus e ſtagnis fluvio torrente coactus
Æquoreas præceps piſcis obibat aquas.
Illic ſquamigerum deſpectans improbus agmen
Eximium ſeſe nobilitate refert.
Non tulit exemplum patrio de gurgite phoca,
Verbaque cum ſalibus aſperiora dedit.
Vana laboratis aufer mendacia dictis,
Quæque refutari te quoque teſte valent.
Nam quis erit potior populo ſpectante probabo,
Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur auro:
Te ſimul ære brevi debile vulgus emet.
Quiſquis ab externis nuper devenerit oris,
Non decet indigenis ut velit eſſe prior.

XXXIX. *Miles & Lituus.*

VOverat attritus quondam per prælia miles
Omnia ſuppoſitis ignibus arma dare:
Vel quæ victori moriens ſibi turba dediſſet,
Vel quidquid profugo poſſet ab hoſte capi.
Interea votis ſors adfuit, & memor arma
Cœperat accenſo ſingula ferre rogo.
Tunc lituus rauco deflectens murmure culpam
Immeritum flammis ſe docet eſſe prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos.
Viribus affirmes quæ tamen acta meis.
Sed tantum ventis & cantibus arma coegi,
Hoc quoque ſubmiſſo teſtor & aſtra ſono.
Ille reſultantem flammis crepitantibus addens,
Nunc te major, ait, pœna, dolorque rapit.
Nam licet ipſe nihil poſſis tentare nec auſus,
Sævior hoc, alios quod facis ipſe malos.

XL. *Pardus & Vulpes.*

DIſtinctus maculis & pulcro pectore pardus
Inter conſimiles ibat in arva feras.
Et quod nulla graves variarent terga leones,
Protinus his miſerum credidit eſſe genus.
Cætera ſordenti damnans animalia vultu,
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta novo gaudentem vulpes amictu
Corripit, & vanas approbat eſſe notas.
Vade, ait, & pictæ nimium confide juventæ,
Dum mihi conſilium pulcrius eſſe queat.
Miremurque magis quos munera mentis adornant,
Quam qui corporeis enituere bonis.

XLI. *Nimbus & Teſta.*

IMpulſus ventis, & preſſa nube coactus,
Ruperat hibernis ſe gravis imber aquis.
Cumque per effuſas ſtagnaret turbine terras,
Expoſitum campis fictile preſſit opus.
Mobile namque lutum tepidus prius inſtruit aer,
Diſcat ut admoto rectius igne coqui.
Tunc nimbus fragilis perquirit nomina teſtæ.
Immemor illa ſui, amphora dicor, ait.

Nunc

Nunc me docta manus rapiente volumina gyro
  Molliter obliquum juſſit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat conſtare figura:
  Nam te ſubjectam diluet imber aquis.
Et ſimul accepto violentius amne fatiſcens,
  Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix, quæ magna ſibi cognomina ſumens
  Auſa pharetratis nubibus iſta loqui.
Hæc poterunt miſeros poſt hæc exempla monere,
  Subdita nobilibus ut ſua fata gemant.

XLII. *Lupus & Hædus.*

Forte lupum melior curſu deluſerat hædus,
  Proxima vicinis dum petit arva caſis.
Inde fugam recto tendens in mœnia curſu,
  Inter lanigeros adſtitit ille greges.
Impius hunc raptor mediamque ſecutus in urbem,
  Tentat compoſitis ſollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis ut victima templis
  Immerita pecudum morte cruentet humum?
Quod niſi ſecuro valeas te reddere campo,
  Heu, mihi vittata tu quoque fronte cades.
Ille refert: modo, quam metuis, precor, exue curam,
  Et tecum viles improbe tolle minas.
Nam ſat erit ſacrum Divis fudiſſe cruorem,
  Quam rapidi fauces exſaturare lupi.
Sic quoties duplici ſubduntur triſtia caſu,
  Expedit inſignem promeruiſſe necem.

RUTILII CLAUDII NUMATIANI GALLI

Viri conſularis, Præfecti urbis, Tribuni militum, Præfecti prætorio,

ITINERARIUM.

LIBER PRIMUS.

AD VENERIUM RUFIUM.

Velocem potius reditum mirabere lector,
  Tam cito Romuleis poſſe carere bonis.
Quid longum toto Romam venerantibus ævo?
  Nil umquam longum eſt, quod ſine fine placet.
O quantum & quoties poſſem numerare beatos,
  Naſci felici qui meruere ſolo,
Qui Romanorum procerum generoſa propago
  Ingenitum cumulant urbis honore decus!
Semina virtutum demiſſa & tradita Cælo
  Non potuere aliis dignius eſſe locis.
Felices etiam qui proxima munera primis
  Sortiti, Latias obtinuere domos.
Religioſa patet peregrinæ curia laudi,
  Nec putat externos quos decet eſſe ſuos.
Ordinis imperio, collegarumque fruuntur,
  Et partem genii, quem venerantur, habent.
Quale per ætherios mundani verticis axes
  Connubium ſummi credimus eſſe Dei.
At mea dilectis fortuna revellitur oris,
  Indigenamque ſuum Gallica rura vocant:
Illa quidem longis nimium deformia bellis;
  Sed quam grata minus, tam miſeranda magis.
Securos levius crimen contemnere cives.
  Privatam repetunt publica damna fidem.
Præſentes lacrimas tectis debemus avitis.
  Prodeſt admonitus ſæpe dolore labor.
Nec fas ulterius longas neſcire ruinas,
  Quas mora ſuſpenſæ multiplicavit opis.
Jam tempus laceris poſt longa incendia fundis,
  Vel paſtorales ædificare caſas.
Ipſi quinetiam fontes ſi mittere vocem,
  Ipſaque ſi poſſent arbuta noſtra loqui,
Ceſſantem juſtis poterant urgere querelis,
  Et deſideriis reddere vela meis.
Jam jam laxatis caræ complexibus urbis
  Vincimur, & ſerum vix toleramus iter.
Electum pelagus, quoniam terrena viarum
  Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.
Poſtquam Tuſcus ager, poſtquamque Aurelius agger
  Perpeſſus Geticas enſe vel igne manus,
Non ſilvas domibus, non flumina ponte coercet,
  Incerto ſatius credere vela mari.
Crebra relinquendis infigimus oſcula portis,
  Inviti ſuperant limina ſacra pedes.
Oramus veniam lacrimis, & laude litamus,
  In quantum fletus currere verba ſinit:
Exaudi regina tui pulcherrima mundi,
  Inter ſidereos Roma recepta polos,
Exaudi genetrix hominum, genetrixque Deorum,
  Non procul a Cælo per tua templa ſumus.
Te canimus, ſemperque, ſinent dum fata, canemus.
  Soſpes nemo poteſt immemor eſſe tui.
Obruerint citius ſcelerata oblivia ſolem,
  Quam tuus ex noſtro corde recedat honos.
Nam ſolis radiis æqualia munera tendis:
  Qua circumfuſus fluctuat Oceanus.
Volvitur ipſe tibi, qui continet omnia, Phœbus,
  Eque tuis ortus in tua condit equos.

Te non flammigeris Libye tardavit arenis,
Non armata ſuo reppulit Urſa gelu.
Quantum vitalis natura tetendit in axes,
Tantum virtuti pervia terra tuæ.
Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
Profuit injuſtis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
Urbem feciſti quod prius orbis erat.
Auctorem generis Venerem, Martemque fatemur,
Æneadum matrem, Romulidumque patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires:
Convenit in mores nomen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona, parcendique voluptas:
Quos timuit ſuperat, quos ſuperavit amat.
Inventrix oleæ colitur, vinique repertor,
Et qui primus humo preſſit aratra puer:
Aras Pæoniam meruit medicina per artem,
Fretus & Alcides nobilitate Deus:
Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis,
Fœdere communi vivere cuncta facis.
Te Dea, te celebrat Romanus ubique receſſus;
Pacificoque gerit libera colla jugo.
Omnia perpetuos quæ ſervant ſidera motus,
Nullum viderunt pulchrius imperium.
Quid ſimile Aſſyriis? connectere contigit arma,
Medi finitimos cum domuere ſuos.
Magni Parthorum reges, Macetumque tyranni
Mutua per varias jura dedere vices.
Nec tibi naſcenti plures animæque manuſque,
Sed plus conſilii judiciique fuit.
Juſtis bellorum cauſis, nec pace ſuperba
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.
Quod regnas minus eſt, quam quod regnare mereris:
Excedis factis grandia fata tuis.
Percenſere labor denſis decora alta tropæis,
Ut ſi quis ſtellas pernumerare velit.
Confunduntque vagos delubra micantia viſus,
Ipſos crediderim ſic habitare Deos.
Quid loquar aerio pendentes fornice rivos?
Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas.
Hos potius dicas creviſſe in ſidera montes:
Tale Giganteum Græcia laudat opus.
Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Conſumunt totos celſa lavacra lacus.
Nec minus & propriis celebrantur roſcida venis,
Totaque nativo mœnia fonte ſonant.
Frigidus æſtivas hinc temperat halitus auras,
Innocuamque levat purior unda ſitim.
Nempe tibi ſubitus calidarum gurges aquarum
Rupit Tarpeias hoſte premente vias.
Si foret æternus, caſum fortaſſe putarem,
Auxilio fluxit qui rediturus erat.
Quid loquar incluſas inter laquearia ſilvas?
Vernula queis vario carmine ludit avis.
Vere tuo numquam mulceri deſinit annus;
Deliciaſque tuas victa tuetur hiems.
Erige crinales lauros, ſeniumque ſacrati
Verticis in virides Roma recinge comas.
Aurea turrigero radient diademata cono,
Perpetuoſque ignes aureus umbo vomat.
Abſcondat triſtem deleta injuria caſum,
Contemptus ſolidet vulnera clauſa dolor,
Adverſis ſolemne tuis ſperare ſecunda,
Exemplo Cæli ditia damna ſubis.
Aſtrorum flammæ renovant occaſibus ortus,
Lunam finiri cernis ut incipiat.

Victoris Brenni non diſtulit Allia pœnam:
Samnis ſervitio fœdera ſæva luit.
Poſt multas Pyrrhum clades ſuperata fugaſti,
Flevit ſucceſſus Hannibal ipſe ſuos.
Quæ mergi nequeunt, nixu majore reſurgunt;
Exiliuntque imis altius acta vadis.
Utque novas vires fax inclinata reſumit,
Clarior ex humili ſorte ſuperna petis.
Porrige victuras Romana in ſecula leges,
Solaque fatales non vereare colos.
Quamvis ſedecies denis & mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus erat;
Quæ reſtant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum ſtabunt terræ, dum polus aſtra feret.
Illud te reparat quod cetera regna reſolvit:
Ordo renaſcendi eſt creſcere poſſe malis.
Ergo age ſacrilegæ tandem cadat hoſtia gentis,
Submittant trepidi perfida colla Getæ.
Ditia pacatæ dent vectigalia terræ,
Impleat Auguſtos barbara præda ſinus.
Æternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,
Altricemque ſuam fertilis orbis alat.
Quin & fœcundas tibi conferat Africa meſſes,
Sole ſuo dives, ſed magis imbre tuo.
Interea Latiis conſurgant horrea ſulcis,
Pinguiaque Heſperio nectare prela fluant.
Ipſe triumphali redimitus arundine Tibris
Romuleis famulas uſibus aptet aquas,
Atque opulenta tibi placidis commercia ripis
Devehat hinc ruris, ſubvehat inde maris.
Rade precor gemino placatum Caſtore pontum,
Temperet æquoream dux Cytherea viam.
Si non diſplicui, regerem cum jura Quirini,
Si colui ſanctos, conſuluique patres,
(Nam quod nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum;
Non ſit præfecti gloria, ſed populi)
Sive datur patriis vitam componere terris;
Sive oculis umquam reſtituere meis;
Fortunatus agam, votoque beatior omni,
Semper digneris ſi meminiſſe mei.
His dictis iter arripimus, comitantur amici:
Non poſſum ſicca dicere luce, Vale.
Jamque aliis Romam redeuntibus hæret eunti
Rufius Albini gloria viva patris:
Qui Voluſi antiquo derivat ſtemmate nomen,
Et reges Rutulos teſte Marone refert.
Hujus facundæ commiſſa Palatia linguæ,
Primævus meruit principis ore loqui.
Rexerat ante puer populos pro conſule Pœnos,
Æqualis Tyriis terror amorque fuit.
Sedula promiſit ſummos imitatio faſces:
Si fas eſt meritis fidere, conſul erit.
Invitum triſtis tandem remeare coegi:
Corpore diviſo mens tamen una fuit.
Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora ſecat.
Lævus inacceſſis fluvius vitatur arenis,
Hoſpitis Æneæ gloria ſola manet.
Et jam nocturnis ſpatium laxaverat horis
Phœbus chelarum pallidiore polo:
Cunctamur tentare ſolum, portuque ſedemus,
Nec piget oppoſitis otia ferre moris,
Occidua infido dum ſævit gurgite Plias,
Dumque procelloſi temporis ira cadit.
Reſpectare juvat vicinam ſæpius urbem,
Et montes viſu deficiente ſequi,

Quaqu

Quaque duces oculi grata regione fruuntur,
  Dum ſe, quod cupiunt, cernere poſſe putant.
Nec locus ille mihi cognoſcitur indice fumo,
  Qui dominas arces & caput orbis habet:
Quamquam ſigna levis fumi commendat Homerus,
  Dilecto quotiens ſurgit in aſtra ſolo.
Sed Cæli plaga candidior, tractuſque ſerenus
  Signat ſeptenis culmina clara jugis.
Illic perpetui ſoles, atque ipſe videtur,
  Quem ſibi Roma facit, purior eſſe dies.
Sæpius attonitæ reſonant Circenſibus aures,
  Nuntiat accenſus plena theatra favor.
Pulſato notæ redduntur ab æthere voces,
  Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor.
Explorata fides pelagi terquinque diebus,
  Dum melior Lunæ ſideret aura novæ.
Tum diſceſſurus ſtudiis urbique remitto
  Palladium generis ſpemque decuſque mei,
Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
  Miſſus Romani diſcere jura fori.
Ille meæ ſecum dulciſſima vincula curæ
  Filius affectu, ſtirpe propinquus habet.
Cujus Aremoricas pater Exuperantius oras
  Nunc poſtliminium pacis amore docet,
Leges reſtituit, libertatemque reducit,
  Et ſervos famulis non ſinit eſſe ſuis.
Solvimus auroræ dubio quo tempore primum
  Agnoſci patitur redditus arva color.
Progredimur parvis per littora proxima cymbis,
  Quarum perfugio crebra pateret humus.
Æſtivos penetrant oneraria carbaſa fluctus,
  Tutior autumnus mobilitate fugæ.
Alſia prælegitur tellus, Pyrgique recedunt;
  Nunc villæ grandes, oppida parva prius.
Jam Cerretanos demonſtrat navita fines:
  Ævo depoſuit nomen Agylla vetus.
Stringimus exeſum & fluctu & tempore Caſtrum,
  Index ſemiruti porta vetuſta loci.
Præſidet exigui formatus imagine ſaxi
  Qui paſtorali nomina fronte gerit.
Multa licet priſcum nomen deleverit ætas,
  Hoc Inui caſtrum fama fuiſſe putat:
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala ſilvis,
  Sive ſinus patrios incola Faunus init,
Dum renovat largo mortalia ſemina fœtu,
  Fingitur in Venerem pronior eſſe Deus.
Ad Centumcellas forti deflexìmus auſtro.
  Tranquilla puppes in ſtatione ſedent.
Mollibus æquoreum concluditur amphitheatrum,
  Anguſtoſque aditus inſula facta tegit.
Attollit geminas turres, bifidoque meatu
  Faucibus arctatis pandit utrumque latus.
Nec poſuiſſe ſatis laxo navalia portu:
  Ne vaga vel tutas ventilet aura rates,
Interior medias ſinus invitatus in ædes
  Inſtabilem fixis aera neſcit aquis.
Qualis in Euboicis captiva natatibus unda
  Suſtinet alterno brachia lenta ſono.
Noſſe juvat Tauri dictas de nomine thermas.
  Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic guſtu latices vitiantur amaro,
  Lymphaque fumifico ſulphure tincta calet.
Purus odor, molliſque ſapor dubitare lavantem
  Cogit, qua melius parte petantur aquæ.
Crede ſi dignum famæ, flagrantia taurus
  Inveſtigato fonte lavacra dedit:
Ut ſolet excuſſis pugnam præludere glebis,
  Stipite cum rigido cornua prona terit.
Sive Deus faciem mentitus & ora juvenci;
  Noluit ardentis dona latere ſoli:
Qualis Agenorei rapturus gaudia furti
  Per freta virgineum ſollicitavit onus.
Ardua non ſolos deceant miracula Grajos:
  Auctorem pecudem fons Heliconis habet.
Elicitas ſimili credamus origine nymphas:
  Muſarum latices ungula fodit equi.
Hæc quoque Pieriis ſpiracula comparat antris
  Carmine Meſſallæ nobilitatus ager:
Intrantemque capit, diſcedentemque moratur
  Poſtibus affixum dulce poema ſacris.
Hic eſt, qui primo ſeriem de conſule ducit,
  Uſque ad Publicolas ſi redeamus avos.
Hic & præfecti nutu prætoria rexit:
  Sed menti & linguæ gloria major ineſt.
Hic docuit qualem poſcat facundia ſedem,
  Ut bonus eſſe velit, quiſque diſertus erit.
Roſcida puniceo fulſere crepuſcula Cælo,
  Pandimus obliquo lintea flexa ſinu.
Pauliſper littus fugimus Munione vadoſum,
  Suſpecto trepidant oſtia parva ſolo.
Inde Graviſcarum faſtigia rara videmus,
  Quas premit æſtivæ ſæpe paludis odor.
Sed nemoroſa viret denſis vicinia lucis,
  Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas nullo cuſtode ruinas,
  Et deſolatæ mœnia fœda Coſæ.
Ridiculam cladis pudet inter ſeria cauſſam
  Promere, ſed riſum diſſimulare piget.
Dicuntur cives quondam migrare coacti
  Muribus infeſtos deſeruiſſe lares.
Credere maluerim Pygmeæ damna cohortis,
  Et conjuratas in ſua bella grues.
Haud procul hinc petitur ſignatus ab Hercule portus.
  Vergentem ſequitur mollior aura diem.
Inter caſtrorum veſtigia ſermo retexit
  Sardoam Lepido præcipitante fugam.
Littore namque Coſæ cognatos depulit hoſtes,
  Virtutem Catuli Roma ſecuta ducis.
Ille tamen Lepidus pejor, civilibus armis
  Qui geſſit ſociis impia bella tribus:
Qui libertatem Mutinenſi Marte receptam
  Obruit auxiliis orbe pavente novis.
Inſidias paci moliri tertius auſus
  Triſtibus excepit congrua fata reis.
Quartus Cæſareo dum vult irrepere regno,
  Inceſti pœnam ſolvit adulterii.
Nunc quoque, ſed melius, de noſtris fama queretur,
  Judex poſteritas ſemina dira notet.
Nominibus certos credam decurrere mores,
  Moribus an potius nomina certa dari?
Quidquid id eſt, mirus Latiis annalibus ordo,
  Quod Lepidum toties recidit enſe malum.
Necdum deceſſis pelago permittimur umbris,
  Natus vicino vortice ventus adeſt.
Tenditur in medias mons Argentarius undas,
  Ancipitique jugo cærula curva premit:
Tranſverſos colles bis ternis millibus artat,
  Circuitu ponti terduodena patet.
Qualis per geminos fluctus Ephyreius Iſthmos
  Ionias bimari littore findit aquas.
Vix circumvehimur ſparſæ diſpendia rupis;
  Nec ſinuoſa gravi cura labore caret.

Mutantur

Mutantur totiens vario ſpiramina fluxu,
  Quæ non profluerant vela, repente nocent.
Eminus Igilii ſilvoſa cacumina miror,
  Quam fraudare nefas laudis honore ſuæ.
Hæc proprios nuper tutata eſt inſula ſaltus,
  Sive loci ingenio, ſeu domini genio:
Gurgite cum modico victricibus obſtitit armis,
  Tamquam longinquo diſſociata mari.
Hæc multos lacera ſuſcepit ab urbe fugatos;
  Hic feſſis poſito certa timore ſalus.
Plurima terreno populaverat æquora bello,
  Contra naturam claſſe timendus eques.
Unum, mira fides, vario diſcrimine portum
  Tam prope Romanis, tam procul eſſe Getis.
Tangimus Umbronem, non eſt ignobile flumen,
  Quod tuto trepidas excipit ore rates.
Tam facilis pronis ſemper patet alveus undis,
  In pontum quotiens ſæva procella ruit.
Hic ego tranquillæ volui ſuccedere ripæ,
  Sed nautas avidos longius ire ſequor.
Sic feſtinantem ventuſque dieſque reliquit;
  Nec proferre pedem, nec revocare licet.
Littorea noctis requiem metamur arena,
  Dat veſpertinos myrtea ſilva focos.
Parvula ſubjectis facimus tentoria remis,
  Tranſverſus ſubito culmine contus erat.
Lux aderat, tonſis progreſſi ſtare videmur;
  Sed curſum proræ terra relicta probat.
Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis,
  Qua nihil uberius Norica gleba tulit.
Non Biturix largo potior ſtrictura camino,
  Nec quæ Sardonio ceſpite maſſa fluit.
Plus confert populis ferri fœcunda creatrix,
  Quam Tarteſſiaci glarea fulva Tagi:
Materies vitiis aurum letale parandis:
  Auri cæcus amor ducit in omne nefas.
Aurea legitimas expugnant munera tædas,
  Virgineoſque ſinus aureus imber emit.
Auro victa fides munitas decipit urbes,
  Auri flagitiis ambitus ipſe furit.
At contra ferro ſqualentia rura coluntur,
  Ferro vivendi prima reperta via eſt.
Secula ſemideum ferrati neſcia Martis,
  Ferro crudeles ſuſtinuere feras.
Humanis manibus non ſufficit uſus inermis,
  Si non ſint aliæ ferrea tela manus.
His mecum pigri ſolabar tædia venti,
  Dum reſonat varii vile celeuſma modis.
Laſſatum cohibet vicina Faleria curſum,
  Quamquam vix medium Phœbus haberet iter.
Et tum forte hilares per compita ruſtica fagi
  Mulcebant ſacris pectora feſſa jocis.
Illo quippe die tandem renovatus Oſyris
  Excitat in fruges germina læta novas.
Egreſſi, villam petimus, lutoque vagamur:
  Stagna placent ſepto delicioſa vado.
Ludere laſcivos inter vivaria piſces
  Gurgitis incluſi laxior unda ſinit.
Sed male penſavit requiem ſtationis amœnæ
  Hoſpite conductor durior Antiphate.
Namque loci querulus curam Judæus agebat,
  Humanis animal diſſociale cibis.
Vexatos frutices, pulſatas imputat algas,
  Damnaque libatæ grandia clamat aquæ.
Reddimus obſcœnæ convicia debita genti,
  Quæ genitale caput propudioſa metit.
Radix ſtultitiæ, cui frigida ſabbata cordi,
  Sed cor frigidius religione ſua eſt.
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
  Tamquam laſſati mollis imago Dei.
Cetera mendacis deliramenta cataſtæ
  Nec pueros omnes credere poſſe reor.
Atque utinam numquam Judæa ſubacta fuiſſet
  Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
  Victoreſque ſuos natio victa premit.
Adverſus ſurgit Boreas, ſed nos quoque remis
  Surgere certamus, cum tegit aſtra dies.
Proxima ſecurum reſerat Populonia littus,
  Qua naturalem ducit in arva ſinum.
Non illic poſitas extollit in æthera moles
  Lumine nocturno conſpicienda Pharos:
Sed ſpeculum validæ rupis ſortita vetuſtas,
  Qua fluctus domitos arduus urget apex,
Caſtellum geminos hominum fundavit in uſus,
  Præſidium terris, indiciumque fretis.
Agnoſci nequeunt ævi monumenta prioris,
  Grandia conſumpſit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis veſtigia muris,
  Ruderibus latis tecta ſepulta jacent.
Non indignemur mortalia corpora ſolvi,
  Cernimus exemplis oppida poſſe mori.
Lætior hic noſtras crebeſcit fama per aures,
  Conſilium Romam pene redire fuit.
Hic præfecturam ſacræ cognoſcimus urbis
  Delatam meritis, dulcis amice, tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
  Sed quoſdam refugit regula dura pedes.
Cognomen verſu Veneri chariſſime Rufi;
  Illo te dudum pagina noſtra canit.
Feſta dies, pridemque meos dignata penates,
  Poſte coronato vota ſecunda colat;
Exornent virides communia gaudia rami:
  Provecta eſt animæ portio magna meæ.
Sic mihi, ſic potius placeat geminata poteſtas,
  Per quem malueram, rurſus honore fruar.
Currere curamus velis Aquilone reverſo,
  Cum primum roſeo fulſit Eous equo.
Incipit obſcuros oſtendere Corſica montes,
  Nubiferumque caput concolor umbra levat.
Sic dubitanda ſolet gracili vaneſcere cornu,
  Defeſſiſque oculis Luna reperta latet.
Hæc ponti brevitas auxit mendacia famæ,
  Armentale ferunt quippe nataſſe pecus,
Tempore Cyrneas quo primum venit in oras
  Forte ſecuta vagum femina Corſa bovem.
Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit:
  Squallet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe monachos Grajo cognomine dicunt,
  Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur.
  Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?
Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri,
  Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas,
  Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument:
Sic nimiæ bilis morbum aſſignavit Homerus
  Bellerophontæis ſollicitudinibus.
Nam juveni offenſo ſævi poſt tela doloris
  Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.
In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum
  Ingreſſus dubii tramitis alta lego.
Deſpectat proræ cuſtos, clavumque ſequentem

Dirigit

Dirigit, & puppim voce monente regit.
Incertus gemina diſcriminat arbore fauces,
Defixaſque offert limes uterque ſudes.
Illis proceras mos eſt adnectere lauros,
Conſpicuas ramis & fruticante coma.
Ut præbente algam denſi ſymplegade limi
Servet inoffenſas ſemita clara notas.
Illic me rapidus conſiſtere Corus adegit,
Qualis ſilvarum frangere luſtra ſolet.
Vix tuti domibus ſævos toleravimus imbres.
Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo ſubjunxit honori,
Per quem jura meæ continuata togæ,
Non expectatos penſavit laudibus annos
Vitæ flore puer, ſed gravitate ſenex.
Mutua germanus junxit reverentia mores,
Et favor alternis crevit amicitiis.
Prætulit ille meas, cum vincere poſſet, habenas:
Prædeceſſoris major amore fuit.
Subjectas villæ vacat aſpectare ſalinas:
Namque hoc cenſetur nomine ſalſa palus,
Qua mare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidoſque lacus parvula foſſa rigat.
Aſt ubi flagrantes admovit Sirius ignes,
Cum pallent herbæ, cum ſitit omnis ager;
Tum cataractarum clauſtris excluditur æquor,
Ut fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum,
Et gravis æſtivo cruſta calore coit:
Haud aliter quam cum glacie riget horridus Iſter,
Grandiaque adſtricto flumine plauſtra vehit.
Rimetur ſolitus naturæ expendere cauſas,
Inque pari diſpar fomite quærat opus.
Juncta fluenta gelu conſpecto Sole liqueſcunt,
Et rurſus liquidæ Sole gelantur aquæ.
O quam ſæpe malis generatur origo bonorum!
Tempeſtas dulcem fecit amara moram.
Victorinus enim noſtræ pars maxima mentis
Congreſſu explevit mutua vota ſuo.
Errantem Tuſcis conſidere compulit agris,
Et colere externos capta Toloſa lares.
Nec tantum duris nituit ſapientia rebus,
Pectore non alio proſperiora tulit.
Conſcius Oceanus virtutum, conſcia Thule,
Et quicumque ferox arva Britannus arat.
Qua præfectorum vicibus frenata poteſtas,
Perpetuum magni fœnus amoris habet.
Extremum pars illa quidem diſceſſit in orbem,
Sed tamquam medio rector in orbe fuit.
Plus palmæ eſt, illos inter voluiſſe placere,
Inter quos minor eſt diſplicuiſſe pudor.
Illuſtris nuper ſacræ comes additus aulæ,
Contempſit ſummos ruris amore gradus.
Hunc ego complexus ventorum adverſa fefelli,
Dum videor patriæ jam mihi parte frui.
Lutea protulerat ſudos aurora jugales,
Antennas tendi littoris unda jubet.
Inconcuſſa vehit tranquillus apluſtria flatus,
Mollia ſecuro vela rudente tremunt.
Aſſurgit ponti medio circumflua Gorgon
Inter Piſanum Cyrcaicumque latus:
Adverſus ſcopulus, damni monumenta recentis;
Perditus hic vivo funere civis erat.
Noſter enim nuper juvenis majoribus amplis,
Nec cenſu inferior, conjugiove minor,
Impulſus furiis homines divoſque reliquit,
Et turpem latebram credulus exul agit.
Infelix putat illuvie cæleſtia paſci,
Seque premit læſis ſævior ipſe Deis.
Num rogo deterior Circæis ſecta venenis:
Tunc mutabantur corpora, nunc animi.
Inde Trituritam petimus, ſic villa vocatur,
Quæ latet expulſis inſula pene fretis.
Namque manu junctis procedit in æquora ſaxis,
Quique domum poſuit, condidit ante ſolum.
Contiguum ſtupui portum, quem fama frequentat
Piſarum emporio, divitiiſque maris.
Mira loci facies, pelago pulſatur aperto,
Inque omnes ventos littora nuda patent:
Non ullus tegitur per brachia tuta receſſus,
Æolias poſſit qui prohibere minas.
Sed procera ſuo prætexitur alga profundo,
Molliter offenſæ non nocitura rati.
Et tamen inſanas cedendo interrigat undas,
Nec ſinit ex alto grande volumen agi.
Tempora navigii clarus reparaverat Eurus,
Sed mihi Protadium viſere cura fuit.
Quem qui forte velit certis cognoſcere ſignis,
Virtutis ſpeciem corde vidente petat.
Nec magis efficiet ſimilem pictura colorem,
Quam quæ de meritis miſta figura venit.
Aſpicienda procul certo prudentia vultu,
Formaque juſtitiæ ſuſcipienda micat.
Sit fortaſſe minus, ſi laudet Gallia civem;
Teſtis Roma ſui præſulis eſſe poteſt.
Subſtituit patriis mediocres Umbria ſedes,
Virtus fortunam fecit utramque parem.
Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,
Pro parvis animo magna fuere ſuo.
Exiguus regum rectores ceſpes habebat,
Et Cincinnatos jugera pauca dabant.
Hæc etiam nobis non inferiora feruntur
Vomere Serrani, Fabriciique foco.
Puppibus ergo meis fida in ſtatione locatis,
Ipſe vehor Piſas qua ſolet ire pedes:
Præbet equos, offert etiam carpenta tribunus
Ex commilitio carus & ipſe mihi,
Officiis regerem cum regia tecta magiſter,
Armigeraſque Pii principis excubias.
Alpheæ veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus & Auſur aquis.
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacta ſolo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum ſolus ſcilicet Arnus adit.
Ante diu quam Trojugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus inſereret,
Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas,
Nominis indicio teſtificata genus.
Hic oblata mihi ſancti genitoris imago,
Piſani proprio quam poſuere foro.
Laudibus amiſſi cogor lacrimare parentis,
Fluxerunt madidis gaudia mæſta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis præfuit arvis,
Faſcibus & ſenis credita jura dedit.
Narrabat, memini, multos emenſus honores,
Tuſcorum regimen plus placuiſſe ſibi.
Nam neque opum curam, quamvis ſit magna, ſacrarum,
Nec jus quæſturæ grata fuiſſe magis.
Ipſam, ſi fas eſt, poſtponere præfecturam
Pronior in Tuſcos non dubitabat amor.
Nec fallebatur, tam carus & ipſe probatis,

Æternas grates mutua cura canit:
Conſtantemque ſibi pariter mitemque fuiſſe
Inſinuant natis qui meminere ſenes.
Ipſum me gradibus non degeneraſſe parentis
Gaudent, & duplici ſedulitate fovent.
Hæc eadem, cum Flaminiæ regionibus irem,
Splendoris patrii ſæpe reperta fides.
Famam Lachanii veneratur numinis inſtar
Inter turrigenas Lydia tota ſuos.
Grata bonis priſcos retinet provincia mores,
Dignaque rectores ſemper habere bonos.
Qualis nunc Decius Lucilli nobile pignus
Per Coryti populos arva beata regit.
Nec mirum, magni ſi redditus indole nati
Felix tam ſimili poſteritate pater.
Hujus vulnificis ſatyra ludente camœnis
Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Inſtituit veterem cenſoria lima pudorem,
Dumque malos carpit, præcipit eſſe bonos.
Non olim ſacri juſtiſſimus arbiter auri
Circumſiſtentes reppulit Harpyias,
Harpyias quarum decerpitur unguibus orbis,
Quæ pede glutineo quod tetigere trahunt,
Quæ luſcum faciunt Argum, quæ Lyncea cæcum;
Inter cuſtodes publica furta volant.
Sed non Lucillum Briareia præda fefellit,
Totque ſimul manibus reſtitit una manus.
Jamque Trituritam Piſæa ex urbe reverſus,
Aptabam nitido pendula vela noto,
Cum ſubitis tectus nimbis inſorduit æther,
Sparſerunt radios nubila rupta vagos.
Subſtitimus. quis enim ſub tempeſtate maligna
Inſanituris audeat ire fretis?
Otia vicinis terimus navalia ſilvis,
Sectandiſque juvat membra movere feris.
Inſtrumenta parat venandi villicus hoſpes,
Atque olidum doctas noſſe cubile canes.
Funditur inſidiis & rara fraude plagarum,
Terribiliſque cadit fulmine dentis aper:
Quem Meleagræi vereantur adire lacerti,
Qui laxat nodos Amphitryoniadæ.
Tum reſponſuros perſultat buccina colles,
Fitque reportando carmine præda levis.
Interea madidis non deſinit Africus alis
Continuos picea nube negare dies.
Jam matutinis Hyades occaſibus udæ,
Jam latet hyberno conditus imbre Lepus,
Exiguum radiis, ſed magnis fluctibus aſtrum,
Quo madidam nullus navita linquit humum.
Namque procelloſo ſubjungitur Orioni,
Æſtiferumque canem roſcida præda fugit.
Vidimus excitis pontum flaveſcere arenis,
Atque eructato vortice rura tegi.
Qualiter oceanus mediis infunditur agris,
Deſtituenda vago cum premit arva ſalo,
Sive alio refluus noſtro colliditur orbe,
Sive coruſca ſuis ſidera paſcit aquis.

LIBER SECUNDUS.

AD VENERIUM RUFIUM.

NOndum longus erat, nec multa volumina paſſus,
Jure ſuo poterat longior eſſe liber:
Tædia continuo timuit ceſſura labori,
Sumere ne lector juge paveret opus.
Sæpe cibis affert ſerus faſtidia finis;
Gratior eſt, modicis hauſtibus unda, ſiti.
Intervalla viæ feſſis præſtare videtur
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.
Partimur trepidum per opuſcula bina tumorem,
Quam ſatius fuerat ſuſtinuiſſe ſemel.
Tandem nimboſa maris obſidione ſolutis
Piſano portu contigit alta ſequi.
Adridet placidum radiis criſpantibus æquor
Et ſulcata levi murmurat unda ſono.
Incipiunt Apennini devexa videri,
Qua fremit aerio monte repulſa Thetis.
Italiam rerum dominam qui cingere viſu,
Et totam pariter cernere mente velit,
Inveniet quernæ ſimilem procedere frondi
Artatam laterum conveniente ſinu.
Millia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniæ.
In latum variis damnoſa anfractibus intrat
Tyrreni rabies, Hadriacique ſali:
Qua tamen eſt juncti maris anguſtiſſima tellus,
Triginta & centum millia ſola patet.
Diverſas medius mons obliquatur in undas,
Qua fert atque refert Phœbus uterque diem.
Urget Dalmaticos Eoo vertice fluctus,
Cærulaque occiduis frangit Etruſca jugis.
Si factum certa mundum ratione fatemur,
Conſiliumque Dei machina tanta fuit:
Excubiis Latiis prætexuit Apenninum,
Clauſtraque montanis vix adeunda viis.
Invidiam timuit natura, parumque putavit
Arctois alpes oppoſuiſſe minis.
Sicut vallavit multis vitalia membris,
Nec ſemel incluſit quæ pretioſa tulit.
Jam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitoſque habuit Roma futura Deos.
Quo magis eſt facinus diri Stiliconis acerbum,
Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur eſſe ſuperſtes,
Crudelis ſummis miſcuit ima furor:
Dumque timet quidquid ſe fecerat ipſe timeri,
Immiſit Latiæ barbara tela neci:
Viſceribus nudis armatum condidit hoſtem
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius quam caperetur erat.
Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam conſumpti funere torris,
Niſæum crinem flere putantur aves:
At Stilico æterni fatalia pignora regni
Et plenas voluit præcipitare colos.
Omnia tartarei ceſſent tormenta Neronis,
Conſumat ſtygias triſtior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille:
Hic mundi matrem perculit, ille ſuam.
Sed diverticulo fuimus fortaſſe loquaces,
Carmine propoſito jam repetamus iter.
Advehimur celeri candentia mœnia lapſu:
Nominis eſt auctor Sole coruſca ſoror.
Indigenis ſuperat ridentia lilia ſaxis,
Et lævi radiat picta nitore ſilex.
Dives marmoribus tellus, quæ luce coloris
Provocat intactas luxurioſa nives.

Reliqua deſiderantur.

MAXIMIANI ELEGIARUM LIBER,

Qui falſo ſub nomine Cn. Cornelii Galli editus eſt.

ELEGIA I.

AEmula cur ceſſas finem properare Senectus?
Cur & in hoc feſſo corpore tarda ſedes?
Solve precor miſeram tali de carcere vitam.
Mors eſt jam requies, vivere pœna mihi.
Non ſum qui fueram: periit pars maxima noſtri:
Hoc quoque, quod ſupereſt, languor & horror habet.
Lux gravis in luctu, rebus mæſtiſſima lætis,
Quodque omni eſt pejus funere, velle mori.
Dum juvenile decus, dum mens, ſenſuſque manebat,
Orator toto clarus in orbe fui.
Sæpe poetarum mendacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dedit.
Sæpe perorata percepi lite coronam,
Et data ſunt linguæ præmia digna meæ.
Quæ cum defectis jam ſunt immortua membris:
Heu, ſenibus vitæ portio quanta manet!
Nec minor his aderat ſublimis gratia formæ:
Quæ, vel ſi deſint cætera multa, placet.
Quinetiam virtus fulvo pretioſior auro,
Per quam præclarum plus micat ingenium.
Si libuit celeres arcu tentare ſagittas,
Occubuit telis præda petita meis.
Si placuit canibus denſos circumdare ſaltus,
Proſtravi multas non ſine laude feras.
Dulce fuit madidam ſi fors verſare palæſtram,
Implicui validis lubrica membra toris.
Nunc agili curſu cunctos anteire ſolebam:
Nunc tragicos cantus exſuperare meo.
Augebat meritum dulcis miſtura bonorum:
Ut ſemper varium plus micat artis opus.
Nam quæcumque ſolent per ſe perpenſa placere,
Alterno potius vincta decore placent.
Has inter virtutis opes, tolerantia rerum
Spernebat cunctas inſuperata minas.
Vertice nudato ventos pluviaſque ferebam:
Non mihi ſolſtitium, nec grave frigus erat.
Innabam gelidas Tiberini fluminis undas:
Nec metui dubio credere membra freto.
Quamvis exiguo poteram requieſcere ſomno,
Et quamvis modico membra fovere cibo:
At ſi me ſubito vinoſus repperit hoſpes,
Aut fecit lætus ſumere vina dies,
Ceſſit & ipſe pater Bacchus, ſtupuitque bibentem,
Et qui cuncta ſolet vincere, victus abit.
Haud facile eſt animum tantis inflectere rebus,
Ut res oppoſitas mens ferat una duas.
Hoc quoque virtutum quondam certamine magnum
Socratem palmam promeruiſſe ferunt.
Hinc etiam rigidum memorant valuiſſe Catonem:
Non res in vitium, ſed male facta cadunt.
Intrepidus quæcumque forent, ad utrumque ferebar:
Cedebant animo triſtia cuncta meo.
Pauperiem modico contentus ſemper amavi,
Et rerum dominus nil cupiendo fui.
Tu me ſola tibi ſubdis miſeranda Senectus,
Cui cedit quidquid vincere cuncta poteſt.
In te corruimus: tua ſunt quæcumque fatiſcunt:
Ultima quæque tuo conficis ipſa malo.
Ergo his ornatum meritis Etruria noſtris
Optabat natis me ſociare ſuis:
Sed mihi dulce magis reſoluto vivere collo,
Nullaque conjugii vincula grata pati.
Ibam per mediam vernali corpore Romam,
Spectandus cunctis undique virginibus.
Quæque peti poterat, fuerat vel forte petita,
Erubuit vultus viſa puella meos.
Et nunc ſubridens latebras fugitiva petebat,
Non tamen effugiens, tota latere volens:
Sed magis ex aliqua cupiebat parte videri:
Lætior hoc multo, quod male tecta foret.
Sic cunctis formoſus ego, gratuſque videbar
Omnibus, & ſponſus ſic genialis eram.
Sed tantum ſponſus: nam me natura pudicum
Fecerat, & caſto pectore durus eram.
Nam dum præcipuæ cupio me jungere formæ,
Permanſi viduo frigidus uſque toro.
Omnis fœda mihi, atque omnis mihi ruſtica viſa eſt,
Nullaque conjugio digna puella meo.
Horrebam tenues, horrebam corpore pingues:
Nec mihi grata brevis, nec mihi longa fuit.
Cum media tantum dilexi ludere forma,
Major enim mediis gratia rebus ineſt.
Corporis has noſtri mollis laſcivia partes
Incolit: has ſedes mater amoris habet.
Quærebam gracilem, ſed non quæ macra fuiſſet:
Carnis ad officium carnea membra placent.
Sic quod in amplexu delectat ſtringere corpus,
Ne lædant preſſum quælibet oſſa latus.
Candida contempſi, niſi quæ ſuffuſa rubore
Vernarent propriis ora ſerena roſis.
Hunc Venus ante alios ſibi vindicat ipſa colorem,
Diligit & florem Cypris ubique ſuum.
Aurea cæſaries, demiſſaque, lactea cervix,
Vultibus ingenuis viſa ſedere magis.
Nigra ſupercilia, & frons libera, lumina nigra,
Urebant animum ſæpe notata meum.
Flammea dilexi, modicumque tumentia labra,
Quæ mihi guſtanti baſia plena darent.
In tereti collo viſum pretioſius aurum,
Gemmaque judicio plus radiare meo.
Singula turpe ſeni quondam quæſita referre:
Et quod tunc decuit, jam modo crimen habet.
Diverſos diverſa juvant: non omnibus annis
Omnia conveniunt: res prius apta, nocet.
Exultat levitate puer, gravitate ſenectus:
Inter utrumque manens ſtat juvenile decus.
Hunc tacitum, triſtemque decet. fit clarior ille
Lætitia, & linguæ garrulitate ſuæ.
Cuncta trahit ſecum, vertitque volubile tempus,
Nec patitur certa currere quemque via.

Nunc quia longa mihi gravis eſt, & inutilis ætas,
  Vivere cum nequeam, ſit mihi poſſe mori.
O quam dura premit miſeros conditio vitæ:
  Nec mors humano ſubjacet arbitrio!
Dulce mori miſeris, ſed mors optata recedit:
  At cum triſtis erit, præcipitata venit.
Me vero, heu, tantis defunctum partibus olim,
  Tartareas vivum conſtat inire vias.
Jam minor auditus, guſtus minor, ipſa minora
  Lumina, vix tactu noſcere certa queo.
Nullus dulcis odor, nulla eſt jam grata voluptas.
  Senſibus expertem quis ſupereſſe putet?
Et Lethæa meam ſubeunt oblivia mentem,
  Nec confuſa ſui jam meminiſſe poteſt.
Ad nullum conſurgit opus, cum corpore languet:
  Atque intenta ſuis obſtupet ipſa malis.
Carmina nulla cano: cantandi ſumma voluptas,
  Heu, fugit, & vocis gratia vera perit.
Non fora ſollicito, nec blanda poemata fingo,
  Litibus, heu, rapidis commoda dura ſequor.
Ipſaque me ſpecies quondam dilecta reliquit:
  Et videor formæ mortuus eſſe meæ.
Pro niveo rutiloque prius nunc inficit ora
  Pallor, & eſanguis funereuſque color.
Aret ſicca cutis, rigidi ſtant undique nervi,
  Et lacerant uncæ tabida membra manus.
Quondam ridentes oculi: nunc fonte perenni
  Deplangunt pœnas nocte dieque ſuas.
Et quos grata prius ciliorum ſerta tegebant,
  Deſuper incumbens hiſpida ſilva premit.
Ac velut incluſi cæco conduntur in antro:
  Neſcio quid torvum, vel furiale vident.
Jam pavor eſt vidiſſe ſenem nec credere poſſis
  Hunc hominem, humana qui ratione caret.
Si libros repeto, duplex ſe littera findit,
  Largior occurrit pagina nota mihi.
Claram per nebulas videor mihi cernere lucem:
  Nubila ſunt oculis ipſa ſerena meis.
Eripitur ſine nocte dies. caligine cæca
  Septum Tartareo quis neget eſſe loco?
Talia quis demens homini perſuaſerit auctor,
  Ut cupiat voto turpior eſſe ſuo?
Jam ſubeunt morbi, ſubeunt diſcrimina mille:
  Jam dulces epulæ, deliciæque nocent.
Cogitur a gratis animum ſuſpendere rebus,
  Atque ut vivamus, vivere deſinimus.
Et jam me dudum, cui nulla adverſa nocebant,
  Ipſa, quibus regimur, nunc alimenta gravant.
Eſſe libet ſaturum, ſaturum mox eſſe pigebit,
  Præſtat ut abſtineam, aſt abſtinuiſſe nocet.
Quæ modo profuerat, contraria redditur eſca:
  Faſtidita jacet, quæ modo dulcis erat.
Non Veneris ſunt grata mihi, nec munera Bacchi,
  Nec quidquid vitæ fallere damna ſolet.
Sola jacens natura manet, quæ ſponte per horas
  Solvitur, & vitio carpitur ipſa ſuo.
Nec toties experta mihi medicamina proſunt,
  Non ægris quidquid ferre ſolebat opem.
Sed cum materia pereunt quæcumque parantur,
  Fit magis & damnis triſtior urna meis.
Non ſecus inſtantem cupiens fulcire ruinam,
  Diverſis contra nititur objicibus,
Donec longa dies, omni compage ſoluta,
  Ipſum cum rebus ſubruat auxilium.
Quid quod nulla levant animum ſpectacula rerum,
  Nec mala tot vitæ diſſimulare licet?
Turpe ſeni vultus nitidi, veſteſque decoræ,
  Atque etiam eſt ipſum vivere turpe ſenem.
Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus.
  O miſeri, quorum gaudia crimen habent!
Quid mihi divitiæ? quarum ſi demſeris uſum,
  Quamvis largus opum, ſemper egenus ero.
Imo etiam pœna eſt partis ſuccumbere rebus,
  Quas cum poſſideas, eſt violare nefas.
Non aliter ſitiens vicinas Tantalus undas
  Captat, & appoſitis abſtinet ora cibis.
Efficior cuſtos rerum magis ipſe mearum,
  Conſervans aliis, quæ periere mihi.
Sicut in auricomis pendentia plurimus hortis
  Pervigil obſervat non ſua poma draco.
Hinc me ſollicitum torquent ſuper omnia curæ:
  Hinc requies animo non datur ulla meo.
Quærere quæ nequeo, ſemper retinere laboro,
  Et retinens ſemper nil tenuiſſe puto.
Stat dubius, tremuluſque ſenex, ſemperque malorum
  Credulus, & ſtultus, quæ facit ipſe, timet.
Laudat præteritos, præſentes deſpicit annos:
  Hoc tantum rectum, quod ſapit ipſe, putat.
Se ſolum doctum, ſe judicat eſſe peritum,
  Et quod ſit ſapiens, deſipit inde magis.
Multa licet nobis referens, eademque revolvens
  Horret, & alloquium conſpuit ipſe ſuum.
Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo.
  O ſola fortes garrulitate ſenes!
Omnia nequidquam clamoſis vocibus implet.
  Nil ſatis eſt, horret, quæ placuere modo.
Arridet de ſe ridentibus, ac ſibi plaudens
  Incipit opprobrio lætior eſſe ſuo.
Hæ ſunt primitiæ mortis: his partibus ætas
  Defluit, & pigris greſſibus ima petit.
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis,
  Non ſpecies eadem, quæ fuit ante, manet.
Labitur ex humeris demiſſo corpore veſtis:
  Quæque brevis fuerat, jam modo longa mihi eſt.
Contrahimur, miroque modo decreſcimus ipſi:
  Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec Cælum ſpectare licet: ſed prona ſenectus
  Terram, a qua genita eſt, & reditura videt.
Fitque tripes, prorſus quadrupes, ut parvulus infans,
  Et per ſordentem flebile ſerpit humum.
Ortus cuncta ſuos repetunt, matremque requirunt:
  Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.
Hinc eſt quod baculo incumbens ruitura ſenectus,
  Aſſiduo pigram verbere pulſat humum.
Et numeroſa movens certo veſtigia paſſu,
  Talia rugato creditur ore loqui.
Suſcipe me genitrix, nati miſerere laborum,
  Membra velis gremio feſſa fovere tuo.
Horrent me pueri, nequeo velut ante videri.
  Horrendos partus cur ſinis eſſe tuos?
Nil mihi cum ſuperis, explevi munera vitæ,
  Redde, precor, patrio mortua membra ſolo.
Quid miſeros variis prodeſt ſuſpendere pœnis?
  Non eſt materni pectoris iſta pati.
His dictis, trunco titubantes ſuſtinet artus,
  Neglecti repetens ſtramina dura tori.
Quo poſtquam jacuit, miſero quid funera differt?
  Heu tantum attriti corporis oſſa vides.
Cumque magis jaceam ſemper, vivamque jacendo:
  Quis ſub vitali me putet eſſe loco?
Jam pœna eſt totum quod vivimus. urimur æſtu,
  Officiunt nebulæ, frigus & aura nocet.

Ros lædit, modicoque etiam corrumpimur imbre :
Veris & autumni lædit amœna dies .
Hinc miſerum ſcabies, hinc tuſſis anhela fatigat,
Continuos gemitus ægra ſenectus habet.
Hos ſupereſſe rear, quibus & ſpirabilis aer,
Et lux, qua regimur, redditur ipſa gravis?
Ipſa etiam cunctis requies gratiſſima ſomnus
Avolat, & ſera vix mihi nocte redit.
Vel ſi laſſatos umquam dignabitur artus,
Turbidus in quantis horret imaginibus?
Mollia fulcra tori duris ſunt cotibus æqua :
Parva licet, magnum pallia pondus habent.
Cogor per mediam turbatus ſurgere noctem,
Multaque, ne patiar deteriora, pati.
Vincimur infirmi defectu corporis : & qua
Noluero, infelix, hac ego parte trahor.
Omnia naturæ ſolvuntur viſcera noſtræ,
Et tam præclarum quod male mutat opus.
His veniens onerata malis inopina ſenectus,
Cedere ponderibus ſe docet ipſa ſuis.
Ergo quis has cupiat per longum ducere pœnas?
Paullatimque anima deficiente mori?
Morte mori melius, quam vitam ducere mortis,
Et ſenſus membris ſic ſepelire ſuis.
Non queror, heu, longi quod totum ſolvitis anni,
Improba naturæ dicere jura nefas.
Deficiunt validi longævo tempore tauri :
Et quondam pulcher, qui modo turpis, equus.
Fracta diu rabidi compeſcitur ira leonis :
Lentaque per ſenium Caſpia tigris erit.
Ipſa etiam veniens conſumet ſaxa vetuſtas :
Et nullum eſt, quod non tempore cedat, opus.
Sed mihi venturos melius prævertere caſus,
Atque infelices anticipare dies.
Pœna minor, certam ſubito perferre ruinam,
Quod timeas, gravius ſuſtinuiſſe diu.
At quos fert alios quis poſſit dicere caſus?
Hoc quoque difficile eſt commemoraſſe ſeni.
Jurgia, contemptus, violentaque damna ſequuntur:
Nec quiſquam ex tantis præbet amicus opem.
Ipſi me pueri, atque ipſæ ſine lite puellæ,
Turpe putant Dominum jam vocitare ſuum.
Irrident greſſus, irrident denique vultum,
Et tremulum, quondam quod timuere, caput.
Cumque nihil videam, tamen hoc ſpectare licebit,
Ut gravior miſero pœna ſit iſta mihi.
Felix qui meruit tranquillam ducere vitam,
Et lætos ſtabili claudere fine dies.
Dura ſatis miſeris memoratio priſca bonorum:
Et gravius ſummo culmine miſſa ruunt.

ELEGIA II.

EN dilecta mihi nimium formoſa Lycoris,
Cum qua mens eadem, res fuit una mihi.
Poſt multos quibus indiviſi viximus annos,
Reſpicit amplexus, heu, ſtupefacta meos.
Jamque alios juvenes, alioſque requirit amores:
Me vocat imbellem, decrepitumque ſenem.
Nec meminiſſe volet tranſactæ dulcia vitæ,
Nec quod me potius reddidit ipſa ſenem.
Imo etiam cauſas ingrata ac perfida fingit,
Ut ſpretus vitio judicer eſſe meo.
Hæc me præteriens cum dudum forte videret
Expuit, obductis veſtibus ora tegens.
Hunc ego dilexi? meque hic complexus amavit?
Huic ego ſæpe, nefas, oſcula blanda dedi?
Nauſeat, & priſcum vomitu ceu fundat amorem,
Imponit capiti plurima dira meo.
Heu, quid longa dies nunc affert? ut ſibi quiſquam
Quondam dilectum prodere turpe putet?
Nonne fuit melius tali me tempore fungi,
Quo nulli merito deſpiciendus eram:
Quam poſtquam periit quidquid fuit ante decoris,
Extinctum meritis vivere criminibus?
Jam nihil eſt totum quod viximus: omnia ſecum
Tempus præteriens, horaque ſumma trahit.
At mea jam nivei circumdant tempora cani,
Et jam cæruleus inficit ora color.
Præſtat adhuc, nimiumque ſibi ſpecioſa videtur,
Atque annos mecum deſpicit illa ſuos.
Et fateor, primæ retinet monumenta figuræ,
Atque inter cineres condita flamma manet.
Ut video, pulcris etiam vos parcitis anni,
Nec veteris formæ gratia tota perit.
Relliquiis veterum juvenes paſcuntur amorum,
Sed ſi quid nunc eſt, quod fuit ante, placet.
Ante oculos ſtatuunt primævi temporis actus,
Atque in præteritum luxuriantur opus.
Et quia nos totus membrorum deſerit uſus,
Nullos amplexus quos remoretur habet.
Sed miſeris ſolus ſupereſt poſt omnia luctus.
Quot bona tunc habui, tot modo damna fleo.
Ergo velut pecudum præſentia ſola manebunt?
Nil de tranſactis, quod memoretur, erit?
Cum fugiant & bruta novos animalia campos,
Et repetant celeres paſcua nota greges,
Sub qua decubuit requieſcens diligat umbram
Taurus, & amiſſum quærat ovile pecus,
Dulcius in ſolitis cantet philomela rubetis,
Sitque ſuum rapidis dulce cubile feris,
Tu tantum bene nota tibi atque experta relinquis
Hoſpitia, & potius non manifeſta petis?
Nonne placet melius certis confidere rebus?
Eventus varios res nova ſemper habet.
Sum grandævus ego, nec tu minus alba capillis:
Par ætas animos conciliare ſolet.
Si modo non poſſum, quondam potuiſſe memento:
Sit ſatis ut placeam, me placuiſſe prius.
Permanet invalidis reverentia priſca colonis:
Quod fuit in vetulo milite, miles amat.
Ruſticus expertum deflet ceſſiſſe juvencum:
Cum quo conſenuit miles honorat equum.
Nec me adeo primis ſpoliavit floribus ætas:
En facio verſus, & mea dicta cano.
Sit gravitas, ſitque ipſa tibi veneranda ſenectus:
Sit quod te noſſi vivere velle diu.
Quis ſuam in alterius condemnet crimine vitam?
Et quo prætendit claudere certet iter?
Dicere ſi fratrem, ſeu dedignaris amicum,
Dic patrem, affectum nomen utrumque tenet.
Vincat honor luxum, pietas ſuccedat amori:
Plus ratio, quamvis cæca, valere ſolet.
His lacrimis longos, quantum fas, flevimus annos:
Eſt grave, quod doleat, commemorare diu.

ELEGIA III.

NUnc operæ pretium eſt quædam memorare juventæ,
Atque ſenectutis pauca referre meæ:
Quo lector mentem rerum vertigine fractam
Erigat, & mæſtum noſcere curet opus.

Captus amore tuo demens, Aquilina, ferebar,
  Pallidus, & triſtis, captus amore tuo.
Nondum, quid ſit amor, vel quid Venus ignea, noram:
  Torquebar potius ruſticitate mea.
Nec minus illa mea percuſſa a cuſpide, flagrans
  Errabat, tota non capienda domo.
Carmina pulſa procul, nimium dilecta, jacebant:
  Solus amor cordi, curaque ſemper erat.
Nec reperire viam, qua cæcum paſceret ignem,
  Docta, nec alternis reddere verba notis.
Tantum in conſpectu ſtudio perſtabat inani,
  Anxia vel ſolo lumine corda fovens.
Pædagogus adit me: illam triſtiſſima mater
  Servabat, tanti pœna ſecunda mali.
Penſabantque oculos, nutuſque per omnia noſtros,
  Quique ſolet mentis ducere ſigna color.
Dum licuit, votum tacite compreſſimus ambo,
  Et varia dulces teximus arte dolos.
At poſtquam teneram rupit verecundia frontem,
  Nec valuit penitus flamma recepta tegi,
Mox captare dolos & tempora cœpimus ambo,
  Atque ſuperciliis luminibuſque loqui:
Fallere ſollicitos, ſuſpenſos ponere greſſus,
  Et tota nullo currere nocte ſono.
Nec longum, genitrix furtivum ſenſit amorem,
  Et medicare parans vulnera vulneribus,
Increpitat, cæditque: ignes in pectore creſcunt,
  Ut ſolet adjecto creſcere flamma rogo.
Concipiunt geminum flagrantia corda timorem,
  Et ſic permiſto ſævit amore dolor.
Tunc me viſceribus perterrita quærit anhelis,
  Emtum ſuppliciis quem putat eſſe ſuis.
Nec memorare pudet, turpeſque revolvere verſus,
  Imo etiam gaudens imputat illa mihi.
Pro te ſuſceptos juvat, inquit, ferre labores:
  Tu pretium tanti dulce cruoris eris.
Sit modo certa fides, atque inconcuſſa voluptas:
  Quæ nihil imminuit paſſio, nulla fuit.
His egomet ſtimulis angebar ſemper, & ardens
  Languebam: nec spes ulla ſalutis erat.
Prodere non auſus carpebar vulnere cæco:
  Sed ſtupor & macies vocis habebat opus.
Hic mihi, magnarum ſcrutator maxime rerum,
  Solus Bobeti fers miſeratus opem.
Nam cum me curis intentum ſæpe videres,
  Nec poſſes cauſam noſcere triſtitiæ:
Tandem perſpiciens tali me peſte teneri,
  Mitibus alloquiis pandere clauſa jubes.
Dic, ait, unde novo correptus carperis igne?
  Dic precor, & dicti ſume doloris opem.
Non intellecti nulla eſt curatio morbi,
  Ut magis incluſis ignibus ante fremunt.
Dum pudor eſt tam fœda loqui, vitiumque fateri,
  Agnovit taciti conſcia ſigna mali.
Mox ait, occultæ ſatis eſt res prodita cauſæ.
  Pone metum, veniam vis tibi tanta dabit.
Proſtratus pedibus verecunda ſilentia rupi,
  Cum lacrimis referens ordine cuncta ſuo.
Fare, ait, ut placidæ potiaris munere formæ
  Reſponde: pietas talia velle fugit.
Solvitur in riſum, exclamans, pro mira voluptas!
  Caſtus amor Veneris dicito quando fuit?
Parcere dilectæ juvenis deſiſte puellæ,
  Impius huic fueris, ſi pius eſſe voles.
Unguibus & morſu teneri paſcuntur amores:
  Vulnera non refugit, res magis apta plagæ.
Interea donis permulcet corda parentum,
  Et pretio faciles in mea vota trahit.
Auri cæcus amor nativum vincit amorem:
  Cœperunt gnatæ crimen amare ſuæ.
Dant vitiis furtiſque locum: dant jungere dextras;
  Et totum ludo concelebrare diem.
Permiſſum ſit vile nefas, ſit languidus ardor.
  Vicerunt morbum languida corda ſuum.
Illa nihil quæſita videns procedere, cauſam
  Odit, & illæſo corpore triſtis abit.
Projeci vanas ſanato pectore curas,
  Et ſubito didici quam miſer ante fui.
Salve ſancta, inquam, ſemperque intacta maneto
  Virginitas, per me plena pudoris eris.
Quæ poſtquam perlata viro ſunt omnia tuto,
  Meque videt fluctus exſuperaſſe meos:
Macte, inquit, juvenis proprii dominator amoris,
  En de contemtu ſume tropæa tuo.
Arma tibi Veneris, cedantque Cupidinis arcus:
  Cedat & armipotens ipſa Minerva tibi,
Si tibi peccandi ſtudium permiſſa poteſtas
  Abſtulit, atque ipſum talia velle fugit.
Ingrati, triſtes pariter diſceſſimus ambo:
  Diſſidii ratio vita pudica fuit.

ELEGIA IV.

Reſtat adhuc alios, turpeſque revolvere caſus,
  Atque aliquo molli paſcere corda joco.
Conveniunt etenim deliræ ignava ſenectæ,
  Aptaque ſunt operi carmina vana meo.
Sic vicibus variis, alternis volvimur annis,
  Et mutata magis tempora grata mihi.
Virgo fuit, ſpecies dederat cui candida nomen,
  Candida, diverſis ſat bene comta comis.
Huic ego per totum vidi ſplendentia corpus
  Cymbala multiplices edere pulſa ſonos.
Nunc niveis digitis, nunc pulſans pectine chordas,
  Arguto quidquid murmure dulce loqui.
Hanc ego ſaltantem ſubito correptus amavi,
  Et cœpi tacitus vulnera grata pati.
Sic me diverſis tractum de partibus, una
  Carpebat variis pulcra puella modis.
Singula viſa ſemel, ſemper memorare libebat,
  Hærebatque animo nocte dieque meo.
Sæpe velut viſæ lætabar imagine formæ,
  Et procul abſentis voce manuque frui.
Sæpe velut præſens fuerit, mecum ipſe loquebar:
  Cantabam dulces, quos ſolet illa, modos.
O quoties demens, quoties ſine mente putabar,
  Nec puto fallebar, non bene ſanus eram.
Atque aliquis, cui cæca foret bene nota voluptas,
  Cantat cantantem, Maximianus amat.
Certe difficile eſt abſcondere pectoris æſtus,
  Panditur & clauſo ſæpius ore furor.
Nam ſubito inficiens vultum pallorque, ruborque
  Interdum certæ vocis habebat opus.
Nec minus ipſa meas prodebant ſomnia curas:
  Somnia ſecreti non bene fida mei.
Nam cum ſopitos premerent oblivia ſenſus,
  Confeſſa eſt facinus conſcia lingua ſuum.
Candida, clamabam, propera. cur Candida ceſſas?
  Nox abit, & furtis lux inimica venit.
Proximus ut genitor mecum comitatus amatæ
  Virginis, in gelida forte jacebat humo:
Illius ad nomen turbatos excitat artus:

Exſilit, & natam credit adeſſe ſuam.
Omnia colluſtrans, toto me corde ſolutum
Proſpicit afflantem, nec meminiſſe mei.
Vana putas? an vera ſopor ludibria jactat?
Et te verus, ait, pectoris ardor habet?
Credo equidem aſſuetas animo remeare figuras,
Et fallax ſtudium ludit imago ſuum.
Stat tamen attonitus, perplexaque murmura captat,
Et tacitis precibus dicere plura rogat.
Sic ego, qui cunctis ſanctæ gravitatis habebar,
Proditus indicio ſum miſer ipſe meo.
Et nunc infelix tota eſt ſine crimine vita,
Et peccare ſenem non potuiſſe pudet.
Deſerimur vitiis, fugit indignata voluptas:
Et quod non poſſum, non potuiſſe juvat.
Hoc etiam meminiſſe licet, quod ſerior ætas
Intulit, & gemitus quos mihi læta dedit.
Has ſed quis poſſit naturæ adſtringere partes?
Gnarus & ut ſapiens noxia ſæpe velit?
Interdum rapimur vitiis, trahimurque volentes,
Et, quæ non capiunt, pectora bruta volunt.

ELEGIA V.

Miſſus ad Eoas legati munere functus,
Tranquillum cunctis nectere pacis opus,
Dum ſtudeo geminæ componere fœdera pacis,
Inveni cordis bella nefanda mei.
Hic me ſuſcipiens Etruſcæ gentis alumnum,
Involvit patriis Graia puella dolis.
Nam cum ſe noſtro captam ſimularet amore,
Me potius vero fecit amore capi.
Pervigil ad noſtras adſtabat mane feneſtras
Neſcio quid Græco murmure dulce canens.
Nunc aderant lacrimæ, gemitus, ſuſpiria, pallorque,
Et quidquid nullum fingere poſſe putes.
Sed velut afflicto nimium miſeratus amore,
Efficior potius tunc miſerandus ego.
Hæc erat egregia forma, vultuſque ſereni,
Grata micans oculis, nec minus arte placens;
Docta loqui digitis, & carmina fingere docta,
Et reſponſuram ſollicitare lyram.
Illam Seireniis ſtupefactus cantibus æquans,
Efficior demens alter Ulyſſes ego.
Et quia non poteram tantas evadere moles,
Neſcius in ſcopulos, & vada cæca feror.
Quid referam greſſus certa ſe lege moventes?
Suſpenſoſque novis paſſibus ire pedes?
Grande erat inflexos gradibus numerare capillos,
Grande erat in niveo pulcra colore coma.
Urebant oculos duræ ſtanteſque papillæ,
Et quas adſtringens clauderet una manus.
Ah quantum mentem ſtomachi fultura movebat,
Atque ſub exhauſto pectore pingue femur!
Urebar teneros adſtringere fortiter artus,
Viſa per amplexus oſſa ſonare meos.
Grandia clamabam nimium me brachia lædunt,
Non tolerant pondus ſubdita membra tuum.
Dirigui, quantuſque fuit calor oſſa reliquit,
Et nata eſt veniæ cauſa pudenda meæ.
Non ſic lac tenerum permiſta coagula reddunt,
Nec liquidi mellis ſpuma liquoris erit.
Succubui, fateor, Graiæ tum neſcius artis:
Succubui Tuſca ſimplicitate ſenex.
Qua defenſa ſuo ſuperata eſt Hectore Troja,
Unum non poterat fraus ſuperare ſenem?
Muneris invicti curam, ſtudiumque reliqui,
Deditus imperiis, ſæve Cupido, tuis.
Nec memorare pudet tali me vulnere victum,
Subditus his flammis Jupiter ipſe fuit.
Sic mihi prima quidem nox affuit, & ſua ſolvit
Munera grandævo vix ſubeunda viro.
Proxima deſtituit vires, vacuuſque receſſit
Ardor, & in Venerem ſegnis, ut ante, fui.
Illa, velut proprium repetens infeſta tributum,
Inſtat, & increpitans, debita reddis? ait.
Sed nihil hic clamor, nil ſermo mitis agebat:
Quod natura negat, reddere nemo poteſt.
Erubui, ſtupuique: omnes verecundia motus
Abſtulit, & blandum terror ademit opus.
Contrectare manu cœpit frigentia membra,
Meque etiam digitis ſollicitare ſuis.
Nil mihi torpenti, nil tactis profuit illis:
Reſtitit in medio frigus, ut ante, foco.
Quæ te crudelis rapuit mihi femina? dixit,
Cujus ab amplexu feſſus ad arma redis?
Jurabam curis animum mordacibus uri,
Nec poſſe ad luxum triſtia corda trahi.
Illa dolum credens, non falles, inquit, amorem,
Plurima cæcus amor lumina ſemper habet.
Quin potius placido noli umquam parcere ludo:
Projice triſtitias, & renovare jocis.
Obtundunt ſiquidem curarum pondera ſenſus:
Intermiſſa minus ſarcina pondus habet.
Tunc egomet toto nudatus corpore lecto,
Effuſis lacrimis talia verba dedit.
Cogimur, heu, ſegnes crimen vitiumque fateri,
Ne meus extinctus forte putetur amor.
Me miſerum, cujus non eſt culpanda voluptas,
Judicor infelix debilitatis ope.
En longo confecta ſitu tibi tradimus arma:
Arma miniſteriis quippe dicata tuis.
Fac quodcumque potes, nos cedimus, hoc tamen ipſe
Grandior eſt hoſtis, quo minus ardet amor.
Protinus Argivas admovit turpiter artes,
Meque cupit flammis vivificare ſuis.
Aſt ubi dilecti perſenſit funera membri,
Nec velut expoſitum ſurgere vidit opus,
Erigitur, viduoque toro laniata recumbens,
Vocibus his luctus & ſua damna fovet.
Mentula feſtorum cultrix operoſa dierum
Quondam divitiæ deliciæque meæ,
Quo te dejectam lacrimarum gurgite plangam?
Quæ de tot meritis carmina digna feram?
Tu mihi flagranti ſuccurrere ſæpe ſolebas,
Atque æſtus animi ludificare mei.
Tu mihi per totam cuſtos gratiſſima noctem,
Conſors lætitiæ triſtitiæque meæ.
Conſcia ſecreti ſemper fidiſſima noſtri,
Adſtans in noſtris pervigil obſequiis.
Quo tibi fervor abit, per quem feritura placebas?
Quo tibi criſtatum vulniferumque caput?
Nempe jaces nullo, ut quondam, ſuffuſa rubore:
Pallida demiſſo vertice nempe jaces.
Nil tibi blanditiæ, nil dulcia carmina proſunt,
Non quidquid mentem ſollicitare ſolet.
Sic velut expoſito meritam te funere plango,
Occidit aſſiduo quod caret officio.
Hæc ego cum lacrimis deducta voce canentem
Irridens, dictis talibus increpui.
Dum defles noſtri languorem femina membri,
Oſtendis morbo te graviore premi.

Vade,

Vade, inquam, felix, ſemper felicibus apta,
  Utere, cognatis utere deliciis.
Illa furens, credo quod neſcis perfide, dixit:
  Non fleo privatum, ſed generale chaos.
Hæc genus humanum, pecudum, volucrumque, ferarumque,
  Et quidquid toto ſpirat in orbe, creat.
Hac ſine diverſi nulla eſt concordia ſexus,
  Hac ſine conjugii gratia ſumma perit.
Hæc geminas tanto conſtringit fœdere mentes,
  Unius ut faciat corporis eſſe duos.
Pulcra licet, pretium ſi deſit, femina perdit,
  Hæc ſi deſuerit, vir quoque turpis erit.
Hæc ſi gemma micans rutilum non conterat aurum,
  Æternum fallax, mortiferumque genus.
Tecum pura fides, ſecretaque certa loquuntur,
  O vere pretium, fructiferumque bonum.
Cedunt cuncta tibi, quodque eſt ſublimius, ultro
  Cedunt imperiis maxima quæque tuis.
Nec ſubtracta gemunt, ſed ſe tibi ſubdere gaudent:
  Vulnera ſunt iræ proſperiora tuæ.
Ipſa etiam totum moderans ſapientia mundum,
  Porrigit invitas ad tua jura manus.
Sternitur icta tuo votivo vulnere virgo,
  Et percuſſa novo læta cruore jacet.
Flet tantum, ridetque ſuum laniata dolorem,
  Et percuſſori plaudit amica ſuo.
Non tibi ſemper iners, non mollis convenit actus,
  Miſtaque ſunt ludis fortia facta tuis.
Nam nunc ingenio, magis nunc viribus uſa,
  Nunc his, quæ juveni ſunt inimica, malis.
Nam tibi pervigiles impendunt ſæpe dolores,
  Imbres, inſidiæ, jurgia, damna, pudor.
Tu mihi ſæpe feri commendas corda tyranni,
  Sanguineus per te Mars quoque mitis erit.
Tu poſt extinctos, debellatoſque Gigantes,
  Excutis irato tela triſulca Jovi.
Tu cogis rapidas affectus diſcere tigres:
  Per te blandus amans redditur ipſe leo.
Mira tibi virtus, mira eſt patientia. victos
  Diligis, & vinci, vincere ſæpe volens.
Cum ſuperata jaces, vires animoſque reſumis,
  Atque iterum vinci, vincere rurſus amans.
Ira brevis, longa eſt pietas, recidiva voluptas,
  Et cum poſſe perit, mens tamen una manet.
Conticuit tandem longo ſatiata dolore,
  Ac velut expletis deſinit exſequiis.

ELEGIA VI.

CLaude precor miſeras ætas verboſa querelas,
  Numquid adhuc vitium vis reſerare tuum?
Sit ſatis indignum leviter tetigiſſe pudorem,
  Contrectata diu crimina crimen habent.
Omnibus eſt eadem leti via, non tamen unus
  Eſt vitæ cunctis, exitiique modus.
Hac pueri, atque ſenes pariter, juveneſque ferentur,
  Hac par divitibus pauper egenus erit.
Ergo quod adſtrictum, quodque eſt vitabile nulli,
  Feſtino greſſu vincere præſtat iter.
Infelix ceu jam defleto funere ſurgo,
  Hac me defunctum vivere parte puto.

POEMA-

POEMATIA

MINORA INCERTORUM, AUT INCERTÆ ÆTATIS.

PLAUTI HYPOBOLIMÆI QUEROLUS SIVE AULULARIA.

COMŒDIA

EX MEMBRANIS ARCHI-PALATINÆ BIBLIOTHECÆ EMENDATA.

RECENSENTE I. PHILIPPO PAREO.

AULULARIA SIVE QUEROLUS.

Fabulæ Perſonæ.

LAR *Familiaris*.
QUEROLUS *Filius Euclionis*.
SYCOPHANTA.
PANTOMALUS. *Servus*.
MANDROGERUS, *Magus*, & *Paraſitus* ἀπὸ της μάνδρας & γέρων. quaſi ἀρχιμανδρίτα Senex primus, & Pater omnium.
SARDANAPALUS.
Socii atque Adjutores Mandrogerontis.
ARBITER.

PROLOGUS.

PAcem quietemque, vos Spectatores, noſter ſermo Poeticus rogat: qui Græcorum diſciplinas ore narrat barbaro, & Latinorum vetuſtas veſtro recolit tempore. Præterea precatur, & ſperat non inhumana voce, ut qui vobis laborem indulſit, veſtram referat gratiam. AULULARIAM hodie ſumus acturi: non veterem, at rudem, inveſtigatam Plauti per veſtigia. Fabella hæc eſt.
Felicem hic inducimus fato ſervatum ſuo, atque e contrario fraudulentum, fraude deceptum ſua. QUEROLUS, qui jam nunc veniet, totam tenebit Fabulam. Ipſe eſt ingratus ille; noſter hic felix erit. E contrario MANDROGERUS aderit fraudulentus, & miſer. LAR familiaris, qui primus veniet, ipſe exponet omnia. Materia voſmet reficiet, ſi fatigat lectio. In ludis autem, atque dictis antiquam nobis veniam expoſcimus. Nemo ſibimet arbitretur dici, quod nos populo dicimus. Neque propriam ſibimet cauſam conſtituat communi ex joco. Nemo aliquid recognoſcat; nos mentimur omnia. QUEROLUS an AULULARIA hæc dicatur Fabula, noſtrum hinc judicium, veſtra erit ſententia. Prodire autem ad agona non auderemus cum clodo pede, niſi magnos præclaroſque in hac parte ſequeremur Duces.

ACTUS PRIMI.

SCENA I.

Lar Familiaris.

EGo ſum Cuſtos, & Cultor Domus, cui fuero adſcriptus. Ædes nunc iſtas rego, e quibus modo ſum egreſſus. Decreta Fatorum ego tempero: ſi quid boni eſt, ultro accerſo: ſi quid gravius, mitigo. QUEROLI nunc ſortem adminiſtro hujus; non grati, non mali. Hic exinde ſibimet ſufficiens fuit, (quod primum eſt bonum) nunc autem etiam locupletiſſimus erit. Sic meritum eſt ipſius. Nam quod pro meritis reddendum bonis non puta-

putatis, ipſi voſmet fallitis. Ordinem autem ſeriemque cauſæ breviter jam nunc eloquar.

Pater Querоli hujus Euclio fuit, avarus & cautus Senex. Hic enorme pondus auri olim in urnam condidit. Sic quaſi paterna venerans, aurum celabat palam. Peregre vadens urnam domi ſepeliit, ac reliquit ante Aras meas. Tumulum ſuis, mihi theſaurum commendavit. Abiit; neque rediit ſenex. Peregre moriens uni tantummodo rem indicavit, fraudulento & perfido. Cui tamen, ſive oblitus, ſive ſupervacuum putans, de buſto & Titulo nihil exponit. Querolo juxta fatum hoc ſufficit. Nunc ergo theſaurus habetur omnibus ignotus, & notus tamen. Erat ſane facile nobis, aurum Domino oſtendere, aut reſponſo, aut ſomnio: ſed ut agnoſcant homines, Nemini auferri poſſe, quod dederit Deus: aurum, quod fidei male proditum eſt, furto conſervabitur. Fur ergo jam nunc aderit, per quem nobis ſalva res erit. Iſte urnam cum repererit, buſtum putabit. Sic ille proſpexit ſenex. Prædam qui abſtulerit, reportabit; totum qui reddit, parte incontentus fuit. Itaque bene perfidus alteri fraudem infert, damnum ſibi. Tamen ne fruſtra memet videritis, exponere quædam volo. Querolus iſte noſter, ſicut noſtis, omnibus eſt moleſtus, ipſi, ſi fas eſt, Deo. Homo ridicule iracundus: itaque ridendus magis. Differere cum iſtoc volupe eſt, & confutare vanam hominum ſententiam. Fatum itaque jam nunc, & hominem e diverſo audietis: vos judicium ſumite. Genium autem ipſius eſſe me, quantum fieri potuerit, cautiſſime confitebor, ne quod mihi faciat malum. Nam maledicere mihimet numquam ceſſat ille noctes, & dies. Sed eccum ipſum audio! Fatum & Fortunam clamitat. Iſte ad me venit: Patrem peregre mortuum audivit. Hui! quam graviter dolet! ut ſunt humana! Credo, quia nihil relictum comperit. Et quid ego nunc facio? Avolare hinc ſubito non poſſum: nimium memet credidi. Opportune Hamigerum hinc Tridentem video, præſidium hercle non malum. Querolus ſi moleſtus eſſe hodie non deſtiterit, faciam, ut queratur juſtius. Unde eſſe hoc dicam? Piſcatores mane hac præteriiſſe vidi: ipſis forte hoc excidit.

ACTUS I. SCENA II.

Querolus. Lar Familiaris.

Quer. O Fortuna! O Fors Fortuna! O Fatum ſceleratum, atque impium! Si quis nunc mihi tete oſtenderet, ego tibi nunc facerem, & conſtituerem Fatum inexſuperabile.

Lar. Sperandum eſt hodie de Tridente. Sed quid ceſſo interpellare, atque alloqui? Salve.

Quer. Iſtud cui Bono tot hominibus hac, atque illac Have dicere, etiamſi prodeſt, ingratum foret.

Lar. Miſanthropus hercle hic verus eſt: unum conſpicit, turbas putat.

Quer. Quæſo, Amice, quid tibi rei mecum eſt? debitum repoſcis? an furem tenes?

Lar. Iracundus nimium es; Querole.

Quer. Hea! ego officium ſum aſpernatus: adiicit & convicium.

Lar. Mane paulisper.

Quer. Non vacat.

Lar. Sic neceſſe eſt; mane.

Quer. Iam iſtud ad vim pertinet. Age quidquid vis.

Lar. Scin' tu, quam ob cauſam Tridentem iſtum geſtio?

Quer. Neſcio edepol, niſi quod primum propter importunos inventum eſſe hoc reor.

Lar. Idcirco hunc geſtito, ut ſi me attigeris, talos transfodiam tibi.

Quer. Dixin' hoc fore? Nec ſalutatio impune hic datur. Non mala hercle eſt conditio: neque te contingo, neque me tu contigeris. Vale! Ite, & conſerite amicitias. Ecce adfabilitas prima quid dedit.

Lar. Mane; ego ſum, quem requiris, quemque accuſas, Homuntio.

Quer. Ohe? Talos ego incolumes ferre hinc volo.

Lar. Non tu paulo ante Fatum accuſabas tuum?

Quer. Accuſo, & perſequor.

Lar. Ades ergo huc, ego ſum.

Quer. Tu Fatum es meum?

Lar. Ego ſum Lar Familiaris, Fatum, quod vos dicitis.

Quer. Te ego jam dudum quæro: nuſquam hodie pedem.

Lar. Præmonueram de Tridente. Cave; abſtine.

Quer. Immo tu cave.

Lar. Ego jam proſpexi.

Quer. Quodnam eſt hoc præſtigium?

Lar. Apageſis! Homo ineptiſſime: hic nullum eſt præſtigium. Deſiſte, niſi excipere mavis trina pariter vulnera.

Quer. At at! Vero ſimile eſt, eſſe hunc neſcio quem de aliquibus vel Geniis, vel Miniſteriis: iſte ſeminudus dealbatuſque incedit: toto ſplendet corpore. Euge! Lar familiaris; proceſſiſti hodie pulcre. Sed non totum intellego. Quod ſeminudus es, recognoſco: unde dealbatus, neſcio. Ego jamdudum apud Carbonarias agere te putabam: tu de Piſtrinis venis.

Lar. Hei! etiam iſtud de meo, quod in malis tuis commode jocaris. Audi nunc jam. Permovet noſmet, Querole, tua quamvis inanis querimonia. Idcirco itaque veni, ut ratio tibi ex integro redderetur, quod nemini antehac contigit.

Quer. Tibine rationem rerum humanarum licitum eſt noſſe, atque exponere?

Lar. Et novi, & doceo. Proinde quidquid exinde quereris, hodie totum expromito.

Quer. Dies deficiet ante.

Lar. Breviter percurre pauca, de quibus nunc tibi exponantur omnia.

Quer. Unum ſolum eſt, unde reſponderi mihi volo: Quare injuſtis bene eſt, & juſtis male?

Lar. Primum, ut apud voſmet fieri video, de perſona eſt quæſtio: Cuinam tu verba promis? Tibine an populo?

Quer. Et populo, & mihi.

Lar. Cum tu tibi ipſe ſis reus, quemadmodum ſatis aliis quoque multis defenſorem te paras?

Quer. Ego novi reum me non eſſe.

Lar. Ergo poſthac aſſertio conticeſcet, ſi perſona exploditur. Inter bonos, an inter malos tete numeras?

Quer. Etiam quæritas, quid mihimet ipſi videar, cum de ſceleſtis conquerar?

Lar. Si probo, de illis tete eſſe, quos accuſas, hoc eſt, de malis, pro quibus poſthac loquere?

Quer. Si criminoſum me eſſe conviceris, neceſſe eſt, meritis ut meis ſenſum accommodem.

Lar.

Lar. Celeriter nunc mihi reſponde, Querole; quantanam putas feciſſe te capitalia?

Quer. Equidem nullum, quod ſciam.

Lar. Nullumne? Ergo excidere omnia?

Quer. Immo omnia pene retineo: ſed ſcelus nullum ſcio.

Lar. Eho! Querole; furtum nullum admiſiſti.

Quer. Nuſquam, ex quo deſtiti.

Lar. Ha ha he! Hoc eſt numquam admiſiſſe?

Quer. Quod verum eſt, non nego. Aduleſcens quædam feci, fateor; laudari quæ ſolent.

Lar. Cur igitur deſtitiſti de ſcelere tam laudabili? Tranſeamus iſtud. Quid de falſo dicimus?

Quer. Hem? Quis autem verum dicit? Iſtud commune eſt: abi.

Lar. Idcirco crimen non eſt? Quid de adulterio?

Quer. At at! Etiam hoc crimen non eſt.

Lar. Quando autem licitum eſſe cæpit?

Quer. Men rogas? Quaſi tu neſcias. Hoc eſt, quod nec permitti, nec prohiberi poteſt.

Lar. Quid ad hæc, Querole? Videſne te contra licitum vivere?

Quer. Si tu me ad hæc revocas, nemo eſt innocens.

Lar. Et tamen non de omnibus tete interrogavi, ſi reminiſceris.

Quer. Nihil eſt amplius.

Lar. Nulli igitur mortem optaſti?

Quer. Nemini.

Lar. Quid ſi convinco?

Quer. Nihil eſt, quod reſpondeam.

Lar. Dic mihi, ſi Socios numquam habuiſti?

Quer. Ecce iterum generale!

Lar. Ergo omnia de omnibus confiteris?

Quer. Quando ſic interrogas.

Lar. Quando hæc tibi levia videntur, neſcio quid ſit, quod crimen putes. Dic mihi præterea, quotiens pejeraveris; expone celeriter.

Quer. Bona hora exaudiat! Iſtud a me ſemper alienum fuit.

Lar. Quanto amplius, quam millies pejeraveris, hoc requiro ſaltem, hoc dicito.

Quer. Ohe! Illa tu nunc requiris cottidiana, & jocularia.

Lar. Non facile intellego, perjurium joculare quid putas. Tamen tranſeamus; quod, ut video, conſuetudo jam fecit leve. Quid igitur? ſciens prudenſque Sacramentorum numquam rupiſti fidem? Ut alia taceam, numquam juraſti, amare te, quem juratus oderas?

Quer. Heu me miſerum! Quid ego hodie mali cum iſtoc repperi? Juravi ſæpe, fateor; quod cum ſtaret verbis, non ſtaret fide.

Lar. Urbane igitur pejeraſti.

Quer. Fieri hoc ſolet.

Lar. Quanto mallem, ut ſermo laberetur, & ſtaret fides! Tune, Querole, verbis te abſolutum eſſe credis? Pejerat ſæpe qui tacet. Tantum eſt enim tacere verum, quantum & falſum dicere.

Quer. Omnia igitur peregi; totum commerui. Vale!

Lar. Immo nihil eſt actum, Querole; niſi ſequantur hæc duo: Primum contra meritum tuum miſerum te non eſſe, ut comprobem: ſecundo, etiam felicem tete eſſe jam nunc ipſe intellegas.

Quer. Ergone egomet ærumnoſus non ſum?

Lar. Id fateor: ſed vitio tuo. Atque ut in omnibus revincare, expone breviter, de quibus quereris maxime.

Quer. Primum tibi, Geniorum optime, conqueror de amicis.

Lar. Spes bona! Quid de inimicis iſte faciet? In quo tamen amicitiarum te læſit fides?

Quer. Nemo mihi magis moleſtus, quam familiaris: neque magis morigerus, quam leviter cognitus.

Lar. Quidnam hoc mirum, ſi te qui novit, deſpicit? qui non novit, diligit?

Quer. Agimus tibi gratias, Lar familiaris: tu nos ornas in omnibus.

Lar. Jam intellego, quid querere: viſne brevibus remedium hinc dari?

Quer. Valde cupio.

Lar. In amicitiam & fidem ſtultum ne receperis; nam inſipientum, atque improborum facilius ſuſtinetur odium, quam collegium.

Quer. Quod ſi ſapiens non erit?

Lar. Stultos ingenio rege.

Quer. Quomodo?

Lar. Vis te non decipi?

Quer. Cupio.

Lar. Ne credideris nemini: in tua eſt poteſtate, ne decipiaris. Cur accuſas perfidos? Viſne tibi honorem deferri?

Quer. Maxime.

Lar. Inter miſeros vivito.

Quer. Prope vera loqueris.

Lar. Viſne te non decipi, maxime a tuis?

Quer. Vellem; ſi fieri poteſt.

Lar. Dicam, quod dictum eſt prius: nemini te, Querole, nimis ſodalem feceris. Res nimium ſingularis eſt homo, fere non patiens parem. Minores deſpicitis, majoribus invidetis, ab æqualibus diſſentitis; dic, quæſo, quid placeat. Ergo ſecundum vitia, & mores, quid ſit tenendum, diſcito. Cum pare comeſſationes, vinum, turbas reſpue: quem tu maxime tibimet obligare volueris, tanto levius nectito. Conventus vero & dibacchationes, & joca frivola non quæro, ut amorem pariant; utinam nihil odiorum darent!

Quer. Quid! quod plures hujuſmodi ſocietate optime utuntur.

Lar. Novi omnia: illos mihi tu narras, qui totum occultant: nimium vel prudentes, vel felices ſunt, quos requiris. Hoc ad Querolum non facit.

Quer. Eſt aliud, quod accuſem. Pauper ego ſum quidem, ſicut tu vel noſti, vel facis. Sed hoc mecum tolerabile eſt. Illud prorſus non fero, quod tenuitati nemo ignoſcit, neque cuiquam, ut aliquem dicat pauperem. Quid præterea? Hui! quanta adjiciunt! Sultitiam, neglegentiam, ſomnum, & gulam. Patientia deſidiæ, acrimonia crudelitati adſignatur. Sic vertuntur nomina: nemo ad facultates, nemo ad cenſum reſpicit. Semper dives diligens; contra pauper neglegens.

Lar. Cenſoribus hæc reſerva, Querole, nunc autem illud dicito, quod ſpecialiter te inquietat, & gravat. Nam iſta, quæ protuliſti, communia ſunt, & antiqua paupertatis crimina. Tamen tu neque dives, neque pauper es. Hoc ſi agnoſceres, felix eras.

Quer. Sciſne me nuper Patrem amiſiſſe?

Lar. Servaſti præceptum: ſpeciale hoc plane eſt: hoc eſt, quod nemini antehac contigit. Quid igitur? nonne hoc juſtum fuit? Buſtum ut efferret filius.

Quer. Fateor: ſed pater ipſe nihil reliquit.

Lar. Dura deploratio: exequias inanes tibi contigiſſe luges: iraſceris ergo, non doles. Patri certe nihil defuit; tibique hodie nihil deſit. Non enim hæc par-

parva hæreditas eſt. Succenſeſne? Senio ſaltim extremo ſibimet vixit, qui ſemper tibi. Utinam tu hæredibus tantum relinquas. quantum reliquit Euclio! Dic ergo aliud. Nam iſtinc nihil audio.

Quer. Servus mihi eſt, quem tolerare nequeo, Pantomalus & mente, & nomine.

Lar. Felicem te, Querole; ſi unus tibi eſt Pantomalus! Multi multos Pantomalos habent.

Quer. Sed plures audio, qui ſuos etiam laudant.

Lar. Iſti pejores habent.

Quer. Cur igitur laudant?

Lar. Quia quid deperdant, neſciunt.

Quer. Tempeſtas maxima fructus meos abſtulit.

Lar. Numquid commune hoc fuit? non uno genere omnes puniuntur: tibi tempeſtas obfuit: alter aliud pertulit.

Quer. Ohe! Conſortes mei jamdudum nihil incommodi pertulerunt.

Lar. Fallis turpiter.

Quer. Da quæſo veniam. Ignorabam, peculiarem tibi curam eſſe hanc de conſortibus meis; adhuc habeo, quod objiciam. Vicinus mihi malus eſt.

Lar. Ecce rem vere malam. Tamen, Querole, de uno iſto, quantum etiam hic præſtiterim, vide. Vicinum malum pateris unum tantum: quid faciant illi, qui plures habent?

Quer. Conſerva iſtum quæſo, Lar familiaris: ex voto meo tuere, quem præſtitiſti, ne forte naſcantur duo.

Lar. Quid ſi etiam hinc vincimus? dic quæſo nunc mihi, quem tu putas feliciorem? tete, an iſtum, de quo quereris?

Quer. Quidnam hic ſimile eſt? Aut numquid dubitari poteſt, feliciorem eum eſſe, qui alterum queri compellit, quam ille, qui ad querelam confugit?

Lar. Hem Querole, vis jam nunc facinus, ut infeliciorem eſſe hunc ſcias?

Quer. Valde cupio.

Lar. Sed egomet tibi tantum indicabo: paullum aurem accommoda.

Quer. Cur non aperte loqueris? numquidnam etiamtu times?

Lar. Quidni timeam, qui tecum vivo? aurem accommoda.

Quer. Age, dicito. Ha ha he! habeat, teneat, poſſideat, ſeque cum ſuis: laute edepol nos accipis Doctor.

Lar. Nonne?

Quer. Certe jam nihil conqueror.

Lar. Quid iſtuc, Querole? Paululum tibi ita videtur.

Quer. Rurſum ad ingenium redis.

Lar. Sed quoniam miſerum te non doces, ſupereſt, ut felicem comprobem. Dic quæſo, Querole, ſanus es?

Quer. Ita arbitror.

Lar Quanti hoc æſtimas?

Quer. Hoc etiam imputas?

Lar. O Querole, ſanus es, & felicem te negas? vide, ne poſtmodum felicem te fuiſſe ſcias.

Quer. Jam ſuperius dixeram; bene mecum agitur, ſed juxta alios, male.

Lar. Certe apud te bene.

Quer. Fateor.

Lar. Quid quæris amplius?

Quer. Quære aliis melius?

Lar. Jam iſtuc ad invidiam pertinet.

Quer. Sed recte invideo. Nam ſum inferior deterioribus.

Lar. Quid ſi feliciorem tete edoceo, quam ſunt iſti, de quibus dicturus es?

Quer. Tum igitur facies, poſthac Querolus nullum permittat queri.

Lar. Ut negotium ſit brevius, & ſucidius, argumenta removeo. Tu fortunam dicito, cujus tibi conditio placeat. Sortem autem, quam ipſe volueris, jam nunc dabo. Tantum illud memento, ne putes poſſe te aliquid deflorare, atque excipere, unde aliquid legeris.

Quer. Placet optio. Da mihi divitias, atque honores militares, vel mediocriter.

Lar. Iſtud tibi præſtare valeo: verum illud vide ſi tu valeas implere quod petis.

Quer. Quid?

Lar. Potes bellum gerere, ferrum excipere, aciem rumpere?

Quer. Iſtud numquam potui.

Lar. Cede igitur præmio atque honoribus his, qui poſſunt omnia.

Quer. Saltim aliquid nobis tribue in parte civili & miſerabili.

Lar. Vis ergo omnia & exigere, & exſolvere?

Quer. At at! hoc excidit: jam neutrum volo. Si quid igitur potes, Lar familiaris, facito, ut ſim privatus, & potens.

Lar. Potentiam cujuſmodi requiris?

Quer. Ut mihi liceat ſpoliare non debentes: cædere alienos; vicinos autem & ſpoliare, & cædere.

Lar. Ha, ha, he! latrocinium, non potentiam requiris. Hoc modo neſcio edepol quemadmodum præſtari hoc poſſit tibi: tamen inveni; habes quod exoptas: vade, ad Ligirim vivito.

Quer. Quid jam?

Lar. Illic jure gentium vivunt homines: ibi nullum eſt præſtigium: ibi ſententiæ capitales de robore proferuntur, & ſcribuntur orſibus: illic etiam ruſtici perorant, & privati judicant: ibi totum licet. Si dives fueris, Patus appellaveris: ſic noſtra loquitur Græcia. O ſilvæ! O ſolitudines! Quid! Vos dixet liberas? Multa majora ſunt, quæ tacemus: tamen interea hoc ſufficit.

Quer. Neque dives ego ſim, neque robore uti cupio: nolo jura hæc ſilveſtria.

Lar. Pete igitur aliquid mitius, honeſtiuſque, ſi jurgare non potes.

Quer. Da mihi honorem, qualem obtinet Togatus ille, muneras quem maxime.

Lar. Rem prorſus facilem nunc petiſti. Iſtud etiam ſi non poſſumus, vis ne præſtari hoc tibi?

Quer. Nihil eſt, quod plus velim.

Lar. Ut maxima quæque taceam; ſume igitur tegmina, hyeme trunca, & æſtate duplicia: ſume laneos cothurnos, ſemper refluos calceos, & quos pluvia ſolvat, pulvis compleat, cænum & ſudor glutinet: ſume calceos humili fluxos tegmine, quos terra revocet, fraudet limus concolor: æſtum veſtitis genibus, brumam nudis cruribus, in ſoccis hyeme; cancro in tubulis age: patere inordinatos labores, occurſus antelucanos, Judicis convivium, primum, poſtmeridianum, aut æſtuoſum, aut algidum, aut inſanum, aut ſerium: vende vocem, vende linguam: iras, atque odium loca. In ſumma pauper eſto, & reporta Penatibus pecuniarum aliquid, ſed plus criminum. Plura etiam nunc dicerem, niſi efferre iſtos melius eſſet, quam lædere.

Quer.

Quer. Neque iſtud volo. Da mihi divitias, quales conſequuntur illi, qui chartas agunt.

Lar. Sume igitur vigilias, & labores illorum, quibus invides. Aurum in juventa, patriam in ſeneƈta quære: Tiro agelli, Veteranus fori, Ratiocinator eruditus, Poſſeſſor rudis, incognitis familiaris, vicinis novus, omnem ætatem exoſus agito, funus ut lautum pares. Hæredes autem Deus ordinabit: iſtis nolo invideas; Querole. Sæpe condita Luporum fiunt rapinæ vulpium.

Quer. Heia! nec chartas volo. Tribue ſaltim nunc mihi peregrini illius & transmarini mercatoris ſacculum.

Lar. Age igitur; conſcende maria, te tuoſque pariter undis, & ventis credito.

Quer. Iſtud egomet numquam volui: da mihi ſaltim vel capſas Titi.

Lar. Sume igitur & podagram Titi.

Quer. Minime.

Lar. Neque tu capſas continges Titi.

Quer. Neque iſtud volo. Da mihi pſaltrias, & concubinulas; quales habet avarus ille Fœnerator advena.

Lar. Habes plane nunc tota mente, quod rogas. Suſcipe, quod exoptas toto cum choro: ſuſcipe Paphien, Cytheren, Briſeidem, ſed cum pondere Neſtoris.

Quer. Ha ha he! quamobrem?

Lar. Habet hoc ille, cujus tu ſortem petiſti. Eho, Querole; numquam audiſti? Nemo gratis bellus eſt. Aut hæc cum illis habenda ſunt, aut hæc cum his amittenda ſunt.

Quer. Adhuc invenio, quod requiram: da mihi ſaltem impudentiam.

Lar. Urbane edepol tu nunc omnia quæ negaverim, concupiſcis. Si toto vis uti foro, eſto impudens: ſed ſapientiæ jaƈtura facienda eſt nunc tibi.

Quer. Quamobrem?

Lar. Quia ſapiens nemo eſt impudens. At abi Querole cum tua querimonia.

Quer. Numquamne mutabis, calamitas?

Lar. Quamdiu tu vixeris.

Quer. Felices ergo non ſunt.

Lar. Sunt aliqui, ſed non illi, quos tu putas.

Quer. Quomodo? Si oſtendero jam nunc tibi aliquem, & ſanum, & divitem, felicem hunc negabis?

Lar. Divitem potes noſſe, ſanum eſſe quid putas.

Quer. Corpore bene valere.

Lar. Quid ſi ægrotat animo?

Quer. Iſtud egomet neſcio.

Lar. O Querole, imbecilla tantum vobis corpora videntur. At quanto animus eſt infirmior? Spes, timor, cupiditas, avaritia, deſperatio neminem eſſe felicem ſinunt. Quid ſi neſcio quis ille alius in corde, alius eſt in vultu? quid ſi lætus publice, mæret domi? ut majora reticeam, quid ſi Uxorem non amat? quid ſi Uxorem nimis amat?

Quer. Si nemo felix; nemo igitur juſtus?

Lar. Etiam huic reſpondeo. Sunt aliqui, fateor, juſti prope: ſed prima eſt horum calamitas. Eſtne aliquid, quod requiras?

Quer. Immo edepol nihil: meam mihi concede ſortem, quando nihil melius repperi.

Lar. Igitur quamquam felicem eſſe conſtiterit; tamen etiam nunc beatiorem te futurum ut cognoſcas, volo. Aurum hodie nullum conſequere.

Quer. Ludis nos, fieri non poteſt.

Lar. Quam ob cauſſam.

Quer. Quia non eſt via.

Lar. Sane difficile eſt nobis facere, atque invenire, quod tu non intelliges.

Quer. Dic quæſo; num quis Rex aliquid largietur?

Lar. Nihil.

Quer. Numquid ex tranſvorſo quiſpiam me hæredem inſtituet?

Lar. Nihil minus.

Quer. Numquid theſaurus alicubi defoſſus apparebit ante oculos meos?

Lar. Atqui ſi theſaurus domi tuæ lateret, prius alteri eſſet oſtendendus, quam tibi.

Quer. Et quemadmodum ſum habiturus egomet, quem mihi nullus dabit?

Lar. Vade jam nunc, & quidquid contra te eſt, facito.

Quer. Cur ita?

Lar. Sic expedit, fallenti credito: circumvenienti operam, atque adſenſum accommoda: fures ſi ad te venerint; excipe libenter.

Quer. Tum ſi aliquis meis ædibus facem ſubjiciet, juberesne me oleum infundere?

Lar. Noveram te crediturum non eſſe.

Quer. Fures mihi ac prædones cui bono?

Lar. Ut ſi quid tibi ſpei aut præſidii eſt, totum auferant.

Quer. Cur ita?

Lar. Ut ſis dives.

Quer. Quomodo?

Lar. Bona ſi perdideris tua.

Quer. Quamobrem?

Lar. Ut ſis felix.

Quer. Quomodo?

Lar. Si fueris miſer.

Quer. Iſtud plane eſt, quod ſæpe audivi, obſcuris vera involvere. Sed quid facere me jubes?

Lar. Quod contra te putas.

Quer. Dic ergo, quid fit, ne fortaſſe aliquid pro me faciam neſciens.

Lar. Quidquid egeris, geſſeriſve hodie, pro te fiet.

Quer. Quid ſi egomet nolo?

Lar. Velis, nolis, hodie bona Fortuna ædes intrabit tuas.

Quer. Quid ſi ædes obſero?

Lar. Per feneſtram defluet.

Quer. Quid ſi & feneſtras clauſero?

Lar. O ſtulte homo! prius eſt, ut hæ pateant, ipſaque ſeſe tellus aperiat, quam ut tu excludas, vel ſubmoveas, quod mutari non poteſt.

Quer. Igitur, quantum intelligo, non mihi præſtatur: quod velim nolim mihi faciundum eſt.

Lar. Neque ego id expeƈtabam, ut gratias ageres, ſed ut Querolum te conſtares in omnibus.

Quer. Tu nunc quo tendis?

Lar. In ædes tuas, immo noſtras me recipio: inde ibo, quo libet. Ita tamen uſquequaque pervagabor, ut te numquam deſeram.

Quer. Incertus ego ſum faƈtus magis hodie, quam ſemper fui. Quid ergo nunc faciam cum reſponſo hujuſmodi? Cui uſquam Oraculum tale umquam datum eſt, ut ipſe ſibimet mala quæreret, aut non excluderet, ſi fieri poſſet, ingruentem miſeriam? Perde, inquit, ſi quid eſt tibi domi, ut adquiras plurima. Mea ſi mihi auferantur, aliena quando, aut quis dabit? Vade, inquit, fures require, prædones recipe in domum. Primum hoc ſi cognoſci, atque etiam ſi probari potuerit, nonne Judex jure optimo peſſum dabit, tamquam latronum conſcium? Sed ubinam fures ipſos modo requiram, ubi inveſtigem,

ne

neſcio. Ubinam eſt illa cohors fuliginoſa, Vulcanoſa, atra, quæ de die ſub terras habitant; nocte in tectis ambulant? Ubi illi ſunt, qui urbane fibulas ſubducunt, quique curtant balteos? Niſi fallor, unum ex ipſis video: atque ecce rem gerit. Hem, tibi clamo, impoſtor. Ohe! ceſſa, euge! Servata eſt fibula. Atat! Spes mihi nulla eſt; mandato excidi. Interdictum fuerat, ne obviarem furibus, verum ne excluderem: hercle hoc ſtultum eſt, nihil prorſus hinc placet. Atque edepol, niſi fallor, iſte, qui apud me eſt locutus, urbanus eſt homo. Num quodnam meritum nunc meum, ut mihi potiſſimum res divina oſtenderetur? Hic neſcio quid eſt præſtigii. Vereor hercle, ne furtum, quod denuntiabat, jam perfecerit. Ego me hac intus refero, atque hominem, ſi repperero, continuo producam foras.

ACTUS SECUNDI.

SCENA I.

Mandrogerus. Sycophanta. Sardanapalus.

MUltum ſeſe aliqui laudant, qui vel pugnaces feras, vel fugaces beſtias, aut veſtigiis inſequuntur, aut cubilibus deprehendunt, aut caſu opprimunt. Quanto mihi majus eſt ingenium, & lucrum, qui homines venor publice. Sed quos homines? Divites, & Potentes, & Litteratos maxime. Mandrogerus ego ſum, paraſitorum omnium longe præſtantiſſimus. Aula quædam hic jacet, cujus odorem mihi trans maria ventus detulit. Cedant juris conditores, cedant omnia Coquorum ingenia, cedant Apicii fercula. Hujus ollæ conditum ſolus ſcivit Euclio. Quid miramini? Aurum eſt, quod ſequor; hoc eſt, quod ultra maria, & terras olet. Quid ad hæc vos dicitis, novelli, atque incipientes nunc mei? Quando hæc diſcere potaſtis? Quando ſic intellegetis? Quando ſic docebitis?

Syco. Atqui ſi ſcias Mandrogerus noſter, quale egomet ſomnium hac nocte vidi.

Mand. Dic obſecro, ſi quid eſt boni.

Syco. Nocte hac videbam theſaurum, quem ſperabamus nobis veniſſe in manus.

Mand. Quid tum?

Syco. Videbam ex parte ſolidos.

Mand Ha! Iſtud non placet.

Syco. Erant præterea uncinuli hamati, torques, & catenulæ.

Mand. Dic quæſo, alia inſuper non ſomniaſti vincula, & verbera?

Sard. Infauſtum hercle hominem! ſolum hic non vidit carcerem. Ohe, homo prodigioſe; ego te jam nunc explodo cum verbis tuis. Nocte iſta ego in ſomnis funus vidi.

Mand. Di te ſervent hic bene!

Sard. Et nos ipſi funus illud neſcio quo ferebamus.

Mand. Optime.

Sard. Etiam inſuper deflebamus defunctum illum, quaſi alienum tamen.

Mand. Audin' tu iſthæc, ſtulte homo? Talia egomet etiam manifeſta malo, quam tua ſomnia. Funus ad lætitiam ſpectat: lacrimæ ad riſum pertinent. Et mortuum nos ferebamus: manifeſtum eſt gaudium. Ego autem meum vobis narrabo ſomnium prorſus manifeſtiſſimum. Dicebat neſcio quis ſomnianti nocte hac mihi ſervari manifeſta fide, nec cuiquam alteri conceſſum eſſe aurum illud inveniri, niſi mihi. Sed inſuper adjecit: ex iſtis opibus hoc tantummodo mihi profuturum, quod conſumpſiſſet gula.

Syco. Optime edepol ſomniaſti. Quid autem aliud quærimus, niſi tantum, quod ſufficiat ventri, & gulæ?

Sard. Pulcre edepol ſomniaſti. Felicem te, Mandrogerus, noſque qui tecum ſumus!

Mand. Sed heus tu, Sycophanta noſter, niſi me fallit traditio, jam pervenimus.

Sard. Ipſa eſt platea, quam requiris.

Syco. Recurre ad Ædiculam cito.

Mand. Sacellum in parte Argentaria ex diverſo.

Syco. Utrumque ſic eſt.

Mand. Ventum eſt.

Sard. Quid præterea?

Mand. Domus excelſa.

Syco. Apparet.

Mand. Ilignis foribus.

Sard. Ipſa eſt.

Mand. Atat! Quam humiles hic feneſtras video? Euge! Hic fruſtra clauduntur fores: tum præterea inermes quantum inter ſeſe diſtant regulæ. Secura hercle regio hic mihi, & fures nil nocent. Sed interius mihi aurum olet. Aliam temptandum eſt viam. Eja nunc, Sycophanta noſter; tuque Sardanapale: ſi quid vobis ingenii, comitatis, & virtutis, nunc totum oſtendit: ego tamquam Cynicus Magiſter inventa & incluſa trado gaudia. Retia voſmet obſidete, dum percurro cubilia. Jam omnia tenetis animo, quæ jamdudum diximus, quæque exinde meditamur nocte, & die.

Syco. De atrio porticus in recte rationem tenes.

Sard. In Sacrario tria ſigilla.

Mand. Convenit.

Syco. Arula in medio.

Mand. Sic ſunt omnia.

Sard. Aurum ante Aram.

Mand. Hoc etiam noſtrum eſt. Quid? Ipſius Queroli indicia jam tenetis?

Syco. Melius hercle, quam tua. Tu vide an divinare poſſis; nos mentiri novimus.

Mand. Ego iſtac in parte hac deambulatum ibo: illinc obſervabo omnia: atque ubi res, vel ratio poſtularit, continuo hic adero.

Syco. Nos quoque paululum iſtac ſecedamus, ne ſuſpicionem improbitas paret.

ACTUS II. SCENA II.

Querolus. Sycophanta. Sardanapalus.

NOſter ille, qui mecum eſt locutus, nuſquam apparuit: neque aliquid ſubripuit intus. Iſte plane homo non fuit.

Sard. Hem! ipſe eſt: vellem hercle audire hominem, quem vidi modo. Ego Magos, Mathematicoſque novi: talem prorſus neſcio. Hoc eſt divinare hominem; non qualiter facere quidam riſores ſolent.

Quer. Hem! quemnam Divinum iſti eſſe dicunt?

Sard. Sed hoc novum eſt, quod vidi modo: ubi te aſpexeris primum, tuo te vocat nomine; dehin parentes, ſervos, atque omnem familiam exponit; quaſi noverit, quid tota geſſeris ætate; quidve poſtea ſis acturus, totum ediſſerit.

Quer.

Quer. Bellus hercle hic neſcio qui eſt: non prætereunda eſt fabula.

Syco. Quæſo ſodes, aggrediamur hominem illum ratione qualibet.

Sard. O me ſtultum, atque ineptum! qui non conſului ſtatim.

Syco. Et ego hercle vellem: verum, ut noſti, non vocat.

Quer. Cur non omnia agnoſco? Salvete amici.

Syco. Salvus eſto; qui ſalvos eſſe nos jubes.

Quer. Quid vos? Secretumne aliquod?

Sard. Secretum a populo; non ſecretum a ſapientibus.

Quer. De Mago neſcio quid audivi.

Sard. Ita eſt; de neſcio quo nunc ſermo erat; qui omnia divinat. Verum quiſnam ille homo ſit, neſcio.

Quer. Eſtne talis aliquis?

Sard. Maxime. Ergo, Sycophanta, ut dixeram, per te, tuoſque Miſides, te rogo, ut illac venias mecum una ſimul.

Syco. Jamdudum dixi; ultro & libenter irem, ſi vacuum nunc eſſet mihi.

Sard. Mane pauliſper.

Quer. Quæſo, amice; ne te ſubripias tam cito. Egomet quoque ſcire cupio, quiſnam iſte eſt, de quo ſermo nunc erat.

Syco. Edepol neſcio quid aliud mihi eſt negotii: cognati atque amici jamdudum me expectant domi.

Sard. Magna hercle hominis difficultas, & perſuaſio: neque nunc te amici expectant, neque cognati: pauliſper mane.

Quer. Quæſo, amice, ſi mea non eſt odioſa ſocietas, conſulere vobiſcum volo.

Sard. Vereor hercle, ne difficilem ſe nobis faciat, ſi plures videt.

Syco. Optime edepol! Ecce, ſodes, comitem quærebas: habes; mihi moleſtus ne ſies.

Quer. Quæſo, amice, ſi huic ita videtur, abeat; nos illac una ſimul.

Sard. Atqui iſto nobis eſt opus; quoniam hominem illum vidit, & novit bene.

Quer. Juſtum eſt, ut nobis hodie operam impendas; quoniam ſic ratio expoſtulat.

Syco. Immo hercle iſte illum novit melius, atque ille hunc familiariter.

Quer. Sed quæſo nunc veſtram fidem: quiſnam hic homo eſt, vel cujus loci.

Syco. Quantum comperi, Mandrogerus vocatur: hoc neſcio.

Quer. At at! Pulchrum hercle nomen: jam hoc te magis æſtimo.

Syco. Primum præterita edicit, ſi omnia cognoſcis: tum de futuris diſſerit.

Quer. Magnum hercle hominem tu narras: & conſuli hunc non placet.

Syco. Volo equidem; ſed pauliſper non vacat.

Quer. Age; da operam amicis: nobis quoque ſimiliter impera, ſi quid voles.

Syco. Habeo gratiam; quoniam iſtud vultis, fiat. Sed audite; quid loquor: hujuſmodi homines impoſtores eſſe?

Quer. Hem! ſodes; iſtud volebam dicere. Certe ferulas non habet, neque cum turbis ambulat.

Syco. Ha ha he! tales hercle conſulere hic deberet homo curioſiſſimus.

Sard. Verbis quantum vult, ille fallat; plus de nobis non licet.

Syco. Si vobis ita videtur, placeat, ut ego hominem ſciſciter, atque ut omnia perquiram non uno modo; ſi mihi ille de omnibus reſpondere potuerit, ſciatis vere hunc eſſe Divinum, vel Magum.

Sard. Dixiſti optime. Sed eccum ipſe hac præterit: ita ut volui contigit. Quanta in ingreſſu gravitas? Quanta in vultu dignitas?

Quer. Aggrediamur hominem, atque a publico ſevocemus, ut ſecreto diſſerat.

ACTUS TERTII.

SCENA I.

Querolus. Mandrogerus. Sycophanta. Sardanapalus.

SAlve Mandrogere. *Mand.* Salvos eſſe volo. *Quer.* Tu quoque incolumis eſto, Sacerdotum maxime; quoniam laudaris, ac diligeris plurimum merito tuo.

Syco. Scin tu, Mandrogere, quid ex te voluimus noſcere?

Mand. Quædam fortaſſe novi.

Syco. Conſulere de quibuſdam volumus, & cognoſcere tuam inſignem ſapientiam.

Mand. Non equidem conſtitueram: ſed quoniam ita vultis, conſulite, ut reſpondeam.

Syco. Quæſumus, ut libenter nobis tuam operam impendas: prolixa nunc diſceptatione opus eſt.

Mand. Dicite, quid velitis.

Syco. Primum, ut exponas, quæſumus, quæ ſunt optima ſacrorum genera, vel cultu facillima.

Mand. Duo ſunt genera poteſtatum, unum, quod jubet: aliud, quod obſecundat. Sic reguntur omnia. Præclarior majorum poteſtas, ſed minorum ſæpe utilior gratia. Verum de majoribus dicere, neque mihi, neque vobis audire eſt utile. Itaque ſi & invidiam, & ſumptum evitatis, ſperate ab inferioribus.

Syco. Quænam iſta ſunt obſequia, quibus obſequi nunc oportet?

Mand. Dicam celeriter. Tria ſunt in primis: Planetæ potentes: Anſeres importuni: & Cynocephali truces. Has tu effigies omnibus in Fanis, & Sacellis ſi mitigare, vel placare potueris; nihil eſt, obſtare quod poſſit tibi.

Syco. Illoſne, quæſo, tu mihi Planetas loqueris, numeris qui totum rotant?

Mand. Ipſos: nec viſu faciles, nec dictu affabiles: atomos in ore volvunt, ſtellas numerant, maria æſtimant, ſola mutare non poſſunt ſua.

Syco. Egomet audieram, quod ipſi omnia gubernarent.

Mand. Ha ha he! hic ſi aliquid gubernare cenſes, neſcio, ubi naufragium dixeris. Ubi rerum omnium penuriam eſſe norunt, illic homines non regnant. Summa eſt medela, viciſſim alia ut avertat loca: meſſes hac atque illac transferunt diris tempeſtatibus, omneſque fructus paucorum improbitas capit.

Sard. Novum tibi eſt transferri meſſes?

Mand. Iſtis licet rerum omnium ſpecies atque formas, ut libuerit, vertere.

Sard. Sed quot gradibus, & transfuſionibus?

Mand. Aliud ex alio jubet: triticum ex vino ſubito fieri videas, vinum ex tritico. Jam flava ſeges hordei facile efficitur ex quovis titulo & nomine: mortales vero animas ſive Inferis, ſive Superis addere, nullus labor.

Sard. Vides ergo tam potentes placari oportere?

Mand. Ha ha he! paucis hoc licet. Sacraria iſtæc nimis ſuperba ſunt, & ſumptuoſa, maxime ſi obaudire vultis, exiguo votum ſoli ſacello ſolvite.

Syco. Oracula iſtæc ubinam ſpecialiter ſunt expetenda?

Mand. Ubi libet; hac atque illac: ſurſum deorſum: in terra in mari.

Syco. Ecquiſnam infelix deprehendere aut adire poſſit hæc tam vaga ſidera?

Mand. Adire facile eſt: abire impoſſibile.

Syco. Quamobrem? Myſteria ſunt in aditu diverſa & occulta, quæ nos ſoli novimus: Harpyjæ, Cynocephali, Furiæ, Ululæ, nocturnæ Striges: abſentes Hydris congregant; præſentes Virgis ſubmovent. ita neque abeſſe licitum eſt, nec adire tutum: turbas abigunt, & turbas amant. Quid plura? Querole, ſi te Numina diligunt, ne tu quidquam hinc noveris.

Syco. Atqui, Sacerdos noſter, myſterium hoc jam diſplicet: de ſecundo illo genere anſerino ediſſere, atque expone, ſi quid eſt boni.

Mand. Iſti ſunt, qui pro hominibus perorant ante Aras, atque Altaria, quibus Cygnea ſunt capita, & colla: reliquias edere Menſarum ſolent. Iſti ſunt Hariolorum longe fallaciſſimi. Tantum eſt, quod vota hominum interpretantur: & male, precemque dicunt: ſed reſponſa numquam eligunt congrua.

Sard. Hoſne tu olores eſſe narras? ego in ſacellis proxime anſeres inſpexi multos: neminem vidi Cygnum: magnis gutturibus capita attollunt, alas pro manibus gerunt: primum inter ſeſe linguam triſulco vibrant ſibilo: inde ubi ſonuerit unus, cunctas alas quatiunt, diris cum clangoribus.

Mand. Non parvo explentur iſti: panem neque noverunt, neque volunt: hordea inſectantur fracta & madida: ſpicas nonnulli vocant: quidam etiam polenta utuntur, & carne jam ſubrancida.

Syco. En! ſumptum inanem.

Mand. De iſtis quondam magnus dixit Tullius: Anſeribus cibaria publice collocantur, & canes aluntur in Capitolio.

Syco. O genus hominum multiforme, & multiplex! His egomet fuiſſe arbitror Matrem Circen, Proteum Patrem.

Sard. Edepol neque iſti placent. Cynocephalos nunc expone, ſi meliores putas.

Mand. Iſti ſunt, qui in Fanis ac Sacellis obſervant vela ac limina, quibus a pectore capita ſunt canina, albi dentes, panda manus; ædituos cuſtodeſque iſtos Hecuba quondam, poſtquam vere facta eſt Canis, Anubi nupta noſtro latranti Deo omnibus Templis ac Delubris ſemper denos edidit: ſic a pectore biformes, infra homines, ſurſum feras. Itaque ubi ignotus precator Templa petierit, hinc atque hinc multiſono cuncti latratu fremunt; ut adeas, tantum dabis: ut perorare liceat, multo plus dabis. Myſterium de religione faciunt, & commercium: quæ communia ſunt, & gratuita, vendunt foris: iſtis omnibus litandum: ſi parvo nequeas, at quanti queas. Reſpicite ad homines, Poteſtateſque veſtras, & nobis veniam date: mihique credite: Deus facilius aditur, quam prole cognoſcitur.

Syco. Actum eſt: neque iſtos volo, nihilque inter omnia, quæ narraſti, improbius puto.

Sard. Felices vos! qui non Cynocephalos pertuliſtis: ego autem ipſum vidi Cerberum, ubi niſi ramus aureus adfuiſſet, Æneas non evaſerat.

Syco. Quid de Simiis?

Mand. Iſtæ ſunt, quæ futura ſcribunt geſta, quæ vos dicitis: hominumque fata levibus volvunt paginis: non quidem periculoſa hæc animalia, ſed moleſta, atque improba. Quas illic ſannas? quos ronchos videas, ſi nummos non aſperſeris (nam ſi inſuper nuces & ſorba dederis, omnem pupillum cæperis.)

Syco. Harpyjas, quæſo, præteriſti, quæ ſemper rapiunt, & volant.

Mand. Iſtæ ſunt, quæ vota hominum obſervant, atque honores Numinum: non ſolum ſolemnia, verum etiam extraordinaria requirunt, & parentum debita: ſi aliquid ad diem præſentatum non eſt, cum tormentis exigunt: hac atque illac totum per orbem juxta terras pervolant: digitos ad prædam exacuunt curvis timendos unguibus: ſemperque menſis advolant; quod contingunt auferunt: quod relinquunt polluunt. Iſtæc prodigia valere, quam noſſe malo: ſed neutrum placet.

Sard. Noctivagas etiam præteriſti celeres, Capripedes, Hirqui comantes.

Mand. Innumerabilia ſunt hæc prodigia; ſed ignava, & vilia: ſolum hoc eſt, quod ſequuntur, atque obſervant unice; panem Domini.

Syco. Omnia ſacra tute ipſe improbaſti. Quænam igitur prædicas?

Mand. Quoniam ſimpliciter interrogaſtis, ſcitote inter hæc omnia nihil eſſe melius, quam ut aliqui Fat naſcantur bono.

Quer. Et ita ſuſpicamur, ſed Fatum ipſum qualite tandem coli, vel propitiari poteſt?

Mand. Dicam. Genii ſunt colendi; quoniam ipſi decreta Fatorum regunt: iſti ſunt placandi, atque exorandi: ſimulque ſi qua intra ædes latet mala Fortuna, vincienda atque exportanda eſt.

Quer. Pulcre edepol doces. Sed ut facilius nunc ſequamur omnia, da nobis experimentum tuæ poteſtatis & ſapientiæ: quoniam ea, quæ noveras, narraſti: nunc ſi potes, ea, quæ neſcis, dicito.

Mand. Non equidem ex integro fieri iſtud poteſt: tamen accipite pauca, de quibus intelligatis cetera. Certe egomet neque mores, neque facultates veſtr didici.

Sard. Certum eſt.

Mand. Tu Sardanapale, pauper es.

Sard. Agnoſco: veruntamen vereor ne plures hoc ſcian

Mand. Humili loco natus.

Sard. Ita eſt.

Mand. Ideo tibi contra Regium nomen datum eſt.

Sard. Ita ajunt.

Mand. Homo es vorax, petulans & calamitoſiſſimu

Sard. Eho, Mandrogere; num quidnam hoc ſum p catus, ut vitia enarres mea?

Mand. Mentiri mihi licet. Eſtne adhuc, quod narra me velis?

Sard. Utinam! ne iſtæc quidem de me loquutus eſſe ſiquidem, ulterius hæc amicis dicito.

Syco. Ego te, Mandrogere, hoc exoro; futura nu mihi ut enarres, & ea tantummodo, quæ ſunt bo

Mand. Ego non poſſum, niſi a capite exponere: tu S cophanta, nobili & claro natus es loco.

Syco. Ita eſt.

Mand. Ab initio nequam.

Syco. Etiam hoc confiteor; manet.

Mand. Damna te premunt.

Syco. Verum eſt.

Mand.

Mand. Periculum ſæpe tibi incumbit, igni, ferro, flumine.

Syco. Pulcre edepol omnia narravit, quaſi qui mecum vixerit.

Mand. Datum tibi eſt de proprio nihil habere.

Syco. Intelligo.

Mand. Sed de alieno plurimum.

Syco. Jam iſtud nobis ſufficit. Nunc illud te quæſumus, ut etiam huic reſponſa tribuas, homini minime malo.

Mand. Ita fiat. Heus tu, amice? tun' Querolus diceris?

Quer. Di te ſervent. ita eſt.

Mand. Quid horæ nuncupamus?

Syco. Inter ſextam, & tertiam.

Quer. Nihil fefellit: de Clepſydra reſpondiſſe homines putes.

Mand. Hem, quid igitur? Mars trigonus, Saturnus Venerem reſpicit, Jupiter Quadratus, Mercurius huic iratus, Sol rotundus, Luna in ſaltu eſt. Collegi omnem jam geneſim tuam, Querole; mala Fortuna te premit.

Quer. Agnoſco.

Mand. Pater nihil reliquit: amici nihil largiuntur.

Quer. Verum eſt.

Mand. Vis totum audire? Vicinum malum pateris; ſervum peſſimum.

Quer. Agnoſco omnia.

Mand. Vis & nomina ſervulorum tibimet etiam nunc eloquar?

Quer. Audire cupio.

Mand. Servus tibi eſt Pantomalus.

Quer. Verum eſt.

Mand. Eſt alter Zeta.

Quer. Manifeſtum eſt.

Syco. O Sacerdotem divinum! Viſne adhuc amplius? Sciſne a me Domum tuam ignorari?

Quer. Maxime.

Mand. Porticus tibi eſt in dextra, ut ingrediaris ſacrarium e diverſo.

Quer. Ita ſunt omnia.

Mand. In ſacrario tria ſigilla.

Quer. Verum eſt.

Mand. Tutelæ unum. Geniorum duo.

Quer. Jamjam comprobaſti poteſtatem ac diſciplinam: nunc remedium promito.

Mand. Tibi celeriter conſuli poteſt, & ſine ſumptu, ac mora: ſacrarium certe ſolum, ac ſecretum eſt.

Quer. Ita.

Mand. Certe nihil eſt illi conditum.

Quer. Nihil, præter ſigilla.

Mand. Solemnitas quædam ibimet celebranda eſt, ſed religio tecum omnes excludit foras.

Quer. Ut libet.

Mand. Religio per extraneos celebranda eſt.

Quer. Ita fiat.

Mand. Si quoſnam poſſumus nunc invenire tam cito, optimum erat, atque opportunum, iſti ſi vellent operam nunc tibi dare.

Quer. Quæſo, amici, officium nunc, & religionem impendite: ego quoque, ſi opus fuerit, vobis operam præſtabo meam.

Syco. Nihil quidem iſtinc novimus: ſed, ſi ita facto opus eſt, fiat.

Sard. Inhumanum eſt, votis operam denegare.

Mand. Bene dicitis; ambo eſtis boni.

Quer. Proh nefas! mene quaſi ex conſilio nunc ſolum fore? Hem, Pantomale; celeriter jam nunc pervola, & Arbitrum vicinum noſtrum, ubicumque jam nunc reppereris, uſque ad nos pertrahe. Sed novi egomet te: vade jam nunc, & cauponibus tete hodie colloca.

Mand. Neſcis, Querole, factum, ac decretum momentis regi?

Quer. Quid igitur?

Mand. Hora eſt, ſynaſtria iſthæc mihi placet: niſi jam nunc aliquid geritur, fruſtra huc venimus.

Quer. Eamus igitur intus.

Mand. Tu præcede: nos tecum ſumus. Hem! Quod exciderat, eſtne aliqua tibi arcula inanis?

Quer. Non una quidem.

Mand. Una tantum eſt opus, in qua luſtrum illud exportetur foras.

Quer. Ergo & claves largior, ut incluſa excludatur calamitas.

Mand. Omnia ſunt parata. QUOD. BONUM. FAUSTUM. FELIXQUE SIT HUIC DOMUI, Nos præſto ſumus.

ACTUS III. SCENA II.

Pantomalus, Servus.

Omnes quidem Dominos malos eſſe conſtat; & manifeſtiſſimum eſt: verum ſatis ſum expertus, nihil eſſe deterius meo. Non quidem periculoſus ille eſt homo, verum ingratus nimium, & rancidus. Furtum ſi admiſſum domi fuerit, execratur tamquam aliquod ſcelus: ſi deſtrui aliquod videat, continuo clamat, & maledicit quam male. Sedile, menſam, lectum ſi aliquis in ignem injiciat, feſtinatio noſtra, ut ſolet, etiam hinc quæritur. Tecta ſi percolent, ſi confringantur fores, omnia ad ſe revocat: omnia requirit: hercle hic non poteſt ferri. Expenſas autem rationeſque totas propria perſcribit manu. Quidquid expenſum non docetur, poſtulat reddi ſibi. In itinere autem quam ingratus, aut intractabilis? Quoties eſt autem antelucanum, primum vino, dein ſomno indulgemus, hinc primum eſt jurgium: poſt autem inter ſomnum & metum, neceſſe eſt, ut ſequantur plurima: turba, trepidatio, perquiſitio jumentorum, cuſtodum fuga, mulæ diſpares, juncturæ inverſæ, Mulio nec ſe regens. Huic rei prorſus nova in itinere culpa. Quando autem aliud fuit, ſit paulifper patientia: totum iſtud emendat mora: At contra Querolus cauſſam ex cauſſa quærit: aliud ex alio ligat: movere inutile carpentum non vult, neque animal debile: continuoque clamat: Quare iſtud non ſuggeſſiſti prius? quaſi ille prius videre hoc non potuerit! O iniqua dominatio! Ipſe autem ſi culpam fortaſſis advertit, diſſimulat, & tacet; & tum litem intendit, quando excuſatio nulla jam ſubeſt, ne poſtea ſuccurrat illud: jam volebam facere: jam volebam dicere. Jam quoties ultro citroque extrudimur; neceſſe eſt, remeare ad diem, ut ad præſcriptum revertamur. Nonne iſte irarum cauſſas quæritat? Nos autem ſemper, quidquid libet, aliud alio fuerit tempore, illam nobis ſpecialiter diem tribuimus, qua redituri ſumus. Itaque Dominus, qui falli ſeſe non vult, neque decipi, quem Kalendis velit adeſſe, redire jubet pridie? Illud autem quale eſt? Quod temulentum execratur, atque agnoſcit quam cito? Modum qualitatemque vini in vultu & labiis primo conſpectu videt: falli ſe prorſus non vult, neque circumveniri, ut ſolent. Quiſnamne huic poſſit be-

ne aut ſervire aut obſequi? calidam fumoſam non volt, neque calices unguentatos. Quænam ſunt hæ deliciæ? Urceolum contuſum, & infractum, ænophorum exauriculatum & ſordidum, ampullam truncam limoſamque, denſis fultam cerulis non ſimpliciter intuetur: bilem tenere vix poteſt. Jam excogitare nequeo, quid ſit, quod tam gravis placere poſſit moribus. Vinum autem corruptum tenuatumque lymphis continuo intelligit. Solemus etiam vinum vino admiſcere: numquid adulterium dici poteſt, cum lagena vetere caſtrata ſacco, rurſus completur novo? Etiam hoc Querolus crimen indignum putat, &, ut eſt nequitia, ſuſpicatur hoc ſtatim. Ipſum etiam paxillum argenti levibus tenſum tympanis limari commutarique ſemper credit; quia factum eſt ſemel. Quantula eſt autem diſcretio? In argento certe unus eſt color. Nam de ſolidis mutandis mille ſunt præſtigiæ: muta, remuta facimus, & hoc mutari non poteſt. Has ſaltim diſtingui non oportet tam gemellas formulas. Quid tam ſimile, quam ſolidus ſolido eſt? Etiam hic diſtantia quæritur in auro: voltus, ætas, & color, nobilitas, litteratura, paria, gravitas, uſque ad ſcrupulos quæritur: in auro pluſquam in homine. Itaque ubi aurum eſt, totum eſt. Hoc ante Querolus ignorabat. Sed & mali perdunt bonos. Ille autem Arbiter, ad quem nunc eo, quam ſceleratus eſt homo! Servis alimenta minuit, opus autem plus juſto imperat, inverſo hercle modio ſi liceret, turpe eliceret lucrum. Itaque ſi quando iſti caſu vel conſulto ſe vident, tunc invicem ſeſe docent: & tamen hercle, ut omnia dictantur, ſic neceſſe eſt, tamen avarus non eſt in ſuos: ſolum illud eſt, quod nimium crebro verberat, ſemper clamat. Itaque illis ambobus Deus iratus ſit: & non ſumus tamen tam miſeri, atque ſtulti, quam quidam putant. Aliqui ſomnolentos nos eſſe credunt; quoniam ſomniculamur de die: nos autem id facimus vigiliarum cauſſa, quia vigilamus noctibus. Famulus, qui diurnis quieſcit horis, omni vigilat tempore. Nihil unquam melius in rebus humanis feciſſe naturam, quam noctem puto. Illa eſt dies noſtra: tunc aguntur omnia. Nocte balneas adimus, quamvis ſollicitet dies: lavamus autem cum pediſſequis, & puellis. Nonne hæc eſt vita libera? Luminis autem vel ſplendoris illud ſubornatur, quod ſufficiat, quod publicet. Ego nudam teneo; quam Domino veſtitam vix videre licet. Ego latera luſtro: ego effuſa capillorum metior volumina: adſideo, amplector, foveo, foveor. Cuinam Dominorum hoc licet? Illud autem noſtræ felicitatis caput, quod inter nos Zelotypi non ſumus; furta omnes facimus, fraudem tamen nemo patitur, quoniam totum hoc mutuum eſt. Dominos autem obſeramus, atque excludimus. Nam inter ſervos & ancillas una conjugatio eſt. Væ illis, apud quos Domini vigilias multam in noctem protrahunt. Tantum enim ſervis de vita abſtuleris, quantum de nocte abſcideris. Quanti ſunt ingenui? qui transfigurare ſe vellent hoc modo, mane ut Domini fierent: ſervi ut veſpere? Numquam tibi, Querole, opus eſt, tecum iſthæc omnia nos exercere: tu ad tributum cogitas: nobis autem cottidie nuptiæ, natales, joca, dibacchationes, ancillarum feriæ: propter hoc quidam nec manumitti volunt. Quis enim tantam expenſam, tantamque impunitatem præſtare poſſit libero? ſed nimium hic reſedi. Meus ille, credo, jam nunc clamabit, ut ſolet, fas erat me facere, quod præcepit: ideſt, ut ad ſodales pergerem. Sed quidnam hic fiet? Accipienda, & muſſitanda injuria eſt. Domini ſunt: dicant, quod volunt, quamdiu libuerit: tolerandum eſt. Dii boni! Numquamne indulgendum eſt mihi, quod dudum peto, ut omnis ille durus & dirus nimis aut ex municipe, aut ex togato, aut ex officii principe? Quamobrem iſtud dico? Quia poſt indulgentiam ſordidior eſt abjectio. Quid igitur optem, niſi ut faciat ipſe, quod facit? Vivat ambitor togatus, convivator judicum, obſervator januarum, ſervulorum ſervulus, rimator circumforaneus, circumſpectator callidus; ſpeculator, captatorque horarum, & temporum matutinus, meridianus, veſpertinus: impudens ſalutet faſtidientes: occurrat non venientibus: utaturque in æſtu tabulis anguſtis, & novis.

ACTUS III. SCENA III.

Mandrogerus. Querolus.

DEpone ab humeris, Querole, pondus tam grave; ſatisfactum eſt religioni, quod tute ipſe malam Fortunam portaſti foras.

Quer. O Mandrogere; fateor, numquam fieri poſſe hoc credidi: potentiam tuam & religionem ipſa res probat: arcula iſtæc jamdudum a me introlata eſt: quam levis mihi ſoli fuit, & nunc quam gravis eſt duobus?

Mand. Neſcis nihil eſſe gravius Fortuna mala?

Quer. Edepol novi & ſcio.

Mand. Dii te ſervent! Homo. Mihi ipſi hoc præter ſpem venit, quod me laudas modo: nullam umquam domum ſic purificatam retineo: quidquid erat calamitatis egeſtatiſque, incluſimus.

Quer. Miror hercle, unde pondus.

Mand. Enarrari ſubito hoc non poteſt. Ceterum ſolet evenire, ut iſtæc calamitas moveri multis non poſſit jugis. Jam iſtinc ergo Miniſtri nunc mei. Luſtrum iſtud in fluvios dabunt. Tu autem monita, quæ jam nunc dabo, ſenſibus imis cape: Mala hæc Fortuna, quam abſtulimus, redire tentabit domum.

Quer. Nec Dii ſinant. Una ſit illi iſthæc & perpetua via.

Mand. Triduo ergo iſtoc periculum tibi eſt, ne hæc ad te redire tentet res mala. Tu igitur univerſo hoc triduo domi clauſus eſto nocte ac die: nihil de domo tua foras nunc dederis, nihilque intra ædes recipias: vicinos, cognatos, amicos omnes tamquam profanos reſpue ipſam bonam Fortunam clamantem pulſantemque nemo hodie audiat. Exacto autem hoc triduo, illud domi num habebis, quod ipſe ex ipſa excluſeris? Abi ergo intus.

Quer. Ego vero, ac libens, dum tantummodo inter me ac Fortunam meam ſolum paries interſit.

Mand. Celeriter hunc abige. Hem! Querole; fortiter nunc claude fores.

Quer. Factum eſt.

Mand. Seras, & catenas adhibe.

Quer. Tamquam pro memet fecero.

ACTUS III. SCENA IV.

Mandrogerus. Sycophanta. Sardanapalus.

PUlcre edepol res proceſſit. Inventus, ſpoliatus, clauſus eſt homo. Sed ubinam urnam reſpicimus? Ve

nle

ubi arculam iſtam confringemus, atque abſcondemus? ne furtum indicia prodant?

Syco. Neſcio edepol, niſi ubicumque in flumine.

Sard. Credis, Mandrogere? Præ gaudio urnam illam inſpicere non auſus fui.

Syco. Neque ego.

Mand. Atqui hercle ita facto opus fuit, ne mora ſuſpicionem afferret.

Syco. Verum eſt.

Mand. Primum fuit ut inveniretur. Iſtud, quod jam ſequitur, tutum eſt.

Syco. Quidquid libet, narres, Mandrogere; recedamus qualibet. Ego autem non credam mihi, niſi aurum inſpexero.

Mand. Neque ego diſſimulo, pergamus.

Syco. Hac atque illac tantum ad ſecretum locum.

Mand. Proh nefas! Viæ omnes aſſervantur, ripæ frequentantur. Pergamus quocumque celeri.

ACTUS III. SCENA V.

Arbiter. Pantomalus.

HEm! Pantomale; domi quid agitur? Veſter ille quid facit?

Pant. Quod noſti; male.

Arb. Ergo queritur?

Pant. Non plane: ita ſit nobis incolumis, atque propitius.

Arb. Atqui hercle ſolet eſſe ingratus.

Pant. Quid vis fieri? Sic res habet. Cælum numquid æqualiter adminiſtratur? Sol ipſe non ſemper nitet.

Arb. Bene, Pantomale noſter; tandem pro Dominis ſolus qui hæc dictitas.

Pant. Eadem dico, vobis abſentibus præſentibuſque.

Arb. Credo. Nam ſemper novi te bonum.

Pant. Tu nos bonos, ac ſemper felices facis, qui noſtrum illum bene mones.

Arb. Feci, & facio ſemper.

Pant. Vah! Utinam ille mores ſervaret tuos, eſſetque apud nos tam patiens, atque indulgens, quam tu cum tuis.

Arb. Non agnoſco hæc, Pantomale, ſuffragia: nimium noſmet prædicas.

Pant. Edepol nos omnes ſcimus; & laudamus plurimum: utinamque illa tibi omnia eveniant, quæ nos optamus ſervuli!

Arb. Immo tibi hercle; pellibus oſſibuſque veſtris eveniat, quidquid optaſti mihi!

Pant. Ha! Cur ita ſuſpicaris? Numquidnam in aliquo nos gravas?

Arb. Non, ſed quia vobis naturale eſt odiſſe Dominos ſemper ſine diſcrimine.

Pant. Male imprecamur multis: verum eſt: & ſæpe libere: ſed illis Sycophantis, & maliloquis bene, quod noſti.

Arb. Age jam credo. Sed quidnam tu Dominum facere ajebas?

Pant. Rem divinam occœperat. Magus præſto erat cum Miniſtris. Intus omnes tunc ibant ſimul.

Arb. Quidnam eſt hoc? Fores clauſas video: credo divinam rem gerunt: evoca illinc aliquem.

Pant. Hem! Theocles; hem! Zeta; aliquis huc adſit cito. Quidnam eſſe hoc dicam? Silentium eſt ingens: nemo adeſt.

Arb. Solebant non ita ſomniculari Janitores iſta in domo.

Pant. Credo hercle, religionis cauſſa ab importunis cautio eſt. Eamus huc ad pſeudo-thyrum, quod noſti bene.

Arb. Quid ſit? illic clauſum eſt.

Pant. Ne vereare; me duce: noſter ille eſt aditus: claudi, non intercludi poteſt.

ACTUS QUARTI
SCENA I.

Mandrogerus. Sycophanta. Sardanapalus, & Querolus.

O Me miſerum! *Syco.* O me infelicem! *Sard.* O me nudum & naufragum! *Syco.* O Magiſter Mandrogere! *Sard.* O Sycophanta noſter! *Mand.* O Pater Sardanapale! *Sard.* Sumite triſtitiam miſeri ſodales cucullorum tegmina: plus eſt hoc, quam hominem perdidiſſe: damnum vere plangitur. Quid agitis nunc potentes? Quid de theſauris cogitatis? Aurum in cinerem verſum eſt; utinamque totum ſic fieret aurum! magis eſſemus divites.

Mand. Depone pauliſper inane pondus; lacrimas demus funeri. O fallax theſaure! Næ te ego per maria, & ventos ſequor: propter te feliciter navigavi: propter te feci omnia: Matheſin, & magicam ſum conſecutus, ut me ſepulti fallerent: aliorum Fortunam expoſui, Fatum ignoravi meum. Jamjam omnia recognoſco; varia hæc phantaſmata. Erat hic plane bona Fortuna: ſed alteri debebatur, non mihi: noſtra hæc muta vere Fata: theſaurum nos, ſed alienum invenimus. Quænam hæc eſt perverſitas? Numquam ego flevi meum; nunc plango alienum: & te, Querole, juſtus non tangit dolor?

Sard. O crudele aurum! Quiſnam te morbus tulit? Quis te ſic rogus aduſſit? Quis te ſubripuit Magus? Exhæredaſti nos, theſaure; quo jam redituri ſumus tot abdicati? Quæ nos aula recipiet? Quæ nos olla tuebitur?

Mand. Accede, amice, aulam iterum atque iterum viſita.

Syco. Aliam ſpem quærere, amice, poteras: hæc jam non calet.

Mand. Perlege quæſo iterum titulum funeris, atque omnem ſcripturæ fidem.

Sard. Quæſo, inquam, ſodes, funus egomet quodlibet contingere nequeo: nihil eſt, quod metuam magis.

Syco. Meticuloſus homo es tu, Sardanapale: ego perlego: TRIERINUS. TRICIPITINI. FILIUS CONDITUS. ET SEPULTUS. HIC JACET. Heu me miſerum!

Mand. Quidnam tibi eſt?

Sard. Anima in faucibus. Audieram egomet olere aurum: iſtud etiam redolet?

Mand. Quomodo?

Syco. Clauſtrum illud plumbeum denſa per foramina diris fragrat odoribus. Numquam antehac comperi, aurum ſic ranciſcere: uſurario cuilibet fœtere hoc poteſt.

Mand. Quiſnam cinerum eſt odor?

Syco. Ille pretioſus, atque triſtis cultus, quem poſcit miſer.

Mand. Honorifice hoc buſtum tractatum apparet, cujus adhuc ſic redolet dignitas.

Syco. Ego iſthæc non pertuliſſem, ſi recinenti ac monenti credidiſſem Graculo.

Sard. Ego in laqueos non incidiſſem, ſi monita curti ſervaſſem canis.

Mand. Et qualiter te admonuit?

Sard. Egredienti mihi ad angiportum ſuras omnes conſcidit.

Mand. Utinam tibi crura ipſa enervaſſet, ne umquam inde moviſſes pedem! O Euclio funeſte! Parumne vivus illuſiſti? defunctuſne deſines? Et quid ego non merui, qui Agelaſto illi, & perfido fidem accommodavi, & fortunas meas in ipſo riſit exitu?

Syco. Heja? Quid nunc facimus?

Mand. Quid autem, niſi quod dudum diximus, ut nos faltim de filio ejus Querolo ulciſcamur probe? Atque illum, quoniam eſt credulus, mirificis laudemus modis, aulam illi per feneſtram propellamus clanculum, ut & ipſe lugere incipiat, quam nos jamdudum plangimus. Pedetentim accede, atque auſculta, Querolus quid rerum gerat.

Sard. Conſilium placet.

Mand. Accede edepol; ſed urbane reſpice.

Sard. At at! Quid ego video? Omnes nunc intus homines fuſtes ac virgas tenent.

Mand. Credo edepol, iſti illam malam fortunam expectant creduli: accede, atque homines miris terrifica modis: malam illam dicito eſſe te, & comminare, tamquam in ædes ruas.

Sard. Io! Querole.

Quer. Quis tu homo es?

Sard. Fores celeriter violes.

Quer. Quamobrem?

Sard. Ut domum rurſus ingrediar meam.

Quer. Hem Zeta! Hem Pantomale! hac atque illac obſiſtite; abi hinc potius mala Fortuna, quo te ſacerdos detulit.

Sard. Hem? Querole.

Quer. Quid, rogo, nomen tu vocitas meum?

Sard. Ego ſum tua Fortuna, quam redituram prædixit Magus.

Quer. Abſcede hinc: ego hodie Fortunam non recipio; nec bonam.

Mand. Heus tu! Sycophanta: ad hanc januam ſta: homines ſevoca, dum ego buſtum hoc per feneſtras ingero.

Syco. Aperite hanc januam.

Quer. Omnes celeriter huc accurrite.

Mand. Ecce tibi theſaurum, Querole, quem reliquit Euclio: talem ſemper habeas, talem relinquas filiis. Omnia ſunt perfecta: nos hinc ad navem celeriter, ne quod etiam nunc ſubito hic nobis naſcatur malum.

Sard Ha! Quidquid hodie acciderit, ſubeundum eſt. Tantum recurram huc paululum: perdidi myſterium, niſi ipſe Queroli verba audio. Homo eſt autem & credulus, & formidoloſus plurimum: qualiter nunc ille exhorreſcet mortuum? Admovebo aurem hac leviter, hem! Quidnam ego audio? Omnes intus gaudent, tripudiant: nulla ſpes mihi eſt: auſcultabo iterum. Actum eſt: felicitas ad iſtos venit: nobis ergo, nobis male. Omnes intus ſaccos, capſas, ſcrinia requirunt, aurum iſti tractant: ſolidi intus tinniunt. Heu me miſerum! vita erat, ubi nos mortem putabamus eſſe conditam. Erravimus miſeri: ſed non ſimpliciter: ERRAVIMUS, SED NON SEMEL. Metamorphoſis hic agitur: buſtum abſtulimus, aurum abjecimus. Sed quid ego? Nunc ſolum hoc reſtat mihi, ut pro fure jam nunc tenear. Ibo ad conjuratos meos, ne tantum facinus, verumque funus ſolus egomet defleam.

ACTUS IV. SCENA I.

Lar Familiaris.

TAndem urna peperit auri gravida pondere, viliſque mater grande puerperium dedit, indigna quæ frangeretur. Tanta hoc non meruit fides. Magna plane Aula & memorabilis uno atque eodem tempore Domino fidem perſolvit, furtum fecit furibus. O ſapiens Euclio! Nos jactantes non ſumus: theſaurum ſervaſti vivus, liberaſti mortuus. Omnes itaque homines nunc intelligant, neque adipiſci, neque perdere valere aliquid, niſi ubique faveat totum ille, qui poteſt. Quantum ad perſonam Queroli ſpectat, perfecta jam ſunt omnia. Sed Mandrogerontem illum furem ac perfidum nunc illaqueari volo, qui ubi primum hoc audierit, remque omnem agnoverit, continuo rediturus eſt, ut theſaurum dividat: Codicillos etiam proferre audebit, quibus ita cohæres ſcriptus eſt: ſi Aulam Querolo ſine fraude oſtenderet. Quid huic merito eveniat niſi quod jam nunc fiet? Ferat, quod facere voluit. Nam quod feci noſtrum eſt.

ACTUS IV. SCENA II.

Querolus. Arbiter. Pantomalus.

Quer. O Arbiter! jamne credis, quod vidiſti modo?

Arbit. Edepol credo, & ſcio.

Quer. Quid tu, Pantomale, dicis?

Pant. Quid ego dico? Nunc flere ut poſthac deſinas?

Quer. Mens mihi gaudio eſt confuſa: quid primum ſtupeam, & gaudeam? Conſilium ſenis noſtri, an Divinitatis?

Arb. Inprimis bonum Divinitatis. Nam ſi ad hominem reſpiciendum eſt, facile intelligitur, & apparet, furem tibi plus profuiſſe, quam patrem. Quid de memet cenſes, qui tam tarde agnoverim fragmenta urnæ illius, quam jamdudum noveram? Ego mihi non credideram, niſi quod illico inſpexi locum, terramque motam: ante hoc non credidi.

Pant. Atqui ego nihil dubitationis recepi; ubi in teſtulis quaſdam litteras vidi.

Quer. Ergo iſthæc omnia Mandrogerus ille fecit?

Arb. At qui fieri aliud poteſt?

Quer. O ſceleratum hominem! Magum, Mathematicumque qui ſe diceret. Egone manibus meis præſidium paternum ut efferrem de domo? Ego memet ut opponerem, domi ne conderetur? Ego ut redeunti obviarem theſauro? Hoc eſt plane, quod Lar familiaris prædixit meus, etiam renitenti, ac repugnanti eventura mihi omnia bona.

Arb. Quam pulcre factum eſt, ut cupiditas falleretur ſic hominis fallaciſſimi!

Quer. Credis Arbiter? meos ut noſti mores munificos nimis, munerare hercle poſſim hominem, ſi nanciſcerer: ita ridicule ſceleratus fuit, atque ipſe ſeſe luſit in omnibus.

Arb. Ille quidem, ut ſcimus, male meruit perfidus: ſed quoniam tibi per illum bene evenerunt omnia, omnes illi bene optamus, facto, non merito ſuo.

Quer. At at! quidnam eſt? Niſi fallor, Madrogerus eſt eminus. Quidnam ille huc revenit? Novum credo aliquod præſtigium iterum hac exibit. Abi celeriter intus, Pantomale; & fragmenta illius urnæ hic ad nos exhibe.

Arb. Placet hercle.

Quer. O bone Arbiter! fraudulento illi magnam injiciamus calumniam: theſaurum noſtrum ab hoc ereptum poſcamus modo, atque adſtruamus, ab ipſo nobis alienum mortuum eſſe conjectum domi.

Arb. Conſilium placet.

Quer. Propoſitum ergo retineam: ſequantur cætera.

ACTUS QUINTI.

SCENA I.

Mandrogerus. Arbiter. Querolus.

AVe! mi Querole. *Quer.* etiam ſalutas? furcifer! quaſi hodie me non videris. *Mand.* Vidi edepol te; viſumque iterum gaudeo. *Quer.* At ego jam nunc, ſi vivo, faciam, ne tu iterum facias. *Mand.* Eho! quid commerui?

Quer. Rogas? ſceleſte: qui hodie domum expoliaſti meam?

Mand. Miſſa iſthæc face: non ſum alienus vobis: domum egomet iſtam jampridem colo.

Quer. Iterum ad Magicas? Aurum ſubripuiſti hodie meum.

Mand. Fortaſſe jure feci. Nam debebatur & mihi?

Quer. Pulchre edepol: ſolus exinde hic fui. Ubinam mihi nunc tu, frater, naſceris & novellus, & ſenex? Unde ſubito tam vetuſtus, qui nuper natus non eras? nam ſi fratrem meum te eſſe adſereres, perdite, illud nunc reſtat, ut te dicas trimulum. Nam tertio anno pater meus ille Euclio, cum eſt profectus, me hercle reliquit ſolum, atque unicum.

Mand. Superflua ſunt iſta: cohæres ego ſum, non frater tibi.

Quer. Non recte edepol fieri iſtud ſolebat. Nam mallem, amice, fratrem te, quam cohæredem eſſe adſeras.

Mand. Quid multis opus eſt? Querole. Quod ſcriptum eſt, lege. Sume igitur: novi fidem veſtram.

Quer. Hercle exploraſti. Hem! quid iſtuc eſt? Senex Euclio. Querolo. Filio. Salutem. dicit. Quia furtum tibimet fieri metuerem, per ſervum, vel per extraneum quemlibet, Mandrogerontem fidelem amicum, & peregre mihi cognitum ad te direxi, ut is tibimet, quod reliqui, ſine fraude oſtenderet. Huic tu medium theſauri dabis: ſic fides ipſius, atque opera expoſtulat.

Arb. Hem! ſodes, paululum in parte hac ades. Nihil huic deberi res ipſa exponit, & docet. Sed uſquequaque, ſi placet, in ſummam, ſi libuerit aliquid, dabitur muneris.

Quer. Tu igitur patris mei amicus, & ſodalis peregre fuiſti?

Mand. Ipſa res docet.

Quer. Nimirum inde tam fideliter nobis commiſſa iſthæc eſſe tace. Age, amice; quoniam inſtitutus es hæres; da quod poſſit dividi.

Mand. Edepol inveſtigavi, ac dedi integrum, atque inlibatum theſaurum.

Quer. Eho! Tu mihi theſaurum aliquando dediſti?

Mand. Tu negas?

Quer. Niſi omnia in memoriam redigis, forſitan aliquid exciderit mihi. Quem tu narras theſaurum?

Mand. Quem tibi Euclio reliquit; ego tradidi.

Quer. At aurum ad te quemadmodum pervenit, homo alieniſſime?

Mand. Jocabar equidem, fidem poſtea ut perſpiceres meam.

Quer. Tu ergo theſaurum, & ſecretum illud, quod noſter ſenex dereliquerat, abſtuliſti?

Mand. Utique hoc tibi ceſſit bene. Alter enim non reddidiſſet.

Quer. Age jam ſodes, luſiſti ſatis: reſtitue potius, veram ut cognoſcamus fidem. Dis gratias! Vicine Arbiter, quod ſpes noſtra in tuto eſt. Dixin' paulo ante, facere hoc non potuiſſe extraneum? Agimus gratias. Dj te ſervent! Amicorum optime; qui & mihi ſuperſtiti, & defuncto illi ſervaſti fidem. Sed ubinam quæſo Aulam illam condidiſti? Fiat plane, quod ille præcepit ſenex: exprome theſaurum, diviſio celebretur: quoniam præſto eſt Arbiter.

Mand. Immo potius tu aurum exprome, & fidem tuam: quoniam egomet partes explicavi meas.

Quer. Fatigas nos, Mandrogere; an vere loqueris?

Mand. Edepol vere loquor, atque honeſte. Nam qui totum habere potui; partem peto.

Quer. Ergo inter manus tuas theſaurus fuit noſter.

Mand. Fuit hercle.

Quer. Tu nuſquam hodie pedem: reſtitue, quod abſtuliſſe te fateris: quia ire inficias non potes. Eja! Inquam, reſtitue, quod abſtuliſti.

Mand. Reddidi.

Quer. Cui, quando, quomodo?

Mand. Hodie per feneſtram.

Quer. Ha ha he? Tu theſaurum ubi repperiſti?

Mand. Apud ædes ſacras.

Quer. Quo aditu extuliſti?

Mand. Hic per iſtam januam.

Quer. Quid igitur fuit cauſæ, ut per feneſtram redderes?

Mand. Tu, inquam, theſaurum illum aſportaſti foras.

Quer. Pulcre edepol conditionem Codicillorum impleviſti, qua præceptum eſt, ut theſaurum mihi ſine fraude oſtenderes. Veruntamen præſcriptionem hanc tranſeo, qua uti poſſum, etiamſi aurum nunc ipſe mihi traderes. Hæc ſuperflua ſunt, ubi res nuſquam apparet. Redde quod negas.

Mand. O tempora! O mores! O pater Euclio! Hancine mihi tu domi fidem prædicabas? Reddidi, fateor, omneſque per Deos iuro! Ipſum theſaurum inlibatum intra ædes tuas projeci.

Quer. O Arbiter bone; plus iſte admiſit, quam putabamus. Hic, niſi fallor, ipſe eſt, qui urnam illam funeſtam nobis projecit in domum.

Mand. Dii te ſervent! Ipſam ego projeci. Tandem apparet veritas.

Quer. Dic, quæſo, Mandrogere; fragmenta ſi adſpexeris, poteſne agnoſcere?

Mand. Itaut compaginari per me poſſint omnia.

Quer. Hem! Pantomale; neſcio quid paulo ante hic proferri juſſeram.

Arb. Præſto ſunt partes illæ, in quibus titulus inſcriptus fuit.

Quer. Agnoſciſne, Mandrogere.

Mand. Agnoſco hercle: tandem ceſſent artes & præſtigiæ.

Quer. Si verum agnoſcis, lege celeriter, quod ſcriptum hic fuit.

Mand. Et legi, & lego. Cedo hunc mihi, Pantomale, fragmentorum paginas: Trierinus. Tricipitini. filius. Conditus. Et ſepultus. Hic jacet.

Quer.

Quer. Eho! ſceleſtiſſime, diſpicis? Si vivorum neglexiſti gratiam, etiamne mortuis manus intuliſti ad ludum, & ludibria? Neque contentus eruiſſe buſtum, atque cineres, ultimo per feneſtram etiam funeſtas mihi projeciſti reliquias. Quid ad hæc dicis? Theſaurum abſtuliſti; violaſti ſepulcrum, perdite? Domum meam non ſolum compilaſti, verum etiam polluiſti, ſacrilege. Tu negas?

Mand. Quæſo, quandoquidem me fortuna ſic deſtituit, nihil quæro ulterius. Vale.

Quer. At ego hercle quæro, cui mala omnia congeſſiſti, ſcelus. Hem! Pantomale. Numquam abs hoc pedem. Ego jam nunc, ubinam Prætor ſedeat, inveſtigabo celeriter, atque omnia iſthæc exſequar jure & legibus.

Mand. Quæſo, Arbiter, pro me ut verba facias. Nihil niſi veniam expoſtulo.

Arb. O mi Querole: numquam te celeriter uſque ad ſanguinem. Ignoſce ac remitte: hæc eſt vera victoria.

Quer. Age; reliquiæ illius defuncti recordantur: quid de theſauro fiet? Quid dicis, Mandrogere?

Mand. Juro per Deos: juro per ipſam, quam rupi, fidem, mihi nec aurum, nec theſaurum eſſe.

Quer. Remove pauliſper inania: putemus nos paululum in judicio ſtare. Urnam certe illam tu abſtuliſti.

Mand. Factum eſt.

Quer. Elige nunc, Mandrogere, utrum voles, buſtum illic, an aurum fuit? Quandoquidem cauſa hujuſmodi eſt, ut multis conſtet modis.

Mand. Auribus teneo lupum: neque uti fallam, neque uti confitear, ſcio: utrum utrum dixero, id contra me futurum video. Dicam tamen: aurum illic fuit.

Quer. Redde igitur.

Mand. Hoc jam factum eſt.

Quer. Factum doce.

Mand. Urnam tu recognoſcis?

Quer. Quid vis, ut reſpondeam: primum egomet aulam non recognoſco: ſatiſne hoc ſufficit?

Mand. Quid! Titulum non recognoſcis?

Quer. Magis quam te, quem hodie primum hic noſcito. Sed finge nunc a nobis urnam, & titulum recognoſci: redde quod in aula fuit.

Mand Tu autem, quid in aula fuiſſe dicis?

Quer. Ego interim propoſui: tu fare, quid velis.

Mand. Et vos a me aurum quemadmodum poſtulatis, cum res ipſa buſtum & cinerem comprobet?

Arb. Ergo acquieſcis, ut buſtum illic fuerit.

Mand. Acquieſco, quandoquidem ita ſe res habet: hac non proceſſit, alia tentandum eſt via.

Quer. O ſtulte! Sacrilegium confiteris, dum furtum negas.

Mand. Quid ſi nihil illic fuit?

Quer. Quidnam igitur poſtulas? Aurum, ſi fuit, abſtuliſti: ſi non ſuſtuliſti, non fuit.

Mand. Vos quæſo dicite viciſſim, quidnam illic fuit?

Quer. Nobis interim ſufficit purgare noſmet, objecta repellere. Nam ſi ingredimur: temtandum eſt via.

Mand. Quodnam hoc monſtri genus eſt. Ego totum feci ſolus: totum neſcio. Jamjam quæſo, quoniam mihi neque res, neque cauſa ſupereſt, ſimpliciter dicite, utrumne furtum, an ſacrilegium ego commiſi? Niſi forte illud nunc reſtat mihi, ut qui furtum non potui, ſacrilegium neque volui, utrumque feciſſe convincar nefas.

Quer. Etiamne circuitionem quæris? Quid aliud autem in cauſa eſt? Niſi quod præſidium abſtuliſti, & cineres abdidiſti. Unum fraudulenter, aliud nequiter. Neque enim te buſtum expetiſſe, aurum abjeciſſe, credere quiſquam poteſt.

Mand. Optime totum hoc aſſeritur, & mihi ipſi veriſimile videtur. Sed ſi quid creditis, non eſt ita.

Quer. Age; jam bono animo eſto: nihil præter ſacrilegium perpetraſti. Aurum autem ibi non fuit.

Mand. Furtum igitur non commiſi. Dii te ſervent! Vicimus. Nam iſtoc ego tempore pœnam malo, quam pecuniam debere. Sed illud, quæſo, exponite: unde tantum illic erat?

Quer. Neſcis, Mage, nihil eſſe gravius fortuna mala?

Mand. Recognoſco.

Quer. Etiam quæritas? Unde pondus. Tegmen illius urnæ non vidiſti plumbeum?

Mand. Jamjam ſibi omnia conveniunt. His præſtigiis etiam certis falli non potuiſſet Magus?

Arb. Nondum intellegis, inepte; impoſitum nobis eſſe ab illo, quem bene noveras? Unde autem illi theſaurus? Homini prope pauperi? Ac ſi habuiſſet ille, ergone iſte ſecretum neſciſſet patris: tibique ille indicaret, quod non crediderat filio? Porro autem paterfamilias ille theſaurum ſi ſciebat, illi tandem crediderat loco, tibique illuc patuiſſet aditus.

Mand. Edepol quid dicam neſcio.

Arb. Ergo Euclionem tu non noveras. Habuit ſenex ille multa hæc lætiſſima, qui te etiam defunctus ridet.

Mand. Edepol tandem intellego: illius plane nequitiam hic recognoſco: frequenter ille ſimilibus me luſit modis. Quæſo igitur, date veniam, quod cineres illos abſtuli: aurum credidi.

Arb. Bene excuſas, Mandrogere: agnoſco ingenium lepidiſſimum: plane Euclionis noſtri ſodalem: tale ſemper ille dilexit ſenex.

Mand. Sinite quæſo me abire. Hem! Querole, humanum ac miſericordem ſemper fuiſſe te ſcio: hominem tam elegantem abire ne permiſeris: non unius officii homo eſt: Magum, Mathematicumque hic habes: (tantum quod primum eſt) furtum facere non poteſt. Recipe, quæſo, amicum veterem & novum, quandoquidem pater Euclio ſolum hunc tibi reliquit in bonis.

Quer. Ha! Sed furem timeo.

Arb. Quid unum furem metuis? Jam totum hic abſtuli

Mand. Quæſo, Querole noſter: patri egomet tuo n[...] jam devoveram; tibi nunc ſervire cupio: quand[o]quidem hodie ſic miſertus es mei: da victum, q[ui] vitam induſiſti.

Quer. Si ambo ita voltis, fiat. Potes ne diſcere l[e]ges novas?

Mand. Ha ha he! Illas egomet ex parte condidi.

Quer. Senatus conſultum dico egomet Servilianum, Paraſiticum.

Mand. Ohe! Viſne interdictorum capita jam nunc e[x]quar? Ad legem Porciam, Caniniam, Furia[m] Fuſiam Coſs. Torquato, & Taurea.

Quer. Poteſne obſervare omnia?

Mand. Iſtud apud me parum eſt: tu nunc, ut ediſca[s] jubes: ego docere jam volo.

Arb. Hui! Multarum palmarum hic eſt. Recip[e] quæſo jura: inſtructiſſimum talem quærere homin[es] pro magno ſolent.

Quer. Quoniam ita voltis, fiat: ſed ubinam ſunt [so]cii atque adjutores tui?

ACTU[S]

ACTUS V. SCENA II.

Sycophanta. Querolus.

NOs quoque præſto ſumus, o parens, ac patrone!

Quer. O Sycophanta! O Sardanapale! Hæc veſtra eſt religio? Sed cauſas jam hic præſtitit: vos abite, quo libet.

Syco. Et noſmet ſcimus, Querole: quoniam TRIS KAI DECA DOMUS UNA NON CAPIT. Verum quæſumus, viatici nobis aliquid ut aſpergas; quoniam ſpem omnem amiſimus.

Quer. Viaticum ego vobis? Quonam merito?

Syco. Nos cum Mandrogeronte huc venimus.

Quer. Digna cauſa, mercedem vulnerum victus accipiat Paraſitus. In convivio ſi fuerit veſte diſciſſus, a Rege convivii duplam mercedem reparationis accipiat. De livoribus in quadrantem ſolidi unjus, de tumoribus in Trientem pœna tranſibit. Quod ſi tumor fuerit, & livor, ſolidi unius beſſem jure optimo conſequetur. Unam vero unciam apoziæ (hoc eſt excoctionis) contemplatione concedimus. Placuit autem, ut etiam de plagis & vulneribus infixis ſummo ſtrepitu criminali amicorum præſtetur inſpectio, ita ut dodrantem ſolidi nec inſpicientum gratia, nec largientis excedat humanitas. In luxu autem, & oſſibus loco motis, uſque ad deuncem ſolidi injuriarum commodum placuit extendi. Jam porro de oſſibus fractis placuit convenitque, ut in minutalibus, ſolidus: in principalibus vero oſſibus argenti libra protinus traderetur. Quæ autem vel principalia videri oſſa debeant, vel minuta, Medicorum tractatus inveniet. Si autem Paraſitus amplius quam præfinitum eſt. poſtularit, plus petiti periculo ſtranguletur. Rex convivii injuriarum merita etiam voluntariis decertationibus cogatur exſolvere: ita ut præmium criminoſi mercedem tranſeat vulnerati. In tantum autem Paraſitis conſuli jura voluerunt, ut ſi vulneribus afflictus conteſtata lite defecerit, hæredibus ejus paterni laboris ac meriti præmia non negentur. Quod ſi Paraſitus quamvis tractatus incommode, tamen de malis ſuis inteſtatus occiderit, hæres agere non poterit. Qui cauſas mortis non reddiderit, inſepultus abjiciatur. Et hæc omnia ſic conſtituimus, quaſi inter ſe hominum liberorum & æqualium laſciviens turba deſæviat. Nam ſi a Patrono vel ſervo Patroni Paraſitus contra leges pertulerit injuriam, habebit fugiendi liberam poteſtatem.

PIN-

PINDARI THEBANI
EPITOME
AC SUMMA UNIVERSÆ ILIADOS
HOMERI.

Iram pande mihi Pelidæ diva ſuperbi
Triſtia, qui miſeris injecit funera Graiis,
Atque animas fortes heroum tradidit orco,
Latrantumque dedit roſtris volucrumque trahendos
Illorum exangues inhumatis oſſibus artus.
Conficiebat enim ſummi ſententia regis,
Ex quo contulerant diſcordi pectore pugnas
Sceptriger Atrides, & bello clarus Achilles.
Quis Deus hos fato triſti contendere juſſit?
Latonæ, & magni proles Jovis; iſte Pelaſgum
Infeſtam regis peſtem in præcordia miſit,
Implicuitque gravi Danaorum corpora morbo.
Nam quondam Chryſes ſolenni tempora vitta
Implicitus, raptæ flevit ſolatia natæ,
Inviſoſque dies, inviſaque tempora noctis
Egit, & aſſiduis implevit queſtibus auras.
Poſtquam nulla dies animum mærore levavit,
Nullaque lenibant patrios ſolatia fletus,
Caſtra petit Danaum, genibus affuſus Atridæ,
Per ſuperos, regnique decus miſerabilis orat,
Ut ſibi cauſa ſuæ reddatur nata ſalutis:
Dona ſimul profert; vincuntur fletibus ejus
Myrmidones, reddique patri Chryſeida cenſent.
Sed negat Atrides, Chryſenque excedere caſtris
Deſpecta pietate jubet; ferus oſſibus imis
Hæſit amor, ſprevitque preces damnoſa libido.
Contemptus repetit Phœbeïa templa ſacerdos,
Squalidaque infeſtis mærens ſecat unguibus ora,
Dilaceratque comas, annoſaque tempora plangit.
Mox ubi depoſiti gemitus, lacrimæque quierunt,
Vatidicis ſacras compellat vocibus aras:
Quid coluiſſe mihi tua numina, Delphice, prodeſt,
Aut caſtam vitam multos duxiſſe per annos?
Quidve juvat ſacros poſuiſſe altaribus ignes,
Si tuus externo jam ſpernor ab hoſte ſacerdos?
En hæc defectæ redduntur dona ſenectæ.
Si gratus tibi ſum, ſim te ſub judice tutus.
Aut ſi quam ut luerem ſub acerbo crimine pœnam
In[illegible] admiſi, cur o tua dextera ceſſat?
Poſce ſacros artus, in me tua dirige tela:
Auctor mortis eris certe Deus: ecce merentem
Fige Patrem: cur nata luit peccata parentis,
Atque hoſtis duri patitur miſeranda cubile?
Dixerat: ille ſui vatis prece motus, acerbis
[illegible] infeſtat Danaos, peſtemque per omnes
Immittit populos: vulgus ruit undique Grajum,
Vixque rogis ſupereſt tellus, vix ignibus æther,
Deerat ager tumulis, jam noctis ſydera nonæ
Tranſierant, decimuſque dies pateſecerat orbem:
Tunc Danaum proceres in cœtum clarus Achilles
Convocat, & cauſas hortatur peſtis iniquæ
Edere Teſtoridem: tunc Calchas numina divum
Conſulit, & cauſas pariter, finemque malorum
Invenit, effarique verens, ope tutus Achillis
Hæc ait: infeſti placemus numina Phœbi,
Reddamuſque pio caſtam Chryſeida patri,
Si volumus Danai portus intrare ſalutis.
Dixerat: exarſit ſubito violentia Regis,
Teſtoridem pictis primum compellat amaris,
Mendacemque vocat, magnumque incuſat Achillem,
Inque vicem ducis invicti convitia ſuffert.
Confremuere omnes; tandem clamore repreſſo
Cogitur invitos æger dimittere amores,
Intactamque pio reddit Chryſeida Patri,
Multaque dona ſimul ſuper: quam cunctis notus Ulyſſes
Impoſitam puppi patrias devexit ad arces,
Atque iterum ad claſſes Danaum ſua vela retorſit.
Protinus infeſti placantur numina Phœbi,
Et prope conſumptæ vires redduntur Achivis.
Non tamen Atridæ Chryſeidis excidit ardor:
Mæret, & amiſſos deceptus luget amores.
Mox rapta magnum Briſeide privat Achillem,
Solaturque ſuos alienis ignibus ignes.
At ferus Aeacides nudato protinus enſe
Tendit in Atriden, & ni ſibi reddat honeſtæ
Munera militiæ, letum crudele minatur.
Nec minus ille parat contra defendere ſe ſe,
Et niſi caſta manu Pallas tenuiſſet Achillem,
Turpem cæcus amor famam liquiſſet in ævum
Gentibus Argolicis; contempta voce, miniſque
Invocat æquoreæ Pelides numina matris,
Ne ſe plus Thetis contra patiatur inultum.
At Thetis audita nati prece, deſerit undas,
Caſtraque Myrmidonum prætervolat, inde per auras
Emicat æthereas, & in aurea ſydera fertur.
Tunc genibus Regis ſparſis affuſa capillis:
Pro nato veni genitrix en ad tua ſupplex
Numina, ſumme parens, ulciſcere meque meumque
Corpus ab Atride, quod ſi permittitur illi,
Ut flammas impune mei violaret Achillis;
Turpiter occiderit ſuperata libidine virtus.
Juppiter huic contra dixit: triſtes depone querelas
Magni diva maris, mecum labor iſte manebit.
Tu ſolare tui mærentia pectora nati.
Dixit, & illa levis Cæli delapſa per auras
Littus adit patrium, grataſque ſororibus undas.
Offenſa eſt Juno, tantumque, ait, optime coniux
Doride nata valet, tantum debetur Achilli,
Ut mihi, quæ coniux dicor tua, quæque ſororis

Dul.

Dulce fero nomen, dilectos fundere Achivos,
Et Troum renovare velis in prælia vires?
Hæc ita dona refers nobis? ſic diligor a te?
Talibus incuſat dictis irata Tonantem,
Inque vicem ſummi patitur convitia regis.
Tandem interpoſito lis omnipotente reſedit,
Conciliumque ſimul genitor dimittit ab aula.
Interea ſol immenſo deſcendit Olympo,
Et dapibus largis curant ſua corpora divi,
Inde petunt thalamos, iucundaque dona quietis.
Nox erat, & toto fulgebant ſydera Cælo,
Humanumque genus requies, Diuumque tenebat,
Tunc Pater omnipotens ſomnum vocat, ac ita fatur:
Vade age per tenues auras leniſſime Diuum,
Argolicique ducis celeri pete caſtra volatu,
Dumque tuo premitur ſopitus pondere dulci,
Hæc illi mandata refer; cum craſtina primum
Extulerit Titana dies, noctemque fugarit,
Cogat in arma Viros, incautumque occupet hoſtem.
Nec mora, ſomnus abit, levibuſque per aera pennis
Devolat in thalamos Agamemnonis: ille ſopore
Corpus inundatum leni proſtratus habebat.
Ad quem ſic loquitur curarum, operumque levator:
Rex Danaum Atrida vigila, & mandata Tonantis,
Quæ tibi miſſa ſimul delapſus ab æthere porto,
Accipe: cum primum Titan emerſerit undis,
Fortibus arma jube ſocios aptare lacertis,
Et petere Iliacos inſtructo milite campos.
Dixit, & has repetit, per quas deſcenderat, auras.
Interea lucem terris dedit ignea lampas,
Convocat attonitus iuſſis Pelopeius heros
In cœtum proceres, remque omnibus ordine pandit.
Cuncti promittunt ſocias in prælia vires,
Hortanturque ducem: quorum Rex fortia dictis
Pectora collaudat; grates agit omnibus æquas.
Hic tum Therſites (quo non deformior alter
Venerat ad Trojam, linguaque protervior alter)
Bella gerenda negat, patrias hortatur ad oras
Vertere iter: quem conſiliis illuſtris Ulyſſes
Correptum dictis ſceptro percuſſit eburno.
Tunc vero ardeſcit conceptis litibus ira,
Vix telis caruere manus, ad ſydera clamor
Tollitur, & cunctos pugnandi corripit ardor.
Tandem ſolertis prudentia Neſtoris ævo
Compreſſam miti ſedavit pectore turbam,
Admonuitque duces dictis, reſponſa recordans
Temporis illius, quo viſus in Aulide ſerpens
Conſumpſit volucrum bis quatuor arbore fœtus,
Atque ipſam valido pugnantem pectore contra
Addidit extremo natorum funere matrem.
Inquit deinde ſenex, maneo, remaneteque Achivi,
In decimo labor eſt, quem Chalcas dixerat, anno,
Quo caderet Danaum victricibus Ilion armis.
Aſſenſere omnes, laudatur Neſtoris ætas,
Conciliumque ſimul dimittitur, arma parari
Dux jubet, atque animos aptari, & pectora pugnæ.
Poſtera lux tacitas ut primum depulit umbras,
Et nitidus Titan radiis patefecerat orbem,
Protinus armari ſocios jubet acer Atrides,
Et petere Iliacos inſtructo milite campos.
Vos mihi nunc Muſæ (quid enim non ordine noſtis?)
Nomina clara ducum, claroſque referte parentes,
Et dulces patrias, nam ſunt hæc munera veſtra:
Dicamus, quot quiſque rates ad Pergama duxit,
Et cæptum peragamus opus, ſitque autor Apollo,
Aſpiretque libens operi per ſingula noſtro.
Peneleus princeps, bello Laertius acer,
Arceſilaus atrox, Clonius dux, atque Protenor
Boetes decies quinas duxere carinas,
Et tumidos valido pulſarunt remige fluctus.
Inde Mycenæis Agamemnon finibus ortus,
Quem ſibi delegit bellatrix Græcia regem,
Centum egit plenas armato milite puppes.
Et bis tricenis Menelai navibus ardor
Inſequitur, totidemque ferox Agapenoris ira.
Quos juxta fidus ſolerti pectore Neſtor,
Conſilioque potens, gemina cum prole ſuorum
It cum ter denis munitus in arma carinis.
Aſcadius virtute potens, & Epiſtrophus ingens
Gloria Myrmidonum, ſævi duo robora belli,
Grandia ter denis pulſarunt æquora proris,
At bis vicenas Polybetes, atque Leontes
Inſtruxere rates ornatas milite forti.
Eurypylus, Stelenuſque ferox, & fortis in armis
Tydides, valido pulſarunt remige pontum,
Biſque quadragenas onerarunt milite puppes.
Aſcalaphuſque potens, & Telamus acer uterque
Ter denas valido complerunt milite naves.
At bis vicenas equitum fortiſſimus Aiax
Inſtruxit puppes, totidemque Abantore natus,
Quos iuxta Grajum ductor comitatur Achilles,
Cum quinquaginta materna per æquora vectus.
Theſſalici juvenes Pedippus, & Antipus ibant,
Altaque ter denis ſulcarunt æquora proris.
Et tribus aſſumptis ratibus ſecat æquora Teucer,
Triptolemuſque novem, Rhodius quos viribus acer
Omenelus ſequitur minus una nave profectus,
Quam duxit Telamone ſatus Salaminius Aiax.
Aſcropus, & magno Theſtoride natus, & una
Eubocca, ac magnis Helpenor finibus ortus,
Dulichiuſque Meges, animiſque inſignis, & armis,
Et clara de gente Thoas Andremone natus,
Hi quadragenas omnes duxere carinas.
Et bis ſex Ithaci naves ſolertia duxit,
Quem ſequitur totidem ratibus Telamonius Aiax
Egregia virtute potens, ſimul ordine Phineus
Ire bis undenis tentabat in arma carinis.
Idomeneus & Meriones, Cretæus uterque,
Bis quadragenis muniti navibus ibant,
Et totidem puppes clara de gente Menetes
Duxit Athenæus, quos viribus ambit Achilles.
Amphimachuſque ferox, Alpinus, & Elide nati,
Et clari virtute Polixeus, atque Dares.
Hi bis vicenas onerarunt milite naves.
Proteſilaus agit totidem, fortiſque Podartes
Inſtructas puppes, quas duxit Oileus Aiax.
At ſeptem Vetonte ſatus tulit arma carinis,
Quem ſequitur iuxta Padalirius, atque Machaon,
Altaque ter denis ſulcarunt æquora proris.
His ducibus Grajæ Trojana ad littora puppes
Bis ſeptem venere minus, quam mille ducentæ.
Jamque cito appulerant claſſes, campoſque tenebant,
Tunc pater ad Priamum miſit Saturnius Irim,
Quæ doceat fortes veniſſe ad bella Pelaſgos.
Nec mora, continuo juſſu capit arma parentis
Priamides Hector, totamque in prælia pubem
Feſtinare jubet, portiſque agit agmen apertis.
Cui fulgens auro caſſis iuvenile tegebat
Omni parte caput, munibat pectora thorax,
Et lævam clypeus, dextram decoraverat haſta,
Ornabatque latus mucro, ſimul alta nitentes
Crura tegunt ocreæ, quales decet Hectoris eſſe.

Hunc ſequitur forma melior, non fortis in armis,
Belli cauſa Paris, patriæ funeſta ruina,
Deiphobuſque, Helenuſque ſimul, fortiſque Poletes,
Et lacer Æneas Veneris certiſſima proles.
Archilocuſque, Athamuſque ferox Antenore nati.
Nec non & proles generoſa Lycaonis ibat
Pandarus, & magnæ virtutis Glaucus in armis,
Amphionque, Adraſtus, & Auſtius, atque Phialtes.
Ibat & Amphimacus, Mariuſque inſignis uterque,
Magnanimique duces Rhodius, & Epiſtrophus ingens,
Euphoriuſque ferox, claruſque ætate Pyragmes,
Cum quibus Eneſteus, ac Amphius, & bonus armis
Ipothus, atque Othamas venere, Pigerius una
Ixioneque ſati, Crontuſque, & Emonius, ambo
Florentes ætate Viri, quos fortis, & ingens
Aſcanius ſequitur, ſimul & Jovis inclyta proles
Sarpedon, claraque ſatus tellure Chorœbus.
His ſe defendit ducibus Neptunia Troja,
Viciſſentque, dolo Danaum niſi fata vetaſſent.
Jamque duæ ſtabant acies fulgentibus armis,
Cum Pris exitium Trojæ, & funeſta ruina,
Armatum adverſo Menelaum ex agmine vidit,
Seque velut viſo perterritus angue recepit
Ad ſocios amens; quem poſtquam turpiter Hector
Confuſum terrore videt, Proh dedecus, inquit,
Æternum patriæ, generiſque infamia noſtri,
Terga refers? at non dubitabas hoſpitis olim
Expugnare toros, cujus nunc defugis arma,
Vimque times; ubi nunc vires, ubi cognita nobis
Ludorum quondam vario certamine vis eſt?
Hic animos oſtende tuos, nil adjuvat arma
Nobilitas formæ, duro Mars milite gaudet.
Dum jaceas in amore tuo, nos bella geremus
Scilicet, ut noſtrum fundamus in hoſte cruorem.
Æquius adverſis tecum concurrat in armis
Impiger Atrides; ſpectet Danaumque, Phrygumque
Depoſitis telis populus, vos fœdere juncto
Adverſas conferte manus, decernite ferro,
Veſtrum nunc Helenam ſumat quis rectius ipſam.
Dixit; quæ contra paucis Priameius Heros,
Quid nimis indignis (inquit) me vocibus urges,
O patriæ germane decus? nam nec mihi conjunx,
Pronaque luxuria eſt, fungor virtutis amore,
Nec vires, dextramque viri tentare recuſo,
Dummodo victorem conjux cum pace ſequatur.
Dicta refert Hector, placuit ſententia Graiis.
Protinus accitur Priamus, ſacriſque peractis
Fœdera junguntur: poſt hæc diſcedit uterque
Depoſitis telis populus, campuſque pateſcit.
Interea toto diſcedit ab agmine Troum
Pulcher Alexander clypeoque inſignis, & haſta,
Quem contra paribus fulgens Menelaus in armis
Conſtitit, & tecum mihi ſunt certamina, dixit,
Nec longum noſtra lætabere conjuge, quæ te
Mox rapuit regem, tantummodo Juppiter aſſit.
Dixit, & adverſum ſe concitat acer in hoſtem.
Ille virum forti venientem reppulit ictu,
Seque gradu celeri recipit, longeque frementem
Haſtam deinde jacit, quam devitavit Atrides.
Inque vicem miſſo fixiſſet pectora telo
Prædonis Phrygii, niſi vaſtum ferrea corpus
Texiſſet lorica viri ſeptemplice tergo.
Inſequitur juxta clamor, tum adverſus uterque
Conſtitit, & galea galeam terit, & pede plantam
Conjungit, ſtridet mucro mucrone coruſco,
Corpus collectum tegitur fulgentibus armis.
Non aliter fortes nitida pro conjuge tauri
Bella gerunt, vaſtiſque replent mugitibus auras.
Atque diu rigido captabant corpora telo,
Tunc memor Atrides raptæ ſibi conjugis, inſtat,
Dardaniumque premit juvenem mox enſe rigenti,
Cedentemque retro dum deſuper appetit hoſtem,
Splendidus extremas galeæ percuſſit ad oras.
Diſſiluit mucro: gemuerunt agmina Grajum.
Tunc vero ardeſcit, quamvis manus enſe carebat,
Et juvenem arrepta proſternit caſſide victor,
Ad ſocios traheretque, niſi caligine cæca
Texiſſet Cytherea virum, ſubjectaque mento
Fortia rupiſſet laxatis vincula nodis,
Ultimus ille dies Paridi foret: abſtrahit auro
Fulgentem galeam ſecum Menelaus, & ardens
In medios mittit proceres, rurſumque recurrit,
Et magnam validis contorſit viribus haſtam
In cladem Phrygii; ſua quem Venus eripit hoſti,
Et ſecum in thalamos defert teſtudine ſtructos.
Ipſa dehinc Helenam muris accerſit ab altis,
Dardanioque ſuos Paridi deducit amores.
Quem tali poſtquam conſpexit voce locuta eſt:
Veniſti mea flamma Paris, ſuperatus ab armis
Conjugis antiqui; vidi, puduitque videre,
Arreptum cum te traheret violentus Atrides,
Iliacoque tuos fœdaret pulvere crines:
Noſtraque (me miſerum) timui ne Doricus enſis
Oſcula diſcuteret, totus mihi mente relicta
Fugerat ore color, ſanguiſque reliquerat artus.
Quis te cum ſævo contendere juſſit Atrida?
An vaga fama tuas nondum pervenit ad aures
De virtute viri? moneo, ne rurſus iniquæ
Illius tua fata velis committere dextræ.
Dixerat, & largis perfudit fletibus ora.
Triſtis Alexander, non me ſuperavit Atrides,
O meus ardor, ait, ſed caſtæ Palladis ira.
Mox illum noſtris ſuccumbere turpiter armis
Aſpicies, aderitque meo Cytherea labori.
Poſt hæc amplexu per mutua corpora juncto
Incumbit membris Cygneidos, illa ſoluto
Accipit flammas gremio Trojæque, ſuaſque.
Interea toto Menelaus in agmine Troum
Quærit Alexandrum, victorque huc fertur, & illuc.
Quem frater ſocias acuens in bella catervas
Adjuvat, & forti populos Phryges increpat ore,
Et ſervare jubet reges, Helenamque repoſcit.
Cumque inter ſeſe proceres certamen haberent,
Concilium omnipotens habuit regnator olympi.
Fœderaque intento turbavit Pandarus arcu
Te, Menelae, petens, laterique volatile telum
Incidit, & tunicam ferro, ſquammiſque rigentem
Defecat, excedit bello gemebundus Atrides,
Caſtraque tuta petit, quem doctus ab arte paterna
Pæoniis curat juvenis Podalirius herbis,
Atque iterum in cædes, horrendaque prælia mittit.
Armavit fortes Agamemnonis ira Pelaſgos,
Et dolor in pugnam cunctos communis agebat.
Bellum ingens oritur, multumque utrimque cruoris
Funditur, & totis ſternuntur corpora campis,
Inque vicem Troumque cadunt, Danaumque catervæ,
Nec requies datur ulla viris, ſonat undique Mavors,
Telorumque volant ex cunctis partibus imbres.
Occidit Antilochus rigido demerſus in umbras
Enſe Caleſtiadis, optataque lumina linquit.
Inde manu forti Grajorum terga prementem
Occupat Amphione ſatum Telamonius Ajax,

Et

Et prædurato transfixit corpora telo.
Purpuream vomit ille animam cum ſanguine mixtam,
Ora rigat moriens, tuuc maximus Antiphus haſtam
Viribus adverſis conatus corpore toto
Torquet in Ajacem, telumque erravit ab hoſte,
Inque hoſtem cadit; ictus in inguine Leucon
Concidit infelix proſtratus vulnere forti,
Et carpit virides moribundus dentibus herbas.
Impiger Atrides caſu commotus amici,
Demophoonta petit, teloque adverſa trabali
Tempora tranſfixit, vaginaque horridus enſem
Eripit; ille ſuis moriens reſupinus in armis
Occidit, & terram moribundus vertice pulſat.
Poſt hæc Ægæum ſaxi dejecerat ictu
Impiger Umbraïdes, dederatque ſilentibus umbris:
Tuncque avidus prædæ juvenem ſpoliare parabat,
Deſuper haſta venit dextra vibrata Thoantis,
Perque viri ſcapulas, animoſaque pectora tranſit.
In vultus ruit ille ſuos, calidumque cruorem
Ore vomit, ſtratuſque ſuper ſua palpitat arma.
Sanguine Dardanii manabant undique campi,
Manabant amnes paſſim, pugnabat ubique
Immixtis ardens amborum exercitus armis,
Et modo Trojanis virtus, modo creſcit Achivis,
Lætaque per varios petitur victoria caſus.
Hic poſtquam Danaum longe cedentia vidit
Agmina Tydides, tumidumque increſcere Martem,
In medias acies, qua plurimus eminet hoſtis,
Irruit, adverſas proſternit cæde phalanges,
Huc illuc volat enſe ferox, haſtamque coruſcat.
Bellica Pallas adeſt, flagrantiaque ignibus arma
Adjuvat, atque animos juveni, vireſque miniſtrat.
Ille (boum veluti viſo grege ſæva leæna,
Quam ſtimulat jejuna fames, ruit agmina contra,
Et proſtrata necat veſano corpora dente)
Sic ruit in medios hoſtes Calydonius heros,
Virginis armigeræ monitis, & numine tutus.
Converſi dant terga Phryges, fugientibus ille
Inſtat, & extinctos morientum calcat acervos.
Dumque furit, ſternitque viros, videt ecce Thoantis
Adverſo ſtantes furibundus in agmine natos,
Ægæum, Idæumque ſimul, quem cuſpide præceps
Occupat ante gravi, ſed vulnera depulit umbo,
Vibratumque ſolo ferrum ſtetit; haud mora, totis
Ingentem torquet Tydides viribus haſtam,
Transfoditque viri pectus: pars cuſpidis ante
Eminet, & prodit ſcapulis pars altera foſſis.
Hunc ibi fundentem calidum de pectore flumen,
Verſantemque oculos, animamque per ora vomentem
Conſpexit frater: ſtricto celer advolat enſe,
Germanique cupit fatorum exiſtere vindex.
Sed neque vim ſævi, nec fortia ſuſtinet arma
Tydidæ, contraque tamen defendere tentat.
Et volucris, decerpta ſui cum corpora nati
Accipitrem laniare videt, nec tendere contra,
Auxilium nec ferre ſuo valet anxia natu,
Quodque poteſt levibus plangit ſua pectora pennis:
Sic hoſtem Idæus germani cæde ſuperbum
Spectat atrox, miſeroque nequit ſuccurrere fratri:
Et niſi ceſſiſſet, dextra cecidiſſet eadem.
Nec minus in Teucros armis furit acer Atrides,
Inſequiturque acies, & ferro vulnera miſcet.
Obvius huic fatis ductus occurrit iniquis
Infelix Rhodius, quem vaſto cuſpidis ictu
Sternit, & ingenti ſcapulas tranſverberat haſta.
Hinc petit Idomeum de adverſa parte ruentem
Merione ſatum, cujus poſt funera lætus
Aſtropio genitum Stygias dimittit ad umbras.
Merionis puerum vibrata percutit haſta,
Pergellumque necat; vaſtiſque horrendus in armis
Eurypylus gladio venientem Herpedona fundit,
Et pariter juvenem vita ſpoliavit, & armis.
Parte alia volitat ſinuoſo Pandarus arcu,
Tydidemque oculis adverſa per agmina quærit:
Quem poſtquam vidit ſternentem corpora Troum,
Horrida direxit contento ſpicula cornu,
Et ſummas humeri diſtrinxit acumine partes.
Tunc vero ardeſcit juvenis Calydonius ira,
In medias acies animoſi more leonis
Fertur, & Aſcroneum, magnumque Alpenora fundit,
Cominus hunc gladio, jaculo ferit eminus illum.
Inde premit Polydona, Abanthaque cuſpide forti,
Et notum bello Xanthum, vaſtumque Thoantum.
Poſt hos infeſtus Croniumque, & Scemona telo
Perturbat celeri, pariterque ad Tartara mittit.
Tu quoque Tydidæ proſtratus Pandare dextra
Occidis infelix accepto vulnere triſti:
Dextera qua naris fronti conjungitur imæ,
Diſſipat & cerebrum galeæ cum parte revulſum,
Oſſaque confoſſa ſpargit Tydideus enſis.
Jamque manus Æneas, & Calydonius Heros
Contulerant jactis inter ſe cominus haſtis,
Undique rimabant inimico pectora ferro,
Et modo cedebant retro, modo deinde coibant.
Poſtquam utrique diu ſteterant, nec vulnera magnus
Qua daret infeſto Tydides enſe videbat,
Saxum ingens, medio quod forte jacebat in agro,
Biſſeni quod vix juvenes tellure levabant,
Suſtulit, & magno conamine miſit in hoſtem.
Ille ruit proſtratus humo cum fortibus armis,
Quem Venus æthereas genetrix delapſa per auras
Accipit, & nigra corpus caligine condit.
Non tulit Oenides animo, nebulaſque per ipſas
Fertur, & in Venerem flagrantibus irruit armis:
Et neque quem demens ferro petat inſpicit ante,
Cæleſtemque manum mortali vulnerat enſe.
Icta petit cælum terris Cytherea relictis,
Atque ibi ſidereo queritur ſua vulnera Marti.
Dardanium Æneam ſervat Trojanus Apollo,
Accenditque animos, iterumque ad bella reduxit.
Undique conſurgunt acies, & pulvere cælum
Conditur, horrendiſque ſonat clamoribus æther.
Hic alius rapido dejectus in æquora curru
Conteritur, pedibuſque ſimul calcatur equorum.
Atque alius volucri trajectus corpora telo,
Quadrupedis tergo pronus ruit; illius enſe
Dejectum longe caput a cervice cucurrit.
Hic jacet exanimis fuſo ſuper arma cerebro.
Sanguine manat humus, campi ſudore madeſcunt.
Emicat interea Veneris pulcherrima proles,
Denſaque Grajorum premit agmina, nudaque late
Terga metit gladio, funeſtaque prælia miſcet.
Nec ceſſat ſpes una Phrygum fortiſſimus Hector
Sternere cæde viros, atque agmina vertere Grajum.
Ut lupus in campis pecudes cum cernit apertis,
Non ductor gregis ipſe comes, non horrida terret
Turba canum, premit eſuriens, & negligit omnes,
In medioſque greges avidus ruit: haud ſecus Hector
Invadit Danaos, & territat enſe coruſco.
Deficiunt Grajorum acies, Phryges acrius inſtant,
Attolluntque animos: geminat victoria vires.
Ut vidit ſocios infeſto cedere Marti

Rex Danaum, ſublimis equo volat agmina circum,
Hortaturque Duces, animoſque in prælia firmat.
Mox ipſe in medios audax ſe proripit hoſtes,
Oppoſitaſque acies ſtricto diverberat enſe.
Ut Libycus cum forte Leo procul agmina vidit
Læta boum paſſim virides errare per herbas,
Attollit cervice jubas, ſitienſque cruoris
In mediam erecto contendit pectore turbam:
Sic ferus Atrides adverſos fertur in hoſtes,
Infeſtaſque Phrygum proturbat cuſpide turmas.
Virtus clara ducis vires accendit Achivum,
Et ſpes exacuit languentia militis arma.
Funduntur Teucri, Danai lætantur ovantes.
Tandem hic Æneam immiſſo contendere curru
Conſpicit Atrides, ſtrictoque occurrere ferro
Apparat, & jaculum quantum furor ipſe movebat,
Viribus intorquet, quod depulit error ab illo
Pectus in aurigæ, ſtomachoque infigitur alto.
Ille ruens ictu media inter lora, rotaſque
Volvitur, & vitam calido cum ſanguine fundit.
Ingemit Æneas, curruque animoſus ab alto
Deſilit, & valido Cretheona cominus ictu,
Terſilochumque ferit, quorum poſt funera victor
Paphlagonum ductor Menelai concidit armis,
Antilochumque Miſon; poſt hos Jovis inclyta proles
Sarpedon bello funeſto prælia miſcet.
Quem contra infelix non æquis dimicat armis
Triptolemus magno ſatus Hercule, ſed neque vires
Hunc ſervare patris, nec tot potuere labores,
Quin caderet, tenuemque daret de corpore vitam.
Saucius egreditur medio certamine belli
Sarpedon, fraudiſque ſubit commentor Ulyſſes,
Et ſeptem juvenum pulcherrima corpora fundit.
Hinc pugnat patriæ culmen Mavortius Hector,
Illinc Tydides, ſternuntur utrimque virorum
Corpora per campos, & ſanguine prata rigantur.
Pugnat bellipotens caſta cum Pallade Mavors,
Ingentemque movet clypeum, quem ſancta Virago
Egit, & extrema percuſſum cuſpide cædit,
Attonitumque ſimul Cælum petere ipſa coegit.
Hic ille æthereo queritur ſua vulnera regi
Saucius, & magni genitoris jurgia ſuffert.
Interea magnis Atamantem viribus Aiax
Interimit, magnumque petit Menealus Adraſtum,
Et trahit ad claſſes manibus poſt terga revinctis,
Ex hinc deducit lætos ex hoſte triumphos.
Incumbunt Danai, cedit Trojana juventus,
Tergaque nuda tegit: ſenſit Mavortius Hector
Pro Danais pugnare Deos, validaſque ſuorum
Virginis armigeræ ſubduci numine vires.
Continuoque petit muros, Hecubamque vocari
Imperat, & Divæ placari numina ſuadet.
Protinus armatas innuptæ Palladis arces
Iliades ſubeunt, feſtiſque altaria fertis
Exornant, cæduntque ſacras ex more bidentes.
Dumque preces Hecube ſupplex ad templa Minervæ
Pro charis natis genitrix, & conjuge fundit,
Interea Glaucus ſtricto contendere ferro
Cum Diomede parat, nomenque, genuſque roganti,
Quis ſit, & unde foret, magnis cum viribus haſtam
Mittere tentabat; tentanti Ætholius heros,
Quo ruis? exclamat, quæ te, ſcelerate, furentem
Mens agit imparibus mecum concurrere telis?
Hoſpitis arma vides, Veneris qui vulnere dextram
Perculit, & ſummo repulit certamine Martem.
Pone truces animos, infeſtaque tela coerce.

Poſt hæc inter ſe poſito certamine pugnæ
Commutant clypeos, inimicaque prælia linquunt.
Colloquium petit interea fidiſſima conjunx
Hectoris Andromache, parvumque ad pectora natum
Aſtyanacta tenet, cujus dum maximus heros
Oſcula parva petit, ſubito perterritus infans
Convertit timidos materna ad pectora vultus,
Terribilemque fugit galeam, criſtamque micantem.
Utque caput juvenis poſito detexerat ære,
Protinus infantem geminis amplectitur ulnis,
Attollenſque manus, precor, o Pater optime, dixit,
Ut meus hic, pro quo tua numina natus adoro,
Virtutes patrias primis imitetur ab annis.
Hæc ait, & portis acies petit acer apertis,
Una deinde Paris; poſtquam in certamina ventum eſt,
Protinus in medium procedit maximus Hector,
Grajorumque duces invictis provocat armis.
Nec mora continuo fraudis commentor Ulyſſes,
Et ferus Idomeneus, & notus gente paterna
Meriones, Grajumque ſimul dux acer Atrides,
Ajaceſque duo clari, ſpecioſus in armis
Eurypylus, magnoque Thoas Andromene natus,
Quique manum Veneris violavit vulnere triſti,
Procedunt: aberat nam Troum terror Achilles,
Et dulci cithara divum lenibat amores.
Sortes miſerunt, quis eorum in bella valeret.
Ergo ubi dejectis auratam Regis Atridæ
Sortibus in galeam, magnus proceſſerat Ajax,
Concurrunt armis Ajax crudelis, & Hector.
Principio jactis committunt prælia telis,
Mox rigidos ſtringunt enſes, & fortibus armis
Decertant, parteſque oculis rimantur apertis.
Et modo terga petunt, duros modo fortibus ictus
Depellunt clypeis; ingens ad ſydera clamor
Tollitur, & vaſtis impletur vocibus æther.
Non ſic ſetigeri exacuunt fervoribus iras,
Pectoribusque petunt vaſtis, modo dentibus uncis
Alternos vibrant gladios, & vulnera miſcent,
Fortia terga premunt, ſpumantque per ora viciſſim
Fumigeræ nubes, concretaque fulgura, & ignes
Jactantur, magnoque implentur murmure ſilvæ:
Tales Priamides ſimul Ajax fortis in armis.
Tandem animis, armiſque furens Telamonius Ajax
Inſignem bello petit Hectora, quaque patebat
Nuda viri cervix, fulgentem dirigit enſem.
Ille ictum celeri prævidit callidus aſtu,
Tergaque ſubmittit, ferrumque umbone repellit.
Sed levis extremas clypei dilabitur oras
Enſis, & exiguo cervicem vulnere libat.
Acrius adverſum rurſus conſurgit in hoſtem
Priamides, nec jam ferro Telamone creatum,
Sed magno ſaxi jactu petit; at ferus Ajax
Ingentem clypeo ſeptemplice reppulit ictum.
Et juvenem ſaxo percuſſum ſternit eodem.
Quem levat exceptum Graiis inimicus Apollo,
Integratque animum; jam rurſus ad arma coibant,
Stringebant iterum gladios, cum feſſus in undas
Cæperat igniferos Titan immergere currus,
Noxque ſubire polum: juxta mittuntur utroſque
Qui dirimant a cæde viros, nec ſegnius illi
Depellunt animos; tunc bello maximus Hector,
Quæ te terra virum? qui te genuere parentes?
Viribus es proles generoſa, atque inclyta, dixit,
At contra referre parat Telamonius Ajax,
Heſiona de matre vides Telamone creatum,
Nobilis illa domus fama, & generoſa propago.

He-

Hector at Heſione nomen, caſuſque recordans,
Abſiſtamus, ait, ſanguis communis utrique eſt,
Ajacemque prior aurato munerat enſe.
Inque vicem, quo ſe bellator cinxerat Ajax,
Accepit baltheum vario cælamine ſculptum.
Poſt hoc extemplo Troum, Danaumque catervæ
Diſcedunt, Cælumque tegit nox atra tenebris.
Implentur dapibus largis, Bacchique liquore,
Atque avide placido tradunt ſua corpora ſomno.
Poſtera cum primum ſtellas aurora fugarat,
In cœtum venere Phryges, tunc maximus Hector
Cum ſociis memorans heſternæ funera noctis
Suadet, ut invictis Helene reddatur Achivis,
Prædaque, quæ duros Menelai mulceat ignes.
Idque placet cunctis: cum ſævo miſſus Atridæ
Pertulit Idæus Troum mandata, neque ille
Aut animum precibus, nec dictis porrigit aures.
Ultro etiam caſtris Idæum excedere juſſit.
Paruit hic monitis, iterumque ad caſtra reverſus
Trojæ, contemptum duro ſe narrat ab hoſte.
Interea Danai confuſi cæde ſuorum
Ingentes ſtruxere pyras, collectaque paſſim
Fortia tradiderant ſociorum corpora flammis,
Tunc removent foſſas, & vallum robore cingunt.
Ut nitidum Titan radiis patefecerat orbem,
Convocat in cœtum ſuperos Pater, & monet omnes,
Ne contra ſua fata velint contendere Divi.
Ipſa per æthereas Cæli delabitur auras,
Umbroſiſque ſimul conſedit montibus Idæ.
Inde acies videt Iliacas, dextraque potenti
Suſtinet auratas æquato pondere lances,
Fataque dura Phrygum, caſuſque expendit Achivum,
Et Grajum clades gravibus præponderat armis.
Interea Danaos ingenti concitus ira
Priamides agit, & totis ſupereminet armis,
Unum quippe decus Phrygiæ: turbantur Achivi,
Doricaque ingenti complentur caſtra tumultu.
Hortatur ſocios muris incluſus Atrides,
Languenteſque animos juvenum in certamina firmat.
Princeps Tydides ardentibus emicat armis,
Per medioſque hoſtes immani turbine fertur.
Hic illi occurrit fatis Ægæus iniquis
Telum immane manu quatiens, quem maximus Heros
Occupat, & duro medium traſverberat enſe.
Hinc Phrygias acies vaſtis protectus in armis
Teucer agit, ſpargitque leves in terga ſagittas,
Coriſiona ferum letali vulnere fundit.
Mox alias acies petit, aurigamque ſuperbi
Hectoris obtruncat; quem ſaxo Troius Heros
Occupat, excuſſoque incautum proterit arcu.
Aſt illum fidi rapiunt de cæde ſodales,
Proſtratumque levant: ruit undique turbidus Hector,
Adverſaſque acies infeſta cuſpide terret.
Sed rurſus Danai turbati cæde ſuorum
Concurrunt, iterumque leves in caſtra catervæ
Confugiunt, portaſque objecto robore firmant.
At Phryges obſidunt incluſos aggere Grajos,
Excubiiſque premunt muros, flammiſque coruſcant.
Cetera per campos ſternit ſua corpora pubes,
Indulgentque mero, curas, animoſque reſolvunt.
Attoniti Danaum proceres diſcrimine tanto,
Nec dapibus relevant animos, nec corpora curant.
Sed miſeri ſua fata gemunt: mox hoſte repulſo,
Legatos mittunt, dextramque hortantur Achillis,
Ut ferat auxilium miſeris. Theteius Heros
Nec Danaum capit aure preces, nec munera regis
Ulla referre cupit, non illum redditus ignis,
Aut intacta ſuo Bryſeis corpore movit,
Irrita legati referunt reſponſa Pelaſgis,
Et dapibus curant animos, lenique ſopore
Alterius noctis tarde labentibus aſtris,
Reſtabatque ſuper tacitæ pars altera noctis.
Tunc Danaum juſſu caſtris Ætholius Heros
Egreditur, ſociumque ſibi delegit Ulyſſem,
Qui ſecum tacito ſubluſtri noctis in umbra
Scrutetur ſtudio, quæ ſit fiducia Troum,
Quidve agitent, quantaſve parent in prælia vires.
Dumque iter horrendum loca per montana vagantes
Carpebant, venit ecce Dolon, quem Troia pubes
Miſerat, ut Danaum ſolerti pectore vires
Aſpiceret, ſenſuſque ducum, plebiſque referret.
Quem procul ut vidit ſocius Diomedis Ulyſſes,
Abdiderant occultantes ſua corpora furtim
In denſos frutices, ut ſpe percuſſus inani
Trojanus juvenis curſu præcederet illos,
Ne facile oppreſſus greſſum in ſua caſtra referret.
Poſt ubi tranſierat fidens animoque, manuque,
Proſiluere viri, juvenemque evadere curſu
Conantem capiunt, ferroque, manuque minantur.
Ille timore pavens, vitam concedite, dixit,
Hoc unum ſatis eſt; quod ſi perſtatis in ira,
Quanta ex morte mea capietis præmia laudis?
At ſi cur veniam tacitis exquiritis umbris,
Maxima Troja mihi currum promiſit Achillis,
Si veſtras cepiſſet opes; hæc dona ſecutus,
In dubios caſus, coram quos cernitis ipſi,
Infelix cecidi: nunc vos per Numina Divum,
Per mare, per Ditis fluctus obteſtor opaci,
Ne rapere hanc animam crudeli cæde velitis.
Hæc pro conceſſa referetis dona ſalute,
Concilium Priami regis, remque ordine gentis
Expediam Phrygiæ: poſtquam quid Troja pararet
Cognovere viri, fauces mucrone recluſo
Detrudunt juveni: poſt hæc tentoria Rhæſi
Intrant, atque ipſum ſomno, vinoque ſepultum
Obtruncant, ſpoliantque viros, fuſoſque per herbam
Exanimant ſocios: tunc triſti cæde peracta
Præda humeros onerant, multo candore nitentes
Rhæſi ventigenas ſecum adduxere jugales.
Thraces equos rapiunt, quos nec præcedere ventus,
Nec poſſet volucri curſu ſuperare ſagitta.
Inde iterum Argolicas primæ ſub tempore lucis
Ad claſſes redeunt, quos Neſtoris accipit ætas,
Ac recipit portis: poſtquam ſua caſtra tenebant,
Facta duci referunt: laudat Pelopeius Heros,
Feſſaque jucundæ tradunt ſua membra quieti.
Lux exorta viros in priſtina bella remiſit,
Inſtaurantque animos recreato milite pugnæ
Dardanium, Danaumque Duces, volat undique nubes
Telorum, & ferro ferrum ſonat: undique mixtis
Inter ſe ſtrident mucronibus, inſtat utrimque
Denſa acies, mixtuſque fluit cum ſanguine ſudor.
Tandem ferventi Danaum Rex concitus ira
Antiphonem ingenti proſtratum vulnere fundit,
Teſſandrumque ſimul, fratremque ad bella ruentem
Hippolytum, poſt hos gladio petit Amphimodonta.
Is fratris dextram gladio ferit, ille dolore
Acrior accepto, fugientem Antenore natum
Perſequitur, traxitque ferox cum vulnere pœnas.
Hector tunc pugnæ ſubit acri concitus ira
Priamides, mox perculſos agit undique Grajos,
Nec Paris hoſtiles ceſſat proſternere turmas,

Eury-

Euripylique femur contento vulnerat arcu.
Incumbunt Troes, fugiunt in caſtra Pelaſgi
Viribus exhauſtis, & vallis undique firmant
Obicibus muros, ſaxo Mavortius Hector
Perfringit portas, ferrataque robora laxat.
Irrumpunt aditus Phryges, atque in limine primo
Reſtantes ſternunt Grajos, vaſtoque catervas
Diſturbant, alii ſcalas in mœnia ponunt,
Et jaciunt ignes, geminat victoria vires.
De muris pugnant Danai, turreſque per altas
Saxa volant, ſubeunt facta teſtudine Troes,
Aſcenduntque aditus, & totis viribus inſtant.
Turbati fugiunt omnes in caſtra Pelaſgi,
Et ſcandunt puppes, inſtat Trojana juventus,
Telaque crebra jacit, reſonat clamoribus æther.
Neptunus vires Danais, animumque miniſtrat,
Pugna ingens oritur, furit iſtinc hoſtis, & illinc,
Dextraque Idomenei cadit Aſius: Hector atrocem
Amphimachum obtruncat, nec non incumbit in armis
Anchiſe gener Achatius, quem ſuderat enſe
Magnanimus ductor Rhodius, tunc fervidus ira
Deiphobus ferit Aſcalaphum, mergitque ſub undas.
Hector ubique ferus violento pectore ſævit,
Quem ſaxo ingenti percuſſum maximus Ajax
Depulit, & toto proſtratum corpore fudit.
Concurrit Trojana manus, juvenemque vomentem
Sanguineos fluctus, Xanthi lavere fluentis.
Inde interum ad pugnam redeunt, fit maxima cædes
Amborum, & manat tellus infecta cruore.
Polydamas valido Protenora percutit ictu,
Amphilocumque Antenoriden Telamonius Ajax,
Bethæumque Athamas, Promachum quoque ſternit atrocem
Penelei dextra, inde cadit Priameia pubes.
Acrius inſurgunt Troes ad Achaica bella,
Inſtaurantque manus, cedit Pelopeia virtus
Pulſa metu, vallumque, & muros aggere ſeptos
Tranſiliunt, alii foſſas volvuntur in ipſas.
Advolat interea Danaum metus impiger Hector,
Confugiunt iterum ad claſſes Agamemnonis alæ,
Atque inde adverſis propellunt viribus hoſtem.
Fit pugna ante rates; ſævit Mavortius Hector,
Et poſcit flammas, totamque incendere claſſem
Apparat: huic validis obſiſtit viribus Ajax
Stans celſa in puppi, clypeoque incendia ſæva
Suſtinet, & ſolus defendit mille carinas.
Hinc jaciunt Danai robuſtæ cuſpidis haſtas,
Illinc ardentes tædas Phryges undique jactant.
Per vaſtos ſudor pugnantum defluit artus.
  Non valet ulterius cladem ſpectare ſuorum
Patroclus, ſubitoque armis munitus Achillis
Advolat, & falſa convertit imagine Troas.
Qui modo turbabant Danaos, animoque fremebant,
Nunc trepidi fugiunt, fugientibus imminet ille,
Perturbat velox acies, vaſtumque per agmen
Fertur, & ingenti Sarpedona vulnere fundit.
Et nunc hos gladio, nunc illos proterit arcu,
Præliaque horrendi ſub imagine verſat Achillis.
Quem poſtquam ſocias miſcentem cæde catervas,
Turbantemque acies reſpexit fervidus Hector,
Tollit atrox animos, vaſtiſque immanis in armis
Occurrit contra, magnoque hunc increpat ore:
Huc age nunc converte gradus, fortiſſime Achilles,
Jam noſces ultrix quid Trojæ dextera poſſit,
Et quantum in bello poſſit fortiſſimus Hector.
Nam licet ipſe ſuis Mavors te protegat armis,
Invito tamen hæc perimet te dextera Marte.
Ille ſilet, ſpernitque minas, animoſaque dicta,
Ut quem mentitur verus credatur Achilles.
Tunc prior intorquet collectis viribus haſtam
Priamides, quam prolapſam celeri excipit ictu
Patroclus, redditque vices, & mutua dona.
Objicit & ſaxum multo cum pondere miſſum,
Quod clypeo excuſſum viridi tellure reſedit.
Tunc rigidos ſtringunt enſes, & cominus arma
Inter ſe miſcent, donec Trojanus Apollo
Mentitos vultus ſimulati pandit Achillis,
Denudatque Virum, quem bello maximus Hector
Pugnantem falſis poſtquam deprendit in armis,
Irruit, & juvenem nudato pectore ferro
Trajicit, & victor Vulcania detrahit arma.
Vindicat extincti corpus Telamonius Ajax,
Oppoſitoque tegit clypeo: Priameia pubes
Lætitia exultat, Danai dum funera mœrent.
Interea juvenis triſti cum pube ſuorum
Teſtorides in caſtra gerit miſerabile corpus.
Tunc ut Pelidæ rumor diverberat aures,
Palluit infelix juvenis, calor oſſa reliquit,
Triſtia membra ſimul materno nectit amictu
Deflens Æacides triſti de cæde ſodalis,
Unguibus ora ſecat, comptos in pulvere crines
Deformat, ſcindit firmas de pectore veſtes,
Et ſuper extincti proſtratus membra ſodalis
Crudeles fundit queſtus, atque oſcula figit.
Mox ubi depulſi gemitus, lacrimæque quierunt,
Triſtis, ait, jam, jamque meo cruciabere ferro,
Non impune mei lætabere cæde ſodalis,
Hector, ait, magnoque meo violente labore
Perſolves pœnas, atque iſtis victor in armis,
In quibus exultas, fuſo moriere cruore.
Poſt hoc accenſus furiis decurrit ad æquor,
Fortiaque arma Thetim ſupplex rogat; illa relictis
Fluctibus auxilium Vulcani protinus orat.
Excitat Ætnæos calidis fornacibus ignes
Mulciber, & validis fulvum domat ignibus aurum.
Mox effecta ferens divinis artibus arma
Evolat ad Thetidem, quæ poſtquam magnus Achilles
Induit, in clypeum vultus convertit atroces.
Illic ignipotens mundi cælaverat axem,
Sideraque, & liquidas redimitas undique Nymphas.
Fecerat & mira liquidas Nereidas arte,
Oceanum, terras, & cinctum Nerea circum,
Annorumque vices, diverſaque tempora noctis,
Quatuor & mundi partes, quantum Arcton ab Auſtro,
Et quantum Occaſus roſeo diſtaret ab ortu,
Lucifer unde ſuis, unde Heſperus, unus uterque
Exoriatur equis, quantum vel in orbe mearet.
Luna cava, & nitida luſtraret lampade terras.
Addideratque freto ſuo numina, Nerea magnum,
Oceanumque ſenem, vertentem Prothea ſemper,
Tritoneſque feros, & amantem Dorida fluctus.
Terra gerit ſilvas, horrendaque monſtra ferarum,
Fluminaque, & montes, cumque altis oppida muris
In quibus exercent leges, animoſaque jura
Certantes populi: ſedet illic æquus utrique
Judex, & litem diſcernit fronte ſerena.
Parte alia caſtæ reſonant Pæana puellæ,
Dantque choros molles, hæc dextra tympana pulſat,
Illa lyræ graciles extenſo pollice chordas
Percurrit, ſeptemque modis modulatur avenis.
Carmina componunt mundi reſonantia motum,
Rura colunt alii, ſulcant gravia arva juvenci,
Maturas metit robuſtus meſſor ariſtas,

Et

Et gaudet preſſis immundus vinitor uvis.
Tondent prata greges, pendent in rupe capellæ,
Hic intermedius ſtabat Mars aureus armis,
Atropos hunc circumſtabat, reliquæque ſorores
Sanguineis mæſtæ Clotho, Lacheſiſque capillis.
Talibus ornatus donis Thetydeius heros,
In medias acies immani turbine fertur.
Cui vires præbet caſta cum Pallade Juno,
Dantque animos juveni: videt hunc Cythereius heros.
Occurritque viro, ſed non cum viribus æquis,
Æacidæ nec compar erat, tamen ira coegit
Conferre invictis juvenem cum viribus arma.
Quem niſi ſervaſſet magnarum rector aquarum,
Ut profugus lætis Trojam repararet in armis,
Auguſtumque genus claris ſubmitteret aſtris,
Non claræ gentis nobis manſiſſet origo.
Inde agit Æacides infeſta cuſpide Teucros,
Ingentemque manum proſternit cæde virorum
Sanguinis Hectorei ſitiens: at Dardana pubes
Confugit ad Xanthi rapidos perterrita fluctus,
Auxiliumque petit divini fluminis; ille
Inſtat, & in mediis pugnatur gurgitis undis.
Ira dabat vires, tinguntur ſanguine ripæ,
Sparſaque per totos volvuntur corpora fluctus.
At Venus, & Phrygiæ gentis tutator Apollo,
Cogunt in Danaos Xanthi conſurgere fluctus,
Ut fera terribili miſcentem prælia dextra
Obruat Æacidem, qui protinus undique totis
Impediatur aquis: ſed vaſto gurgite præceps
Volvitur, atque virum torrentibus impedit undis,
Prætenditque gradus; ille omni corpore ſævas
Contra pugnat aquas, adverſaque flumina rumpit,
Et modo diſiectis humeris, modo pectore vaſto
Propellit fluctus, quem longe provida Juno
Admonuit rapidæ quo cederet ictibus undæ,
Sanctaque pugnarunt inter ſe Numina Divum.
Rurſus agit Phrygias ingenti cæde catervas
Horridus Æacides, bellique ardore reſumpto
Funereas acies, horrendaque prælia miſcet.
Non illum vis ulla tenet, non ſæva fatigant
Pectora pugnando, vires ſucceſſus adauget.
Perculſi dubitant trepida formidine Troes,
Atque inter muros exhauſta pene ſalute
Confugiunt, portaſque objecto robore firmant.
Unus, tota ſalus in quo Trojana manebat,
Hector adeſt, quem non duri timor undique Martis,
Nec patriæ tenuere preces, quin obvius iret,
Et contra magnum contendere vellet Achillem.
Ante oculos ſubito viſa eſt Tritonia Pallas.
Quem procul ut vidit tectum cæleſtibus armis,
Pertimuit, clauſiſque fugit ſua mœnia circum
Infelix portis; ſequitur Thetydeius heros
In ſomnis veluti cum pectora terruit ira.
Hic rurſus ſuper inſequitur, fugere ille videtur,
Feſtinantque ambo: greſſum labor ille moratur,
Alternis poterant inſiſtere cæpta periclis,
Nec requies aderat, furor undique concitat iras.
Spectant de muris miſeri ſua fata parentes,
Pallentemque vident ſupremo tempore natum,
Quem jam ſumma dies ſuprema luce premebat.
Huic ſubito ante oculos ſimilis Tritonia fratri
Occurrens juvenem ſimulato decipit ore:
Jam tunc Deiphobi tutum ſe credidit armis.
Tranſtulit ad Danaos iterum ſua Numina Pallas.
Concurrunt jactis inter ſe cominus haſtis
Invicti juvenes, hic vaſtis intonat armis,
Ille hoſtem validum nequidquam umbone repellit,
Alterniſque ferox mutat congreſſibus ictus.
Sudor agit rivos, enſem terit horridus enſis,
Collatuſque hæret pede pes, & dextera dextræ.
Interea validam Thetydeius extulit haſtam,
Inque virum magnis emiſſam viribus egit.
Quam poſt elapſam vitavit callidus Hector.
Exclamant Danai: contra Priameius Heros
Vibratum jaculum Vulcania torquet in arma.
Nec ſucceſſus adeſt, nam duro inflectitur auro:
Diſſiluit mucro, gemuerunt agmina Troum.
Concurrunt iterum collatis fortiter armis,
Inque vicem ſtrictos commutant cominus enſes.
Nec ſufferre valet ultra, ſortemque ſupremam
Horruit inſtantem deſertis viribus Hector.
Dumque retrocedit, fraternaque feſſus in armis
Reſpicit auxilia, & nullam videt eſſe ſalutem,
Senſit adeſſe dolos: quid agat? quæ numina ſupplex
Invocet? in toto langueſcunt corpore vires,
Auxiliumque negant, retinet vix dextera ferrum,
Nox oculos inimica tegit, nec ſubvenit ullum
Defenſo auxilium, pugnat moriturus, & altos
Corde premit gemitus: inſtat Nereius Heros,
Turbarumque procul premit undique, tunc jacit haſtam,
Et medias rigida transfixit cuſpide fauces.
Exultant Danai, Troes ſua funera deflent.
Tunc ſic amiſſis infelix viribus Hector,
En concede meos miſeris genitoribus artus,
Quos pater infelix multo mercabitur auro:
Dona feres victor. Priami nunc filius oro,
Te Priamus dux ille ducum, quem Græcia ſolum
Pertimuit: ſi nec precibus, nec munere victus,
Nec lacrimis miſeri, nec clara gente moveris,
Adflicti miſerere Patris, moveat tua Peleus
Pectora, pro Priamo, pro noſtro pignore, Pyrrhus.
Talia Priamides; contra quem durus Achilles,
Quid mea ſupplicibus tentas inflectere dictis
Pectora? quem poſſem diſcerptum more ferarum,
Si ſineret natura, meis abſumere malis.
Te vero triſteſque feræ, cunctæque volucres
Diripient, avidique canes tua viſcera paſcent.
Hæc ex te capient Patrocli gaudia manes,
Si capiunt umbræ: dum talia magnus Achilles
Ore truci jactat, vitam miſerabilis Hector
Reddidit: hunc animo nondum ſatiatus Achilles
Alligat ad currum, pedibuſque exanguia membra
Ter circum muros victor trahit, altius ipſos
Fert Domini ſucceſſus equos; tunc maximus Heros
Detulit ad Danaos fœdatum pulvere corpus.
Lætantur Danai; plangunt ſua funera Troes,
Et pariter captos deflent cum funere muros.
Interea victor defletum corpus amici
Funerat Æacides, pompaſque ad funera ducit.
Ter circa tumulum miſeros rapit Hectoris artus,
Et varios cineri ludorum indicit honores.
Tydides Tiriſum curſu, pedibuſque ferocem
Merionem ſuperat, luctando vincitur Ajax,
Cujus decepit vires Laertius aſtu.
Cæſtibus adverſis cunctos ſuperavit Ephœbus,
Et diſco fortis Polibætes deppulit omnes,
Merioneſque arcu; tandem, certamine miſſo,
In ſua caſtra redit turbis comitatus Achilles.
Flent miſeri amiſſum Phryges Hectora, totaque mæſto
Troja ſonat planctu, fundit miſeranda querelas
Infelix Hecube, ſæviſque arat unguibus ora,
Andromacheque ſuas ſcindit de pectore veſtes,

Heu

Heu tanto ſpoliata viro, ruit omnis in uno
Hectore cauſſa Phrygum, cecidit deſecta ſenectus
Afflicti miſeranda patris, quem nec ſua conjunx,
Turbaque natorum, nec magni gloria regni
Oblitum tenuit vitæ, quin iret inermis,
Et ſolum invicti caſtris ſe redderet hoſtis.
Mirantur Danaum proceres, miratur & ipſe
Æacides animum miſeri ſenis: ille trementes
Affuſus genibus tendens ad ſidera palmas,
Hæc ait: O Grajæ gentis fortiſſime Achilles,
O regnis inimice meis, te Dardana ſolum
Victa tremit pubes, te ſenſit noſtra ſenectus
Crudelem nimium: nunc ſis mitiſſimus, oro,
Et patris adflicti genibus miſerere precantis,
Donaque, quæ porto miſeri pro corpore nati,
Accipias: ſi nec precibus, nec flecteris auro,
In ſenis extremos tua dextera ſæviat annos,
Saltem ſæva pater comitabor funera nati.
Nec jam vita mihi magnos concedit honores,
Sed funus crudele meum: miſerere parentis,
Et pater eſſe meo mitis de funere diſce.
Hectoris interitu viciſti Dardana regna,
Viciſti Priamum: ſortis reminiſcere victor
Humanæ, varioſque ducum tu reſpice caſus.
His tandem precibus motus grandævus Achilles
Allevat a terra, corpuſque exangue parenti
Reddidit Hectoreum; poſt hæc ſua dona reportat
In patriam Priamus, triſteſque ex more ſuorum
Comparat exequias, ſupremaque funera ducit.
Tunc pyra conſtruitur, qua bis ſex corpora Troum,
Quadrupedes adduntur eis, curruſque, tubæque,
Et clypei, galeæque graves, argutaque tela.
Hæc ſuper ingenti gemitu componitur Hector.
Stant circum Iliades matres, manibuſque decoros
Abrumpunt crines, laniataque pectora tundunt:
Illo namque rogo natorum funera cernunt.
Tollitur & juvenum magno cum murmure clamor
Flebilis, ardebat flamma namque Ilion illa.
Inter quos gemitus laniato corpore conjux
Advolat Andromache, medioſque immittere in ignes
Se cupit Aſtyanacta tenens, quam juſſa ſuorum
Triſtis turba rapit: contra tamen uſque reſiſtit,
Donec collapſæ ceciderunt robora flammæ,
Inque leves abiit tantus dux ille favillas.
  Tu jam ſiſte gradum, finemque impone labori,
Calliope, vatiſque tui moderare carinam,
Quem cernis paucis ſtringentem littora remis.
Jamque tenens portum, metamque patentis Homeri
Pieridum comitata cohors, ſubmitte rudentes.
Sanctaque virgineos lauro redimita capillos,
Ipſa tuas depone lyras, ades inclyta Pallas.
Tuque fave curſu vatis jam, Phœbe, peracto.

JUDICIUM COCI ET PISTORIS
CARMEN.

TErrenæ varias cunctæ quæ traditis artes
Linquite Pierios colles, & ſcribite mecum.
Ille ego Veſpa precor, cui Divæ ſæpe dediſtis
Per multas urbes populo ſpectante favorem.
Scribere majus opus, & dulcia carmina quæro:
Nec mel erit ſolum *, aliquid quoque juris habebit,
  Contendit piſtor, cocus eſt contrarius illi.
His eſt Vulcanus judex, qui novit utroſque.
Ad cauſam piſtor procedit primus agendam,
Canitiem capiti toti præbente farina.
  Numina per Cereris juro, per Apollinis arcum,
* Moror enim, fateor, & jam vix credere paratus,
* De cujus manibus ſemper fit panis, an ullus,
Quive ſit utilior, audet contendere mecum?
Sunt teſtes anni, fauſtæ Janique Kalendæ,
Quique meum ſtudium per Saturnalia norunt,
Quorum epulas ſemper rerum commendo paratu.
Sis memor, o Saturne, tuis quod præſto diebus,
Et me præ ſtudio trepidum tu numine firma.
Aurea cœperunt ſub te quoque ſecula ferre.
Denique ſi Cereris non tu pica dona dediſſes,
Roderet adſidue cocus iſte ſub ilice glandes.
Nempe opus eſt cunctis panis, quem nemo recuſat,
Quo ſine quas poſſunt mortales ponere cœnas?
Qui vires tribuit, qui primus poſcitur, hic eſt:
Quem ſerit agricola, quem maximus educat æther.
Hunc Pater Æneas Trojanis vexit ab oris.
Te ſine quo tua jura valent ingrate culmina *
Provocor, ut dicam militonem turoſo temptas *
Quem docuit * notus Cerealis fingere panes.
Urbe Placentinus cunctas qui tradidit artes
Pythagoras, populo neſcis quæ ſuaſerat olim,
Mandere ne vellent mixto cum ſanguine carnes?
Si jugulatis oves, quid erit, quod veſtiat? inquit?
Mactentur vituli, nec erit jam vomeris uſus:
Nec ſegetum fœcunda dabit ſua munera tellus.
Et temere facio, ſi te, coce, comparo nobis,
Cum poſſim numen quodcumque poteſt ſuperorum.
Jupiter ipſe tonat: tono, cum molo, ſic ego piſtor:
Mars ſubigit bello multas cum ſanguine gentes:
Piſtor ego macto flavas ſine ſanguine meſſes:
Tympana habet Cybele: ſunt & mihi tympana cribri
* Urſit ten Satiros facias, & ſaturo ego plures.
Illum

Illum præcedunt Panes, facio mihi panes.
Quidve etiam manibus noſtris non dulce paratur?
Nos facimus populo ſtudioſe compto placentas,
Nos adipata damus, nos grata Canopica vobis,
Cruſtula nos Jano, ſponſæ muſtacia mitto.
Noverunt omnes piſtorum dulcia facta;
Noverunt multi crudelia facta coquorum.
Tu facis in tenebris miſerum prandere vertem:
Neſcius, ut Tereus cœnet, facis, improbe, natum:
Tu facis in lucis ut cantet triſtis aedon,
Mæſtaque ſub tecto ſua murmuret acta chelidon.
Talia ſi numquam feci, nec talia ſuaſi,
Ordine primus ero dignus, quem palma ſequatur.
Conticuit Piſtor: cœpit Cocus ordine fari
Ora niger, ſtudio faciem mutante favilla.
Si verbis piſtor damnavit verba cocorum,
Qui ſemper multis dicit ſe vendere fumum,
Illi ne credas, aliquid quia fingere novit.
Stat qui ſub ſaxo quaſi Siſyphus, atque laborat,
De nuce qui tantum, de melle, & polline fingit
Has, quas jactat, opes: nobis quæ copia, dicam.
Silva feras tribuit, piſces mare, & aura volucres;
Dat vinum Bromius, Pallas mihi præſtat olivam,
Datque ſues Calydon, ſæpe ego condicio dammas,
Sæpe etiam perdix jacet, & Junonius ales
Gemmantem pinnis ſolitus producere caudam.
Certe quem extollit quem laudat ſæpius ille,
Quis me non laudet ſternentem piſce patellas,
Cum poſitus madeat deceptus ab æquore Rombus?
Se ſimilem ſuperis, ego me magis eſſe docebo.
Eſt Bromio Penteus, eſt & mihi de bove penteus.
Uritur Alcides flammis, comburor ad ollas.
Sic Neptuno fervent in cacavos * fluctus,
Novit Apollo ſuas ſtudioſe tangere cordas,
Et mihi per digitos texuntur quam bene cordæ.
Et ſeco ſic gallos quaſi Berecynthia gallas,
Partes, quas tollet..... qui cœnat apud me.
Unguellam Hydippi, ſycotum pono Promethei.
Penteo pono caput, ficatum do Titioni.
Solus aqualiculum reddi ſibi Tantalus orat.
Cervinam Actæon tollit, Meleager aprunam,
Agninam Peleas, taurinam lingulus Aiax.
Orpheu tu tollis cordas, Leandre lacertos.
Me ſterilem Niobe, linguam Philomela rogat me.
Pluma Philocteta meruit, rogat Icarus alas.
Bulbula Paſiphae, Europe bubula poſcit.
Auratam Danaæ, cygnum bene condio Ledæ.
Jam finem pugnæ faciat ſententia nobis,
Utque cocus præſit, vocem ſic Mulciber infit:
Es coce tu ſuavis, dulcis ſed tu quoque piſtor.
Æquales dimitto Deus, qui vos bene novi:
Conſentire vobis. ſine victu vivere dulce eſt. *
Ne frigus faciam, ſi me ſubduxero vobis.

PERVIGILIUM VENERIS,

SIVE CARMEN

DE VERE.

Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.
Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis eſt.
Vere concordant amores, vere nubunt alites,
Et nemus comam reſolvit de maritis imbribus;
Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat caſas virentes de flagello myrteo.
Cras amet, qui numquam amavit; quique amavit, cras amet.
Tunc cruore de ſuperno, ſpumeo pontus globo
Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos
Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Ipſa gemmas purpurantem pingit annum floribus,
Ipſa ſurgentes papillas de Favoni ſpiritu
Urget in notos penates, ipſa roris lucidi,
Noctis aura quem relinquit, ſpargit humentes aquas;
...licant lacrimæ, trementes de caduco pondere;
Gutta præceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos.
... pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ:
Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,
Mane virgines papillas ſolvit humenti peplo.
Ipſa juſſit mane, ut udæ virgines nubant roſæ.
Facta Cypris de cruore, deque amoris oſculis,
Deque gemmis, deque flammis, deque ſolis purpuris.
Cras ruborem, qui latebat veſte tectus ignea,
Unico, marita, nodo non pudebit ſolvere.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Ipſa Nymphas Diva loco juſſit ire myrteo,
It puer comes puellis; nec tamen credi poteſt
Eſſe amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.
Ite Nymphæ, poſuit arma, feriatus eſt amor;
Juſſus eſt inermis ire, purus ire juſſus eſt,
Neu quid arcu, neu ſagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen Nymphæ cavete, quod Cupido pulcher eſt,
Totus eſt in armis idem quando nudus eſt amor.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Una res eſt, quam rogamus: cede Virgo Delia;
Ut nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.
Ipſa vellet te rogare, ſi pudicam flecteret;
Ipſa vellet, ut venires, ſi deceret virginem:
Jam tribus choros videres feriatos noctibus,
Congreges inter catervas ire per ſaltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.
Nec Ceres, nec Bacchus abſunt, nec Poetarum Deus.
Detinent, & tota nox eſt pervigilanda cantibus.
Regnet in ſilvis Dione. tu recede, Delia.

Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Juſſit Hyblæis tribunal ſtare Diva floribus,
Præſes ipſa jura dicet, aſſidebunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores, quot quot annus attulit,
Hybila florum ſubde meſſem, quantus Ennæ campus eſt.
Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt.
Juſſit omnes adſidere pueri mater alitis,
Juſſit, & nudo puellas nil amori cedere.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
Cras erit, quo primus æther copulavit nuptias.
Ut pater totis crearet vernus annum nubibus,
In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis.
Unde fœtus mixtus omnes aleret magno corpore.
Ipſa venas, atque mentem permeante ſpiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Perque cælum, perque terras, perque pontum ſubditum,
Pervium ſui tenorem ſeminali tramite
Imbuit, juſſitque mundum noſſe naſcendi vias.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Ipſa Trojanos Nepotes in Latinos tranſtulit:
Ipſa Laurentem puellam conjugem nato dedit.
Moxque Matri de Sacello dat pudicam virginem.
Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias:
Unde Ramnes, & Quirites: perque prolem poſteram
Romuli Mater creavit & nepotem Cæſarem.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Rura fœcundat voluptas: rura Venerem ſentiunt:
Ipſe amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager cum parturiret, ipſa ſuſcepit ſinu,
Ipſa florum delicatis educavit oſculis.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.
Ecce jam ſuper geniſtas explicant agni latus,
Quiſque tutus quo tenetur conjugali fœdere.
Subter umbras cum maritis ecce balantum greges:
Et canoras non tacere Diva juſſit alites.
Jam loquaces ore rauco ſtagna cygni perſtrepunt:
Adſonant Terei puellæ ſubter umbram populi;
Ut putes motus amoris ore dici muſico:
Et neges quæri Sororem de marito barbaro.
Illa cantat, nos tacemus. quando ver venit meum?
Quando faciam, ut Chelidon, ut tacere deſinam?
Perdidi Muſam tacendo, nec me Phœbus reſpicit.
Sic Amyclas cum tacerent perdidit ſilentium.
Cras amet, qui numquam amavit, quique amavit, cras amet.

M E D E A
T R A G Œ D I A.

ESto nunc Sol teſtis, & hæc mihi terra precanti,
Et diræ ultrices, & tu Saturnia Juno,
Ad te confugio, nam te dare jura loquuntur
Connubiis, ſi quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos, noſtro ſuccurre labori,
Alma Venus; quicumque oculis hæc adſpicis æquis,
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen.
Quid primum deſerta querar? connubia noſtra
Reppulit, & ſparſos fraterna cæde penates.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vaſta Charybdis
Profuerit, medioſque fugam tenuiſſe per hoſtes?
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Juſſa aliena pati: iterumque revolvere caſus,
Ire iterum in lacrimas. ſed nullis ille movetur
Fletibus, infixum ſtridet ſub pectore vulnus.
Extinctus pudor, atque immitis rupta Tyranni
Fœdera, & oblitus famæ melioris amantis,
Oblituſve ſui eſt: lacrimæ volvuntur inanes.
Nuſquam tuta fides, vana ſpe luſit amantem
Crudelis. quid ſi non arva aliena domoſque
Ignotas peteret, pro virginitate reponit?
Heu pietas, heu priſca fides! captiva videbo
Reginam thalamo cunctantem, oſtroque ſuperbo.
Haud impune quidem, ſi quid mea carmina poſſunt.

Chorus Colchidarum.

Rerum cui ſumma poteſtas,
Precibus ſi flecteris ullis,
Et ſi pietate meremur,
Noſtro ſuccurre labori;
Et tu Saturnia Juno,
Cui vincla jugalia curæ,
Oculis hæc adſpicis æquis?
Nemorum Latonia cuſtos,
Triviis ululata per urbes
Sic nos in ſceptra reponis?
Quid o pulcherrime conjux,
Potuiſti linquere ſolam?
Per tot diſcrimina rerum
Nequidquam erepte periclis.
Manet alta mente repoſtum,
Quem forti pectore & armis
Quæſitas ſanguine dotes.
Felix, heu nimium felix,
Dum fata Deuſque ſinebant!
Neſcis heu perdita necdum,
Quæ te dementia cœpit
Caput objectare periclis.
Hæc nos ſuprema manebant,
Hoc ignes, aræque parabant.
Noſtram nunc accipe mentem,
Vaginaque eripe ferrum,
Ferroque averte dolorem,

Creo

Creon, Medea.

Cr. FEmina quæ noſtris erras in finibus hoſtis
Flecte viam velis, neque enim neſcimus & urbem,
Et genus inviſum, & non innoxia verba.
Hoſtilis facies occurrat, & omina turbet.
Med. Nullæ hic inſidiæ; nec tanta ſuperbia victis.
Cr. Non ea vis animo: nec ſic ad prælia veni.
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures,
Unde genus ducis varium& mutabile ſemper.
Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Funereaſque inferre faces, & cingere flamma,
Pacem orare manu, & vertere ſidera retro,
Atque odiis verſare domos. tibi nomina mille,
Mille nocendi artes; fœcundaque pœnis
Viſcera, notumque furens quid femina poſſit.
Cedo locis, pelagoque volans da vela patenti.
Med. Rex, genus egregium, liceat te voce moneri,
Pauca tibi e multis, quoniam eſt oblata facultas,
Dicam equidem, (licet arma mihi mortemque mineris)
Ne pete connubiis natam: meminiſſe juvabit;
Diſſice compoſitam pacem, miſerere tuorum.
Cr. Ne tantos mihi finge metus, neve omine tanto
Proſequere, cauſſas nequidquam nectis inanes.
Stat ſua cuique dies. non ipſi exſcindere ferro
Cælicolæ valeant, fati quod lege tenetur.
Nec mea jam mutata loco ſententia cedit.
Med. Non equidem invideo genero digniſque hymenæis,
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro;
Tempus inane peto: liceat ſubducere claſſem;
Extremam hanc oro veniam. ſuccurre relictæ,
Dum pelago deſævit hiems, miſerere parentis,
O genitor: & nos aliquod nomenque decuſque
Geſſimus, & ſcis ipſe, neque eſt te fallere quidquam.
Nunc victi triſtes (quoniam ſors omnia verſat)
Submiſſi petimus terram, lituſque rogamus
Innocuum, neque te illius violentia vincat.
Cr. Quid cauſſas petis, ut in me exitiumque meorum?
Quidquid id eſt, timeo vatum prædicta priorum,
Eja age rumpe moras; quo me decet uſque teneri?
Med. Quem ſequimur? quove ire jubes? ubi ponere ſedes?
Cr. I re ad conſpectum cari genitoris, & ora,
Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri.
Med. Nunc ſcio, quid ſit amor. hoſpitio prohibemur arena
Nec ſpes ulla fugæ, nulla hinc exire poteſtas;
Quaſſatæque rates, geminique ſub ubere nati,
Et glacialis hiems aquilonibus aſperat undas.
Si te nulla movet tantæ pietatis imago,
Indulge hoſpitio noctem non amplius unam.
Hanc ſine me ſpem ferre tui: audentior ibo.
Cr. Deſine jam tandem, tota quod mente petiſti,
Largior, & repetens iterumque iterumque monebo.
Si te his adtigerit terris aurora morantem,
Unum pro multis dabitur caput.

Vox de intus. Chorus.

Vox. O Digno conjuncta viro dotabere Virgo.
Ferte faces propere, thalamo deducere adorti,
Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.
Chor. Velamus fronde per urbem,
Votiſque incendimus aras.
Heu corda oblita tuorum,
Vatum prædicta priorum,
Fati fortiſque futuræ!
Spe multum captus inani
Mactat de more bidentes
Phœboque patrique Lyæo;
Cui vincla jugalia curæ:
Cumulatque altaria donis.
Tremere omnia viſa repente;
Fibræ apparere minaces,
Vox reddita fertur ad aures:
Thalamis neu crede paratis,
Funus crudele videbis.
Carpebant membra quietem;
Animalia ſomnus habebat;
Ferali carmine bubo
In fletum ducere voces,
Triſtes denuntiat iras.
Quæ tanta inſania, cives,
Velati tempora ramis,
Thalamo deducere adorti:
Quæſo miſereſcite regis:
Recubans ſub tegmine fagi
Divino carmine paſtor
Vocat in certamina divos,
Ramo frondente pependit.
Quæ te dementia cepit
Saxi de vertice, paſtor,
Divina Palladis arte
Phœbum ſuperare canendo?
Raptis ſecat aera pinnis,
Fugiens Minoia regna
Auſus ſe credere Cælo,
Vitamque relinquit in auras.
Demens videt agmina Pentheus
Caput a cervice revulſum,
Incenſas pectore matres,
Vocat agmina ſæva ſororum,
Juvenem ſparſere per agros.

Medea. Nutrix.

Med. EN quid ago? vulgi quæ vox pervenit ad aures?
Obſtupui, magnoque irarum fluctuat æſtu
Durus amor, tædet Cæli convexa tueri,
Quæ potui infelix? quæ memet in omnia verti,
Cui pecudum fibræ, Cæli cui ſidera parent,
Heu furiis incenſa feror, ſtat gratia facti.
Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela,
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,
Eripui leto, fateor, me, ărma impia ſumpſi;
Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo?
Quid loquor? aut ubi ſum? ictum jam fœdus, & omnes
Compoſitæ leges, credo, mea vulnera reſtant.
Nutr. Non hoc ipſa ſibi tempus ſpectacula poſcit,
Sed cape dicta memor, duri ſolatia caſus,
Senſibus hic imis, noſtram nunc accipe mentem;
Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum.
Med. Cara mihi nutrix, claudit nos obice pontus,
Deeſt jam terra fugæ; rerum pars altera adempta eſt.
Hæc gener, atque ſocer: patriaque excedere ſuaſit.
Nutr. Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito:
Et quocumque modo fugiaſque, feraſque laborem;
Tu modo poſce Deos veniam: tu munera ſupplex
Tende petens pacem, cauſſaſque innecte morandi
Carminibus, forſan miſeros meliora ſequuntur.
Med. Nunc oblita mihi tot carmina, vox faucibus hæſit;
Mens immota manet, & cæco carpitur igni.
Carmina vel Cælo poſſunt deducere lunam,

Siſtere aquam fluviis, deducere montibus ornos.
Has herbas, atque hæc ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit, nihil ille deos, nil carmina curat.
Nutr. Quid ſtruis? aut qua ſpe inimica in gente moraris?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum,
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.

Jaſon. Satelles. Medea.

Jaſ. QUod votis optaſtis, adeſt, timor omnis abeſto,
Hic domus, hic patria eſt, nullum maris æquor
Solvite corde metum tandem tellure potiti (arandum.
Per varios caſus, bene geſtis corpora rebus
Procurate viri, juvat indulgere choreis.
Sat. Unde tremor terris? qua vi maria alta tumeſcunt?
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles?
Neſcio quod certum eſt, in nubem cogitur aer.
Aſpice convexo nutantem pondere mundum,
Et fratris radiis obnoxia ſurgere luna.
Jas. Media fert triſtes ſuccos, infecta venenis,
Quo thalamum eripiat, atque oſſibus implicet ignem,
Fare age quid venias, jam iſtinc & comprime greſſum.
Med. Ad te confugio, precibuſque inflectere noſtris,
O dulcis conjux, non hæc ſine numine divum
Eveniunt: ſi te cœperunt tædia laudis,
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære.
Jas. Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas
Jam propiore die? neſcis heu perdita neſcis,
Nec quæ te circumſtent deinde pericula, cernis?
Med. Hanc quoque deſerimus ſedem, tibi ducitur uxor,
Cui pater & conjux quondam tua dicta relinquor?
Et ſedet hoc animo, dotalis regia cordi eſt,
Externique iterum thalami.
Me ne fugis? hoc ſum terraque, marique ſecuta?
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum?
Hic noſtri reditus, expectatique triumphi?
Quid tua ſancta fides? iterum crudelia retro
Fata vocant, tantis nequidquam erepte periclis.
Me ne fugis? per ego has lacrimas, per ſi quis amatæ
Tangit honos animum, per inceptos hymenæos,
Per connubia noſtra, & menſas quas advena adiſti,
Te precor, o miſerere animi non digna ferentis.
Namque aliud quid ſit, quod jam implorare queamus,
Ipſe mihi nuper Libycis tu teſtis in undis,
Dum rauco adſidue longo ſale ſaxa ſonabant,
Incubuere mari tantis ſurgentibus undis,
Luctantes ventos tempeſtateſque ſonoras
Compreſſi, & rabiem tantam Cælique mariſque.
Unius in miſeri exitium, proque omnibus unum
Objeci caput, id ſperans fore munus amanti:
Sed quid ego ambages, & juſſa exorſa revolvo?
Nil ſuper imperio moveor, ſperavimus iſta
Tempore quo primum fortes ad aratra juvencos
Semina & ætherios ſpirantes naribus ignes
Objeci, fatis immanis dentibus hydri
Explicuit regio & campo ſtetit agmen aperto.
Telorum ſeges & jaculis increvit acutis,
Ferrea progenies duris caput extulit arvis.
Illi inter ſe magna vi vulnera miſcent,
Confixique ſuis telis & pectora duro
Tranſfoſſi ligno, animaſque in vulnera ponunt.
Auro ingens coluber ſervabat in arbore ramos,
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ullis:
Ille manu patiens immania terga reſolvit,
Ut me conſpexit flammantia lumina torquens,
Cervicem inflexam poſuit, ſomnoſque petivit.
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Sin abſumpta ſalus, nec habet fortuna regreſſum.
Si nulla eſt regio, miſeris quam det tua conjunx,
I decus, i noſtrum, faciat te prole parentem
Egregia interea conjux melioribus opto
Auſpiciis, poſſem hinc comitem aſportare Creuſam,
Spero equidem mediis, ſi quid pia numina poſſunt,
Supplicia hauſurum ſcopulis: dabis, improbe pœnas,
Quod minime reris, rebus jam rite paratis.
Jas. Deſine meque tuis incendere teque querelis,
Nam mihi parta quies, nullum maris æquor arandum,
Nec veni, niſi fata locum ſedemque dediſſent.
Heu tot incaſſum fuſos patiere labores,
Nec venit in mentem ſudans ſub vomere taurus,
Jam gravior Pelias, & ahena undantia flammis,
Squamoſuſque draco, & quæſitas ſanguine dotes.
In regnis hoc auſa tuis.
Hæc loca non tauri ſpirantes naribus ignem,
Nec galea, denſiſque virum ſeges horruit haſtis,
Nec vim tela ferunt: mitte hanc de pectore curam.
Med. Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Juſſit adire domos? pelagine erroribus actus,
An fratris miſeri letum ut crudele videres?
Jaſ. Sive errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti;
Quis Deus in fraudem, quæ te dementia cepit,
Commaculare manus, fraterna cæde penates?
Aut ego tela dedi, aut vitam committere ventis
Hortati ſumus? aut quæ dura potentia noſtri?
Med. Nil noſtri miſerere, nihil mea carmina curas;
Efficiam poſthac ne quemquam voce laceſſas:
Nec dulces natos Veneris, nec præmia noris.
Jas. Quid petis cauſas & inrita jurgia jactas?
Jamque vale, melior quoniam pars acta diei eſt.
Med. Utere ſorte tua, ſuſceptum perfice munus.
Jaſ. Nunc iter ad regem nobis, quod te adloquor, hoc eſt.
Med. Non fletu ingemuit noſtro, aut miſeratus amantem eſt:
Et dubitamus adhuc? lacrimantem, & multa volentem
Dicere deſeruit, rapiduſque in tecta receſſit.
Quid labor, aut benefacta juvant? mea triſtia fata
Feſſi jacent, ubi nunc nobis Deus ille Magiſter?
Et furiis agitatus amor, & conſcia virtus?
Nam quid diſſimulo? aut quid me ad majora reſervo?
Stat caſus renovare omnes, & dare lintea retro,
Rurſus & eſt caſus abies viſura marinos,
Te ſine frater erit. quod ſi mea numina non ſunt,
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

CHORUS.

Dictis exarſit in iras,
Inſani Martis amore,
Pœnorum qualis in arvis
Venantum ſepta corona,
Fulva cervice leæna,
Qualis mala gramina paſtus
Tractus ſe colligit anguis,
Tumidum quem bruma tegebat,
Caput altum in prælia tollit,
Linguis micat ore triſulcis:
Furiis agitatus Oreſtes
Armatam facibus matrem
Ardens agit æquore toto,
Patris obtruncat ad aras:
Triviis ululata per urbem
Qualis trieterica Baccho,
Inter deſerta ferarum
Palla ſuccincta cruenta,

Vocat

Vocat agmina ſæva Sororum :
Qualis Philomela ſub umbra,
Pectus ſignata cruentum,
Late loca fletibus implet,
Mœrens miſerabile carmen
Cantu ſolata laborem :
Graviter pro conjuge ſævit
Deſerti ad Strymonis undam :
Te ſolo in littore ſecum
Anima fugiente vocabat,
Scirent ſi ignoſcere manes.

Nuntius. Creon.

Nun. QUo feror? unde abii? pavor, oſſaque & artus
Perfundit toto proruptus corpore ſudor.
Genua labant, oculos ſtupor urget inertes,
Arrectæque horrore comæ,& vox faucibus hæſit.
Cr. Quo res ſumma loco? unde hæc tam clara repente
Tempeſtas ſine more furit? maria omnia cælo
Miſcuit, ingeminant abruptis nubibus ignes.
Fare mihi, atque hæc ediſſere vera roganti.
Ædibus in mediis, quæque ipſe miſerrima vidi,
Horreſco referens: palla ſuccincta cruenta
In medioque focos nocturnas inchoat aras.
Intenditque locum ſertis, & fronde coronat
Funerea, crinem vittis innexa cruentis,
Unum exuta pedem vinclis, in veſte recincta
Spargens humida mella, ſoporiferumque papaver:
Sparſerat & latices ſimulatos fontis averni,
Sanguineam volvens aciem,manibuſque cruentis,
Pro molli viola, caſiaque, crocoque rubenti
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Scillamque,helleboroſque graves,& ſulfura viva,
Obſcuris vera involvens, lacrimiſque coactis
Voce vocans Hecaten,& non memorabile numen
Ferro accincta vocat.
Hæc effata ſilet, oculis micat acribus ignis.
Expectans, quæ ſigna ferant, ignara futuri.
Eripiunt ſubito nubes cœlumque, diemque,
Et tremefacta ſolo tellus, micat ignibus æther.
Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,
Viſus adeſſe pedum ſonitus, & ſæva ſonare
Verbera, viſæque canes ululare per umbras,
Adventante Dea, refluitque exterritus amnis,
Et pavidæ matres preſſere ad pectora natos.
Exhinc Gorgoneis Alecto infecta venenis,
Exſurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Reſpice ad hæc. adſum dirarum ab ſede ſororum,
Bella manu letumque gero.
Talia cernentem tandem ſic orſa viciſſim.
Veniſti tandem, mecum partire laborem,
Tu Dea, tu præſens animis inlabere noſtris.
Diſſice compoſitam pacem, ſere crimina belli,
(Namque potes) colui veſtros ſi ſemper honores:
Talibus Alecto dictis exarſit in iram,
Horrendum ſtridens, pavidoque hæc addidit ore.
O germana mihi, mitte hanc de pectore curam.
Nunc ſi bella paras, & luctu miſcere hymenæos,
Funereaſque inferre faces, & cingere flamma,
Quidquid in arte mea poſſum,meminiſſe neceſſe eſt,
Quantum ignes, animæque valent, abſiſte precando.
Dixerat, attollens ſtridentes anguibus alas
Ardentes dare viſa faces, ſupera ardua linquens.
Illa dolos aperit, flammiſque ſequacibus iras
Jungebat, duplicem gemmis auroque coronam
Conſertam ſquamis ſerpentum: flamma volantem
Implicat, involvitque domum caligine cæca
Proſpectum eripiens oculis: mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis:
Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Aut videt, aut vidiſſe putat, metuenſque pericli
Incipit effari, nec vox aut verba ſequuntur.
Idque audire ſat eſt, quo me decet uſque teneri:
Vadite, & hæc Regi memores mandata referte.

Nutrix. Medea.

Nut. HOc habet; hæc melior magnis data victima divis.
Talia conjugia, & tales celebrent hymenæos.
Med. Tu ſecreta piram natorum maxima nutrix
Erige, tuque ipſa pia tege tempora vitta,
Verbenaſque adole pingues, nigrumque bitumen:
Sacra Jovi ſtygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, finemque imponere curis.
Nut. Diſceſſere omnes medii, ſpatiumque dedere.

Medea. Filii umbra Abſyrthi.

Med. HEu ſtirpem inviſam, & fatis contraria noſtris!
Huc ades, o formoſe puer, qui ſpiritus illi!
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
Perfidus & cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet.
Fil. Parce pias ſcelerare manus, aut quid tibi noſtri
Pulſus amor, ſi juris materni cura remordit,
Natis parce tuis, aut nos rape in omnia tecum.
Quo res cumque cadunt, unum & commune periclum.
Adſpice nos, adſum dirarum ab ſede ſororum
Infelix ſimulacrum labi a corpore tanto.
Med. Quid dubitem? audendum dextra, nunc ipſa vocat res.
Auctor ego audendi, fœcundum concute pectus:
Si conceſſa peto, ſi pœnas ore repoſco.
Nullum in cæde nefas, & amor non talia curat.
Fil: Hoſtis amare, quid increpitas mea triſtia fata?
Med. Suggere tela mihi, finemque impone labori.
Sanguine quærendi reditus.
Fil. Nec te noſter amor, pietas nec mitigat ulla,
Nec venit in mentem natorum ſanguine matrem
Commaculare manus: noſtri tibi cura receſſit,
Et matri præreptus amor.
Med. Crimen amor veſtrum, ſpretæque injuria formæ
His merſere malis, fratrem ne deſere frater.
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt, via facta per hoſtes.
Et genus inviſum dextra ſub Tartara miſi.
Jam jam nulla mora eſt currus agitare volantes.

Jaſon. Nuntius. Medea. Ex alto.

Jas. HEi mihi! quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quæcumque eſt fortuna mea eſt; quid denique (reſtat?
Dic age, namque mihi fallax haud ante repertus.
Nunt. En perfecta tibi promiſſa conjugis arte
Munera, at ingentem luctum ne quære tuorum.
Sed ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt;
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
Conſpectu in medio, cum dona imponeret aris,
Ah virgo infelix, oculos dejecta decoros;
Undique conveniunt per limina tota frequentes
Matres atque viri, cumulantque altaria donis.
Religione patrum biforem dat tibia cantum:
Cum ſubito, dictuque oritur mirabile monſtrum.
Ecce levis ſummo deſcendere corpore peſtis

In-

Incipit, ac totis Vulcanum ſpargere tectis ;
Regaleſque accenſa comas, accenſa coronam
Membra ſequebantur artus ſacer ignis edebat.
Diffugiunt comites, & quæ ſibi quiſque timebat
Tecta metu petiere, & ſicubi concava furtim
Saxa petunt, furit inmiſſis Vulcanus habenis.
Nec vires herbarum, infuſaque flumina proſunt.
Quæſitæque nocent artes, miſerabile dictu!
Illa ut per populos aditumque per avia quærit,
Arte nova ſpeculata locum: paribuſque revinxit
Serpentum ſpiris, ventoſaſque addidit alas:
Enſe levis nudo perfuſos ſanguine currus.
Quo ſequar? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?
Me me, adſum qui feci, in me omnia tela
Conjicite, hanc animam quocumque abſumite leto.
Funeris heu tibi cauſa fui, dux femina facti.
Med. Huc geminas nunc flecte acies, & conde ſepulcro
Corpora natorum, cape dona extrema tuorum,
Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen:
Sævus amor docuit natorum ſanguine matrem
Commaculare manum, & luctu miſcere hymenæos:
Te ſuper ætherias errare licentius auras.
Jas. Crudelis mater, tanton' me crimine dignum
Duxiſti? & patrios fœdaſſi funere vultus?
Arma viri, ferte arma, date tela, aſcendite muros.
Med. Quo moriture ruis? thalamos ne deſere pactos,
Hortator ſcelerum, noſtram nunc accipe mentem.
Sive animo, ſive arte vales. opta ardua pennis
Aſtra ſequi, & ſi adeo dotalis regio cordi eſt,
Noſtraſne evadere demens
Speraſti te poſſe manus? opta ardua pennis
Aſtra ſequi, clauſumque cava te condere terra,
Et famam extingui veterum ſic poſſe malorum.
Hæc via ſola fuit, hæc nos ſuprema manebat
Exitiis poſitura modum.
Sat fatis, Venerique datum eſt, feror exul in altum
Germanum fugiens, & non felicia tela
Ultra anni, ſoliſque vias. quid denique reſtat?
Et longum formoſe vale, & quiſquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

ELEGIA.

DE FORTUNÆ VICISSITUDINE.

SEmpore qui laeto ſortem redimimus amaram,
Certa velut ſtabiles non Dea verſet equos.
Cur iidem adverſo lætam venamur in æſtu?
An mea, tam bene quod cognita cauſa mali eſt?
O qui, carorum caput o cariſſime quondam,
An potes & miſeri nunc meminiſſe tui?
Eſt equidem in lætis nemo non promptus amicus,
Ipſa homini adverſus umbra inimica ſua eſt.
Tantalus infelix, dicunt, conviva Deorum
Nunc quoque apud manes victima ſacra Jovi eſt.
Uſque adeo pœnas non delent ultima fata,
Qui cecidit divis, ſurgere nemo valet.
Scilicet & nobis, qui functo corpore nuper
Dura per antiqui buſta fugamur avi.
Perfida felices oſtendit regula divos,
Et voluit ſanctis partem aliquam eſſe locis.
Non alio exemplo, niſi ut eruta turbine diro,
Deſereret media nos rota fracta via.
Ah mihi præteritos referant ſi numina vultus,
Non etenim veterem, te, nova plaga, queror.
Ut facili amiſſos abblandiar ore favores,
Thura ferens dignis, carmina læta, Deis.
Ut gravis hiberno torrens de monte volutus
Obvia non magna arbuta vertit ope.
Sæpe domos etiam, ſæpe addita mœnia raptat,
Currens præcipiti per juga longa via:
Sic ſemel atque uno nos abſtulit improbus ictu
Mentem etiam & muſis pectora nota veni.
Improbus eſt, quiſquis non, hæc ſpectacula cernens,
Fortuna inſtabili ſe quoque ſtare putat.
En ego nec caros habeo miſerandus amicos,
A quibus auxilio verba ve remve petam.
Unicus eſt, qui me non plane ſpernit egentem.
Cetera contempto ſupplice turba fugit.
Quid faciam infelix? quæ non niſi in omnibus uni eſt,
Sollicitem longo carmine ſæpe fidem?
Fracta fides crebro eſt precibus lugentis amici,
Hac tamen amiſſa non mage triſtis ero.
Vos ſuperi, & quorum es merito mihi numinis inſtar,
Quem numquam poſthac ſpero videre, parens.
Unius in gremio ſpes noſtra abjecta ſodalis
Tabet, & abſentis perdita verba ſonat.
Ille juvet forſan, ſed verba immenſa locutis
Facta brevi conſtant non repetenda modo.
Scilicet in ſomnis quæ poſſunt plurima, divos
In fratrum auxiliis experietur inops.
Nos ubi præteritis componimus orſa ſecuti
Temporis, his etiam credere Fata vetant.
Interea rapit hora, nec eſt reparabilis, horam,
Nec lenta placuit tabe perire Deo.
Ut pereunt miſeri, quos vitæ fructus ademptus
Deſeruit, nulla poſt reparandus ope.
Tempore non illo Priamum periiſſe putabis,
Quo jacuit Teucro littore truncus iners.
Verum ut Theſſalicis circum ſua mœnia funus
Hectoreum rapuit, fortior hoſtis, equis.
Non ea poſt ductos victo ex Oriente triumphos
Extinxit Magnum, quæ tulit hora, caput.
Illa illum extinxit campis congreſſa Philippis
Cæſarea populum quæ ruit hora manu.
Scilicet hic vitæ finis, qui finis honorum eſt,
Cumque ſua pereunt proſperitate viri.
Sic quod heri vixi, quia jam nox altera præſto eſt,
Non illud tempus quod modo duco, vocem.
Quæque dies ſibi vita ſua eſt: cum tranſilit illa,
Heſternæ non eſt lux hodierna memor.
Quare quem fructus vivendi vita relinquit,

Nem-

Nempe quid, hoc dempto, mors niſi mœſta venit?
Undique quæ lætis ſi ſe triſtiſſima monſtrat,
Quid miſeris cenſes nolle parare mali?
Sæpe ferunt venti, ſæpe eſt firmiſſima navis,
Mutarunt venti flamina, navis obit.
Dum cavet hos ſcopulos, alios incurrere nauta
Sentit, & eſt damno ſævior arte ſuo.
Structa quid,in magno ſunt propugnacula ſaxo?
Humano majus ſæpe labore ferunt.
Callidus internis ſe ſpiritus ingerit antris,
Cum poſita rupes ſic gravis arce jacet.
Tuta nec in ſolido rerum fortuna favore eſt,
Cum minime credas, impulit illa rotam.
Tum quoque cum nitido ridet placidiſſima vultu,
Turpis in averſo pectore fucus ineſt.
Elevat incautum, ſperantem maxima nutu
Projicit, adſcendit cetera turba tamen.
Hæc ego qui poſſum miſeris miſer ipſe referre,
Non poteram dictis olim adhibere fidem.
Stulta quia & votis tam credula turba beata eſt,
Rideat ut miſeri magna monentis opem.
Sæpe mihi dixit Peligni Muſa Poetæ,
Nunc ego mutata quod vice dico tibi.
Credite, queis fidum fortuna videtur aſylum,
Non erit hæc vobis, non fuit illa mihi.
Pendet ab axe ſuo vitæ variabilis ordo.
Nulla fui certa eſt, hora nec ulla fuit.
Cumque nihil poſſit longi fuga mobilis ævi,
Se tamen hac ſemper mobilitate fugit.
Sed vitam incertam ſequitur miſerabile letum:
Humanas inter ſola ea certa via eſt.
Stultus & indoctus, qui cum non neſciat, illo
Eximi ab innumeris tempora laſſa malis:
Hoc tamen extremo timet, & fugit undique niſu,
Quod ſequitur fortem, quod timidumque premit.
Vita tamen dulcis; quid ſi magis altera reſtat?
Mors gravis? an ſcimus non graviore premi?
Altior at miſeris cura eſt, dolor oſſibus hæret.
Verba cadunt pulcre, pectora mæror edit.
Sic ego, qui medicas aliis dare molior herbas,
Nullius credam vulnera noſtra manu.
Una ſed in cunctis data ſunt ſolatia curis,
Suſtineant lapſo quæ mihi membra pede.
Nulla, licet tenuis linquant ſpiramina vitæ,
Abſque intervallo ſors truculenta fuit.
Nempe quia eſt miſeris aliquod quoque numen amicum,
Qui patitur, nullis ſpernitur ille Deis.
Venit ubi ad ſummum, non progreſſura ruina eſt,
Sed ſtetit & retro eſt viribus acta ſuis.
Ipſa quoque e buſtis extollier oſſa videmus,
Cum patria coluit relligione nepos.
Diruta murali tormento ſaxa feruntur,
Erigit his alio mœnia Marte labor.
Infelix quiſquis nocet infelicibus umquam,
Hic meruit nullo triſtia fine pati.
Omne quod hic cernis, tenuis modo corporis umbra eſt:
Vix macie exeſis artubus oſſa traho.
Rarus aperta movet procul internodia poples,
Conſedit genubus tractus ab ore tremor.
Sordibus & multo ſimilis ſqualore ſepultis,
Vix inter vivos larva videnda vagor.
Non tamen hoc hoſtes, non hoc mala numina poſſint,
Ut valeat pronum nox pepuliſſe caput.
Languidus Alcides, & cæſa languidus hydra,
Non hoſtes timuit, grus homicida, tuos.
Briſeis ut rapta eſt, amor atrum incluſit Achillem,
Non metus Hectoreæ Memnoniæve facis.
Ille ſed extincto rediit vigor acer amico,
Reddidit ut juſtus depoſita arma dolor.
Me quoque ſors mihi reſtituet, moribundaque membra
Viribus ire ſuis ſplendida fata dabunt.
Tum trucis invidiæ furiis ultricibus horrens
Involvam poſitis arma virumque malis.
Interea, ut libitum eſt, abſentibus utere divis,
Livor & in noſtro gaudia quære rogo.

P. VIRGILII MARONIS
VITA
A FOCA GRAMMATICO URBIS ROMÆ
VERSIBUS EDITA.

O Vetuſtatis memoranda cuſtos
Regios actus ſimul, & fugaces
Temporum curſus docilis referre
Aurea Clio.
Tu nil magnum finis interire:
Nil mori clarum pateris, reſervans
Poſteris priſci monumenta ſecli
Condita libris.
Sola fucatis variare dictis
Paginas neſcis: ſed aperta quidquid
Veritas prodit, recinis per ævum
Simplice lingua.
Tu ſeneſcentes titulos laborum
Flore durantis reparas juventæ:
Militat virtus tibi. te notante
Crimina pallent.
Tu fori turbas, ſtrepituſque litis
Effugis dulci moderata cantu.

Nec

Nec retardati pateris loquelas
Compede metri.
Hic fave dictis. retegenda vita eſt
Vatis Etruſci, modo qui perenni
Romulæ voci decus adrogavit
Carmine ſacro.
Maronii ſpecimen vatis veneranda Maronem
Mantua Romuleæ generavit flumina linguæ.
Quis facunda tuos toleraret, Græcia, faſtus?
Quis tantum eloquii potuiſſet ferre tumorem,
Æmula Virgilium tellus niſi Tuſca dediſſet?
Huic genitor figulus, Maro nomine, cultor agelli,
Ut referunt alii, tenui mercede locatus.
Sed plures figulum: quis non miracula rerum
Hæc ſtupeat? dives partus de paupere vena
Enituit: figuli ſoboles nova carmina finxit.
Mater Polla fuit, Magii non infima proles,
Quem ſocerum probitas fecit jam clara Maroni.
Hæc cum maturo premeretur pondere ventris,
Ut ſolet, in ſomnis animus ventura repingens
Anxius, & vigili præſumere gaudia cura,
Phœbei nemoris ramum fudiſſe putavit.
O ſopor indicium veri! nil certius umquam
Cornea porta tulit. facta eſt interprete lauro
Certa parens, oneriſque ſui cognoverat artem.
Conſule Pompejo vitalibus editus auris,
Et Craſſo, tetigit terram: quo tempore Chelas
Jam mitis Phaeton poſt Virginis ora receptus.
Infantem vagiſſe negant. nam fronte ſerena
Conſpexit mundum, cui commoda tanta ferebat.
Ipſe puerperiis adriſit lætior orbis.
Terra miniſtravit flores, & munere verno
Herbida ſuppoſuit puero fulmenta vireſcens.
Præterea, ſi vera fides, ſed vera probatur,
Lata cohors apium ſubito per rura, jacentis
Labra favis texit, dulces fuſura loquelas.
Hoc quondam in ſacro tantum mirata Platone
Indicium linguæ memorat famoſa vetuſtas.
Sed natura parens properans extollere Romam,
Et Latio dedit hoc, ne quid concederet uni.
Inſuper his genitor, nati dum fata requirit,
Populeam ſterili virgam mandavit arenæ:
Tempore quæ nutrita brevi, dum creſcit, in omne
Altior emicuit cunctis, quas auxerat ætas.
Hæc propter placuit puerum committere Muſis,
Et monſtrare viam venturæ in ſecula famæ.
Tum Baliſta rudem lingua titubante receptum
Inſtituit primum: quem nox armabat, in umbris
Graſſari ſolitum: crimen doctrina tegebat,
Mox patefacta viri preſſa eſt audacia ſaxis.
Incidit titulum juvenis, quo pignora vatis
Edidit. auſpiciis ſuffecit pœna Magiſtri.
Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta ſepultus.
Nocte die tutum carpe viator iter.
Nos tamen hoc brevius, ſi fas ſimulare Maronem.
Balliſtam ſua pœna tegit, via tuta per auras,
Hic Balliſta jacet. certo pede perge viator.
Carcere montoſo clauſus Balliſta tenetur.
Securi fraudis pergite nocte viri.
Quid trepidas tandem greſſu pavitante viator?
Nocturnum furem ſaxeus imber habet.
Balliſtæ vitam rapuit lapis. ipse ſepulchrum
Intulit. umbra nocens pendula ſaxa tremit.
Crimina latronis digniſſima pœna coercet.
Duritiem mentis damnat ubique lapis.
Hinc culicis tenui proluſit funera verſu.
„ Parve culex pecorum cuſtos tibi tale merenti
„ Funeris officium vitæ pro munere reddit.
Tum tibi Syronem, Maro, contulit ipſa magiſtrum
Roma potens, proceresque ſuos tibi junxit amicos.
Pollio, Mæcenas, Varius, Cornelius ardent,
Et ſibi quiſque rapit per te victurus in ævum.
Muſa refer, quæ cauſa fuit componere libros.
Sumſerat Auguſtus rerum moderamina princeps,
Jam necis ultor erat patriæ: jam cæde priorum
Perfuſas acies legitur viſura Philippos.
Caſſius hic Magni vindex, & Brutus in armis
Intereunt. victor nondum contentus opimis
Emeritas belli ſpoliis ditaſſe cohortes,
Proſcripſit miſeræ florentia rura Cremonæ,
Totaque militibus pretium conceſſa laborum
Præda fuit: violenta manus bacchata per agros.
Non flatus, non tela Jovis, non ſpumeus amnis,
Non imbres rapidi, quantum manus impia vaſtet.
Mantua tu conjuncta loco ſociata periclis
Non tamen ob meritum. miſeram vicinia fecit,
Jam Maro pulſus erat, ſed viribus obvius ibat,
Fretus amicorum clypeo: cum pene nefando
Enſe perit. quid dextra furis? quid viſcera Romæ
Sacrilego mucrone petis? tua bella tacebit
Poſteritas, ipſumque ducem, niſi Mantua dicat.
Non tulit hanc rabiem doctiſſima turba potentum.
Itur ad auctorem rerum. quid Martius horror
Egerit, oſtendunt: quid tunc miſeranda tuliſſet.
Cæſaris hic placido nutu repetuntur agelli.
His auctus meritis cum digna rependere vellet,
Invenit carmen, quo munera vincere poſſet.
Prælia dat Cæſar, quorum brevis uſus habendi;
Obtulit hic laudes, quas ſecula nulla ſileſcunt.
Paſtores cecinit primos. hoc carmine conſul
Pollio laudatur ter ſe revocantibus annis
Compoſito. poſt hæc ruris præcepta colendi
Quatuor expoſuit libris, & commoda terræ
Edocuit geminis, anno minus, omnia luſtris.
Inde cothurnato Teucrorum prælia verſu,
Et Rutulum tonuit. biſſena Volumina ſacrum
Formavit donata duci trieteride quarta.
Sed loca, quæ vulgi memoravit tradita fama
Æquoris, & terræ, ſtatuit percurrere vates,
Certius ut libris oculo dictante notaret.
Pergitur: ut Calabros tetigit livore nocendi
Parcarum, vehemens laxavit corpora morbus.
Hic ubi languores, & fata minantia ſenſit,
Erravit mens icta malis, & lingua locuta eſt,
Neſcio quid fugiente anima, non ſponte, ſed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Infertur Tyriæ poſt vulnera vulnus Eliſæ:
Sentiet applicitos turbata Sibylla vapores
Ejurata mori? nec cingula reddit Amazon?
Di meliora date, ac ſenſum revocate nocentem.
Pace viri liceat tanti, nec commoda linguæ
Divitis intereant: per quam Romana juventus
Æternum floret. verum quod juſſerat ille
Sit vetuiſſe meum. nam poſt ſua tempora vitæ
Non taceant. immo æternum reſonante Camena
Laudetur, placeat, vivat, relegatur, ametur.

ELE-

ELEGIA
DE SPE.

SPes fallax, ſpes dulce malum, ſpes ſumma malorum,
Solamen miſeris, qua ſua fata trahunt.
Credula res, quam nulla poteſt fortuna fugare.
Spes ſtat in extremis officioſa malis.
Spes vetat æternis mortis requieſcere portis,
Et curas ferro rumpere ſollicitas.
Spes neſcit vinci, ſpes pendet tota futuri,
Mentitur: credi vel tamen illa ſibi.
Improba, mentis inops, rebus gratiſſima læſis,
Quas fovet, & verti fata ſubinde docet.
Sola tenet miſeros. invitos ſola moratur.
Sola perit numquam: nec perit, atque redit.
Sæpe bono, rurſuſque malo blandiſſima ſemper,
Et quos decepit, decipit illa tamen.
Inſtabilis, dubio devexa ad tempora motu,
Audax & clauſum quæ putet eſſe nihil.
Omnia promittit nota levitate Deorum.
Nil fixum, & caſus admonet eſſe leves.
Naufragus hac cogente natat per fœta procellis
Æquora, cum merſas viderit ante rates.
Captivus duras illa ſolante catenas
Perfert, & victus vincere poſſe putat.
Noxius infami diſtrictus ſtipite membra
Sperat & a fixa poſſe redire cruce.
Spem juſſus præbere caput, paloque ligatus,
Cum micat ante oculos ſtricta ſecuris, habet.
Sperat & in ſæva victus gladiatur arena,
Sit licet infeſto pollice turba minax.
Et qui decenti jugulo tinctoria moto,
Spem, quamvis lecto jam referatur, habet.
Spem recipit carcer foribus præcluſus ahenis.
Spes & in horrendo robore parva manet.
Spes Marium movit turpi ſe credere limo,
Et tantum furto vivere velle virum.
Hæc illum Lybiæ penetrare in littora victæ
Juſſit: & o ſuperi, quis fuit ille dies,
Quo Marium vidit ſupra Carthago jacentem!
Tertia par illis nulla ruina fuit.
Spes Magnum profugum toto diſcurrere in orbe
Juſſerat, & pueri Regis adire pedes.
Spes uni numquam potuit dare verba Catoni,
Mendaciſque Deæ non tulit ille dolos.
Quid non ſpes audet? Priamo poſt Hectora manſit,
Spes fuit uxori, Proteſilae, tuæ.
Orpheus infernas ſperavit tollere leges,
Tartareum & cantu flectere poſſe canem.
Spe duce per medias enavit Dædalus auras,
Et nova mirantes terruit ales aves.
Paſiphae (quid non homini ſperare libebit)
Speravit torvo poſſe placere bovi.
Sperat qui curvo ſulcos perrumpit aratro.
Sperat qui ventis vela ferenda dedit.
Spes hamis piſces, laqueo captare volucres,
Erudit. hæc orbem bella cruenta docet.
Spes ſequitur gravibus raſtris mala rura domantem,
In nova ſe nulla cum ratione parat.
Semper adulatur, ſemper maleſida vagatur,
Et populos, urbes, totaque regna capit.
Deſertos medicis ſpes numquam deſerit ægros.
Defeſſi numquam ſpem poſuere rei.
Spes eſt, quæ claſſes diverſo ex hoſte coactas
Ducit, ſpes cupidos ducit in arma viros.
Et dicit, Dura: nec te præſentia tangant:
Fors varias mutat mobilitate vices.
Incerto ludit caſu fortuna pér orbem.
Et ſemper contra quæ fugit, atque redit.

REPOSIANI. MARS. ET VENUS.
CARMEN.

DIſcite ſecuros nonnumquam credere amores:
Ipſa Venus, cui flamma potens, cui militat ardor,
Quæ tuto poſſet cuſtode Cupidine amare,
Quæ docet & fraudes, & amorum furta tuetur,
Nec ſibi ſecuras valuit præbere latebras.
Improbe, dure puer, crudelis crimine Matris,
Pompam ducis amor, nullo ſatiate triumpho:
Quod converſa Jovis lætaris fulmina ſemper,
Ut mage flammantes poſſis laudare ſagittas;
Junge puer teretes Veneris Martiſque catenas:
Geſtet amans Mavors titulos, & vincula portet
Captivus, quem bella timent, utque ipſe veharis,
Jam roſeis fera colla jugis ſubmittat amator:

Poſt vulnus, poſt bella, potens Gradivus anhelat
In caſtris modo tiro tuis, ſemperque timendus
Te timet, & ſequitur qua ducunt vincla mariti.
Ite precor, Muſæ; dum Mars, dum blanda Cythera
Imis ducta trahunt ſuſpiria crebra medullis,
Dumque intermixti captatur ſpiritus oris,
Carmine doctiloquo Vulcani vincla parate.
Quæ Martem nectant, Veneris nec brachia lædant
Inter divitias roſeo prope livida ſerto.
Namque ferunt Paphien Vulcani & Martis amorem,
Inter adulterium, vel juſti jura mariti
Indice ſub Phœbo captam geſſiſſe catenas:
Illa manus duros nexus tulit, illa mariti
Ferrea vincla ſui. quæ vis fuit iſta doloris?
An fortem faciebat amor? quid, ſæve, laboras?
Cur nodos Veneri Cyclopea flamma paravit?
De roſeis connecte manus, Vulcane, catenis,
Nec tu deinde liges, ſed blandus vincla Cupido,
Ne palmas duro nodus modo vulnere lædat.
Lucus erat Marti gratus, poſt vulnera Adonis
Pictus amore Deæ, ſi Phœbi lumina deſint,
Tutus adulterio, dignus quem Cypris amaret;
Quem Byblos coleret, dignus quem gratia ſervet.
Vilia non illo ſurgebant gramina luco,
Pingunt purpureos candentia lilia flores:
Ornat terra nemus, nunc lucos vitis inumbrat,
Nunc laurus, nunc myrtus, (habent ſua munera lauri).
Namque hic per frondes redolentia lilia pendent,
Hic roſa cum violis, hic omnis gratia florum,
Hic inter violas coma mollis læta Hyacinthi.
Dignus amore locus, cui tot ſunt munera rerum:
Non tamen in lucis aurum, non purpura fulget,
Flos lectus flos vincla toris, ſubſtramina flores,
Delicias Veneris dives natura laborat.
Texerat hic liquidos fontes non vilis arundo,
Sed qua ſæva puer componat tela Cupido,
Hunc ſolum Paphie puto lucum fecit amori:
Hic Martem expectare ſolet. quid Gratia ceſſit.
Quid Charites? quo, ſæve puer, non licia nectis?
Tu lectum conſterne roſis, tu ſerta parato,
Et roſeis crinem nodis ſubnecte decenter.
Hæc modo purpureum decerpens pollice florem
Cum delicatum ſuſpiria ducat odorem,
Aſt tibi blanda manus ſub pectore condat.
Tunc ne purpurei lædat te ſpina roſeti,
Deſtrictis teneras foliis conſtringe papillas.
Sic decet in Veneris luco gaudere puellas,
Ut tamen inlæſos Paphiæ ſervetis amores,
Vincula ſic mixtis caute conſtringite ramis,
Ne diffuſa ferat per frondes lumina Titan.
His igitur lucis Paphie, dum prælia Mavors
Horrida, dum populos diro terrore fatigat,
Ludebat teneris Bybli permixta puellis:
Nunc varios cantu divum referebat amores,
Inque modum vocis nunc motus forte decentes
Corpore læta dabat, nunc miſcens denique plantas,
Nunc alterna movens ſuſpenſo pollice crura,
Molliter inflexo ſubnitens poplite ſidit.
Sæpe comam pulchro collectam flore ligabat,
Ornans ambroſios divino pectine crines.
Dum ludos ſic blanda Venus, dum gaudia miſcet,
Et dum ſuſpenſo ſolatia quærit amori,
Dum ſlet, quod ſero venit ſibi grata voluptas;
Ecce furens poſt bella Deus, poſt prælia victor
Victus amore redit: cur geſtas ferrea tela?
Ne metuat Cypris, comtum decet ire roſetis.
Ah quotiens Paphie vultum mentita furentis
Lumine converſo ſerum incuſavit amantem!
Verbera ſæpe dolens mentita eſt dulcia ſerto,
Aut ut forte magis ſuccenſo Marte placeret,
Admovit teneris ſuſpendens oſcula labris,
Nec totum effundens, medio blanditur amore.
Decidit, aut poſita eſt devictis lancea palmis,
Et dum forte cadit, myrto retinente pependit.
Enſem tolle puer, galeam tu Gratia ſolve.
Hæc laxet nodos, hæc vincula ferrea rumpat;
Solvite Bybliades præduri pectora Martis,
Loricæque moras, vos ſcuta, & tela tenete,
Nunc violas tractare decet. lætare Cupido
Terribilem Divum tuo ſolo numine victum:
Pro telis flores, pro ſcutis myrtea ſerta,
Et roſa, forte nocet gladius, quem jura tremiſcunt.
Iverat ad lectum Mavors, & pondere duro
Floribus incumbens, totum turbarat honorem,
Ibat pulchra Venus, vix preſſo pollice cauta,
Florea ne teneras violarent ſpicula plantas,
Et nunc innectens, ne rumpant vincula, crinem,
Nunc veſtes fluitare ſinu, vix laxa retentat,
Cum nec tota latet, nec tota enudat amorem:
Ille inter flores furti velamine tectus
Spectat hians Venerem, totoque ardore tremiſcit.
Incubuit lectis Paphie; proh ſancte Cupido!
Quam blandas voces, quæ tunc ibi murmura fundunt?
Oſcula permixtis quæ tunc fixere labellis?
Quam bene conſertis hæſerunt artibus artus?
Stringebat Paphiæ Mavors tunc pectore dextram,
Et collo innexam ne lædant pondera lævam,
Lilia cum roſeis ſupponit candida ſertis:
Sæpe levi cruris tactu permovit amantem
In flammas, quas diva movet. jam languida feſſos
Forte quies Martis tandem compreſſerat artus.
Non tamen omnis amor, non omnis pectore ceſſit
Flamma Dei, trahit in medio ſuſpiria ſomno,
Et Venerem totis pulmonibus ardor anhelat.
Ipſa Venus tunc tunc calidis ſuſpenſa venenis
Uritur ardeſcens, nec ſomnia parte quieta.
O quam blanda quies! o quam bene preſſerat artus
Nudus forte ſapor! niveis ſuffulta lacertis
Colla nitent, pectus gemino quaſi ſidere turget.
Non omnis reſupina jacet, ſed corpore flexo
Molliter, & laterum qua ſe confinia jungunt.
Martem reſpiciens deponit lumina ſomno,
Sed gratioſa, decens! pro lucis forte Cupido
Martis tela regens, quæ poſt quam ſingula vidit,
Loricam, clypeum, gladium, galeæque minaces
Criſtas, flore ligat; tunc haſtæ pondera tentat,
Miraturque ſuis tantum licuiſſe ſagittis.
Jam medium Phœbus radiis poſſederat orbem,
Jam tumidis calidus ſpatiis libraverat horas,
Flammantes retinebat equos; pro conſcia fati
Invida lux! Veneris qui nunc produntur amores
Lumine, Phœbe, tuo? ſtant capti judice tanto
Mars, Amor, & Paphie, ramiſque incerta tremiſcunt
Lumina, nec poſſunt crimen, te teſte, negare.
Viderat effuſis Gradivum Phœbus habenis
In gremio Paphiæ ſpirantem incendia amoris.
O rerum male tuta fides! o gaudia & ipſis
Vix ſecura Deis! quis non, cum Cypris amaret,
Præſide ſub tanto tutum ſperaret amorem?
Criminis exemplum ſi jam de numine habemus,
Quid ſperet mortalis amor? qua voce ferenda,
Quod numen poſcat, quo ſit ſecurus adulter:
Cypris amat, nec tuta tamen. compreſſit habenas
Phœ

Phœbus, & ad lucos tantum, puto, lumina vertit;
Et ſic pauca refert, ſparge nunc tela, Cupido,
Nunc nunc, Diva Venus natis Divumve ſagittis
Da mihi ſolamen, ſub te ſecurus amavi,
Fabula non crimen noſtri dicuntur amores.
Hæc ait: & dictis Vulcanum inſtigat amaris:
Dic ubi ſit Cytherea decens, ſecure marite,
Te expectat lacrimans, caſtum tibi ſervat amorem;
Quære ſimul Martem, cui tu modo tela paraſti,
Vel ſi forte tuæ Veneris fera crimina neſcis.
Dixit: & infuſo radiabat lumine lucus,
Inque fidem ſceleris totos dimiſerat ignes.
Hæſerat ignipotens, ſtupefactus crimine tanto,
Jam quaſi torpeſcens, vix ſufficit ira dolori,
Ore fremit, mœſto modo gemit ultima pulſans
Ilia, & indignans ſuſpiria preſſa fatigat.
Antra furens Ætnea petit: vix juſſerat, omnes
Incubuere manus, multum dolor addidit arti;
Quam cito cuncta gerunt, ars, nomen, flamma, maritus,
Ira, dolor; nam vix cauſam tunc forte jubendo
Dixerat, & vindex conjunx jam vincla ferebat.
Venerat ad lucos, non ipſi viſus Amori,
Non Chariti, totas arti mandaverat iras.
Vincula tunc manibus ſuſpenſo molliter ictu
Inligat, & teneris connectit brachia palmis.
Excutitur ſomno Mavors, & pulchra Cythere.
Poſſet Gradivus validos diſrumpere nexus,
Sed retinebat amor, Veneris ne brachia lædant.
Tunc tu ſub galea tunc inter tela jacebas
Sæve Cupido timens? ſtans Mavors lumine torvo,
Atque indignatur, quod ſit deprenſus adulter.
At Paphie converſa dolet, non crimina facti,
Sed quæ ſit vindicta ſibi, dum ſingula volvens
Cogitat, & pœnam ſentit, ſi Phœbus amaret
Jamque dolo preparans decorabat cornua tauri,
Paſiphaæ crimen, mixtique Cupidinis iram.

ELEGIA
AD VIRGINEM NIMIS CULTAM.

Parce, precor, Virgo, toties mihi culta videri,
  Meque tuum forma perdere parce tua.
Parce ſupervacuo cultu componere membra:
  Augeri ſtudio tam bona forma nequit.
Ne tibi ſit tanto caput, & coma pexa labore,
  Et caput hoc bellum eſt, & coma mixta placet.
Ne ſtringant rutilos tibi ſerica vincla capillos,
  Cum vincant rutilæ ſerica vincla comæ.
Nec tibi multiplicem crines revocentur in orbem,
  Inculti crines abſque labore placent.
Aurea nec video cur flammea vertice portes:
  Aurea nam nudo vertice tota nites.
Utraque fert auris aurum, fert utraque gemmas,
  Utraque nuda novis anteferenda roſis.
Ora facis vitreo tibi ſplendidiora nitore,
  Cum tamen ora vitro ſplendidiora geras.
Incendunt niveum lunata monilia collum,
  Nec collum ſimplex dedecuiſſe poteſt.
Contegis occulta candentes veſte papillas,
  Candida cum nolit veſte papilla tegi.
Nec toga fluxa volat, reprimit tibi faſcia corpus:
  Sat corpus veneror, ſit toga fluxa licet.
Dic, teretes digitos quare annulus & lapis ambit,
  Cum teretes digiti dent pretium lapidi?
Ornatu nullo potes exornatior eſſe,
  Et tantum ornaris in mea damna nimis.
Ne te plus æquo ſpecies externa perornet,
  Cum ſis plus æquo pulchra decore tuo.
Non ego ſum, pro quo te componendo labores,
  Nec qui te talem non, niſi cogar, amem.
Pronus amo: non ſum, tenero qui pugnet amori,
  Nec qui te roſeam vellet amare Deam.
Cum radiis certare Jovis tua lumina poſſent,
  Et poſſent radiis vincere ſigna Jovis.
Sole nihil toto melius ſplendeſcit in orbe,
  Sole tamen melius, ſplendidiuſque nites.
Sunt tibi colla quidem nive candidiora recenti,
  Sed nive, quæ nullo marcida ſole jacet.
Conveniunt tepido tua frons, & pectora lacti,
  Sed lacti, ſaturæ quod poſuere capræ.
Cedit odora tibi vernantis gloria ſilvæ,
  Nec, tibi quod riguus præferat hortus, habet.
Nulla colorati ſpecies tibi proxima prati,
  Nec cum floruerit, par tibi campus erit.
Alba liguſtra tuæ nequeunt accedere laudi,
  Fixaque ceſpitibus lilia laude premis.
Nulla tuos poſſunt æquare roſaria vultus,
  Cum nec adhuc ſpinis ſit roſa vulſa ſuis.
Gratia, quam violæ maturo flore merentur,
  Si qua contulerit ſe tibi, vilis erit.
Non Helenæ mater, nec par tibi filia Ledæ:
  Hæc quamvis Paridem moverit, illa Jovem.
Compulit illa Jovem cygni latuiſſe ſub alis,
  Compulit illa Phrygas ſæva ſub arma duces.
Læda, per albentes humeros fluitante capillo,
  Dum legit Argivæ florea ſerta Deæ,
Erranti ſuper aſtra Jovi de nube ſuprema
  Cognita, plumalem de Jove fecit avem.
Tuque puellarum dum ludis in agmine princeps
  Inter Virgineos lucida ſtella choros,
Si magno conſpecta Jovi de nube fuiſſes:
  Depoſuiſſe Deum non puduiſſet eum.
Aſt Helenæ facies, & opima potentia formæ,
  Dardanio Paridi per mare præda fuit.
Græcia conjurat repetendam mille carinis,
  Jurata hæc ratibus Græcia mille petit.
Te tam conſpicuam Phrygius ſi prædo videret,
  Et te vel ratibus, vel rapuiſſet equo.

Annis tracta decem ſunt Troica bella, ſed uno,
Si pro te fierent, menſe peracta forent.
Virgine Ledæa, me judice dignior eſſes,
Pro qua Trojanas flamma cremaret opes.
Tu poteras Priamo validiſſima cauſa fuiſſe,
Nulla ut cura foret regna perire ſua.
Si ſuccincta togam, ritu pharetrata Dianæ,
Venatrix toto crine ſoluta fores.
Si Dryadum comitata choro, ſi nuda lacertos,
Arcu fulmineos inſequereris apros.
Te quicumque Deus ſilvoſa per antra vagantem
Conſpiceret, veram crederet eſſe Deam.
De pretio formæ cum tres certamen iniſſent,
Electuſque Paris arbiter eſſet eis,
Præfecit Venerem Paridis cenſura duabus,
Deque tribus victæ ſuccubuere duæ.
Cum tribus ad Paridem ſi quarta probanda venires,
De tribus a Paridi quarta probata fores.
Pomaque ſi formæ potiori danda fuere,
Hæc potius formæ danda fuere tuæ.
Ferrea corda gerit, tua quem cæleſtis imago
Vel tam purpureæ non tetigere genæ.
Robore vel ſcopulo genitum convincere poſſim,
Quem tam ſolemnis forma movere nequit.

A L E A
C A R M E N.

ARtis opiſque tuæ, tua ſi mihi certa voluntas,
Expediam dictis, donum exitiale Minervæ:
Tu Vatem, tu Diva, mone. nunc ipſa vocat res,
Et furiis agitatus amor, protentus in octo
Ipſe dies agitat feſtos pro nomine tanto,
Effera vis animi numeros & nomina fecit.
Oſſa minutatim fundo volvuntur in imo,
Mille nocendi artes: varium & mutabile ſemper
Artificis ſcelus, atque improvida pectora turbat.
Per varios caſus levium ſpectacula rerum
Intenti ludo exercent, rapiuntque, ruuntque
Incerti quo fata ferant, atque ære ſonoro
Inſanire libet. duris dolor oſſibus ardet.
Omnibus extemplo magnum dat ferre talentum,
Qui vocat: adrectæ mentes, ſtupefactaque corda
Vota metu duplicant: tanta eſt victoria curæ.
Ergo ubi delapſæ miſſu, premit agmine turba
Conſilium quærens. ſubitus tremor occupat artus.
Tunc certare odiis. multos alterna reviſens
Ludit, & in ſolido rurſus fortuna locavit.
Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.
Multa viri nequidquam inter ſe vulnera jactant,
Et tenues rumpunt tunicas, cœcique furore
Hic metuunt cupiuntque, dolent, gaudentque: nec ultra
Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem,
Contulimuſque manus: experto credite, quantus
Corde dolor. quid non mortalia pectora cogis!
Monſtrum horrendum, ingens, tot ſeſe vertit in ora.
Tu potes unanimes armare in prælia fratres.
Ære renidenti de vita & ſanguine certant.
Tunc duo Trinacrii juvenes nocteſque, dieſque
Intenti ludo exercent, fulgentiaque æra
Accipiunt, reddunt, permittuntque omnia fatis.
Conveniunt, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humi facilem victum juſtiſſima tellus:
Aut qui divitiis ſoli incubuere repertis:
Confidunt tranſtris, nati melioribus annis:
Multi præterea, quos fama obſcura recondit,
Stant circum.
Tum vero ad vocem celeres miſerum inter amorem
Ludunt, & in medium quæſita reponunt;
Pro ſe quiſque viri ſumma nituntur opum vi.
Nec mora, miſſus adeſt fati, ſortiſque futuræ.
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.
Hinc atque hinc ardent animi, vox omnibus una eſt
Et quamvis ſocium certent ſuperare priorem,
Ima petunt, quamvis facilis datur exitus inde.
Præcipites, pariterque ruunt, non deficit alter.
Vos, o Calliope, precor, adſpirate canenti,
Quæ loca, quive habeant homines, ubi ſiſtere detur.
In ſummo collem, qui plurimus, alter ab illo
Eſt locus, hunc juxta ſequitur, quo deinde ſub ipſo
Hic locus eſt partis ſemper ſublimis ab illo.
Quinque tenent ebuli baccis, minioque rubentem.
Terna tibi hæc primum fundo volvuntur in imo.
Nunc age, quos ipſa viam ſibi repperit uſus
Triginta magnos, adverſoſque orbibus orbes
Eloquar, vel prima levium ſpectacula rerum,
Mores, & ſtudia, & populum, & prælia victus
Expediam, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.
Primus habet, capit ante locum, fremituque ſecundo
Prima tenens animi, riſuque ſoluto
Voce vocant.
Tunc vero in curas animos diducitur omnis,
Quem petis, obtutuque hæret defixus in uno,
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
Spemque, metumque inter, ſecumque ita corde volutat,
Ut primum diſcuſſæ umbræ, & lux reddita menti,
Sortitus fortunam oculis, ſic incipit ore.
Quæ nunc deinde mora eſt, veniam quocumque vocaris
Quin age, ſi qua animo virtus, & confere dextram,
Efficiam poſthac, ne quemquam voce laceſſas.
Dixit, atque cum magna ter voce vocavit,
Terque quaterque ſimul vox ingeminata remugit,
Tunc variæ comitum facies, & pallor in ore,
Nunc victi triſtes, nil magnæ laudis egentes,
Deponunt animos, & inania murmura miſcent.
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus,
Victoreſque cadunt, quoniam ſors omnia verſat.
Hic victor ſuperans reddi ſibi poſcit honorem,
Talia vociferans: da, non indebita poſco.
Quin age, ſi quid habes, quo me decet uſque teneri,

Cl:

Clamat.
Tun vero victus ſocios ſimul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, illi obſtupuere ſilentes,
Non ipſi inter ſe ſortem miſerantur iniquam;
Sed graviter vario noctem ſermone requirunt.
Viſceribus miſerorum, atque inter pocula læti
Cantantes, lætique animos convivia curant.
Ecce autem elapſus genitor, quem miſerat urgens
Unus natorum, longo poſt tempore venit.
Hos aditus jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum, aditumque per avia quærit.
Verum ubi nulla datur dextra exſuperare poteſtas,
Conſtitit in digitos, ſed toto vertice ſupra
Obnixus latis humeris, & pectore duro,
Et ſuper incumbens furiis accenſus & ira
Talia voce refert:
Quo moriture ruis, quæ te dementia ducit,
Cede locis.
Talia fatus erat, preſſoque obmutuit ore.
Ille autem, cui fata parent, & Jupiter hoſtis,
Deſerit converſa numine ſedent.
Poſtquam illum vita victor ſpoliavit & auro,
Tunc vero ardentes oculi, atque adtractus ab alto
Spiritus interdum gemitu, furor iraque mentem
Præcipitat, mæſtis late loca queſtibus implet
Multa gemens, animo retinens plagaſque ſuperbi
Victoris, caput glauco velatus amictu,
Et pariter ſua rurſuſque ad limima tendit,
Ardua tecta petit, iraſque ad limina nota
Victus agit, guttiſque humectat grandibus ora.

DIDO ÆNEÆ
CARMEN.

Debuit ingrato nullam dictare ſalutem
Læſus amor, ſed nulla juvant convicia flentem,
Si modo flere vacet. nam magis improba mortis
Fata vocant. Trojane nocens, hæc dona remittis?
Quamvis ſæpe gravi componam carmine fletus,
Plus habet ipſe dolor; nec complent verba dolorem,
Quem ſenſus patientis habet, vel regna requiro,
Quæ maledicta dedi, miſeris circumdata fatis.
Pendet amore domus, caſtus dolor auget amorem.
Dum ſtudet iratas animus celare querelas,
Continuit dolor ipſe manum, nec plura loquentem
Paſſus amor, meritiſque vias, & verba ligavit.
Ah quoties revocata manus, dubiumque pependit,
Quid factura fuit trepidanti pollice, dextram
Torpor & ira ligat, dum dura vocabula firmat,
Et minus explicitam commendat litera vocem;
Torſit iter male tractus apex, dubiaque remiſſus
Mente pudor, dum verba notat, dum nomina mandat.
Flamma nocens, irata, ridens, penituſque cucurrit
Sopitus per membra calor, duroque medullas
Igne vorat; nullus confeſſum culpet amantem.
Connubium tunc crimen erat male credula votis
Cuncta dedi, nec mira fide ſub lege mariti,
Cujus & ipſa fui; numquam nec conſcia reddent
Vota fidem, ſi talis erat non digna marito.
Hanc reddis, Trojane, vicem? mens iſta meretur
Affectus? non ille thorus, non conſcia lecti
Sacramenta tenent? totum pro crimine perdi,
Quidquid amore dedi. fatis licet, improbe, tendas
Aemula regna meis, nihil eſt, quod, perfide, jactes;
Fraude perit, non ſorte, fides: ſed regna petebas
Debita, nec rerum poteras convincere ſortem.
Si datur ire, placet. nam quo fugis? unde recurſus?
Vota nocentis habes; nihil eſt, quod dura querelis
Verba fidemque voco: quiſquis mea vulnera deflet,
Invidiam feciſſe negant, trahit omnia caſus.
Dum ſortem natura rapit, *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. reparatum Cynthia format
Lucis honore jubar, curvatis cornubus arcus,
Quod de fratre rubet: ceſſurus lege ſorori
Conſumit ſua jura dies: ſic continet orbem,
Dum recipit natura vicem. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. merſum pallentibus umbris
Circumdat nox atra diem, fruiturque tenebris
Lege poli, peraguntque micantia ſidera curſus.
Navifragi tacet unda ſali, nec murmurat Auſter,
Nec flexum quatit aura nemus. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. ramis male garrula pendens
Jam Philomela tacet, damno male victa pudoris,
Amplexuque fovens querulos ſub culmine nidos
Penſat amore nefas, miſeraſque alitura querelas
Nocte premit, quod luce dolet. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. nunc jam bene junctus amantem
Ardor alit, thalamique fidem ſua pignora complent,
Conjunx læta viro, felix uxore maritus.
Vota recenſet amor, ſecretaque dulcia: ſomnus
Concordat cum nocte torum. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. fœcundo ſemine rerum
Mutat terra vices, autumni temporis auras
Læta vocat; ſpiſſo reviviſcit gramine campus,
Et vitreas ligat herba comas, nec fallit ariſtas
Proventum meliore die. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. feſſus juga ſolvit arator,
Et noctem per vota capit: reparare labores
Novit grata quies, nec ceſſat reddere vires
Infuſus per membra ſopor, noctiſque miniſtram
Ruricolis dat ſemper opem. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. reparant ſua littora ponti
Succeſſus poſt damna ſuos, perituraque ludunt
Incrementa maris dubii, regit æquora fluctus
Lite ſua, vicibuſque ſuis, quod deperit, auget.
Officiis natura vacat. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. gemmatis roſcida Veſvi
Rident prata roſis & floribus arva tumeſcunt.
Pictus ager ſub flore latet, dat fronte coronas

Laſci-

Laſcivis natura roſis. *ſua tædia ſolus*
Fallere neſcit amor. nec grata ſilentia noctis,
Nec ſomni pia dona placent, nec munera lucis
Carpit, & inducias fugientis non capit anni:
Sed ſua victus amor tantummodo vulnera paſcit
Inter mille dolos, totidemque piacula fraudis.
Nota queror: vellem placidis peritura querelis
Flere domo, vellem tacitos profundere fletus;
Sed negat ipſe dolor, quod jam pudor ante negavit.
Scribere juſſit amor, miſeram me, cujus honeſtam
Fecit culpa fidem: poteram diſpergere ponto
Membra, manuſque tuas, miſeramque tumentibus undis
Præcipitare diem: poteram creſcentis Iuli
Rumpere fata manu, parvumque reſolvere corpus
Morte gravi, merſumque in viſcera figere ferrum,
Vel dare membra feris; ſed noſtro pectore pulſum
Creſcit amore nefas, & honeſta pericula paſſus
Corda ligavit amor. quis tantum in hoſpite vellet
Hoc audere nefas? quis vota nocentis habere?
Nullus amor ſub corde latet. *cui digna rependes,*
Si mihi dura paras? miſerandæ fata Creuſæ,
Lamentis, gemituque trahens infanda peregit
Vota Deis, durumque nefas ſortemque malorum,
Te narrante, tuli, gemitus mentiſque dolorem,
Et lacrimas prior ipſe dedi: *cui digna rependes,*
Si mihi dura paras? dulcis mea colla fovebat
Aſcanius, miſerumque puer fovebat amorem:
Cui modo noſtra fides amiſſam reddere mentem
Dum cupit, hoc verum mentito pignore nomen
Format amor, gemituſque graves atque oſcula figit
Confeſſus pietate dolor; *cui digna rependes,*
Si mihi dura paras? noſtri modo litoris hoſpes
Nudos diſtuleras diſperſa clade per undas
Naufragus: ut taceam claſſes, quaſcumque videbar
Impendiſſe tibi, licet hæc tibi cuncta fuiſſent,
Regna tamen Carthago dedit. *cui digna rependes,*
Si mihi dura paras? nihil eſt, quod dura repoſcent,
Nec quidquam donaſſe velim, quod perdere poſſem.
Numquam damna volo, vel hoc mihi perfide redde,
Quod ſibi debet amor, ſi nil pia facta merentur.
Eſſe Deos natura docet, non eſſe timendos
Rerum facta probant, quid enim non credere poſſum:
Tutus fraude manes, & nos pietate perimus.
Improbe, dure, nocens, crudelis, perfide, fallax,
Officiis ingrate meis; quid verba minantur?
Non odit qui vota dolet, nec digna rependit
Quidquid læſa gemit. tibi me permiſſus habetur
Lege pudoris amor, cui tanta dediſſe recuſem,
Sceptra, domum, Tyrios, regnum, Carthaginis arces
Et quidquid regnantis erat. de conjuge, fallax,
Non de jure queror, meritum ſi non habet ardor:
Sed quod hoſpes eras, nec te magis eſſe nocentem,
Quam miſerum, Trojane, puto, qui digna repellis,
Sum non digna cupis: nondum bene ſiccus ad æquor
Curris, & extremas modo naufragus arripis undas.
Tutior eſſe times, & honeſta pericula neſcis,
Cum mala vota cupis, ſolus tibi dura profecto
Damna paras: fugis, ecce fugis, noſtroſque penates
Deſeris, & miſeram linquis Carthaginis aulam,
Quæ tibi regna dedit, ſacro diademate crines
Cinxit, & auguſtam gemmato ſidere frontem
Complevit, noſtrumque tibi commiſit amorem.
Nil, puto, majus habes, & adhuc ſine conjuge regnas,
Æneas ingrate, meus, regat ira dolenti
Conſilium, ſed præſtat amor. mea vulnera vellem
Fletibus augeri, ſed jam diſcrimine mortis
Victa feror, neque enim tantus de funere luctus,
Quantus erit de fratre, licet ſimul improbus, exul,
Et magis hoſpes eras, & ubique timendus haberis,
Vive tamen, noſtrumque nefas poſt fata memento.

VERBA ACHILLIS
IN PARTHENONA,
DUM TUBAS DIOMEDIS AUDISSET.
CARMEN.

VAna velut cautæ ſurgens formido Parenti,
Femineos juvenem juſſit me ſumere cultus,
Et celare virum falſo per tegmina ſexu;
Unde ego lanificas tentavi inglorius artes,
Virgineiſque toris carpenda ad vulnera inhæſi:
Nunc autem proprium ſervans natura vigorem
Compellit fluxos humeris depellere amictus;
Dum nos bella vocant rauco clangore tubarum,
Mens quatitur, ſævuſque fovet præcordia Mavors.
Rumpe moras omnes fervens in prælia virtus,
Nec fuerit latuiſſe meum. ſi claſſica temno,
Dilexi latebras, neque ulla eſt culpa parentis:
Nam cum reſpicio quo ſim de ſemine cretus,
Semiferique animis recolo præcepta magiſtri,
Nec puerum decuit muliebri pectora peplo
Induere, & teneram greſſu ſimulare puellam:
Nunc igitur creſcens annis ſapientior ætas
Devovit Marti, tenuit quæ corda Cupido,
Belligerumque Deum quum mens tum membra ſequuntur
Stamina linquentes currant ad ſpicula palmæ,
Terrificumque caput præfixa caſſide mitram
Pellat, & in gracili decorentur tempora ferro:
Arma tegant noſtrum potius quam ſuppara corpus,
A telis ad tela decet tranſire juventam,
Atque hoſtes gladio quam lanas fundere fuſo;
Tenuia loricæ cædant multicia forti,
Splendeat & raptus projecto pectine mucro,

Contemptis

Contemptis radiis onerentur brachia pilis;
Clauſa diu thalamo reddamus pectora campo;
Præſumit certam virtus ſibi conſcia palmam,
Hæc dubios gaudet perferre interrita caſus:
Nil metuat qui magna cupit. conſtantia mentis
Fata domat. nec jam potis eſt fortuna nocere
Securo mortis, cui non ſunt bella timori:
Fortibus una viris, pariliſque per omnia ſors eſt
Aut palmæ, aut leti pugnando adquirere laudem.
Cernere jam videor, quanta mercede cruoris
Conſtabit raptus Paridi, crimenque parenti,
Obvia criſtatus cum ſparſerit agmina vertex,
Et ſolo adſpectu claudentur Pergama noſtro:
Cumque novus fuſos bellator fudero Teucros,
Multa trahet Xanthi Trojana cadavera gurges,
Majoremque feret cultorum ſanguine curſum.
Si mihi quis referat, quæ tu præſaga creatrix
Subducens fatis alieni ſymbola ſexus,
Ad Lycomedeos fecit tranſire penates;
Depoſitumque ſuum maluit committere blandis
Virginibus, ne te rapiat ſic Martius ardor,
Orbatam ut crucies non viſo pignore matrem.
Vadis in arma ferox, thalamum natumque relinquens,
Nec venit in mentem, quantum mereatur amore,
Quæ te prima virum conlato pectore fecit:
Is ad bella libens, ubi quæritur alea mortis,
Nec ſpondet certam triſtis Bellona ſalutem:
Sed Danais comes eſſe placet, ſociumque pericli
Pro famæ titulis meliori adjungere cauſæ.
Scilicet ut conjunx viduo reddatur Atridi,
Procumbet vilis Teucrorum victima Achilles!

Auſer, iners monitor, turpis fomenta medelæ,
Meque ſine proprio ſectari prælia ſenſu.
Non ita me genitor præclarus nomine Peleus,
Aut dilecta Jovi fudit Thetis alma ſub auras,
Degener ut lateam primævo flore juventæ,
Major & ignavo tantum mihi torpeat ætas,
Abſtrudamque toris jam debita pectora caſtris,
Cum manus Argivum victricia ludat in arma.
Denique cum promptum ruat in certamina vulgus,
Solus ego in cunctis infami carcere clauſus
Subducar pugnæ? quanto tolerabo pudore
Me non ferre pedem, quo fert Therſites, in omni
Parte miſer, forma brevior, menteque fugaci.
Abſit ab ingenio, & viribus Aeacidarum,
Ut vitem pro laude mori, metuamque ſupremum,
Quem das Parca, diem; mihi nam lux amplior ulla eſt,
Quæ virtute fluit, quæ neſcit clauſtra ſepulchri.
Namque hominis ſemper, meritorum lege perenni,
Quam breviat fatum, propagat gloria vitam.
Ergo animus fidens in Dardana ſæviat arma,
Nec mihi jam gemini dilectus pignoris obſtet.
Deidamiam, Pyrrhumque meos nunc Scyros habebit,
Viſuros noſtrum reditum, celeremque triumphum.
Me pudor hortatur rapere in certamina greſſus,
Ferre potes quæcumque labans ſucceſſibus ætas
Exigua. obſervans matris præcepta verendæ
Induxi molles habitus, velut edita Virgo;
Luſimus & tactis modulantes carmina chordis.
Virtuti adſurgat, fuerat quæcumque voluptas;
Succedat ferrum citharæ; quod nutrit amores
Depenſum eſt Veneri, reddamus cetera Marti.

HIPPODAMIA
CARMEN.

PAndite nunc Helicona Deæ: nunc pectore firmo
Eſſe duces, o ſi qua via eſt, & pronuba Juno!
Pallida Tiſiphone fœcundum concute pectus,
Non hic Atrides, nec ſcelus exitiale Lacænæ:
Hic crudelis amor: nunc illas promite vires,
Majus opus moveo; quæſitas ſanguine dotes,
Et ſcelerum pœnas, inconceſſoſque Hymenæos.
Urbs antiqua fuit, fama eſt obſcurior annis;
Quid memorem infandas cædes, & facta Tyranni,
Auſi omnes immane nefas, iraſque, minaſque,
Quis tam crudeles optavit ſumere pœnas:
Hic qui forte velit currus agitare volantes,
Invitat pretiis animos, & præmia ponit:
Tormenti genus incertum de patre ferebat.
Fama malum, incautum dementia cepit amantem,
Horreſco referens, rapido contendere curſu
Compoſuit legeſque dedit, populoſque propinquos
Infelix habuit thalamus: ruit omnis in urbem
Magnanimum heroum primævo flore juventus,
Undique conveniunt & Virginitatis amore.

Contendunt petere dubii, ſeu vivere credant,
Ille dies, vitamque volunt pro laude paciſci.
Poſt ubi confecti curſus, Circenſibus actis,
Supplicia expendunt juvenes ante ora parentum,
Linquebant dulces animas, & corpora patrum:
Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo,
Ora virum triſti pendebant pallida tabo
Veſtibulum ante ipſum, ſævique in limine regis
Terribiles viſu formæ impoſuere coronas,
Quin ipſæ obſtupuere domus, nocteſque, dieſque,
Umbræ ibant tenues odium crudele tyranni
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.
O virgo infelix, jam fas eſt parcere genti,
Peſtis & ira Deum crudeli funere virgo,
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello;
Tempore jam ex illo nil magnæ laudis egentes
Deponunt animos ſcelerata excedere terra.
Ecce inter ſanctos ignes, dum ſacra morantur,
Et juxta genitorem adſtat laſciva puella.
Cui pater & conjux, ſi qua fors adjuvet auſum,
Ora puer prima ſignans intonſa juventa,
Pictus acu chlamydem, & barbara tegmina crurum,
Venit amor fidens animi in utrumque paratus,

Lucet

Lucet ebur, tantum egregio decus enitet ore.
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
Rex prior adgreditur dictis, atque increpat ultro:
Quo moriture ruis, quæ te dementia cepit,
Aut quiſquam ignarum connubia noſtra petentem
Juſſit adire domos, quidve hinc petis, inquit:
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt, miſeretque, pudetque,
Pone animos, & pulſus abi, miſerere tuorum.
Non fugis hinc præceps, dum præcipitare poteſtas?
Sunt aliæ innuptæ, thalamis ne crede paratis,
Ne pete connubiis natam, dabis improbe pœnas.
Ad quæ ſubridens paucis ita reddidit Heros:
Hoſtis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Ne tantos mihi finge metus tam fortibus auſis.
Nec mortem horremus, nec nos via fallit euntes,
Quo res cumque cadent, nec me ſententia vertit.
Audentes fortuna juvat: ſtat, quidquid acerbi eſt,
Morte pati, quo ſata trahunt, retrahuntque ſequamur.
Talia dicentem jamdudum averſa tuetur
Cauſſa mali tanti, multos ſervata per annos:
Qualis gemma micat, fulvum quæ dividit aurum,
Inter utramque viam talis ſe læta ferebat:
Ac veluti Pariuſve lapis circumdatur auro
Arte nova, tales virgo dabat ore colores,
Inſignis facie, oculos dejecta decoros;
Uritur infelix, ſubitoque accenſa furore
Stare loco neſcit. quis enim modus adſit amori?
Nulla Venus, nulli quondam flexere hymenæi;
Solus hic inflexit ſenſus. dum plurima volvit,
In parteſque rapit varias, famulumne parentis
Audeat affari, quæ prima exordia ſumat:
Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.
Verſanti potior vix hæc ſententia ſedit.
Cuſtodem ad ſe, per noctem plurima volvens,
Intra tecta vocat, funditque has ore querelas:
Quis novus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes?
Ire iterum in lacrimas miſera & tam dira cupido;
En quid ago? aut quamnam ſpondet fortuna ſalutem
Per tot ducta viros? qui nunc certamine tanto?
Umbrarum hic locus eſt, quo me decet uſque teneri.
Reſpice ad hæc, miſerere animi non digna ferentis,
Ora manuſque ambas, defunctaque corpora vita,
Et funus lacerum, caput, & ſine nomine corpus,
Argumentum ingens, curruſque, rotaſque volucres.
Falle dolo, dolus an virtus quis in hoſte requirat?
Accipe, daque fidem: media inter talia verba
Luctantem amplexu molli fovet; hoc decus illi
Venturum excidio, vana ſpe luſit amantem:
Tandem pauca refert: tuus, o regina, quid optes,
Explorare labor. vincant, quos vincere mavis:
Teſtor utrumque caput, mihi juſſa capeſſere fas eſt.
Unum pro multis dabitur caput; atque ita fatur.
Ergo juſſa parat ſpe multum captus inani,
Scilicet id magnum ſperans fore munus amanti.
Artificis ſcelus & taciti ventura videbant,
Unius in miſeri exitium ventura ſub axem.
Oceanum interea ſurgens Aurora relinquit
Jam Sole inſuſo, magnæ ſub mœnibus urbis.
Græcus erat, fama multis memoratus in oris,
Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Undique viſendi ſtudio, turbante tumultu,
Conveniunt quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat, puerique parentibus orbi,
Et trepidæ matres, & lamentabile regnum,
Flent mœſti, muſſantque patres, hic cura ſororum
Pectora mœrentum, quibus eſt fortuna peracta.
Hos inter motus ſtat ductis ſortibus urna.
Tunc loca ſorte legunt. extemplo arrectus uterque
Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.
Nec mora: continuo vaſto certamine tendunt
Cuſtodes lecti, atque arrectis auribus adſtant,
Orantes veniam: certatur limine in ipſo.
Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,
Diſceſſere omnes medii, ſignoque repente
Qua data porta ruunt; ſic denſis ictibus heros
Stridore ingenti, atque oculis vigilantibus exit,
Incumbens humero: ſonitu quatit ungula campum:
Dant animos plagæ, pronique in verbera pendent
Pro ſe quiſque viri: tunc cæco pulvere campus
Conditur in tenebras, qua proxima meta viarum,
Et longum ſuperant flexu, cœcique furore.
Inter illis ſedent veſano ſanguine certant,
Regina e ſpiculis mirò properabat amore,
Omnia tuta timens, quamquam ſors omnia verſat,
Audit equos, audit ſtrepitus, timet omnia ſecum,
Præſcia venturi, ſed ſpes incerta futuris;
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis,
Liquitur, in medioque ardentem deſerit ictu:
Carpit enim vires, &, hæc ut cera liqueſcit,
Excoquitur vitium, tum nititur acer, & inſtat;
Vertitur interea, & ſcelus expendiſſe merentem
Matres, atque viri, voceſque ad ſidera jactant:
Dum trahitur, curruque hæret reſupinus inani,
Radit iter lævum interior, ſubitoque priorem
Præterit & ſuper hæc inimico pectore fatur:
Iſtic nunc metuende jace, vetitoſque hymenæos
Sume, pater, fruſtraque animis elate ſuperbis.
En! qui noſtra ſibi tot jam labentibus annis
Servabat ſenior, noſtraſne evadere demens
Speraſti te poſſe manus, circenſibus actis?
Hic tibi mortis erant metæ, ſubmitte furorem,
Qui juvenum tibi ſemper erat: ſperavimus iſta,
Et tandem læti ſociorum ulciſcimur umbras.
Dixit, & e curru ſaltum dedit: ocius omnes
Excipiunt plauſu, cælum tonat omne tumultu;
Ipſe etiam eximiæ laudis cum virgine victor
Ibat ovans, humeroque Pelops inſignis eburno:
Tunc vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens,
Olli (ſenſit enim ſimulata mente locutam)
Nec latuere doli, caput horum & cauſſa malorum;
Tunc quaſſans caput, hæc effundit pectore dicta,
Me, [adſum qui feci] merui, nec deprecor, inquit,
Spargite me in fluctus. en? hæc promiſſa fides eſt.
I nunc ingratis offer te, inriſe, periclis:
His etiam inſtruxi manibus, deceptus amore.
Nuſquam tuta fides: varium & mutabile ſemper
Femina. ſic fatus liquidas projecit in undas
Æternam moriens famam, quæ maxima ſemper
Dicitur, æternumque tenet per ſecula nomen.

ALCE

A L C E S T A.
C A R M E N.

Egregium forma juvenem, pactoſque hymenæos
Incipiam, & prima repetens ab origine pergam,
Si qua fides, animum ſi veris implet Apollo.
Jam gravior Pelias, multis memoratus in oris,
Rex erat, & tantas ſervabat filia ſedes.
Illam omnis tecto primævo flore juventus
Ardebat, ſed res animos incognita turbat.
Jura dabat, legeſque viris, ſub rupe leonem,
Aut ſpumantis apri curſum qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus amore;
Ipſe inter primos animi, fretuſque juventa:
Obtulerat, fidens animi, fretuſque juventa:
Ergo juſſa parat, multis comitantibus armis,
Itur in antiquam ſilvam, ſtabula alta ferarum,
Atque hic exultans animi, patienſque pericli
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.
Tunc breviter ſuper adſpectans ſic voce precatur;
Sancte Deum, ſummi cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, tua ſi mihi certa voluntas
Ibô animis contra, nec me labor iſte gravabit:
Nec mora, nec requies oranti, & multa precanti
Aethere ſe mittit, auditque vocatus Apollo,
Et juveni ante oculos his ſe cum vocibus offert:
Incipe, ſi quid habes, ſi tantum pectore robur
Concipis, & ſi adeo dotalis regia cordi eſt,
Mecum erit iſte labor, mitte hanc de pectore curam.
Per ſilvam tum ſævus aper cum murmure montis,
Tum demum movet arma Leo, vaſtoque ſub antro
Aſper, acerba tuens, vaſta ſic mole ferebat,
Excutiens cervice toros; ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo,
Dat juveni, & tenues fugit, ceu fumus, in auras:
Ille autem impavidus, & munere victor amici,
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.
Ut ventum ad ſedes, reddi ſibi poſcit honorem,
Adjungi generum miro properabat amore.
Tum ſic mortales referebat pectore voces;
Nôn hæc humanis opibus, neque arte magiſtra,
Accipio, agnoſcoque libens, tibi ducitur uxor,
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & poſſit parvos educere natos.
Hæc ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto
am ſenior, mediiſque parat convivia tectis.
nterea magnum ſol circumvolvitur annum,
Parcarumque dies, & vis inimica propinquat
Egregium forma juvenem jam morte ſub ægra.
amque dies infanda aderat, & tempora Parcæ
Debita complerant, crudeli morte ſodalis
Ut primum fari potuit crinitus Apollo,
Multa gemens, caſuque animum concuſſus amici,
pſius ante oculos ſic fatis ora reſolvit.
Diſce tuum, ne me incuſes, volventibus annis,
Adveniſſe diem, nam lux inimica propinquat;
Hæc ubi deflevit, cœli cui ſidera parent:
Tunc ſic pauca refert, fatis adductus iniquis;
Phœbe, tot incaſſum ſuſos patiere labores,
Nil noſtri miſerere, mori me denique cogis.
Eripe me his, invicte, malis, miſerere tuorum,
Si qua fata ſinant, & eris mihi magnus Apollo.
Talibus oranti ſic ore effatus amico eſt.
Deſine fata Deum flecti ſperare precando,
Sed cape dicta memor, duri ſolatia caſus:
Objectare animam quemquam aut opponere morti
Fas, & jura ſinunt; prohibent nam cetera Parcæ.
Audiat hæc genitor, patet atri janua Ditis:
Hactenus indulſiſſe vacat. ſic fatus Apollo
Mortales viſus medio ſermone reliquit.
Tunc vero ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupuit, cui fata parent, quem poſcat Apollo;
Ire ad conſpectum cari genitoris, & ora
Cogitur, & ſupplex animum tentare precando:
Multaque præterea longævo dicta parenti
Cum fletu, precibuſque tulit, ne vertere ſecum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet;
Ecce iterum ſtimulat, ſed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Tunc genitor natum dictis affatur amicis;
Non, ut rere, meas effugit nuntius aures,
Infelix cauſas nequidquam nectis inanes,
Hoc uno reſponſo animum deluſit Apollo,
Stat ſua cuique dies, lacrimæ volvuntur inanes.
Utere ſorte tua, patet atri janua Ditis.
Talia perſtabat memorans, fixuſque manebat.
Egregia interea conjunx in limine primo
Agnovit longe gemitus, præſaga mali mens:
Tunc ſic pauca refert, quid o pulcherrime conjux
Fare, age, quid venias, quæ cauſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus? quæ te fortuna fatigat?
Quæcumque eſt fortuna, mea eſt. ſic talia fatur,
Demiſit lacrimas, factoque hic fine quievit.
Ille autem gemitus imo de pectore ducens
Talia voce refert: quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
Eloquar an ſileam. luctum ne quære tuorum;
Vixi, & quem dederat curſum fortuna, peregi.
Jamque dies, niſi fallor, adeſt; crinitus Apollo
Hos mihi prædixit luctus pro nomine tanto
Objectare animam, ſeu certæ occumbere morti.
At regina gravi jamdudum ſaucia cura,
Triſtior & lacrimis, & pallida morte futura,
Deficit ingenti luctu, (mirabile viſu)
Atque illum tales jactantem pectore curas,
Talibus effata eſt dictis, ſeque obtulit ultro,
Decrevitque mori; breve, & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ, neque habet fortuna regreſſus:
Sed moriamur, ait, nihil eſt quo dicta retractent
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Eſt hic eſt animus lucis contemptor, & iſtum,
Qui vita bene credat emi: nova condere fata,
Nec mortem horremus, ſub terras ibit imago,
Si te fata vocant, in me mora non erit ulla.

Ergo aderat promiſſa dies, lacrimanſque, gemenſque
Debita compleret peſti devota futuræ,
Teſtatur moritura Deos, ſtratiſque relictis
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba;
O dulcis conjux, dum fata, Deuſque ſinebant,
Fortunati ambo, ſcirent ſi ignoſcere manes,
Te propter alia ex aliis in fata vocamur,
His lacrimis vitam damus, & miſereſcimus ultro,
Quod te per Superos, & conſcia numina veri,
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos,
Adjuro, & repetens iterumque iterumque monebo:
O dulcis conjux, caſtum ſervare cubile
Sis memor, extremum hoc munus morientis habeto.
Si bene quid de te merui, lectumque jugalem
Natis paſce tuis. ſic, ſic juvat ire ſub umbras.
Hanc ſine me ſpem ferre tui, audentior ibo,
Juſſa mori feror ingenti circumdata nocte.
Hæc ſunt, quæ noſtra liceat te voce moneri,
I decus, i noſtrum, melioribus utere fatis.
Hæc effata ſilet, pallor ſimul occupat ora,
Nam quia nec fato, ingeminat jam frigida cymba,
Sed miſera ante diem, matrum de more locuta,
Multa patri mandata dabat ſolatia luctus.
Interea dulces pendent circum oſcula nati,
Illa manu moriens humeros, dextramque tenebat
Amborum, & vultum. lacrimis ingreſſus obortis,
O dolor, atque decus magnum, ſanctiſſima conjux,
In lacrimis evicta meis, per ſidera juro,
Per Superos, hærent infixi pectore vultus,
Verbaque, per Cæli jucundum lumen, & auras,
Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regit artus
Oblitus fatorum, manet alta mente repoſtum:
Quiſquis honos tumuli, quidquid ſolamen humandi eſt,
Servati facimus, ſemper celebrabere donis;
Et cum frigida mors anima ſeduxerit artus,
Ipſe tibi ad tua templa feram ſolemnia dona,
Cui tantum de te licuit, neque enim ipſa feretur
Fama levis, tantive abolebit gratia facti.
Funeris heu tibi cauſſa fui. quas dicere grates
Quaſve referre parem fati, ſortiſque futuræ.
Æternam moriens famam tam certa tuliſti:
Contra ego vivendo vici mea fata ſuperſtes
Morte tua vivens. media inter talia verba,
Non lacrimis hoc tempus eget, Cyllenia proles,
Acceleremus, ait; nos flendo ducimus horas.
Regina ut tectis venientem conſpicit hoſtem,
Agnoſcit lacrimans ſua nunc promiſſa repoſci,
Tempus, ait, Deus ecce Deus! cui talia fanti
Delapſus color, atque in ventos vita receſſit.

LAUDES HERCULIS.

Pieridum columen, cujus Parnaſſia magno
Numine templa ſonant, læto, precor, huc age, Phœbe,
Te conjunge choro penetralia ſacta ſororum,
Et nova Caſtalios latices per rura petentum
Hippocrenæum victorem inſiſtere fontem
Me fac. namque tuam non nunc novus advena turbam
Ingredior, lauroſque gerens, & florea ſertis
Tempora vincta tuis, doctorum munera vatum.
Teſtor adhuc veteres quamvis deſuetus honores.
Alcides mihi carmen erit, germana Tonantis
Progenies, dignus credi poſt viſcera Numen,
Semper ob immenſos invicti roboris æſtus.
Nec naſci potuiſſe vacat. nam lucis in ipſis,
Inclyte, principiis, tardo vix editus ortu
Feciſti de patre fidem. ſed cur mihi lentis
Ludis adhuc Cyrrhea modis, tenerumque reſultans
Luxuriante leves impellis pollice chordas?
Pone habitum, quo mollis amas: & frondis amatæ
Linque nemus. mollique exutus tempora lauro
Populea mecum carmen luctare ſub umbra.
Jam grave plus etiam, quam ventris tempora vellent,
Alcmenam tendebat onus. ſed regia Juno
Impedit, & partus prohibet, naſcique vetabat,
Ut metus ipſe Deum monſtret. nec vivida Cæli
Semina mortales norunt ſentire latebras,
Nec poſſunt ſufferre moras. datur inde novercæ
Materies, gravibuſque odiis augmenta miniſtras,
Quod vinci cœpiſſe pudet. mox improba binos
In tua membra jubet, dum naſceris, ire dracones.
Incumbunt celeres illi, ſquamoſaque juſſus
Armat colla furor: nec quamvis maxima tractu
Tardantur ſpiris. ſequitur pars cetera pectus.
Triſtis Tartarea vibratur ſibilus aura.
Morte rubent oculi, trifidiſque horrentia linguis
Ora ſonant, nigrumque fremens levat ira venenum.
Quid nunc invictis fraudes innectere fatis,
Cælicolum Regina, juvat? cur objicis angues?
Cur parvo geminos? anne unum poſſe necari
Jam ſtrato Pythone times? licet omnia mundi
Monſtra voces, ipſamque armes ſerpentibus Hydram,
Defendet natura Deum, patremque probabit,
Quod non vis conſtare, Jovem. jamque irrita tetri
Juſſa parant implere angues, miſeroque furore
In tua fata tument: cernit tua membra petentes,
Horreſcitque parens, numenque ignara creaſſe
Mortali pietate timet. nil ſancta ſuperbæ
Pellicis inſidias Cælo modo freta tremiſcas,
Neve hæc monſtra tibi faciant, Alcmena, pavorem.
Sic mater potes eſſe Dei, jam tolle ſerenum
Læta animum, tantoque libens hæc aſpice vultu,
Ut deceat genuiſſe Jovem. depone timorem
Indignum partu, natum quæ exemplar habebas.
Cui metuis, nil ipſe timet. nam numine tecto
Ridebas tu, Dive, truceſque, animoſque ſuperbos
De genitore tenes, votiſque aptiſſimus orbis
Gaudebas tantam jam tum metu ſſe novercam.
Corripis exiguis mox grandia guttura palmis,
Et quamvis teneris, cogens in brachia pondus,
Corripis, illidens prenſos tellure dracones.
Efferat æthereum quantum volet orbis in axem
Latoidas, veroſque probet ſua fabula Divos,
Quod Delo jam ſtare licet. non æqua laborum
Gloria, nec parili ſerpentes ſorte necarunt.
Illi unum ferro: geminos hic inermis, & unus.
His cœptis non ulla parat cunabula partus,
Diva, tibi. ſed cum totis jam bruma rigeret

Imb.

Imbribus, & ſolidis hærerent flumina lymphis,
Nudum prægelidis durando firmat in undis.
Utque rudis primo tentaſti robore greſſus,
Frondoſæ deſerta vagus penetralia ſilvæ
Secura jam matre petis, teliſque tremendis
Ludis, & ætherias adducto dejicis arcu,
Aut funda violenter aves, noctemque ſub aſtris
Exigis, & puram fractis bibis amnibus undam.
Immanem interea Nemeæ per luſtra leonem
Ipſa Chimæræa cretum de gente noverca
In tua depaſtis armabat vota juvencis,
Augebatque fero vires, rabiemque juvabat,
Naturam minus eſſe putans. heu quanta virorum
Funera! quam multos ſtravit cum dentibus apros!
Non illum magnæ viduatis montibus urbes
Armorum fregere minis, Martique domando
Aſſuetas morſu ſudit graviore catervas.
Hunc gravis Euryſtheus (nam, te quocumque levares,
Imperium duri voluit ſufferre tyranni,
Sic mundo fortuna favens) hunc ſternere leto
Imperat. at nullum virtus reticenda per ævum,
Dignaque ſidereos poſt membra intrare receſſus,
Poſſe mori quam vile putat: namque impiger ultro
Vadis, & immenſæ ſcrutatus devia ſilvæ
In nova ſanguineos armantem vulnera rictus,

* * * * * *
* * *

Admonita feritate, juba, viſuque cruentus
Excuſſis movet arma toris, dubiumque reſidens
Infremit, invadis trepidum, ſoliſque lacertis
Grandia corripiens eliſo guttura morſu,
Imbellem fractis proſternis faucibus hoſtem.
Tunc & flavicomis radiantia tergora villis,
Ceu ſpolium fuſo victor rapis. emicat omnis
In laudes mox turba tuas, longoque relicta
Currit in arva metu. juvat ire, & libera rura,
Defenſoſque videre locos, ſilvamque juvencis
Jam facilem, & nullis reſonantes fletibus agros.

Mænalium petis inde nemus, fletamque colonis
Arcadiam, & ſteriles raro jam robore ſilvas.
Namque hic immenſa membrorum mole cruentus
Indomitus regnabat aper, ſoloque tremendus
Corpore lunatis fundebat dentibus ornos,
Sternebatque ſuos lugentia rura colonos.
Horrebant trifidis nigrantia corpora ſetis,
Duratoſque armos ſcopulis, totoſque per artus
Difficilis potuiſſe mori. non ſpicula in illum,
Nodoſumve rapis * gravato pondere robur.
Armati viduatur honos. nec vulnera virtus
Extemplo tibi facta timet. jamque arripis ultro
Spumantem, cogiſque diem ſufferre tuendo,
Atque ſupinato mirantem lumine vinci
Argolici victor portas ſub tecta Tyranni.
Fama celer toto victorem ſparſerat orbe,
Auxiliumque Dei poſcebat Creta cruento
Victa malo. taurus medio nam ſidere Lunæ
Progenitus Dictæa Jovis poſſederat arva:
Fulmen ab ore venit, flammiſque furentibus ardet
Spiritus, & terram, non Cæli flamma perurit,
Sed flatus monſtri. * dextro jam Siria ceſſent
Sidera, Solque licet glaciali frigore victus
Abſtruſum mundo claudat jubar, aurea condens
Lumina, & ignifluo ſtupefactus in orbe tepeſcat.
Æſtus habet Cretam, pereunt ſilvæque, lacuſque,
Graminaque, & fontes ſacri, monteſque perurit
Flamma ferox. Idam Superis ſpectantibus ignis
Diſſipat, & magno cunabula grata Tonanti
Igne ſuum monſtrum, ſi fas eſt dicere, vincit.
Tandem fama celer Dictæa ad littora magnum
Duxerat Alciden, cum Taurum dira minantem
Excipit, & ſævum cornu, flammaſque vomentem
Corripit, atque artus conſtringens fortibus ulnis
Ignifluos flatus, animamque in pectore clauſit.

* * * * * *
* * *

METAPHRASIS PERIEGESEOS DIONYSIANÆ.

Naturæ genitor, quæ mundum continet omnem,
Annue rex cæli poſitum telluris & undæ,
In quas imperium mortalibus ipſe dediſti,
Materiam tantam me promere carmine digno.
Incipiens terræ tractus, pontique meatus,
Et fluvios canere, atque urbes, populoſque per orbem
Diſcretos: late refluum memorare parabo
Oceanum; tellus quo cingitur æquore tota,
Inſula ceu ſeſe diffundens littore vaſto.
Non tamen aſſiduo teres undique margine circum.
Clauditur hæc, bifido ſed brachia littore pandens
Arctatur rapidos curſus ad ſolis utrimque,
Aſſimilis fundæ. ſed quamvis corpore toto
Una ſit hæc, homines tres dicunt eſſe diremptas:
Et primam Libyen, poſt Europen, Aſiamque.
Sed Libyam Europæ diſcernit finibus amplis
Linea, quam obliquant Gades atque oſtia Nili:
Qua boreæ excurrit Memphitis terra ſub axes,
Atque locum vovit Spartano fama Canopo.
Sed terras aquilo qua frigore damnat iniquo,
Europen Aſiæ Tanais disjungit ab oris:
Sauromatas linquens Scythiam quo gurgite vaſto
Perſtringit, præcepſque ruit Mæotida poſcens.
At medius finis, jam jam declinis ad Auſtrum eſt,
Quas Helleſponti fauces dixere priores:
Sed magis auſtralis ſunt terminus oſtia Nili.
Per mare ſic fluvioſque duos diſcernitur orbis.
Aſt alii terris malunt diſcernere terras.
Finibus eſt Aſiæ latus arctum lingua ſupernis,
Caſpia quam mediam faciunt atque æquora ponti
Euxini: locus hic diſcrimen dicitur eſſe
Europes Aſiæ disjungens ruribus arva.
Aſt alius finis longiſſimus exit in auſtros,

Qui ſecat Ægypti terras æquorque Sabæum:
Separat hic Libyen Aſiæ confinia rumpens.
Talia mortales perhibent diſcrimina terræ.
Circuit Oceani gurges tamen undique vaſtus,
Qui, quamvis unus ſit, plurima nomina ſumit.
Finibus Heſperiis Atlanticus ille vocatur.
At boreæ qua gens fervens Arimaſpa ſub armis,
Dicitur ille piger, nec non Saturnius: idem
Mortuus eſt aliis, minimo quod lumine Solis
Perfruitur: tarde radios nam ſuſcipit ortus,
Nubibus & craſſis premitur, nimbiſque gravatur.
Unde tamen primo conſcendit lumine Titan,
Eoumque vocant atque Indum nomine pontum.
Sed qua devexus calidum polus excipit auſtrum,
Æthiopumque ſimul pelagus Rubrumque vocatur:
Qua deſerta patet tellus ardore peruſta.
Circuit Oceanus ſic totum maximus orbem,
Nominibus variis celebratus & æquore tanto.
Hinc atque inde ſinus penetrabilis efficit ille
Exiguos multos, dirimens mare, quatuor amplos.
Perſecat Heſperiam primus qui porgitur undis,
Pamphylumque latus Libyæ protendit ab oris.
Hoc minor eſt, reliquis major, quem Caſpia tellus
Suſcipit intrantem vaſtis aquilonis ab undis,
Nomine Saturni quod Tethys poſſidet æquor.
Caſpius iſte ſinus ſimul, Hyrcanuſque vocatur.
At duo qui veniunt auſtralis ab æquore ponti,
Hic ſupra currens mare Perſidis efficit altum,
E regione ſitus qua Caſpia volvitur unda:
Fluctuat aſt alter Panchæaque littora pulſat,
Euxini contra pelagus protentus in auſtros.
Hoſce ſinus perhibent, quos Tethyos efficit unda,
Majores: nam ſunt alii multique minores.
Nunc maris Heſperii luſtrabo carmine tractus,
Flexibus in variis qui frangitur æquore pontus,
Has ſtringens pelago terras, circumfluus illis:
Montibus & radens, ſuppoſtaſque urbibus oras.
Adſis o numen ſtudiorum præſul & artis,
Ordine principium capiens Atlantis ab unda.
Herculeo celebrant qua metæ munere Gades,
Cæliferaſque tenens Atlas ſtat monte columnas.
Eſt primus vaſtis qui pontus Ibericus undis
Dividit Europen Libya, communis utrique.
Hinc atque hinc ſtatuæ ſunt. ambæ littora cernunt,
Hæc Libyes, hæc Europes, adverſa tuendo.
Gallicus hunc gurges, qui Celtica littora pulſat,
Excipit. hinc ſequitur Ligurum cognomine dictus.
Qua domini rerum terris crevere Latinis,
Ad Petram Leucen aquilonis ab axe reductis,
Quæ freta Sicaniæ concludit littore curvo.
Inſula ſed Cyrnos propriis pulſatur ab undis,
Inter Sardinium pelagus Celtumque refuſis.
Inde ſalis tumidus Tyrrheni volvitur æſtus,
Ad partes vergens auſtrales. excipit iſtum
Sicaniæ gurges, ſolis deflexus ad ortus:
Qui procul effuſus Pachyni diſtenditur oris,
Ad Cretæ ſummam, quæ prominet æquore, rupem:
Qua Gortyna potens, mediis qua Phæſtus in arvis.
Arietis hanc rupem ſimulantem vertice frontem,
Pro merito Graii Criu dixere metopon.
Hoc mare Gargani concludit Japygis ora.
Illinc incipiens extenditur Adria vaſtus,
Ad boream penetrans pelago, ſolemque cadentem:
Ionius pariter ſinus hic perhibetur ab orbe.
Dividit & geminas diverſis partibus oras,
Quas tamen extremas conjungit terminus unus:
Ad dextram partem protenditur Illyris alma,
Poſt hanc Dalmatiæ populorum martia tellus.
At lævam Auſoniæ porrectus continet Iſthmos,
Quem tria circumdant maria undique littore curvo:
Tyrrhenum, Siculum, nec non ſimul Adria vaſtus:
Finibus at propriis exceptant ſingula ventos:
Tyrrhenum zephyro, Siculum ſed tunditur auſtro,
Adria ſuccurrens Eoo frangitur Euro.
At poſt Sicaniam tractu diffunditur alto
Ad Syrtin pelagus, Libycis quæ cingitur oris,
Majorem: poſtquam minor excipit æquora longe,
Atque ſinu gemino reſonantia littora pulſant.
Finibus a Siculis Cretæum provolat æquor,
Ad ſolis veniens ortus, Salmonida poſcens,
Dicitur Eous qui Cretæ terminus eſſe.
Poſt hanc eſt geminum mare vaſtum fluctibus atris,
Flatibus Iſmarici boreæ quod tunditur atris,
Qui ruit adverſus celſæ de partibus arcti.
Quod prius eſt, Pharium perhibent, hoc littora tangit
Præcipitis Caſii montis. poſt unda ſecunda
Sidonium eſt pelagus: penetrat qua gurgite pontus
Iſſicus, arctoas ad partes æquore vergens,
Non longe rectus: Cilicum nam frangitur oris.
Hinc zephyros poſcens veluti draco flectitur undis,
Qui juga montivagus vaſtat ſilvaſque fatigat.
Partibus extremis Pamphylia clauditur iſto:
Atque Chelidoniæ rupes cinguntur eodem.
At procul hunc zephyrus finit Patareide ſumma.
Poſt hæc arctoas ad partes aſpice rurſus
Ægæum, ſuperat qui fluctibus æquora cuncta,
Diſperſas vaſto qui gurgite Cycladas ambit:
Terminat hunc Imbros pariter Tenedoſque coercens,
Anguſta trahitur qua fauce Propontidis unda:
Aſia quam ſupra populis diſtenditur amplis
Ad notiam partem, qua latus ducitur Iſthmos:
Threicius ſequitur poſt Boſphorus, oſtia ponti:
Hoc nullum perhibent terras anguſtius orbis
Eſſe fretum dirimens: hic ſunt Symplegades artæ,
Panditur hinc Ponti pelagus Titanis ad ortus;
Quod petit obliquo boream ſolemque meatu.
Hinc atque hinc medio percurrunt æquore colles.
Unus, qui veniens Aſiæ de parte Carambis
Dicitur, auſtralis: ſed contra finibus alter
Prominet Europæ, hunc Criu dixere metopon.
Ergo conveniunt adverſi, gurgite tanto
Diſtantes quantum ternis tranſire diebus
Evaleat navis. bimarem ſic æquore pontum
Aſpicias, ſimilem cornu quo flectitur arcus
Nervo curvatus diſtento. dextera nervum
Aſſimilat: recto trahitur nam linea ductu,
Extra quam boream quod ſcandit ſola Carambis:
Sed formam cornu geminatis flexibus edit
Littus, quod Pontum cingit ſub parte ſiniſtra.
In quam Mæotis penetrans aquilonis ad axes,
Quam Scythiæ gentes circumdant undique ripis,
Et matrem Ponti perhibent Mæotidis undam,
Scilicet hinc Ponti vis exit gurgite multo
Cimmerium torrens per Boſphoron hic ubi Taurum
Cimmerii gelidis habitant ſub finibus imum.
Hæc maris eſt ſpecies, ſplendens hæc forma profundi.
Nunc tibi telluris regiones carmine pandam,
Ut cernas animo non viſas lumine terras,
Atque docens alios lauderis pectore docto.
Incipiens Libye, tenuiſque a Tethyos undis,
Oceanus Tyrias qua pulſat gurgite Gades,
Tenditur ad notias partes, & ſolis ad ortus.

Et

Et menſæ formam reddit menſoribus artis,
Quam tradunt terræ non æquam margine cuncta.
Terminat hæc fines Rubri prope littora ponti
Latos: Æthiopum populos quos poſſidet alter:
Quem calidis juxta terris paſcuntur Erembi:
Has pelli ſimiles pardi dixere priores.
Namque ſolum ſqualens urbes diſtinguit opacas.
Hac ſitis, hac humor latos variatur in agros.
Sed ſummam Libyen habitant ad Tethyos undas,
Alcidæ qua ſunt ſtatuæ, Mauruſia plebes.
Poſt hos immenſæ Nomadum de ſemine gentes:
Atque Maſæſylii, nec non Maſylia proles.
Saltibus hos duris aſper ſilviſque vagantes
Victus alit, ſæva quæſitus cæde ferarum:
Scilicet ignaros terras perſindere raſtris,
Agricolaſque boves plauſtris domitare ſonoris.
Namque errant nemorum per dumos more ferarum.
Quos prope tenduntur fines Carthaginis altæ,
Perpetuas Tyriis celebrat quæ condita laudes:
Qua regnans felix Dido per ſæcula vivit,
Atque pudicitiam non perdit carmine falſo.
Hanc minor inſequitur Syrtis, majorque ſecunda:
Qua tumor immenſus Tyrrheni pellitur æſtus,
Acceſſuſque furit, ſicciſque receſſus arenis.
Aſt inter Syrtes urbs eſt, quam nomine dicunt
Eſſe Nean polin: hanc ſupra juſtiſſima fertur
Hoſpitiis gaudens gens degere Lotophagorum.
Hos licet ad fines deſertas cernere terras
Extinctis populis Naſamonum marte Latino.
Asbyſtæ poſt hos terrarum rura tenentes
In medio. ſummus Lybicis & gentibus Hammon.
Nec non Cyrene clarorum mater equorum,
Urbis Amyclææ populus quam condidit olim.
Marmaridæ poſt hos Ægypti ad flumina vertunt.
Getulique ſuper ſunt, vicinique Nigretes.
Continuo poſt hos ſequitur Phauruſia tellus.
Hanc habitant juxta Garamantes Debride clari:
Quæ ſuperat cunctas urbs miro munere fontis,
Frigore qui noctis fervet calefactus & umbris,
At ſolis friget radiis glacialis & igni.
Omnibus extrema populis clauduntur in ora
Æthiopes: Libyes ubi finit littora Cerne,
Oceanum nimio quæ pulſat ſole calentem.
Nec longe fervent Blemyorum collibus agri.
Hinc fluvii pinguis deſcendunt flumina Nili.
Partibus a Libycis qui currens ſolis ad ortus,
Siris ab Æthiopum populis cognomine fertur:
Verſum cultores Nilum dixere Syenes.
Hinc boreæ currens ad partes flumine pingui,
Fertilis Ægypti terras fœcundat opimas,
Septenoque ferit Pellæum gurgite pontum.
Non aliis tantum fluviorum ditat arenas,
Atque trahens limum complectitur ubere campos.
Hic latis Libyen Aſiæ diſterminat oris:
Hæc ortus cernit, videt auſtros illa calentes.
Hunc habitant juxta ſapientum corda virorum,
Diſpoſuere vias qui vitæ mente potenti:
Et primi dederant ſulcos & ſemina terris,
Obliquos ſolis tractantes pectore curſus.
Horum telluris fines nunc carmine dicam,
Et formam, celebrat quam gloria magna per orbem.
Hæc igitur latis diffuſa pateſcit in arvis
Fertilis, & ſuperans alias pinguedine glebæ.
Marginibus laterum formatur at undique ternis:
Lata quidem boreæ ſub littore tenditur oris:
Aſt ortus anguſta petit ſummamque Syenen:
Qua celſi mediam montes utrimque coercent:
Irrigui per quam deſcendunt flumina Nili.
Hanc habitant homines multi, pariterque opulenti.
Qui veteris claræque colunt ſub mœnia Thebes,
Quam perhibent centum portas habuiſſe priores;
Filius Auroræ Memnon qua regna tenebat.
Hic ſunt & ſeptem mediis in finibus urbes,
Quas celebrat totum diſcurrens fama per orbem.
Et quicumque maris vivunt prope littora vaſti,
Qua lacus eſt ingens liquidæ Serbonidis undæ.
Ad cujus zephyrum Macetum ſunt mœnia regis:
Et Pharos Idothees ſcopuli Pallenidis alti.
Poſt urbs ſub Caſio Pelluſi vergit ad ortum:
Navigiis populus duris quam poſſidet aptus.
Non tamen eſt Libyes ponendus finibus iſte:
Scilicet Eoas Nili qui continet oras.
Nili, quem circum floret mirabilis arbor,
Extinguitque ſitim pomo, cui nomen adipſos.

Hæc facies Libyes: hic claudit terminus illam.
Sunt tamen huic aliæ gentes: quæ littore ſummo
Tethyos, aut mediis habitant telluris in arvis,
Et gratas circum ripas Tritonidis undæ:
Hic lapis, Heliotropius qui nomine vero
Dicitur, eſt: vertit radios nam ſolis in unda,
Si quis eum fuſa labris immergat aenis,
Sanguineaque rubens reſplendet luce coloris.
Purior at ſoli renitet nudatus ab undis.

Si placet Europes quoque me tibi dicere formam,
Haud taceam. ſimilis Libyæ eſt: ſed vergit ad arctos:
Finibus & pariter diſtentis pergit ad ortus.
Linea namque Aſia ſimilis disjungit utramque.
Hæc notias ſpectat partes: aquilonis at illa.
Aſt ambas unam ſi terras eſſe putemus,
Aſſimulent conum laterum compagibus æquis:
Cujus ad occaſus eſt ſummum, lata ſub ortu.
Sic Europa tibi facili dignoſcitur arte.
Ad cujus ſummum, prope metas Herculis alti,
Magnanimæ gentes, dederat queis nomen Iberus,
Ad ſpatium multum terrarum rura colentes,
Oceanum boreo contingunt frigore durum:
Scrutanturque decus pulchrum ſapientibus auri.
Quos tamen haud maculat præſens, nec dejicit abſens.
Qua ſunt Germani bellaces, atque Britanni.
Saltibus Hercyniis Germania ſubjacet atrox:
Hæc tergo ſimilis taurino dicitur eſſe.
Et paſcit volucres, mirum, fulgentibus alis,
Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.
Pyrenes ſequitur mons. poſt hunc Celtica tellus,
Eridani fontis contingens rauca fluenta:
Hic Phaethonta ſuum caræ luxere ſorores:
Hic electra legunt alnis ſtillantia Celtæ,
Succina quæ memorant, mellis vinive colore,
Quæ paleas rapiunt tractu, frondeſque caducas.
Poſt hos Tyrrheni. quos juxta ſolis ab ortu
Incipiunt Alpes: quibus exit gurgite vaſto
Oceani rumpens glacialis littora Rhenus.
Hunc prope conſurgit fons Iſtri flumine longo:
Qui poſcens ortus Euxini pervenit undas,
Irriguam Peucen amplexus gurgite quino.
Cujus in arctoas eſt partes barbara tellus,
Innumeras gentes gremio complexa reducto.
Cui finem faciunt Mæotidis oſtia vaſtæ.
Hic ſunt Germanique truces, & Sarmata bellax,
Atque Getæ, nec non Baſternæ femina gentis,
Dacorumque manus, & martia pectora Alani,
Atque dromon Tauri retinentes fortis Achilli,

Anguſtum & longum Mæotidis oſtia juxta.
Hos equites ſupra celeres funduntur Agavi:
Atque Melanchlænum populus, metuendus in arcu.
Poſt Hippemolgi ſunt, Hippopodeſque potentes,
Atque Geloni cum Neuris, pictique Agathyrſi:
Hic ubi deſcendit porrecta Boryſthenis unda,
Euxinumque ſubit Criu prope tracta metopon.
E regione jacet locus hic Symplegados artæ.
Hic ſunt Aldeſci quoque, Panticapique fluenta:
Dividui currunt Riphæis montibus ambo.
Immiſcent qua ſe ponti glacialibus undis,
Naſcitur electrum præfulgens luce nitenti,
Menſe ſolet primo qualis ſplendeſcere luna.
Hos adamanta legunt juxta fortes Agathyrſi.
Tot dirimit gentes aquilonis partibus Iſter.
Hujus ad auſtrales terras, Gerræque feroces,
Noriciique colunt bellaces, Pannoniique,
Et Myſi Thracum boreis in finibus orti:
In quorum terris, quas ponti præfluit unda,
Ignipotens oleo commiſto gignitur herba,
Medica cui nomen; cujus compeſcere flammas
Si quis aqua cupiat, plus ignem paſcit in illa:
Pulveris hunc jactus potis eſt extinguere ſolus.
Thraces arant poſt hos latiſſima rura tenentes:
Quæ torrens ſtringit finitque Propontidis unda,
Atque Helleſponti fauces, Ægæus & altus.
Naſcitur hic ſcopulis Pallenæ gemma refulgens,
Aſterium perhibent: ſtellis certare putatur:
Et flammæ ſimilis ſplendenti lumine lychnis.
Hi ripas Iſtri porrectas undique cingunt.
Europæ reliquas nunc partes aſpice ternas,
Phœbeos vergens quibus eminet illa ſub ortus.
Prima eſt Hiſpanum quæ frangit littore pontum,
Altera Tyrrhenum, quæ pulſat molibus æquor,
Tertia, quæ Grajos circumflua gurgite paſcit.
Sed tamen Oceanum contingit Iberica tellus
Occiduum: Calpen qua ſummam ſuſtinet unam
Herculis e ſtatuis: quam ſupra dives & alta
Tarteſſus, Cempſique, ſedent qui collibus imis
Pyrenes, cælum qui tangit vertice ſummo.
Aſt ambas inter tellus jacet Auſonidarum:
Limite quam recto mediam ſecat Apenninus.
Qui mons, incipiens boreis ex Alpibus altus,
In freta Sicaniæ porrectas terminat oras.
Hunc urbes circum, populi, genteſque frequentant:
Quos breviter retegam noſtro tibi carmine cunctos.
Tyrrheni primum fortes: juxtaque Pelaſgi:
Cyllenes quondam propria qui ſede relicta,
Tyrrhenis ſocias petierunt navibus arces.
Hos quoque ſunt omni ſuperantes laude Latini.
Quorum per terras decurrit in æquora Tybris
Regius, irriguo dirimit qui gurgite Romam:
Romam, quæ genitrix regum dominatur in orbem.
Poſt hos pingue ſolum ſequitur Campania dives.
Hic ubi Parthenopes domus eſt caſtiſſima, frugum
Fertilis: hanc pontus propriis exceperat undis.
Ad noton eſt, longe ſupra Sirenida rupem,
Picentis Silari gurges ſpectabile flumen.
Hunc habitant prope Lucani, Brettique coloni,
Ad Leucen petram longiſſima rura tenentes.
Hinc eſt ad Boream Zephyri quæ ſumma vocatur:
Sub qua ſunt Locri celeres, qui tempore priſco
Huc reginam propriam venere ſecuri:
Auſoniamque tenent, qua currit flumen Alecis.
Mœnia cernuntur Metaponti deinde, Crotonque,
Quam pulcher gratam præterfluit Æſarus urbem.

Ulterius pergens hinc templa Lacinia cernes.
Poſt hæc eſt Sybaris, periit quæ numinis ira,
Præponens hominum tumulos cæleſtibus aris:
Ponere qui priſcis auſi certamina ſoli.
Samnites medio complectitur Itala tellus
In gremio Marſoſque ſimul. tunc deinde Tarentum
Tangitur æquoribus, quod munivere Lacones.
Continuo Calabræ telluris rura ſequuntur.
Uſque Hyrii ſummam ſed tendit Iapygis ora:
Qua ſalis Adriaci trahitur vaſtiſſimus æſtus,
Atque ſinum penetrans Aquileium colligit undas,
Alta Tegeſtræon poſtremæ mœnia terræ,
Qua ſinus Ionius finitur gurgite laſſo.
Hi ſunt Auſoniæ populi genteſque potentes.
Flexilis hinc pontus convertens vergit ad ortus,
Atque Liburnorum terras, Hylleſque feroces,
Bulimeon pariter præſtringens littora currit:
Et venit Illyrias late porrectus ad arces:
Qua tollunt montes excelſa Ceraunia ſummos.
Cernitur hic tumulus, qui Cadmi dicitur eſſe
Harmoniæque ſimul: namque hic ſerpentibus illi
Corpora poſt tempus longum mutaſſe feruntur,
In ſenio: poſtquam patriam Thebaſque relinquunt.
Hic illos aliud poſuerunt numina monſtrum:
Namque duo tumuli concurrunt peſte futura,
Significant quoties ſæviſſima damna colonis.
Hæc regio fontem mirandæ concipit undæ,
Quem merito veteres dixerunt nomine ſacrum.
Nam gelidus ſuperat cunctarum frigus aquarum.
Accenſaſque faces ſi quis prope duxerit undam,
Extinguit flammas; recipit ſed rurſus eaſdem,
Admoverat dextra cum extinctam lampada fonti.
Sed ſupra Thracen, nec non Epiron, ad auſtros,
Principium terræ doctiſſima Græcia ſumit:
Aſcendens multum, geminatoque æquore cincta,
Ægæo Siculoque: movent quæ flamine venti
Diverſo: Siculum zephyrus tenet, eurus at altum
Ægæum. ſequitur Pelopis poſt inſula lata,
Conſimilis platani folio; quod muris acutam
Æquiparat caudam: cujus jacet Iſthmos imago,
Hellados ad boream ſibimet confinia jungens:
Latior at tellus, folium ceu flexile, circum
Cingitur æquoribus. Zephyrumque Triphyllidis arva
Excipiunt: per quam deſcendit flumine pulchro
Alphæus: qui Meſſeni diſcinditur undis
Eurotæ: terris ambo naſcuntur Afeis:
Hic tamen Eleos, & dividit ille Laconas.
Hic mediis habitant late telluris in arvis
Arcades Apidanei, ſub ſcopulis Erymanthi:
Qua Melas, atque Crathis fluvii, qua currit Iaon,
Tenditur atque vetus qua longo gurgite Ladon.
Hic merulos perhibent albos, mirabile dictu:
Hic naſci lapidem, qui tacto accenſus ab igni
Extingui nequitur: quem Graii nomine vero
Asbeſtum memorant. ferri nitet ille colore.
Juxta eſt Argivum tellus, pariterque Laconum:
Ortus Argivi, verguntque Lacones ad auſtros.
Æquoribus geminis Iſthmos pulſatur utrimque:
Hoc Ephyren contra, Zephyrus ſed verberat; illud
Eurus, in immenſum quæ mergitur unda profundum,
Nomine quam Danai dixere Saronida priſco.
Attica ſed tellus poſt Iſthmum ſolis ad ortum eſt.
Hinc Orithyiam Boreas rapuiſſe puellam
Traditur. hic Iliſſos aquis devolvitur amnis.
Bœotum ſequitur finis: quo dicitur unda
Eſſe poteſtatis diverſæ. namque duobus

Flu-

Fluminibus mutat vervecum lana colorem:
Hoc fuſcat niveas, hoc albat gurgite nigras,
Locridis inde ſolum ſequitur regionis, & ora
Theſſalis, & tellus Macetum cum mœnibus altis:
Sub cujus ſcopulis, tangentes vertice cælum
Speluncæ veteris ſervant inſignia cladis:
Finibus in mediis terrarum namque videntur
Oſtrea muricibus ſiccata latentibus eſſe:
Diluvium latebras dederat quod piſcibus illas.
Concipit & parit hic naturæ munere gemma,
Quam pæaniten perhibent, prægnantibus iſta
Auxilium confert, facilis relevamine partus.
Cernitur hinc, niveas attollens vertice rupes,
Æmus Threicius. quem contra tenditur agris
Ad Zephyrum regio Dodones lata feracis.
Ad cujus notias partes, ſub rupe Aracynthi,
Ætolæ gentis ſunt belli laude potentis
Campi: quos medios Acheloia perſecat unda,
Et mare Trinacrium perrumpit Echinadas inter.
Regna Cephallenæ prope ſunt ſapientis Uliſſei.
Iſta Galactiten ripis oſtendit in altis:
Uberibus prodeſt, nec non infantibus idem:
Et ſi quis terat hunc, albeſcit lacte liqueſcens.
Hunc fluvium juxta, præclaros ſolis ad ortus,
Phocis ad arctoos ventos extenditur ingens,
Donec contingat calida oſtia Thermopylarum,
Sub juga Parnaſſi: Cephiſos gurgite magno
Quam mediam dirimit, deſcendens murmure vaſto,
Qua templum Phœbi memorabile Delphica ſedes.
Nunc magno nobis ſunt inſulæ ore canendæ,
Quas homines toto diperſas æquore cernunt.
Eſt igitur ponto tellus circumflua prima,
Cui nomen Gadir. ſtatuas hæc Herculis inter
A Tyriis colitur. Cotinuſa vocata vetuſtis.
Continuoque jacent Gymneſiæ. has Baleares
Romani memorant. hinc frangitur æquor Ebuſo.
Sardiniæ poſtquam pelago circumflua tellus
Fontibus e liquidis præbet miracula mundo:
Quod ſanant oculis ægros: damnantque nefando
Perjuros furto, quos tacto flumine cæcant.
Poſtquam non longe cernuntur littora Cyrni:
Corſida quam pariter geminato nomine dicunt,
Hanc ſolam perhibent catochiten gignere terram.
Corporibus lapis hic, ceu glutine, tactus adhæret.
Nulla tamen tellus altiſſima robora ſilvæ
Sic alibi generat. dehinc rupes Æolidarum:
Quas ſeptem numero perhibent cognomine Plotas,
Quippe viam ratibus pelago dant undique vaſto.
Trinacriæ poſt has moles diſtenditur ampla:
Cardinibus ternis laterum quam terminat ictus;
Procurrens Pachyno longe, clauſtriſque Pelori,
Exterrenſque rates Lilybæi cautibus aſpris.
Eminet ad zephyrum Lilybe: Pachynuſque ſub ortum:
Aſpicit Auſoniam, boreæque Pelorus ad axes.
Qua mare vix ſuperant haud æquum nolle periclis,
Anguſtum, rapido quod frangit gurgite ſaxa.
Traditur hic pelagi diruptis viribus olim
Excepiſſe fretum terras, cogente ruina.
Plurima ſunt iſtic totum memoranda per orbem.
Dianas fons eſt, Camerina gignitur unda:
Quem ſi quis manibus non caſtis hauſerit umquam,
Lætifico triſtis non miſcet pocula Baccho
Hæc eadem montem mirandum ſuſtinet Ætnam:
Vertice qui ſummo rigida nive temperat ignem,
Nec ſuperant flammæ frigus, nec frigora flammas.
At ſalis hic Acragas miracula poſſidet unus,
Naturas in quo proprias mutare videntur
Ignis & unda: ſalem namque illum ſolvere flammæ,
Unda ſolet crepitus illi conjuncta movere.
Hic & Haleſinus fons eſt, mitiſſimus undis:
Tibia quem extollit. cantu ſaltare putatur
Muſicus, & ripis lætans excurrere plenis.
Cernitur egregius lapis hic, cui nomen Achates:
Hoc dederat fluvius cujus generatur ad undas:
Hanc ſimulacra vides venis oſtendere gemmam.
Æquoris at Siculi, quod vaſtis funditur undis,
Ad noton, eſt pontus Libyæ, Syrtiſque vadoſa
Major: at ulterius ſi pergas, cerne minorem
Occiduam: juxta quam Meninx inſula fulget,
Et Cercina ſimul, Lybica ſtatione patentes.
Agria qua penetrat, venias ſi parte ſiniſtra,
Atque legas Calabrum littus; tunc inſula magni
Oſtendet ſeſe Diomedis nomine dicta:
Quo profugus quondam victor conceſſerat ille,
Conjugis inceſtæ per fraudes Ægialeæ.
Ionium pergens Abſyrtidas æquor ad ortus
Circuit: has olim Colchi tenuere feroces,
Laſſi dum fruſtra Medeæ furta ſequuntur.
Continuo poſt haſce Liburnidas aſpicis altas.
Ad notias partes hinc ſæva Ceraunia nautis
Inſulæ Ambraciæ contra cernuntur in alto.
Et Corcyra potens: Ithaces atque aſpera tellus:
Et quas oblimat rivis Acheloius amnis,
Flumine torrenti præcelſam Chalcida linquens.
Sed multæ Amniſi boreæ ſub parte videntur,
Ægylaque, inde Cythera, Calauria dura colonis:
Ad radios vergit ſed Carpathus: hanc prope Crete
Pinguis, & umbroſis extendens collibus Iden,
Ante ortus ſolis perhibent quam fulgere ſole.
Gignitur hic alimos: quam ſi quis mordeat herbam,
Compeſcit damnumque famis rabiemque diurnam.
At Rhodos Ægyptum contra jacet, inſula dives.
Suniados contra quoque ſummum rupis, ad ortus:
Nubila quam numquam vetuerunt lumine ſolis:
Nam purus caræ potitur telluris. Abantas
Supra ſunt Salamis, nec non Ægina: ſed ortus
Cernentem Cyprum pontus Pamphylius ambit.
Poſthæc ſunt ternæ citra Pitaneida ſummam,
Fama Chelidonias celebrat quas nomine terras,
Nec procul eſt Arados Phœnices æquore cincta.
Ægæi vero diverſis partibus alti,
Ad fauces artas, multæ ſunt inſulæ, Abydi.
Confines Aſiæ dextræ: Europeſque ſiniſtræ:
Ad boream tamen hæ pertendunt ordine longo,
Europes Macris agnoſcit Abantius oram.
Et celſa Scyrus, Peparethus, ſacraque Lemnos,
Fertilis atque Thaſos, ſimul Imbros, poſt Corybantum
Mœnibus antiquis Samothracia cernitur alta.
Aſt Aſiæ partem quæ tangunt æquore primæ,
Delon circumdant: has dicunt Cycladas eſſe.
Continuo Sporadas ceu ſtellas aſpicis almas,
Ioniaſque ſimul: quas inter Caunus, & alte
Sunt Samus, atque Chius, celebratæ nomine claro.
Æolicæ poſt, & Lesbus, Teneduſque ſequuntur.
Et ſinus inde Melas Helles prorumpit in æquor.
Panditur hinc pelagus, tumidaque Propontide fervet
Ad Boream: ſaxiſque viget Proconeſus in illa.
Eſt etiam lævis Euxini partibus una,
Quam Leucen perhibent, adverſa Boryſthenis amni,
Paſcit aves quoniam multas candore nivali.
Hic animas perhibent Heroum, laude potentes,
Degere ſecuras, virtutis munere pulchro.

Circ-

Cimmerium recta ſed ſi quis Boſporon ibit,
Cernitur huic dextra vaſtæ Mæotidis unda
Inſula, mole gravi ſtans, Alopecea lata.
Poſtquam Phænagoren, Hermonaſſamque nepotes
Egregiæ quondam coluerunt gentis Ionum.
Inſulæ hæ celebres pelagi ſunt nomine claro.
Aſt alias refluum circumdat Tethyos æquor:
Quarum demonſtrem poſitum regionis, & oras.
Æthiopes habitant Erythiam pectore juſti,
Atlantem juxta longævi. finibus olim
Venit Hyperboreis quæ gens, poſt fata perempti
Geryonis, domuit quem virtus Herculis ingens.
Sed ſummam contra ſacram, cognomine dicunt
Quam caput Europæ, ſunt ſtanni pondere plenæ
Heſperides: populus tenuit quas fortis Iberi.
Aſt aliæ Oceani juxta Boreotidas actas
Sunt geminæ, Rhenique Britannides oſtia cernunt:
Hic etenim laſſo perrumpit Tethya curſu.
Has tamen haud valeat ſpatio ſuperare per orbem
Inſula. perfulget nigro ſplendore Gagates
Hic lapis, ardeſcens hauſtu perfuſus aquarum;
Aſt oleo perdens flammas, mirabile viſu:
Attritus rapit hic teneras, ceu ſuccina, frondes.
Nec ſpatio diſtant Neſidum littora longe:
In quibus uxores Amnitum Bacchica ſacra
Concelebrant, hederæ foliis tectæque corymbis.
Oceani tranans hic navibus æquor apertum,
Ad Thulen venies: quæ nocte dieque relucet
Titanis radiis, cum curru ſcandit ad axes
Signiferi, boreas ſuccendens lampade partes.
At navem pelago flectenti aquilonis ab oris
Ad ſolem calido referentem lumen ab ortu,
Aurea ſpectetur tibi pinguibus inſula glebis.
Hinc tepidos proram convertens navis ad auſtros,
Taprobanem venies: generat quæ magna elephantes
Per fines Aſiæ: jacet hæc ſub ſidere Cancri.
Littoribus cujus ſaliunt denſiſſima cete,
Quæ paſcit vaſtum mare rubrum, montibus æqua:
Tenditur horribilis quorum per terga, per armos,
Spina ferens cladem fatumque ſub ore feroci:
Quippe ſolent pariter navem ſorbere viroſque.
Nam mala tam pelagus quam terra merentibus offert.
Ulterius pergas ſi poſt Carmanida ſummam,
Ogyris occurrat: qua dicitur eſſe ſepulchrum
Regis Erythræi, dederat qui nomina ponto.
Perſicus inde ſinus penetratur, & Icaron offert:
Inſula quæ fertur nimium placare Dianam.
Tot ſunt ingentes, quas cingit Tethyos unda,
Inſulæ: aſt aliæ diverſis partibus orbis
Diſperſæ plures, famam latuere minores:
Duris difficiles nautis, vel portubus aptæ.
Quarum non facile eſt mihi promere nomina verſu.
Aſt Aſiæ fines ambarum linea monſtrat,
Et formam contra poſitarum in imagine coni.
Paulatim trahitur tamen hæc orientis ad oras:
Oceanus ſtatuas Bacchi qua tangere fertur,
Finibus Indorum poſtremis, gurgite torrens
Qua Ganges liquido Nyſſæos irrigat agros.
Non tamen eſt ſpatio ſimilis telluris apertæ.
Scilicet ambabus penetrabilis unus in illis
Funditur Oceani ſinus, & diſterminat ambas:
Aſt Aſiæ gremio triplex mare confluit undis:
Hyrcanum pariter, Parthum ſimul, atque Sabæum,
Hæc noton, at boreos Hyrcanum vergit ad axes,
Gurgitis Euxini vicinum: multa virorum
Millia quod circum degunt, per littora Ponti.

Amborum medius campis diſtenditur Iſthmos.
Aſt Aſiam qui mons excelſus dividit omnem,
Incipit a mediis terræ Pamphylidis oris,
Et longis ſeſe ſpatiis producit ad Indos:
Nunc obliqua means, nunc recto limite currens:
Vertice quem torvo perhibent cognomine Taurum,
Cornua nam ſummus ſcopulis imitatur acutis,
Multifiduſque ſuos huc colles ſpargit & illuc.
Ex hoc innumeri deſcendunt fontibus amnes:
In partes euri, zephyri, boreæque, vel auſtri.
Quis memorare queat fluviorum nomina cuncta?
Non tamen eſt unum montis cognomen ubique,
Sed varii flexus variantur nomine multo:
Singula ſed propriis ſunt nomina nota colonis.
Nunc igitur gentes illum populoſque tenentes,
Qui celebres, memorem, ſed felix numen adeſto.
Mæotæ primi tangunt Mæotidis undas.
Sauromatæque truces, gens aſpera Martis in armis:
Sanguis Amazonidum fortis quos protulit olim,
Sauromatis mixtæ quæ, Thermodonte relicto,
Ingentes genuere viros, belloque potentes;
Innumeras habitant qui ſilvas, gurgite vaſto
Inter quas Tanais Mæotidis intima pulſat,
Europen fluvio dirimens Aſiamque reflexo:
Europen zephyris, Aſiam ſub partibus ortus.
Caucaſiis exit cujus fons montibus altis,
Murmure cum vaſto Scythiæ per plana refuſus.
Hunc tamen, immenſo torrentem flumine, vertit
In glaciem boreas horrendo flamine ſævus.
Heu miſeros homines, habitant qui finibus illis,
Aere damnati triſti nimioque rigore,
Quo pereunt pecudes pariter, populique virorum,
Ni propere linquant ſua rura furentibus euris.
Hi Tanain habitant fluvium prope Sauromatarum.
Cui ſunt vicini Sindi quoque, Cimmeriique.
Poſt hos Cercetii: juxta quos Axenus altis
Fluctuat æquoribus: nec non Oretæque feroces:
Et qui Trojanæ poſt prælia gentis Achæi
Aſcalaphi regis victricia ſigna ſequentes,
Diſpulſi ventis iſtas venere ſub oras.
Poſt hos Eniochi, genuit quos Græcia tellus:
Et Zygii juxta vivunt regione ſub una.
Intima ſed ponti, poſt fines Tyndaridarum,
Ægypto miſſi Colchi tenuere coloni:
Caucaſii montis prope collem, & Caſpia ponti
Littora: qua celeres deſcendunt Phaſidos undæ,
Circæoſque ſecant campos atque æquora ponti:
Naſcitur Armenii fluvius qui vertice montis.
Ad cujus partes boreas, & ſolis ad ortus,
Euxinum dirimens & Caſpia littora late,
Diffuſus ſpatium per longum panditur Iſthmos.
Quem juxta terras habitant Orientis Iberes;
Pyrenes quondam celſo qui monte relicto
Huc advenerunt Hyrcanis bella ferentes.
Hic Camaritarum gens eſt cariſſima Baccho.
Fluctibus hanc propter perſævit Caſpius æſtus:
Undique quem tereti concludit margine tellus,
Sed mare non valeat tribus illud menſibus ulla,
Scilicet immenſum, navis tranſire profundo.
Hoc tamen exacuit pars una ſub axibus æquor,
Qua tractum refugæ miſcetur Tethyos undæ.
Multa quidem generat vivis miracula rerum:
Sed tamen egregio cryſtalli pondere gemmam.
Atque, malos lemures quæ pellit munus, Iaſpin:
Nocturni manes fugitant quam membra tuentem.
Hoc igitur pelagus quæ gentes undique cingunt,

Incipiens numerem primis aquilonis ab oris,
Quæ vergunt Zephyro, quas Caſpia littora claudunt.
Primi ſunt Scythiæ populi, Saturnia juxta
Æquora viventes, Hyrcanique oſtia ponti.
Quos ſupra gryphes ditiſſima rura ſmaragdo,
Qualem non alius terrarum poſſidet orbis:
Atque aurum ſibimet defendunt pondere puro.
Omnia ſed duri ſuperans audacia lucri,
Adverſus volucres heu commovet arma virorum:
Prælia nam faciunt Arimaſpi gryphibus hoſtes.
Hic & cryſtalli perlucet maxima moles.
Hinc Thynus ſequitur, poſt fortis Caſpia proles.
Hinc ſunt Albani bellaces marte feroci,
Unde canes nati ſuperant genus omne ferarum.
Magnus Alexander miſſum ſibi viderat inde
Victorem taurique canem, rapidique leonis.
Poſt hos Caduſi duriſſima rura colentes:
Et prope ſunt Mardi, ſequiturque Hyrcania plebes.
Hinc Apyri: per quos Mardus devolvitur amnis:
Dercebius bibit hunc præter Bactruſque fluentem,
Per quos Hyrcanum currens deſcendit in æquor.
Sed Bactri mediis habitant telluris in arvis,
Parneſſum late prope montem rura tenentes:
Dercebii vero ſub Caſpia littora vergunt.
Poſt hos Maſſagetæ trans flumen Araxis, ad ortum,
Hoſpitibus ſævi cunctis, belloque feroces:
Non Bacchi donum, Cereris nec munera norunt:
Sed lac commixtum potant cum ſanguine equino.
Hos juxta boream vergit Choraſmia proles.
Sugdias hanc ſequitur: rapidus quam dividit Oxus,
Emodum montem qui linquens Caſpida rumpit.
Inde Sacæ nimium certis gens mira ſagittis:
Flumen Iaxartem juxta quibus arva coluntur.
Et Tochari, Phrurique, & plurima millia Serum.
Illis nulla boum, pecoris nec paſcua curæ:
Veſtibus utuntur, texunt quas floribus ipſi,
Quos tenuant lectos deſertis finibus ipſi.
Aſt alia Scythiæ gens eſt extrema per arva,
Quos prope ſunt triſtes ventis & frigore terræ:
Namque nives ſemper pulſant has grandine mixtæ.
Caſpius his populis luſtratur pontus & oris.
Aſpice poſt Colchos nunc & poſt Phaſidis undas,
Occaſum verſus, populos in littore ponti
Euxini denſos uſque ad Chalcedonis arva:
Boſporus anguſtat ſcopuli quæ Thracius urgens.
Buzeres primi. quos juxta terra Vechirum.
Macrones poſt hos pariter, Phyliresque ſequuntur:
Moſſynique, domos præbent queis lignea tecta:
Turribus arboreis habitantes unde vocantur.
Hinc pecorum dives nimium gens eſt Tibarenum.
Hanc prope ſunt Chalybes, duriſſima rura colentes:
Quos labor exercet ſævus ferrique metalla.
Vicinos iſtis campos terramque patentem
Aſſyrii complent populi: qua gurgite vaſto
Inter Amazonidas Thermodon, Martius amnis,
Armenium linquens montem, deſcendit in æquor.
Huc Aſiæ quondam devenit alumna Sinope:
Ex qua cognomen ceperunt mœnia clara.
Illius fluvii rigidas prope frigore ripas
Invenies lapidem cryſtalli, pondere puro,
Conſimilemque gelu, nec non ſplendore nitenti.
Gemma micans illic perlucet Iaſpidis albæ.
Iris continuo liquidus decurrit in æquor.
Poſt Halys eſt fluvius: boreæ qui currit in oras,
Atque Carambidis irrumpit prope littora pontum,
Armeniis primas qui montibus accipit undas.

Paphlagones poſt hos, Maryandinique ſequuntur,
Bithynique viri, pinguiſſima rura colentes:
Qua Rhebas pulcher gratiſſima flumina volvit,
Rhebas, qui rapidi decurrit ad oſtia Ponti.
Tot populi terras habitant per littora Ponti:
Nam prius expoſitæ Scythiæ ſunt ſemina gentes.
Nunc Aſiæ regio contingens littora nobis
Dicatur: partes calidas quæ currit ad auſtri,
Atque Helleſpontum tranſit Syriæque receſſus,
Poſcit & Arabiam quæ florent ubere terræ.
Sunt Chalcedonii primi poſt oſtia Ponti,
Mœnia Byzantis qui cernunt optima contra,
Romaniſque pie regnis dominantia mundo.
Bebrycii poſt hos, & Myſia montibus alta,
Qua Cius egregia decurrens murmurat unda:
Qua nymphas comitem perhibent rapuiſſe potentis
Alcidæ puerum, triſtiſſima fata gementis.
Hinc Helleſpontum pertenditur angulus ingens,
Qua brevior Phrygiæ pars eſt: nam latior intus
Sangarii ripis fluvii vicina rapacis.
Tenditur hæc potius Titanis pinguis ad ortus:
Altera ad occaſus, altæ ſub montibus Idæ.
Altaque qua cecidit præclaro nomine Troja,
Ad Xanthi liquidas nec non Simoentis ad undas.
Poſt hæc Æoliæ tellus prætenditur oræ,
Fluctibus Ægæi primis quæ tunditur alti.
Inde tenet terras, pelagus prope, ſanguis Ionum:
Per quas Mæander pinguis deſcendit in æquor,
Inter Miletum currens latamque Prienen.
Ad latus iſtorum boreum ſunt mœnia clara:
Urbs Epheſus, claudit quam grato littore pontus.
Poſt has Mæoniæ tellus, quæ vergit ad ortus.
Et Tmoli colles; fluvius quibus aurifer exit
Pactolus: cujus prope ripas tempore verno
Si ſedeas, dulci capiaris pectora cantu
Cygnorum, paſcunt quos herbæ flumina circum.
Nam florent Aſiæ per campos plurima prata:
Sed magis ad fluvium Mæandri, gurgite miti
Quem juxta volvens ſe murmurat unda Cayſtri.
Poſt hos ſunt Lycii: quos Xanthus dividit amnis,
Ad mare vergentes: qui Tauri cornua cernunt,
Uſque ad Pamphylos, perhibent quem nomine Cragum.
Illic aſpicies Aſpendum: mœnia cujus
Eurymedon amnis radit vicina profundo.
Continuoque jacent aliæ Pamphylides urbes:
Corycus, Pergeque calens, & celſa Phaſelis.
Hos ſupra mediis habitant telluris in arvis,
Ad partes ortus, gens dura Lycaones armis.
Poſt hos Piſidum pinguiſſima rura coluntur:
Telmeſſus, Lyrbe, nec non clariſſima Selge,
Gentis Amyclææ pulcherrima mœnia quondam.
Hinc ſinus eſt longus Cilicum, qui vergit ad ortus,
Euxini penetrans vicinas æquoris undas.
Hunc Aſiæ perhibent anguſtis partibus eſſe.
Cui tamen immenſo fluvii ſe gurgite miſcent,
Per longum Pyramus ſpatium, Pinaruſque voluti.
Flexilis & Cydnus, dirimit qui flumine Tarſon.
Hinc aliæ Cilicum ſunt celſis mœnibus urbes:
Lyrneſſus, Malloſque ſimul vicina profundo,
Atque Soli medio terrarum fine locati.
Commagena dehinc regio, Syriæque ſequuntur
Urbes, diſpoſitæ per longi littora flexus.
Nam Caſii montis qua prominet ora per æquor,
Vergit in occaſus diffuſis tractibus unda.
Nunc reliquas Aſiæ partes tibi carmine pandam,
Quadrati lateris qua clauditur undique forma.

Et ſpatiis campos longis protendit in ortum.
Scis etenim memoraſſe tibi, quod collibus altis
Per totam medius mons ingens tenditur actu,
Qui fines Aſiæ nigros producit ad Indos:
Hoc eſto laterum boream tibi. Nilus ad oras
Heſperies finit. ſed Tethys ſolis ab ortu
Indica concludit. rubrum mare terminat auſtrum.
Aſpice nunc igitur dum finem verſibus ortus
Pervenio, retegens tibi veris omnia rebus,
Incipiens Syriæ terris, qua parte reliqui.
Quæ, pelagus ſupra, ſub ſolem, vergit ad auſtros:
Urbibus & multis habitatur: nomine priſco
Quæ cava vulgatur, mediam quia collibus altis
Atque humilem Libanus claudit protentus in ortum,
Occaſumque petens Caſius. multiſque virorum
Incolitur populis locupletibus alma diremptis.
Namque alii mediis habitant telluris in arvis,
Hoſque Syros proprie perhibent: ſed littora juxta
Phœnices vivunt, veteri cognomine dicti:
Quos miſit quondam Mare rubrum laudibus auctos,
Chaldæo nimium decoratam ſanguine gentem:
Arcaniſque Dei celebratam legibus unam.
Qui pelagus primi tentantes navibus altis,
Disjunctas gentes docuerunt jungere mercem:
Et primi ſtellis numeros nomenque dedere:
Atque oculis [mirum] voces ſentire figuris.
Hi muros Iopes, Gazam quoque Elaida complent,
Antiquamque Tyrum, Beryti & mœnia gratæ,
Vicinamque mari Biblum, Sidonaque pulchram,
Quam juxta liquido Boſtrenus gurgite currit:
Et pinguem Tripolin, nec non Orthoſida ſacram,
Laodicen pariter poſitam prope littus amœnum,
Et Poſidi turres, & Daphnes optima tempe.
Terrarum mediis Apameæ mœnia claræ:
Ad cujus partes eoas currit Orontes,
Antiochi medius dirimit qui gurgite regna.
Hæc omnis pingui tellus eſt ubere læta,
Arboribus pariter pecorique & commoda viti.
Ad cujus fines veniens quos terminat auſter,
Arabii cernes extremi littora ponti:
Qui Syriam medius diſterminat Arabiamque,
Et tangit, vergens orientem verſus Elanos.
Dives Arabs poſt quos latiſſima poſſidet arva,
Quæ protenta diu cinguntur ab æquore Perſo,
Arabioque, ferit zephyrus quod flamine ſævo:
Perſica nam flatus eoi littora turbant.
Ora ſed hæc auſtro tendit ſubjecta per ortus,
Fluctibus Oceani pulſatur & undique rubri.
Hanc quoque deſcribam tenui ratione recenſens:
Nam populos paſcit felices divite terra,
Floribus & variis miracula præbet odori.
Namque thyo, myrrhaque viget, cum thuris odore,
Et caſia, nec non & cannæ dulcis odore:
Cinnama præterea jucundæ naribus auræ
Fertilis hæc generat tellus, aurique metalla:
Veſtibus auratis quare gens utitur illa.
Hic, pueros ſervans, Molochites ſplendet arenis:
Androdamaſque lapis compeſcens pectoris iras.
Sed Libani montis ſunt poſt declivia primi,
Felices opibus, Nabatæi nomine dicti.
Chaulaſii poſt hos, atque Agrees inde propinquant:
Chatramis, atque Macæ contra ſunt Perſidis æquor:
Minnæique maris prope rubri littora vivunt:
Atque Sabæ poſt hos, nec non habitant Cletabeni.
Arabiæ populi celebres hi nomine claro.
Sunt tamen & plures alii, nam maxima tellus.

Trans iſtam, zephyri ſub partes, degit Erembum
Speluncis genus infelix, & rebus egenum.
Qui ſolis radiis nigreſcunt corpus adusti,
Diſperſique dolent luſtrantes more ferarum:
Non Arabis ſimiles opulentis. ſcilicet æqua
Omnibus eſſe poteſt nunquam fortuna bonorum.
Poſt Libani montes populi ſunt, ſolis ad ortus
Alterius Syriæ: quæ tendit adusque Sinopen.
Cappadoces mediis habitant in finibus hujus:
Terminus Aſſyrios ſed claudit Ponticus, ille
Thermodon pelagi qua pulſat gurgite fluctus.
Cujus ab eoo decurrit limite vaſtis
Viribus Euphrates, deſcendens montibus aſpris
Armeniæ, longuſque noton pertendit: & inde
Ad ſolem flexus, Babylonis dividit urbem:
Littora deinde ruens perrumpit Perſidis undæ,
Extrema fluvii ſub parte Teredona radens.
Hujus ad auroram ripis devolvitur altis
Tigris, aqua ſuperant quem flumina nulla rapaci.
Sed tantum diſtat, quantum vix ſeptimus ortus
Conficiat pedibus ſpatii properantibus ire.
Atque lacu medius Thonites intrat, & exit:
Nec violatur aqua quamvis penetrabilis illa,
Ocyor atque vadis emergens cedit amaris.
Hoc tamen omne ſolum fluvius quod cingit uterque
Indigenæ populi pro re dixere Medamna:
Quod medias amnes has terras flumine cingunt,
Agricolis pariter paſtoribus atque feracem.
Ubere nam læto florent ibi ſemina cuncta,
Herbarumque toris, & gramine læta vireſcunt:
Et variis rami complentur fructibus alti.
Gens quoque præfulget claris in laudibus illa.
Nam peperit multos celſa virtute potentes,
Atque deo ſimiles, licet ut mortalibus eſſe.
Armenii juxta quam ſunt aquilonis ad axes,
Cominus & fortes quos ſentit Mars Matieni:
Quos prope concludunt Euphraten collibus altis
Montes, divitiis pariter belloque potentes.
Ad partes auſtri Babylon: quam mœnibus olim
Mirandis poſuit firmiſque Semiramis urbem.
Cujus in arce domum ſplendentem fecerat auro:
Quam ſimul argentum varie decoravit, eburque.
Hoc quoque pingue ſolum palmarum divite ſilva
Quod fert berylli munus, pretioſius auro,
Berylli lapidem liquidum, glaucique coloris,
Per loca quæ tendunt Aſianæ ad mœnia petræ.
At ſupra Babylona vides & flumina vaſta
Ciſſos, Meſſabataſque, Chalonitaſque feroces.
Armenios montes ſi linquens ibis ad ortus,
Medica noſcetur tibi tellus: cujus ad axes
Geli ſunt, Mardique, viri ſimul Atropateni.
Ad noton inde habitant Medorum rura tenentes.
Medea huc fugiens dederat cognomina terræ.
Hinc Medi varios uſus novere veneni.
Quorum per multas ſpatium diffunditur oras.
Hæc generat Narciſſiten oriente ſub ipſo,
Qui lapis eſt fuſcus: complent hanc undique ſilvæ,
Inter quas homines pecuaria ditia paſcunt,
Caſpiadas tangunt portas qui ſolis ab ortu:
Rupibus hæc celſis Aſiæ ſunt clauſtra potentis,
Qua via ſub boream duplex ſe ſcindit & auſtrum:
Hæc regit ad Perſas, Hyrcanos ducit at illa.
Sub colles imos habitant, poſt Caſpia clauſtra,
Martia gens Parthi, telis arcuque potentes,
Vivere qui ſpoliis gaudent, raptuque nefando:
Quapropter bellis homines vexantur in orbe,

Atqu

Atque optata perit multo pax ſanguine mundi.
Poſt hos eſt Perſis, circumdata montibus altis,
Aſſiduis florens regnis & divite cenſu,
Ex quo perdomuit Lydorum mœnia Sardes.
Cingitur excelſis hæc undique collibus omnis,
Advergens auſtros, poſt Caſpia clauſtra: petenſque
Quod proprio pelagus celebrat cognomine latum.
Atque tripartitis habitatur finibus illa.
Namque colunt alii, rigidæ ſub partibus arcti,
Terras quas Medi nemoroſis montibus umbrant:
Aſt alii mediæ vivunt regionis in arvis:
Littora poſtremi tangunt auſtralia Perſæ.
Prima parte Sabæ, mediuſque Paſargada, poſt hunc
Taſcorum telis habitat gens fortis & arcu:
Quique tenent populi diviſos Perſidis agros.
Amnibus hæc multis recreatur, & ubere pingui.
Hinc Coros immenſus perfunditur: inde Choaſpes
Fonte cadens Indo, qui ſtringit gurgite Suſas.
In cujus ripis præclarus fulget achates,
Pondere conſimilis volvit quos unda cylindris.
Fertilis hæc tellus fœcundis paſcitur auris:
Nam ventis ſemper floreſcunt rura ſecundis.
Hæc eadem gemmis nimium decoratur honeſtis,
Quarum quis varias vires, quis nomina dicat?
Tecolithum memorem, juſto cognomine dictum,
Qui lapides renum tritus potuſque reſolvit:
Myrrhitemque, bonum nardi cum reddat odorem.
Hic Aetites eſt: ſonitum cui ſpiritus addit
Arcanum crepitans, prægnantibus utilis ægris.
Nec non Pyrites, digitos qui ſtrictus adurit.
Gemmaque, quæ radios emittit candida ſolis.
Atque Selenites, lunaris imagine lucis
Qui decus & minuit proprii ſplendoris & auget.
Reſpice nunc reliquas Aſiæ ſub finibus oras.
Perſidis ad pontum Carmani, ſolis ab ortu:
Liitora pars habitant, mediæ pars limina terræ.
Gedroſi poſt hos tendunt orientis ad ignes,
Oceanum juxta: radiis propioribus inde
Eſt Scythiæ tellus auſtralis: flumen ad Indum,
Qui ponto rapidus rubro contrarius exit:
Gurgite nam celeri rectus decurrit ad auſtrum,
Caucaſiis oriens primum de montibus altis:
Dividua cujus Patalene cingitur unda,
Separat innumeras & vaſto gurgite gentes.
Ad partes rapidi qua vergunt lumina ſolis,
Oritas, Aribaſque ſimul, linique Arachotas
Utentes lænis, & Satraidas ſimul omnes,
Parpanei montis ſub celſa rupe, Arienos
Nomine communi. qui terras ubere nullo
Florentes habitant, ſquallent nam ſentibus aſpris:
Curalii lapidem qui rubrum littore carpunt,
Sapphirique decus nigri flavique coloris
Saxorum cædunt venis, hac merce beati.
Indorum terras hinc Tethyos æquora claudunt,
Quas primo Titan aſcendens lumine cernit.
Unde color populis niger eſt flagrantibus ortu,
Atque gerunt ſimiles Hyacintho fronte capillos.
Effodiunt alii terras, aurique metallum:
Aſt alii texunt tenuiſſima tegmina lini:
Vel dentes ſtringunt elephantis ab ore revulſos:
Scrutantur ripis alii torrentibus imbri
Berylli gemmas glauci, nitidumque adamanta.
Atque aura viridi legitur quæ ſplendet Iaſpis,
Curaliique decus liquidi, gratique topazi,
Purpureoque amethyſtos ineſt ſuffuſa colore.
Divitias magnas ſic tellus illa miniſtrat,
Aſſiduiſque rigant hanc totam fontibus amnes:
Arboribuſque viget variis, milioque frequenti,
Et pretio rubræ perfloret arundinis illa.
Hic alii ſuperant procero corpore tantum,
Inſiliant equitum faciles ut more Elephantos:
Aſt alii vivunt ſapienti pectore nudi,
Luminibuſque vident rectis, mirabile, ſolem:
Et radios oculis & ſacra mente retractant,
Signaque concipiunt arcana luce futuri.
Pſittacus hic viridis, decoratus torque rubenti,
Naſcitur, humanæ ſimulat qui verbera linguæ.
Nunc age te fluvios, montes, formamque docebo
Ipſius terræ, populos, genteſque beatas.
Marginibus ternis tellus hæc clauditur omnis,
Obliquatque latus per cunctas linea partes.
Heſperios fines immanis terminat Indus:
At notios pelagus concludit gurgite rubrum.
Sed Ganges ortus, & Caucaſus excipit arctum.
Hanc homines habitant multi diteſque colendam,
Nominibus variis diſcreti & finibus amplis.
Dardanei ripas contingunt fluminis Indi:
Hic ubi præcipitem ſcopuli fundunt Aceſinem,
Huncque capax claſſis venientem volvit Hydaſpes:
Tertius hos ſequitur ſplendenti gurgite Cophes.
Taxilus inter quos habitat, cum gente Sabarum.
Hinc Scodri poſt hos ſunt, Peucaleique feroces,
Gargaridæque truces: auri qua pondus honeſtum
Devolvens Hypaniſque vehit, rapiduſque Magarſus:
Quos capit Emodo miſſos Gangetica monte
Tellus, porrigitur quæ ad terræ Colidis auſtros,
Oceani tangens pelagus ſub collibus altis,
Quos volucres metuunt celeri contingere penna,
Unde locis Graii poſuerunt nomen Aornin.
Hic via quam celebrat nomen Dionyſia Bacchi,
Cui ſtatuas dederat victoria finibus illis.
Hic Tylos eſt, ſuperans vaſtæ miracula terræ,
Inſula. namque viret cunctis in partibus anni:
Nec foliis nudat ramos autumnus in illa:
Aſſidueque tenet flores genus arboris omne.
Hic adamas fulget lymphantia pectora ſanans,
Et prohibens miſeris occulti damna veneni:
Quem minime valeat ferrum ſuperare nec ignis
Frangitur hircino maceratus ſanguine tantum,
Sed tepido, fractus multis incudibus ante.
Hic juxta poſitus magnetem viribus arcet
Occultis ferri raptu: vel tractibus ante
Admotum retrahit, defendens robore miro.
Hic lychnis lucem ſimulat ſplendore lucernæ:
Hinc meruit nomen præclaro lumine dignum.
Tot ſunt per terras vulgatæ nomine gentes.
Nam reliquas, quæ mens valeat mortalis in orbe
Diſperſas numerare tibi, ſine numine magno,
Quod bene diſpoſuit terras pontique profundum,
Sideribus variis decorans cæleſtia templa,
Et multis recreans gratiſque coloribus arva,
Munera per populos tribuens diverſa virorum?
Sed vos terrarum tractus gaudete per ævum,
Et quæcumque mari circumdatur inſula vaſto,
Oceanuſque ſimul, nec non penetrabilis unda,
Quam gremio tellus ſinuoſo ſuſcipit alma:
Et fluvii, monteſque, lacus quos continet orbis.
Nam pelagi partes percurri carmine vaſtas:
Et terræ pariter regiones finibus amplis.
Omnipotens pro quo genitor mihi præmia donet.

DE PONDERIBUS ET MENSURIS *CARMEN.*

Pondera Pæoniis veterum memorata libellis
Noſſe juvat. pondus rebus natura locavit
Corporeis. elementa ſuum regit omnia pondus.
Pondere terra manet. vacuus quoque ponderis æther
Indefeſſa rapit volventis ſidera mundi.
Ordiar a minimis: poſt hæc majora ſequentur.
Nam majus nihil eſt aliud, quam multa minuta.
Semioboli duplum eſt OBOLUS, quem pondere duplo
Γράμμα vocant: Scruplum noſtri dixere priores.
Semina ſex alii ſiliquis latitantia curvis
Attribuunt ſcruplo: lentes veraciter octo,
Aut totidem ſpeltas numerant, triſteſve lupinos
Bis duo. ſed ſi par generatim his pondus ineſſet,
Servarent eadem diverſæ pondera gentes:
Nunc variant. etenim cuncta non fœdere certo
Naturæ, ſed lege valent hominumque repertis.
Scrupla tria drachmam faciunt: quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur nummus Athenis.
Holceque a drachma non re, ſed nomine differt.
Drachmam ſi gemines, erit is, quem dicier audis,
Sicilicus. drachmæ ſcruplum ſi adjecero, fiet
Sextula quæ fertur. nam ſex his uncia conſtat,
Sextula quum dupla eſt, veteres dixere puellam.
Uncia fit drachmis bis quatuor. unde putandum
Grammata dicta, quod hæc viginti & quatuor in ſe
Uncia habet. tot enim formis vox Græca notatur,
Horis quot mundus peragit noctemque diemque.
Unciaque in libra pars eſt, quæ menſis in anno.
Hæc magno Latio libra eſt, gentique togatæ.
Attica nam minor eſt. ter quinque hanc denique drachmis
Et ter vicenis tradunt explerier unam.
Accipe præterea parvo quam nomine Graii
Μνᾶν vocitant, noſtrique Minam dixere priores.
Centum hæ ſunt drachmæ. quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique libram:
Attica quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mna.
Cecropium ſupereſt poſt hæc docuiſſe Talentum
Sexaginta minas, ſeu vis, ſex millia drachmas:
Quod ſummum doctis perhibetur pondus Athenis.
Nam nihil his obolove minus, majuſve talento.
Nunc dicam ſolidæ quæ ſit diviſio libræ,
Sive aſſis. nam ſic legum dixere periti.
Ex quo quod ſoli capimus, perhibemur habere,
Dicimur aut partis domini pro partibus hujus.
Uncia nam libræ ſi deeſt, dixere Deuncem.
At ſi ſextantem retrahas, erit ille Decuncis.
Sed nullum reliquo nomen ſemuncia certum
Dempta dabit. neque enim eſt hujus ſeſcuncia triplex.
Cumque triens deſit, Beſſem dixere priores.
Iidem Septuncem dempto quincunce vocarunt.
Poſt hæc Semiſſis, ſolidi pars maxima fertur,
Nam quod dimidium ſuperat, pars eſſe negatur,
Ut docuit tenui ſcribens in pulvere Muſa.
Cætera dicta prius, quibus eſt ſemuncia major.
Hæc de ponderibus. ſupereſt pars altera nobis,
Humida metiri, ſeu frugum ſemina mavis:
Cujus principio nobis pandetur origo.
Pes longo ſpatio, atque alto latoque notetur:
Angulus ut par ſit, quem claudit linea triplex:
Quatuor & quadris medium cingatur inane:
Amphora fit Cubus. quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpeio in monte Quirites.
Hujus dimidium fert Urna, ut & ipſa Medimni
Amphora: terque capit Modium. ſextarius iſtum
Sedecies haurit: quot ſolvitur in digitos pes.
At Cotylas, quas ſi placeat, dixiſſe licebit
Heminas, recipit geminas ſextarius unus.
Qui quater aſſumptus, Graio fit nomine χοῖνιξ.
Adde duo, χοῦς fit: vulgo qui eſt congius idem.
E quo ſextari nomen feciſſe priores
Crediderim, quod eos capiat ſex congius unus.
At Cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus ſæpe notatur.
Bis quinæ hunc faciunt drachmæ, ſi appendere velles.
Oxybaphum fiet, ſi quinque addantur ad iſtas.
At Myſtrum cyathi quarta eſt: ac tertia myſtri,
Quam vocitant Chemen. capit hæc cochlearia bina.
Quod ſi menſuræ pondus componere fas eſt,
Sextari cyathus pars eſt, quæ eſt uncia libræ.
Necnon oxybaphi ſimilis ſeſcuncia fiet.
Sicilicumque tibi myſtro ſimilare licebit.
Cochlear extremum eſt, ſcruplique imitabitur inſtar.
Attica præterea diſcenda eſt amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies, noſtræ ſi adjeceris urnam.
Eſt &, bis decies quem conficit amphora noſtra,
Culeus. hac nulla eſt major menſura liquoris.
Eſt etiam terris, quas advena Nilus inundat,
Artaba: cui ſuperat modii pars tertia poſt tres.
Namque decem modiis explebitur artaba triplex.
Illud præterea tecum cohibere memento,
Finitum pondus varios ſervare liquores.
Nam libræ, ut memorant, beſſem ſextarius addit,
Seu puros pendas latices, ſeu dona Lyæi.
Addunt ſemiſſem libræ liventis olivi;
Selibramque ferunt mellis ſupereſſe bilibri.
Hæc tamen aſſenſu facili ſunt credita nobis.
Namque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec merſi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent: non denique vina,

Quæ

Quæ campi aut colles nuperve aut ante tulere.
Quod tibi mechanica promptum eſt depromere muſa.
Ducitur argento, tenuive ex ære cylindrus,
Quantum inter nodos fragilis producit arundo,
Cui cono interius modico pars ima gravatur:
Ne totus ſedeat, totuſve ſupernatet undis.
Lineaque a ſummo tenui deſcendit ad ima,
Ducta ſuperficie tot quæque in fruſta ſecatur,
Quot ſcruplis gravis eſt argenti æriſve cylindrus.
Hoc cujuſque potes pondus ſpectare liquoris.
Nam ſi tenuis erit, majori immergitur unda:
Sin gravior, plures modulos ſupereſſe notabis.
Aut ſi tantundem laticis ſumatur utrimque,
Pondere præſtabit gravior. ſi pondera ſecum
Conveniunt, tunc major erit, quæ tenuior unda eſt.
Quod ſit ter ſeptem numeros texiſſe cylindri
Hos videas latices, illos cepiſſe ter octo:
His drachma gravius fatearis pondus ineſſe.
Sed refert æqui tantum conferre liquoris,
Ut gravior ſuperet drachma, quantum expulit undæ
Illius aut hujus, teretis pars merſa cylindri.
Hæc de menſuris: quarum ſi ſigna requires,
Ex ipſis veterum poteris cognoſcere chartis.
Nunc aliud partum ingenio trademus eodem.
Argentum fulvo ſiquis permiſceat auro,
Quantum id ſit, quove id poſſis deprendere pacto,
Prima Syracuſii mens prodidit alta magiſtri.
Regem namque ferunt Siculum, quam voverat olim
Cœlicolum regi, ex auro ſtatuiſſe coronam:
Compertoque dehinc furto (nam parte retenta,
Argenti tantundem opifex immiſcuit auro)
Oraſſe ingenium civis, qui mente ſagaci,
Quis modus argenti fulvo latitaret in auro,
Repperit, illæſo, quod dis erat ante dicatum.
Quod te quale fiet, paucis, adverte, docebo.
Lancibus æquatis, quibus hæc appendere mos eſt,
Argenti atque auri, quod edax purgaverit ignis,
Impones libras, neutrum ut præponderet: haſque
Summittes in aquam. quas pura ut ceperit unda,
Protinus inclinat pars hæc, quæ ſuſtinet aurum.
Denſius hoc namque eſt, ſimilari craſſius unda.
At tu ſiſte jugum: mediique e cardine centri
Intervalla nota, quantum diſcerpſerit illinc,
Quotque notis diſtet ſuſpenſo pondere filum.
Fac drachmis diſtare tribus. cognovimus ergo
Argenti atque auri diſcrimina. denique libram
Libra tribus drachmis ſuperat, quum mergitur unda.
Sume dehinc aurum, cui pars argentea mixta eſt,
Argentique meri par pondus: itemque ſub unda
Lancibus impoſitum ſpecta. propenſior auri
Materies ſub aquis fiet, furtumque docebit.
Nam ſi ter ſenis ſuperabitur altera drachmis,
Sex ſolas libras auri dicemus ineſſe,
Argenti reliquum. quia nil in pondere differt
Argentum argento, liquidis quum mergitur undis.
Hæc eadem puro deprendere poſſumus auro,
Si par corrupti pondus pars altera geſtet.
Nam quotiens ternis pars illibata gravarit
Corruptam drachmis ſub aqua, totidem eſſe notabis
Argenti libras, quas fraus permiſcuit auro.
Pars etiam libræ quævis ſi forte ſuperſit,
Hæc quoque drachmarum ſimilis tibi parte notetur.
Nec non & ſine aquis. * *

PANEGYRICUM

AD CALPURNIUM PISONEM.

UNde prius cœpti ſurgat mihi carminis ordo,
Quoſve canam titulos, dubius feror. hinc tua, Piſo,
Nobilitas, veteriſque citant ſublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes:
Hinc tua me virtus rapit, & miranda per omnes
Vita modos: quæ, ſi deeſſet tibi forte creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuiſſet.
Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti
Profuerint, cui vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cujus laus eſt in origine ſola.
Felix, qui tantis animum natalibus æquas,
Et partem tituli non ſummam ponis in illis.
Ipſe canendus eris: nam quid memorare neceſſe eſt,
Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat?
Claraque Piſonis tulerit cognomina prima,
Humida calloſa cum pinſeret hordea dextra?
Nec, ſi cuncta velim, breviter decurrere poſſim:
Et prius ætheræ moles circumvaga flavæ
Annua biſſenis revocabit menſibus aſtra,
Quam mihi priſcorum titulos, operoſaque bella
Contigerit memorare: manus ſed bellica patrum
Armorumque labor, veteres docuere Quirites,
Atque illos cecinere ſui per carmina vates.
Nos quoque pacata Piſonem laude nitentem
Exæquamus avis. tamen etſi bella quierunt,
Non periit virtus: licet exercere togatæ
Munera militiæ: licet & ſine ſanguinis hauſtu
Mitia legitimo ſub judice bella movere.
Hinc quoque ſervati contingit gloria civis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.
Quin age majorum juvenis facunde tuorum
Scande ſuper titulos, & avitæ laudis honores,
Armorumque decus præcede forenſibus actis.
Sic etiam magno jam tunc Cicerone vigente
Laurea facundis ceſſerunt arma togatis:
Quæque patrum claros quondam viſura triumphos
Olim turba vias impleverat agmine denſo;
Ardua nunc eadem ſtipat fora, cum tua mœſtos
Defenſura reos vocem facundia mittit:
Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,

Et firmare jubet centeno judice cauſſas:
Seu capitale nefas operoſa diluis arte,
Laudibus ipſa tuis reſonant fora, tu quoque Piſo
Judicis affectum, poſſeſſaque pectora ducis
Victor, ſponte ſua ſequitur quocumque vocaſti:
Flet, ſi flere jubes: gaudet gaudere coactus:
Et te dante capit judex, quam non habet, iram.
Sic auriga ſolet ferventia Theſſalus ora
Mobilibus frenis in aperto flectere campo,
Qui modo non ſolum rapido permittit habenas
Quadrupedi, ſed calce citat, modo torquet in auras
Flexibiles rictus, & nunc cervice rotata
Incipit effuſos in gyrum carpere curſus.
Quis non attonitus judex tua reſpicit ora?
Quis regit ipſe ſuam, niſi per tua pondera, mentem?
Nam tu, ſive libet pariter cum grandine nimbos,
Denſaque vibrata jaculari fulmina lingua,
Seu juvat adſtrictas in nodum cogere voces,
Et dare ſubtili vivacia verba catenæ,
Vim Laertiadæ, brevitatem vincis Atridæ.
Dulcia ſeu mavis, liquidoque fluentia curſu
Verba, nec incluſo, ſed aperto pingere flore,
Inclyta Neſtorei cedit tibi gratia mellis.
Nec te, Piſo, tamen populo ſub judice ſola
Mirantur fora, ſed numeroſa laude Senatus
Excipit, & meritas reddit tibi curia voces.
Quis digne referat, qualis tibi luce ſub illa
Gloria contigerit, qua tu, reticente Senatu,
Cum tua biſſenos numeraret purpura faſces,
Cæſareum grato ceciniſti pectore numen?
Huc etiam tota concurrit ab urbe juventus,
Auditura virum, ſi quando judice feſſo
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus:
Tunc etenim levibus veluti proludit in armis,
Compoſitiſque ſuas exercet litibus artes.
Quinetiam facilis Romano profluit ore
Græcia, Cecropiæque ſonat gravis æmulus urbi,
Teſtis Acidalia quæ condidit alite muros,
Euboicam referens fœcunda Neapolis arcem.
Qualis io, Superi, qualis nitor oris amœnis
Vocibus! hinc ſolido fulgore micantia verba
Implevere locos: hinc exornata figuris
Advolat, excuſſo velox ſententia torno.
Magna quidem virtus erat, & ſi ſola fuiſſet,
Eloquio ſanctum modo permulcere Senatum,
Exonerare pios modo, nunc onerare nocentes:
Sed ſuper iſta movet plenus gravitate ſerena
Vultus, & inſigni præſtringit imagine viſus.
Talis ineſt habitus, qualem nec dicere mœſtum,
Nec fluidum, læta ſed tetricitate decorum
Poſſumus: ingenitæ ſtat nobilitatis in illo
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora.
Additur huc & juſta fides, & plena pudoris
Libertas, animuſque mala ferrugine purus:
Ipſaque poſſeſſo mens eſt opulentior auro.
Quis tua cultorum juvenis facunde tuorum
Limina pauper adit, quem non animoſa beatum
Excipit, & ſubito juvat indulgentia cenſu?
Quodque magis dono fuerit pretioſius omni,
Diligis ex æquo: nec te fortuna clientum,
Nataleſve movent: probitas ſpectatur in illis.
Nulla ſuperborum patiuntur dicta jocorum:
Nullius ſubitos adfert injuria riſus.
Unus amicitiæ ſummos tenor ambit. & imos.
Rara domus tenuem non aſpernatur amicum,
Raraque non humilem calcat faſtoſa clientem;
Illic caſta licet mens, & ſine crimine conſtet
Vita, tamen probitas cum paupertate jacebit.
Sed lateri nullus comitem circumdare quærit,
Quem dat purus amor, ſed quem tulit impia merces.
Nec quiſquam vero pretium largitur amico,
Quem regat ex æquo, vicibuſque regatur ab illo:
Sed miſerum parva ſtipe munerat, ut pudibundos
Exercere ſales inter convivia poſſit.
Iſta procul labes, procul hæc Fortuna refugit
Piſo tuam venerande domum, tu mitis, & acri
Aſperitate carens, poſitoque per omnia faſtu,
Inter ut æquales unus numeraris amicos:
Obſequiumque doces, & amorem quæris amando.
Cuncta domus varia cultorum perſonat arte,
Cuncta movent ſtudium. nec enim tibi dura clientum
Turba, rudiſve placet, miſero quæ freta labore
Nil niſi ſummoto novit præcedere vulgo:
Sed virtus numeroſa juvat. tu pronus in omne
Pectora ducis opus, ſeu te graviora vocarunt,
Seu leviora juvant, nec enim facundia ſemper
Adducta cum fronte placet: nec ſemper in armis
Bellica turba manet: nec tota claſſicus horror
Nocte dieque gemit: nec ſemper Gnoſius arcu
Deſtinat, exempto ſed laxat cornua nervo.
Et galea miles caput, & latus enſe reſolvit.
Ipſa vices natura ſubit, variataque curſus
Ordinat, inverſis & frondibus explicat annum:
Non ſemper fluidis adopertus nubibus æther
Aurea terrificis obcæcat ſidera nimbis.
Ceſſat hiems, madidos & ſiccat vere capillos:
Ver fugit æſtates: æſtatum terga laceſſit
Pomifer autumnus, nimbis ceſſurus & undis.
Ignea quinetiam Superum pater arma recondit,
Et Ganymedeæ repetens convivia menſæ,
Pocula ſumit ea, qua geſſit fulmina, dextra.
Temporibus ſervire decet: qui tempora certis
Ponderibus penſavit, eum ſi bella vocabunt,
Miles erit: ſi pax, poſitis toga geſtiet armis.
Hunc fora pacatum, bellantem caſtra decebunt.
Felix illa dies, totumque canenda per orbem,
Quæ tibi, vitales cum primum traderet auras,
Contulit innumeras intra tua pectora dotes.
Mira ſubeſt gravitas inter fora, mirus omiſſa
Pauliſper gravitate lepos. ſi carmina forte
Nectere ludenti juvit fluitantia verſu,
Aonium facilis deducit pagina carmen.
Sive chelyn digitis, & eburno verbere pulſas,
Dulcis Apollinea ſequitur teſtudine cantus,
Et te credibile eſt Phœbo didiciſſe magiſtro.
Nec pudeat pepuliſſe lyram, cum pace ſerena
Publica ſecuris exultent otia terris.
Nec pudeat Phœbea chelys, ſi creditur illis
Pulſari manibus, quibus & contenditur arcus.
Ipſe fidem moviſſe ferox narratur Achilles,
Quamvis mille rates Priameius ureret heros,
Et gravis obſtreperet modulatis buccina nervis.
Illo dulce melos Nereius extudit heros
Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hoſtem.
Arma tuis etiam ſi forte rotare lacertis,
Inque gradum clauſis libuit conſiſtere membris,
Et vitare ſimul, ſimul & captare petentem:
Mobilitate pedum celeres ſuper orbibus orbes
Flectis, & obliquis fugientem curſibus urges,
Et nunc vivaci ſcrutaris pectora dextra,
Nunc latus adverſum nec opino percutis ictu.
Nec tibi mobilitas minor eſt, ſi forte volantem

Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem,
Et non ſperato fugientem reddere geſtu.
Hæret in hæc populus ſpectacula, totaque ludos
Turba repente ſuos jam ſudabunda relinquit.
Te ſi forte juvat ſtudiorum pondere feſſum,
Non languere tamen, luſuſque movere per artem,
Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella,
Ut niveus nigros, nunc & niger alliget albos.
Sed tibi quis non terga dedit? quis te Duce ceſſit
Calculus? aut quis non periturus perdidit hoſtem?
Mille modis acies tua dimicat, ille petentem
Dum fugit, ipſe rapit: longo venit ille receſſu,
Qui ſtetit in ſpeculis, hic ſe committere rixæ
Audet, & in prædam venientem decipit hoſtem.
Ancipites ſubit ille moras, ſimiliſque ligato
Obligat ipſe duos: hic ad majora movetur,
Ut citus & fracta prorumpat in agmina mandra,
Clauſaque dejecto populetur mœnia vallo.
Interea ſectis, quamvis acerrima ſurgant
Prælia, militibus, plena tamen ipſe phalange,
Aut etiam pauco ſpoliata milite vincis,
Et tibi captiva reſonat manus utraque turba.
Sed prius emenſo Titan verſetur Olympo,
Quam mea tot laudes decurrere carmina poſſint.
Felix, & longa juvenis digniſſime vita,
Eximiumque tuæ gentis decus, accipe noſtri
Certus, & hoc veri complectere pignus amoris.
Quod ſi digna tua minus eſt mea pagina laude,
At voluiſſe ſat eſt: animum, non carmina jacto,
Tu modo lætus ades, forſan meliora tenemus:
Et vires dabit ipſe favor, dabit ipſa feracem
Spes animum: dignare tuos aperire Penares.
Hoc ſolum petimus, nec enim me divitis auri
Imperioſa fames, & habendi ſæva libido
Impulerit, ſed laudis amor. juvat, optime, tecum
Degere, cumque tuis virtutibus omne per ævum
Carminibus certare meis. ſublimior ibo,
Si famæ mihi pandis iter, ſi detrahis umbram.
Abdita quid prodeſt generoſi vena metalli,
Si cultore caret? quid inerti condita portu,
Si ductoris eget, ratis efficit, omnia quamvis
Armamenta ferat, teretique fluentia malo
Poſſit & excuſſo dimittere vela rudente?
Ipſe per Auſonias Æneia carmina gentes
Qui ſonat, ingenti qui nomine pulſat Olympum,
Mæoniumque ſenem Romano provocat ore,
Forſitan illius nemoris latuiſſet in umbra,
Quod canit, & ſterili tantum cantaſſet avena,
Ignotus populis, ſi Mæcenate careret.
Qui tamen haud uni patefecit limina vati,
Nec ſua Virgilio permiſit nomina ſoli.
Mæcenas Tragico quatientem pulpita geſtu
Evexit Varium. Mæcenas alta Toantis
Eruit, & populis oſtendit nomina Graiis.
Carmina Romanis etiam reſonantia chordis,
Auſoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.
O decus, & toto merito venerabilis ævo,
Pierii tutela chori, quo præſide tuti
Non umquam vates inopi timuere ſenectæ.
Quod ſi quis noſtris precibus locus, & mea vota
Si mentem ſubiere tuam, memorabilis olim
Tu mihi Mæcenas tereti cantabere verſu.
Poſſumus æternæ nomen committere famæ:
Si tamen hoc ulli de ſe promittere fas eſt,
Et Deus ultor abeſt: ſupereſt animoſa voluntas,
Ipſaque neſcio quid mens excellentius audet.
Tu nanti protende manum: tu Piſo latentem
Exere. nos humilis domus & ſincera parentum,
Sed tenuis Fortuna ſua caligine celat,
Poſſumus impoſitis caput exonerare tenebris,
Et lucem ſpectare novam, ſi quid modo lætus
Annuis, & noſtris ſubſcribis, candide, votis.
Eſt mihi, crede, meis animus conſtantior annis,
Quamvis nunc juvenile decus mihi pingere malas
Cœperit, & nondum vigeſima venerit æſtas.
Quod ſi tam validæ mihi robur mentis ineſſet,
Et ſolidus primos impleret ſpiritus annos,
Auderem voces per carmina noſtra referre,
Piſo, tuas: ſed feſſa labat mihi pondere cervix,
Et tremefacta cadunt ſucciſo poplite membra.
Sed nec olorinos audet Pandionis ales
Parva referre ſonos, nec, ſi velit improba, poſſit.
Sic & Aedonia ſuperantur voce cicadæ,
Stridula cum rapido faciunt convicia ſoli.
Quare age, Calliope, poſita gravitate forenſi,
Limina Piſonis mecum pete: plura ſuperſunt,
Quæ laudare velis inventa Penatibus ipſis.

CATONIS DISTICHA.

LIBER PRIMUS.

SI Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus.
Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto:
Nam diuturna quies vitiis alimenta miniſtrat.
Virtutem primam eſſe puta, compeſcere linguam:
Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.
Sperne repugnando tibi tu contrarius eſſe:
Conveniet nulli qui ſecum diſſidet ipſe.
Si vitam inſpicias hominum, ſi denique mores,
Cum culpent alios, nemo ſine crimine vivit.
Quæ nocitura tenes, quamvis ſint chara, relinque,
Utilitas opibus præponi tempore debet.

Con-

Conſtans atque levis, cum res expoſtulat, eſto:
Temporibus mores ſapiens ſine crimine mutat.
Nil temere uxori de ſervis crede querenti
Sæpe etenim mulier, quem conjunx diligit, odit.
Cumque mones aliquem, nec ſe velit ipſe moneri;
Si tibi ſit charus, noli deſiſtere cæptis.
Contra verboſos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi patientia paucis.
Dilige ſic alios, ut ſis tibi charus amicus;
Sic bonus eſto bonis, ne te mala damna ſequantur.
Rumores fuge, ne incipias novus auctor haberi:
Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.
Rem tibi promiſſam certo promittere noli:
Rara fides ideo, quia multi multa loquuntur.
Cum quis te laudat, judex tuus eſſe memento:
Plus alii de te, quam tu tibi credere noli.
Officium alterius multis narrare memento,
Atque aliis cum tu benefeceris, ipſe ſileto.
Multorum cum facta ſenex & dicta recenſes,
Fac tibi ſuccurrant, juvenis quæ feceris ipſe.
Nec cures, ſi quis tacito ſermone loquatur:
Conſcius ipſe ſibi de ſe putat omnia dici.
Cum fueris felix, quæ ſunt adverſa caveto:
Non eodem curſu reſpondent ultima primis.
Cum dubia & fragilis ſit nobis vita tributa,
In mortem alterius ſpem tu tibi ponere noli.
Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide, plene & laudare memento.
Infantem nudum cum te natura crearit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.
Ne timeas illam, quæ vitæ eſt ultima finis:
Qui mortem metuit, quod vivit perdit idipſum.
Si tibi pro meritis nemo reſpondit amicus,
Incuſare Deum noli, ſed te ipſe coerce.
Ne tibi quid deſit, quæſitis utere parce:
Utque quod eſt ſerves, ſemper tibi deeſſe putato.
Quod præſtare potes ne bis promiſeris ulli,
Ne ſis ventoſus, dum vis urbanus haberi.
Qui ſimulat verbis, nec corde eſt fidus amicus,
Tu quoque fac ſimules, ſic ars deluditur arte.
Noli homines blandos nimium ſermone probare:
Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.
Si tibi ſint nati, nec opes, tunc artibus illos
Inſtrue quo poſſint inopem defendere vitam.
Quod vile eſt, charum, quod charum eſt, vile putato,
Sic tibi nec parcus, nec avarus habeberis ulli.
Quæ culpare ſoles, ea tu ne feceris ipſe:
Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.
Quod juſtum eſt petito, vel quod videatur honeſtum:
Nam ſtultum eſt petere, quod poſſit jure negari.
Ignotum tibi nolito præponere notis:
Cognita judicio conſtant, incognita caſu.
Cum dubia incertis verſetur vita periclis,
Pro lucro tibi pone diem, quicumque laboras.
Vincere cum poſſis, interdum cede ſodali:
Obſequio quoniam dulces retinentur amici.
Ne dubites, cum magna petas, impendere parva;
His etenim rebus conjungit gratia charos. (eſt:
Litem inferre cave, cum quo tibi gratia juncta
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.
Servorum ob culpam cum te dolor urget in iram,
Ipſe tibi moderare, tuis ut parcere poſſis.
Quem ſuperare potes, interdum vince ferendo:
Maxima enim morum ſemper patientia, virtus.
Conſerva potius quæ ſunt jam parta labore,
Cum labor in damno eſt, creſcit mortalis egeſtas.
Dapſilis interdum notis, charis & amicis:
Cum fueris felix, ſemper tibi proximus eſto.

LIBER II.

Telluris ſi forte velis cognoſcere cultus,
Virgilium legito: quod ſi mage noſſe laboras
Herbarum vires, Macer tibi carmine dicet.
Si Romana cupis, & Civica noſcere bella,
Lucanum quæras, qui Martis prælia dicet.
Si quid amare libet, vel diſcere amare legendo,
Naſonem petito: ſin autem cura tibi hæc eſt,
Ut ſapiens vivas, audi quo diſcere poſſis,
Per quæ ſemotum vitiis traducitur ævum.
Ergo ades, & quæ ſit ſapientia, diſce legendo.
Si potes, ignotis etiam prodeſſe memento:
Utilius regno meritis acquirere amicos.
Mitte arcana Dei, cœlumque inquirere quid ſit:
Cum ſis mortalis, quæ ſint mortalia cura.
Linque metum leti; nam ſtultum eſt tempore in omni:
Dum mortem metuis, amittis gaudia vitæ.
Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.
Fac ſumptum propere, cum res deſiderat ipſa:
Dandum etenim eſt aliquid, cum tempus poſtulat aut res.
Quod nimium eſt fugito, parvo gaudere memento:
Tuta mage eſt puppis, modico quæ flumine fertur.
Quod pudeat, ſocios prudens celare memento,
Ne plures culpent id, quod tibi diſplicet uni.
Nolo putes pravos homines peccata lucrari:
Temporibus peccata latent, & tempore patent.
Corporis exigui vires contemnere noli:
Conſilio pollet, cui vim natura negavit.
Quem ſcieris non eſſe parem tibi, tempore cede:
Victorem a victo ſuperari ſæpe videmus.
Adverſus notum noli contendere verbis:
Lis minimis verbis interdum maxima creſcit.
Quid Deus intendat, noli perquirere ſorte:
Quid ſtatuat de te, ſine te deliberat ipſe.
Invidiam nimio cultu vitare memento:
Quæ ſi non lædit, tamen hanc ſufferre moleſtum eſt.
Eſto animo forti, cum ſis damnatus inique:
Nemo diu gaudet, qui judice vincit iniquo.
Litis præteritæ noli maledicta referre:
Poſt inimicitias iram meminiſſe, malorum eſt.
Nec te collaudes, nec te culpaveris ipſe:
Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis.
Utere quæſitis modice, cum ſumptus abundat,
Labitur exiguo quod partum eſt tempore longo.
Inſipiens eſto, cum tempus poſtulat aut res:
Stultitiam ſimulare loco, prudentia ſumma eſt.
Luxuriam fugito, ſimul & vitare memento
Crimen avaritiæ: nam ſunt contraria famæ.
Noli tu quædam referenti credere ſemper:
Exigua eſt tribuenda fides, qui multa loquuntur.
Quod potu peccas, ignoſcere tu tibi noli:
Nam nullum crimen vini eſt, ſed culpa bibentis.
Conſilium arcanum tacito committe ſodali,
Corporis auxilium medico committe fideli,
Succeſſus indignos noli tu ferre moleſte:
Indulget fortuna malis, ut lædere poſſit.
Proſpice qui veniunt, hos caſus eſſe ferendos:
Nam levius lædit, quicquid prævideris ante.
Rebus in adverſis animum ſubmittere noli,
Spem retine, ſpes una hominem nec morte relinquit.
Rem tibi quam noſcis aptam, dimittere noli:

Fronte

Fronte capillata, poſt eſt occaſio calva.
Quod ſequitur ſpecta, quodque imminet, ante videto:
Illum imitare Deum, qui partem ſpectat utramque.
Fortior ut valeas, interdum parcior eſto:
Pauca voluptati debentur, plura ſaluti.
Judicium populi numquam contempſeris unus.
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.
Sit tibi præcipue, quod primum eſt, cura ſalutis.
Tempora ne culpes, cum ſis tibi cauſa doloris.
Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,
Cum vigilat ſperans, per ſomnum cernit idipſum.

LIBER III.

HOc quicumque velis carmen cognoſcere lector,
Hæc præcepta feres, quæ ſunt gratiſſima vitæ.
Inſtrue præceptis animum, nec diſcere ceſſes:
Nam ſine doctrina vita eſt quaſi mortis imago.
Commoda multa feres: ſin autem ſpreveris illud,
Non me ſcriptorem, ſed te neglexeris ipſe.
Cum recte vivas, ne cures verba malorum:
Arbitrii noſtri non eſt, quid quiſque loquatur.
Productus teſtis, ſalvo tamen ante pudore,
Quantumcumque potes celato crimen amici.
Sermones blandos, blæſoſque cavere memento:
Simplicitas veri ſana eſt, fraus ficta loquendi.
Segnitiem fugito, quæ vitæ ignavia fertur:
Nam cum animus languet, conſumit inertia corpus.
Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut poſſis animo quemvis ſufferre laborem.
Alterius dictum aut factum ne carpſeris umquam:
Exemplo ſimili ne te derideat alter.
Quæ tibi ſors dederit tabulis ſuprema notato,
Augendo ſerva, ne ſis, quem fama loquatur.
Cum tibi divitiæ ſuperant in fine ſenectæ,
Munificus facito vivas, non parcus amicis.
Utile conſilium Dominus ne deſpice ſervi:
Nullius ſenſum, ſi prodeſt, tempſeris umquam.
Rebus & in ſenſu ſi non eſt quod fuit ante,
Fac vivas contentus eo, quod tempora præbent.
Uxorem fuge: ne ducas ſub nomine dotis,
Nec retinere velis, ſi cœperit eſſe moleſta.
Multorum diſce exemplo, quæ facta ſequaris,
Quæ fugias: vita eſt nobis aliena magiſtra.
Quod potes, id tentes, operis ne pondere preſſus
Succumbat labor, & fruſtra tentata relinquas.
Quod noſti haud recte factum, nolito tacere,
Ne videare malos imitari velle tacendo.
Judicis auxilium ſub iniqua lege rogato:
Ipſæ etiam leges cupiunt, ut jure rogentur.
Quod merito pateris, patienter ferre memento:
Cumque reus tibi ſis, ipſum te judice damna.
Multa legas facito, perlectis, perlege multa:
Nam miranda canunt, ſed non credenda Poetæ.
Inter convivas fac ſis ſermone modeſtus,
Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.
Conjugis iratæ noli tu verba timere:
Nam lachrimis ſtruit inſidias, dum femina plorat.
Utere quæſitis, ſed ne videaris abuti:
Qui ſua conſumunt, cum deeſt, aliena ſequuntur.
Fac tibi proponas mortem non eſſe timendam:
Quæ bona ſi non eſt, finis tamen illa malorum eſt.
Uxoris linguam, ſi frugi eſt, ferre memento:
Namque malum eſt nil velle pati, nec poſſe tacere.
Dilige non ægra charos pietate parentes,
Nec matrem offendas, dum vis bonus eſſe parenti.

LIBER IV.

SEcuram quicumque cupis traducere vitam,
Nec vitiis hærere animum, quæ moribus obſunt,
Hæc præcepta tibi ſemper relegenda memento.
Invenies aliquid, in quo te utare magiſtro.
Deſpice divitias, ſi vis animo eſſe beato:
Quas qui ſuſpiciunt, mendicant ſemper avari.
Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt,
Si contentus eo fueris, quod poſtulat uſus.
Cum ſis incautus, nec rem ratione gubernes,
Noli fortunam, quæ non eſt, dicere cæcam.
Dilige denarium, ſed parce dilige formam,
Quam nemo ſanctus, nec honeſtus captat habere.
Cum fueris locuples, corpus curare memento:
Æger dives habet nummos, ſed non habet ipſum.
Verbera cum tuleris diſcens aliquando magiſtri:
Fer patris imperium, cum verbis exit in iram.
Res age quæ proſunt, rurſus vitare memento
In quibus error ineſt, nec ſpes eſt certa laboris.
Quod donare potes, gratis concede roganti:
Nam recte feciſſe bonis, in parte lucrorum eſt.
Qud tibi ſuſpectum eſt, confeſtim diſcute quid ſit:
Namque ſolent, primo quæ ſunt neglecta, nocere.
Cum te detineat Veneris damnoſa voluptas,
Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica eſt.
Cum tibi proponas, animalia cuncta timere;
Unum hominem tibi præcipio plus eſſe timendum.
Cum tibi prævalidæ fuerint in corpore vires,
Fac ſapias, ſic tu poteris vir fortis haberi.
Auxilium a notis petito, ſi forte laboras,
Nec quiſquam melior medicus, quam fidus amicus.
Cum ſis ipſe nocens, moritur cur victima pro te?
Stultitia eſt morte alterius ſperare ſalutem.
Cum tibi vel ſocium, vel fidum quæris amicum,
Non tibi fortuna eſt hominis, ſed vita petenda.
Utere quæſitis opibus, fuge nomen avari.
Quid tibi divitiæ proſunt, ſi pauper abundas?
Si famam curare cupis, dum vivis, honeſtam,
Fac fugias animo, quæ ſunt mala gaudia vitæ.
Cum ſapias animo, noli irridere ſenectam:
Nam quicumque ſenex, ſenſus puerilis in illo eſt.
Diſce aliquid: nam cum ſubito fortuna recedit,
Ars remanet, vitamque hominis non deſerit umquam
Perſpicito cuncta tacitus, quid quiſque loquatur:
Sermo hominum mores nam cælat, & indicat idem.
Exerce ſtudium, quamvis perceperis artem:
Ut cura ingenium, ſic & manus adjuvat uſum.
Multum ne cures venturi tempora fati:
Non timet is mortem, qui ſcit contemnere vitam.
Diſce ſed a doctis, indoctos ipſe doceto:
Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.
Hoc bibe quod poſſis, ſi tu vis vivere ſanus:
Morbi cauſſa mali eſt homini quandoque voluptas.
Laudaris quodcumque palam quodcumque probaris,
Hoc vide ne rurſus levitatis crimine damnes.
Tranquillis rebus quæ ſunt adverſa caveto.
Rurſus in aduerſis melius ſperare memento.
Diſcere ne ceſſes: cura ſapientia creſcit.
Rara datur longo prudentia temporis uſu.
Parce laudato: nam quem tu ſæpe probaris,
Una dies, qualis fuerit monſtrabit amicus.
Ne pudeat, quæ neſcieris te velle doceri:
Scire aliquid laus eſt: pudor eſt nil diſcere velle.
Cum Venere & Baccho lis eſt & juncta voluptas.
Quod laudum eſt animo complectere, ſed fuge lites.

Demiſſos

Demiſſos animo ac tacitos vitare memento:
Qua flumen placidum eſt, forſan latet altius unda.
Cum tibi diſpliceat rerum fortuna tuarum,
Alterius ſpecta quo ſis diſcrimine pejor.
Quod potes id tenta nam littus carpere remis
Tutius eſt multo, quam velum tendere in altum.
Contra hominem juſtum prave contendere noli:
Semper enim Deus injuſtas ulciſcitur iras.
Ereptis opibus noli gaudere merendo,
Sed gaude potius, tibi ſi contingat habere.
Eſt jactura gravis, quæ ſunt. amittere damnis.
Sunt quædam, quæ ferre decet patienter amicum.
Tempora longa tibi noli promittere vitæ:
Quocumque ingrederis, ſequitur mors corporis umbra.
Thure Deum placa, vitulum ſine creſcat aratro:
Ne credas placare Deum, dum cæde litatur.
Cede locum læſus fortunæ, cede potenti.
Cedere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.
Cum quid peccaris, caſtiga te ipſe ſubinde:
Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.
Damnaris numquam poſt longum tempus amicum:
Mutavit mores, ſed pignora prima memento.
Gratior officiis quo ſis mage carior eſto,
Ne nomen ſubeas, quod dicitur officiperda.
Suſpectus cave ne ſis miſer omnibus horis:
Nam timidis & ſuſpectis aptiſſima mors eſt.
Cum fueris ſervos proprios mercatus in uſus,
Et famulos ducas, homines tamen eſſe memento.
Quam primum rapienda tibi eſt occaſio prima,
Ne rurſus quæras, quæ jam neglexeris ante.
Morte repentina noli gaudere malorum:
Felices obeunt, quorum ſine crimine vita eſt.
Cum conjux tibi ſit, nec res & fama laboret,
Vitandum ducas inimicum nomen amici.
Cum tibi contingat ſtudio cognoſcere multa,
Fac diſcas multum, vites neſcire doceri.
Miraris verbis nudis me ſcribere verſus?
Hos brevitas ſenſus fecit conjungere binos.

RUFFINI
VERSUS
DE COMPOSITIONE ET METRIS ORATORUM.

MUſigenæ numeros vates & metra ſequuntur,
Orator numeros, hæc illi maxima virtus,
Ne vagus errando laudandam neſciat artem.
Rhetoras Auſonios & Grajos dactylus armat.
Dactylus armavit Ciceronem, armavit iambus
Spondæuſque gravis, numeroque aptiſſime pæan.
Temporibuſque pares, quamvis & ſillaba creſcat.
Continuos fugito multos (fit verſus) eoſdem.
Optimus orator ſequitur ratione poetas,
Cognatus virtute ſua, metrumque recuſans
Hic quoque vult numeris voces frenare vagantes.
Doctus Ariſtoteles pæanam laudat utrumque
A longa incipiens, primordia pulchra locabit
Aſpicere ut verbum eſt, contrarius ille ſupremus.
Tullius hunc laudat, cui ſit penultima longa,
Eſſe trochæus adeſt, videatur tertius ille,
Quem pæana vocat, muſis devota vetuſtas,
Hic membris melior noſtris cui tertia longa.

Verſus ejuſdem de numeris & pedibus oratorum.

Rhetoricas pulchre ſtructuras dochimus ornat,
Principium bacchios erit, concludet iambus,
Aut vice mutata nomen mutabitur uni,
Primus iambus erit, cum finem Creticus explet,
Prima brevis, longæque duæ, brevis, ultima longa,
Exemplumque artis dabitur res publica nobis,
Quam Cicero caſu genitivo ponere gaudet.
Hoc pede compoſito laudatur fama pedeſtris,
Ut docet Auſonius orator Tullius ingens.
Omnibus iſte locis numerum pes efficit aptum,
Longa brevem ſequitur, longam brevis, adjice longam
Syllaba prima brevis cum ſyllaba longa ſecunda,
Tertia longa, brevis quarta, productaque quinta:
Tullius orator, ceu multi, dochimon ornat.
Creticus, atque trochæus erit qui claudere poſſunt.
Aut ſpondæus ineſt, nullo diſcrimine finis.
Principioque trochæon habes, in fine moloſſum.
At finis bacchius erit, brevis ultima claudet.
Longa ſit anne brevis, nullum diſcrimen habetur,
Ut ſolet in metris doctus componere vates.
Aut adſit numeris pulcher, bis fine trochæus.
Sed magis erigitur ſpondæo clauſula fortis.
Hanc docet eloquium ſummi Demoſthenis artem.

Item Verſus Ruffini.

Spondæo narrare ſolent tibi rhetores acta,
Quod gravis & tardus, res geſtas mentibus affert,
Dactylicis certant pedibus, qui currere poſſunt.
Dicimus egregios Theopompi more labores,
Et vitam inſignem laudamus Iſocratis arte,
Hic ſtilus hiſtoriis, hic laudibus aptior hæret.

De Ambitu ſive Circuitu, quem Græci περίοδον dicunt.

Dicere muſa jubet, me dicere juſſit Apollo
Circuitum orator quot membris reddere debet.
Vos Phœbi comites animis hæc condite veſtris,

Et memores doctis componite mentibus artem.
Non unum natura dedit nos ferre laborem.
Legibus alternis, quæ pulchras junxerat artes,
Quattuor e membris plenum formare videmus
Rhetora circuitum, ſic ambitus ille vocatur,
Quattuor ex metris hunc verſibus aſpicis æquum.

De genere judiciali.

Judiciis pæana refert tibi Tullius aptum.

De genere deliberativo.

Si quis rem dubiam deliberat, armat iambus.
Dactylus his cauſis tibi dicitur aptus utriſque.

De Theophraſto idem Ruffinus metro ſapphico ſic.

Rhetoras pulchros Theophraſtus ornat
Membra diſpergens bona dithyrambi
Fuſa per artes. Anapæſtus iſta
Floret in arte.
Longior fluxit numerus per artem,
Quem dedit nobis Anapæſtus ille.
Hinc pedes claros loca dithyrambi
Rhetores aptant.

Verſus Ruffini.

Creticus aut ſpondæus erit pæanve ſupremus,
Dactylus atque trochæus adeſt, vel curſor iambus,
Partibus in cunctis qui ponitur ante ſupremum,
Temporibuſve pares hos omnes reddere poſſunt,
Solvere ſeu longas malis ut ſyllaba creſcat,
Rhetoricis Aſiæ placuit bis fine trochæus.
Principia, & medium, & finem tibi dochimus ornat.

MORETUM.

IAm nox hybernas bis quinque peregerat hotas,
Excubitorque diem cantu prædixerat ales,
Simulus exigui cultor cum ruſticus horti,
Triſtia venturæ metuens jejunia lucis,
Membra levat ſenſim vili demiſſa grabato,
Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Veſtigatque focum: læſus quem denique ſenſit.
Parvulus exuſto remanebat ſtipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ:
Admovet his pronam ſummiſſa fronte lucernam,
Et producit acu ſtupas humore carentes,
Excitat & crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt,
Oppoſitaque manu lumen defendit ab aura,
Et reſerat clauſa, quæ prævidet, oſtia clavi.
Fuſus erat terra frumenti pauper acervus:
Hinc ſibi depromit quantum menſura petebat,
Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit aſſiſtitque molæ: parvaque tabella,
Quam fixam paries illos ſervabat in uſus,
Lumina fida locat. geminos tunc veſte lacertos
Liberat, & cinctus villoſæ tegmine capræ
Perverrit cauda ſilices gremiumque molarum.
Admovet inde manus operi, partitus utramque:
Læva miniſterio, dextra eſt intenta labori.
Hæc rotat aſſiduis gyris, & concitat orbem.
Trita Ceres ſilicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum feſſæ ſuccedit læva ſorori
Alternatque vices: modo ruſtica carmina cantat,
Agreſtique ſuum ſolatur voce laborem.
Interea clamat Scybale: hæc erat unica cuſtos,
Afra genus, tota patriam teſtante figura,
Torta comam, labroque tumens, & fuſca colore:
Pectore lata, jacens mammis, compreſſior alvo,
Cruribus exilis, ſpatioſa prodiga planta:
Continuis rimis calcanea ſciſſa rigebant.
Hanc vocat, atque arſura focis imponere ligna
Imperat, & flamma gelidos adolere liquores.
Poſtquam implevit opus juſtum verſatile finem,
Transfert inde manu fuſas in cribra farinas,
Et quatit, ac remanent ſummo purgamina dorſo:
Subſidit ſincera foraminibuſque liquatur
Emundata Ceres. lævi tum protinus illam
Componit tabula, tepidas ſuperingerit undas:
Contrahit admiſtos tum fontes, atque farinas
Tranſverſat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos ſpargit ſale, jamque ſubactum
Format opus, palmiſque ſuum dilatat in orbem,
Et notat impreſſis æquo diſcrimine quadris.
Infert inde foco (Scybale mundaverat aptum
Ante locum) teſtiſque tegens ſuperaggerat ignes,
Dumque ſuas peragit Vulcanus, teſtaque partes,
Simulus interea vacua non ceſſat in hora;
Verum aliam ſibi quærit opem: neu ſola palato
Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat eſcas:
Non illi ſuſpenſa focum carnaria juxta,
Durati ſale terga ſuis, truncique vacabant:
Trajectus medium ſparto ſed caſeus orbem,
Et vetus adſtricti faſcis pendebat anethi:
Ergo aliam molitur opem ſibi providus heros.
Hortus erat junctus caſulæ, quem vimina pauca,
Et calamo redimita levi munibat arundo:
Exiguus ſpatio, variis ſed fertilis herbis.
Non illi deerat, quod pauperis exigit uſus:
Interdum locuples a paupere plura petebat.
Nec ſumptus erat illud opus, ſed regula curæ.
Si quando vacuum caſula, pluviæve tenebant,
Feſtave lux, ſi forte labor ceſſabat aratri,
Horti opus illud erat. varias diſponere plantas
Norat, & occultæ committere ſemina terræ,
Vicinoſque apte cura ſummittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betæ,
Fœcunduſque rumex, malvæque inulæque virebant.
Hic cicer, & capiti nomen debentia porra.
Hic etiam nocuum capiti, gelidumque papaver,

Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demiſſa cucurbita ventrem.
Verum hic non domini(quis enim contractior illo?)
Sed populi proventus erat, certiſque diebus
Venales olerum faſces portabat in urbem:
Inde domum cervice levis, gravis ære redibat,
Vix umquam urbani comitatus merce macelli.
Cæpa rubens, ſectique famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus naſturtia morſu,
Intubaque, & Venerem revocans eruca morantem.
Tunc quoque tale aliquid meditans intraverat hortum:
Ac primum leviter digitis tellure refoſſa,
Quatuor educit cum ſpiſſis allia fibris.
Inde comas apii graciles, rutamque virentem
Vellit, & exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi collegit, lætum conſedit ad ignem:
Et clara famulam poſcit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroſa cortice nudat,
Et ſummis ſpoliat coriis, contemptaque paſſim
Spargit humi, atque abicit: ſervatum gramine bulbum
Tingit aqua, lapidiſque cavum demittit in orbem.
Hinc ſalis inſpergit micas, ſale durus adeſo
Caſeus adjicitur, dictas ſuperingerit herbas:
Et læva veſtem ſetoſa ſub inguina fulcit.
Dextera piſtillo primum fragrantia mollit
Allia: tum pariter miſto terit omnia ſucco.
It manus in gyrum: paullatim ſingula vires
Deperdunt proprias, color eſt e pluribus unus.
Nec totus viridis, quia lactea fruſta repugnant:
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer jaculatur apertas
Spiritus, & ſimo damnat ſua prandia vultu.
Sæpe manu ſumma lacrimantia lumina tergit.
Immeritoque furens dicit convitia fumo.
Procedebat opus, non jam ſalebroſus, ut ante,
Sed gravior lentos ibat piſtillus in orbes.
Ergo Palladii guttas inſtillat olivi,
Exiguique ſuper vires infundit aceti,
Atque iterum commiſcet opus, miſtumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum diſtantia contrahit unum:
Conſtet ut effecti ſpecies, nomenque moreti.
Eruit interea Scybale quoque ſedula panem:
Quem lotis recipit manibus, pulſoque timore
Jam famis, inque diem ſecurus Simulus illam,
Ambit crura ocreis paribus, tectuſque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in ſegetes, & terræ condit aratrum.

POE-

POETÆ MINIMI LIVII ANDRONICI
FRAGMENTA.

A C H I L L E.

Nonius in Imitabo.

SI malos imitabo, tum tu pretium pro noxa dabis.

A D O N I D E.

Humum humidum pedibus ferit.

Æ G Y S T H O.

Nonius in Lætare, & Species.

Jamne oculos ſpecie lætaviſti optabili?

Nonius in Memoriam revocabit.

Nemo hæc noſtræ ruminabitur mulieri.

Nonius in Juxtim.

. . . In ſedes collocat ſe regias
Clytæmneſtra juxtim; tertias nata occupat.

Nonius in Fligit.

Ipſe ſe in terram ſaucius fligit cadens.

Nonius in Pecus.

Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus
Ludens ad cantum claſſum luſtratur . . .

Nonius in Procat.

Quin quod parere vos majeſtas mea procat,
Toleretis? extemploque illam deducitis?

Nonius in Solennitus.

Solennitus a declitali laudet jubent.

Nonius in Æquiter.

. . . Nam ut Pergama
Accenſa, & præda per participes æquiter
Partita eſt. . . .

A J A C E.

Nonius in Jamdiu.

Mirum videtur quod ſit factum jamdiu.

A N D R O M E D A.

Nonius in Confluges.

Confluges ubi conventum campum totum inhumigant.

A N T I O P A.

Nonius in Septuoſe.

Ita ſeptuoſe dictio abs te datur,
Quod conſecutum Sapiens ægre contulit.

C E N T A U R I S.

Feſtus in Petris.

Ubi ego ſæpe petris.

E Q U O T R O J A N O.

Nonius in Opitula.

Da mihi haſce opes, quas peto, quas precor: porrige, opitula.

Cic. Lib. VII. Epi. XVI. ad Fam.

Sero ſapiunt Phryges.

ΕΡΩΤΟΠΑΙΓΝΙΟΙΣ.

Priſcianus in Decretum a decreſco.

Nocte dieque decretum & auctum.

Priſcianus in Meminens.

Meminens Varro corde volutat.

Priſcianus in Plexit.

Andromacha perdudum manu laſcivula, tenellula, capiti meo trepidans, libens inſolito plexit munere.

G L A D I O L O.

Feſtus in Pedes.

Puliceſne, an cimices, an pedes, reſponde mihi.

H E L E N A.

Macrob. L. VI. c. V.

Tu qui permenſus ponti maria alta velivola.

HE-

HERMIONA.

Nonius in Fuas.

Obſecro te, Anticile, matri ne quid tuæ adverſus ſuas.

JONE.

Priſcianus in Præcipem.

. . . Seque in alta maria præcipem
Inops, ægra ſanitatis herois. . . .

Terentianus de carmine Miuro.

Et jam purpureo ſuras include cothurno,
Baltheus & revocet volucres in pectore ſinus:
Preſſaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra.
Dirige odoriſequos ad certa cubilia canes.

LAODAMIA.

Priſcianus in Pellicuit.

. . . . Aut
Nunc quæpiam alia te Ilio,
Aſiatico ornatu adfluens,
Aut Sardiano aut Lydio
Fulgens decore & gloria,
Pellicuit. . . . .

LYDIO.

Feſtus in Scena.

Corruit quaſi ictus ſcena, haud multo ſecus.

ODYSSEA.

Priſcianus in Daps.

Quæ hæc daps eſt? quis feſtus dies?

Priſcianus in Celer.

At celer haſta volans perrumpit pectora ferro.

Priſcianus in Puera.

Mea puera, mea puera, quid verbi ex tuo ore profugit?

Priſcianus in Gaviſi.

Quoniam audivi paucis gaviſi.

Nonius in Fite.

Fit quoque ſitum eſt.

Priſcianus in Nexebant.

Nexebant multa inter ſeſe flexu nodorum dubio.

Feſtus in Noegeo.

Simulac lacrymas de ore noegeo deterſit.

Priſcianus in Carnis.

Carnis ait, vinum quoque quod libabat, antlabatur.

Priſcianus in Superus.

Inferus aut ſuperus tibi fert deus funera Ulyſſes.

Priſcianus in Eſcas.

Atque eſcas habemus mentionem.

Priſcianus in Monetas.

Nam diva monetas filiam docuit.

Priſcianus in Latonas.

Mercurius, cumque eo filius Latonas.

Priſcianus in Laertie.

Neque enim te oblitus ſum, Laertie noſter.

Gellius L. VII. C. VII.

Ibi denique vir ſummus adprimus Patroclus.

Gellius ibidem.

Parcentes præmodum.

Feſtus in Nequinunt.

Partim errant, neque nunc Græciam redire nequinunt.

Priſcianus in Mando.

Quum ſocios noſtros mandiſſet impius Cyclops.

Priſcianus in Filie.

Pater noſter Saturni filie.

Priſcianus in Puer.

Sancta puer Saturni filia regina.

POLYMETRIS.

Priſcianus in Verſi.

Omnes ſunt denis ſyllabis verſi.

PROTESILAO vel PROTESILAO DAMIA.

Priſcianus in Obitus.

Cupidius miſerulo obito.

Gellius Lib. XII. C. X.

Clauſtritimum.

IBIDEM CHORO PROSERPINÆ]

Varro L. L. Lib. V.

Inlicio.
Inlicius.

S E R E N O.

Priſcianus in Laertie.

Cura nunc Laertie velle, para ire Ithacam.

T E R E O.

Nonius in Rarenter.

Rarenter venio.

Nonius in Præſtolaras.

Nimis pol imprudenter ejus præſtolaras.

Nonius in Perbitat.

. . . Ego puerum
Interea ancillæ ſubdam lactantem meæ,
Ne fame perbitat. . . .

Nonius in Limavit.

Credito cum illis ſoli mea voluntate numquam limavit caput.

V I R G I N E.

Feſtus in Gnobilis.

Ornamenta incendunt gnobili ignobiles.

E X I N C E R T I S L I B R I S.

Feſtus in Quam de.

Lib. 1. Juppiter ut muro fretus magis quam de manus impe . . . .
Secundo.
Quam de tuas omnis legiones ac populaτis.

Feſtus in Struices.

Lib. 4. Quo Caſtalia per ſtruices ſaxeas lapſu accidit.

Priſcianus in Linter.

Lib. 6. Jam in altum expulsa lintre.

Priſcianus iu Compos.

Lib. 25. Profecto ſatis compotem menti ineſſe.

Priſcianus in Lib. de pond. & mens.

Lib. 35. Et bina equeſtria & arma.

Feſtus in Redivia.

Scabra in legendo rediviofave offendens.

Feſtus in Procitum.

Matrem procitum plurimi venerunt.

Feſtus in Ocris.

Sed qui ſunt hi, qui aſcendunt altum Ocrim?
Celſoſque Ocris, arvaque patria, & mare magnum.
Namque Tænari celſo Ocris.
Haud ut quem Chiro in Pelio docuit Ocri.

Nonius in Diſertim.

Tumque mihi narrato omnia diſertim.

Nonius in Polubrum.

Argenteo polubro, & aureo, & glutro.

Priſcianus in Atteſtari.

Impubes, libripens eſſe non poteſt, neque atteſtari.

Priſcianus in Puerarum.

Puerarum manibus confectum pulcherrime.

Priſcianus in Calypſo.

Apud Nympham Atlantis filiam Calypſonem.

Nonius in Quiſquis.

Mulier, quiſquis es, te volumus.

Feſtus in Adfatim.

Adfatim edi, bibi, luſi.

Nonius in Antlare.

Florem antlabant Liberi ex carcheſiis.

Feſtus in Nefrendes.

Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem.

Feſtus in Quinquertiones.

Quinquertiones præco in medium vocat.

Feſtus in Vacerra.

Vecorde & malefica vecordia.

Idem in Duſmoſo.

Duſmoſo in loco.

Nonius.

Tu cornifrontes paſcere armentas ſoles.

Idem

Idem.

Quænam iſta ſuavitas, quænam conſortio eſt?

Iſidorus Orig. Lib. XIX. cap. IV.

Tuncque remos juſſit religare ſtruppis.

Feſtus.

Surregit. Sorctus.

Idem.

Dacrimas. Dautia.

Idem.

Demus: pro *demum*.

Idem.

Gnarigavit.

ENNII
FRAGMENTA ET EPIGRAMMATA
ANNALIUM LIBER PRIMUS.

HOrrida Romoleum certamina pango duellum.

Horatius, & Porphyrio ad Sat. II. Lib. I.

Audeire eſto perai pretium procedere recte
Quei rem Romanam Latiumque augeſcere voltis.

Varro L. L. Lib. VI.

. . . . Adeſte
Muſai, quai pedibus magnum pulſatis olumpum;

Et quas commemorant Caſmoinas eſſe . .

Lunai portum eſt operai cognoſcere ceives

Cicero in Lucullo.

. . . . . veiſus Homerus adeſſe poeta,

Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo!

Varro R.R. Lib. III.

Septingentei ſunt paullo plus vel minus annei,

Soſipater in Pavus.

Quom meminei fierei me pavom . . .

Cicero in Bruto.

. . . . . . Scripſere aliei Rem
Vorſibu', quos olim Faunei Vateſque canebant,
Quom neque Muſarum ſcopolos quiſquam ſuperarat,
Nec dictei ſtudioſus erat . . . .

. . . . . ante hunc

Nam latos popolos, res, atque poemata noſtra

Gluvebat . . . .

Nos auſei reſerare . . . . . .

Nec quiſquam Sophiam, Sapientia quai perhibetur,
In ſomneis veidit priu', quam ſam diſcere coipit.

. neque me decet hic carinantibus edere carteis.

Nonius in Parumper.

Te nunc ſancta precor Venus & genetrix patri' noſtrei,
Ut me de coilo veiſas cognata parumper;

Nonius in Horam.

Teque Quireine pater veneror, Horamque Quireinei

Macrob. Lib. VI. cap. I.

Teque pater Tibereine tuo cum flumine ſancto.

. . . . . Mavors . . .

Daidala . . . .

. . . Menerv

Priſcianus in Veter.

Quom veter occubuit Priamus ſub Marte Pelaſgo

Corpore Tartarino prognata Paluda Virago,
Quoi par Imber & Ignis, Spiritus, & gravi' Terr

Varro R. R. Lib. VI.

Quaique freto cava coiroleo corteina recepit:

Quos omneis Erebo perhibent & nocte creatos

Nonius in Cælus.

. . . . . Saturno, quem Coilu' genuvit
Aſſaraco natus Capus optumus; Iſque pium ex ſe
Ancheiſen generat . . . . .

Atque Ancheiſes doctu', Venus quem polcra Dearum
Farei donavit deiveinum pectus habere

. . . . armeis

Conditur Alba potens

Feſtus in Stolidus.

Namque avide pugnare ſues ſtolidei ſolitei ſunt

Macrob. Lib. VI. cap. I.

Eſt locus, Heſperiam quam mortales perhibebant,

Varro in Caſcum.

Quam preimum Caſcei popolei tenuere Lateinei

Priſcianus in Laurentis.

Quos homineis qnondam Laurentis terra recepit

Cic. Lib. I. *de Divinat.*

Excita quom tremolis anus attulit artubu' lumen,
Talia commemorat lacrumans, exterrita ſomno:
Eurudica prognata, pater quam noſter amavit,
Veires veitaque corpu' meum nunc deſerit omne.
Nam me veiſus homo polcer per amoina ſalicta
Et reipas raptare locoſque novos; ita ſola
Poſt-illa, germana ſoror, errare videbar,
Tardaque veſteigare & quairere te, neque poſſe
Corde capeſſere, ſemita nulla pedem ſtabileibat.
Exin compellare pater me voce videtur
Heis verbeis: *O gnata tibei ſont ante ferundai*
Airumnai: poſt ex ſlovio Fortuna reſiſtet.
Haic pater ecſatus, germana, repente receſſit;
Nec ſeſe dedit in conſpectum corde cupeitus:
Quamquam molta manus ad coilei coirola templa
Tendebam lacrumans, & blanda voce vocabam.
Vix, aigro tum corde meo, me ſomnu' releiquit

Ilia in amnem Tiberim juſſu Amulii regis Albanorum præcipitata eſt

Nonius in Nepos.

Ilia, Dia nepos, quas airumnas tetuliſtei

. . . . cetera, quos peperiſtei
Ne coires . . . .

Nonius in Faceſſo.

Haic ecſatus ibus, latrones dicta faceſſunt

Feſtus in Remant.

Reſtituunt reivos, campoſque remant . . .

Nonius in Latrocinari.

. . . . fortunas ecquas cepere, latrones
Inter ſe memorant

. . . . lupu' fœta . . . .

. . . . Gemineique hinc ubera circum
Ludunt pendentes puerei . . . .

Soſipater in Ficus.

Dolciferai feicei lactantes ubere toto

Nonius in Parumper.

Endo tuetur ibus Lupu' femina, conſpicit omneis
In campo celerei paſſu praiſto eſſe parumper:
Conjicit in ſilvam ſeſe . . . . .

. . . Acca Larentia . .

Olli reſpondet rex Albai longai

Aſt hic, quem nunc tu tam torviter increpuiſtei

Naſcere quai popolos terraque marique laceſſes
Bellei torbine praipropero, concuſſa tremiſcent
Cuncta acreis a te veireis . . .

. . . . In Roma Troja revixſtei

Cic Lib. I. *de Divinat.*

Coirantes magna cum coira, concupientes
Regnei, dant operam ſimol auſpicio augurioque:
Hinc Remus auſpicio ſe devovet, atque ſecundam
Solus Avem ſervat: at Romolu' polcer in alto
Quairit Aventeino, ſervans genus altivolantum.
Certabant urbem Romamne Remamne vocarent:
Omnis coira Vireis, uter eſſet Endoperator
Et ſpectant. veluti Conſol quom mittere ſignum
Volt, omnes avidei ſpectant ad carceris oras,
Quam mox emittat picteis ex faucibu' currus:
Sic expectabat popolus, atque ora tenebat
Rebus, utrei magnei victoria ſit data regnei.
Interea Sol albu' receſſit in infera noctis:
Exin candida ſe radieis dedit icta foras Lux,
Et ſimol ex alto longe polcerruma praipes
Laiva volavit avis: ſimol aureus exoritur Sol;
Cedunt ter quatuor de coilo corpora ſancta
Avium, praipetibus ſeſe polcreiſque loceis dant.
Conſpicit inde ſibei data Romolus eſſe priora,
Auſpicio regnei ſtabileitaque ſcamna ſolumque

Varro R. R. Lib. III.

Auguſto augurio poſtquam incluta condita Roma eſt

Juppiter! haut muro fretus magi', quam de manuum veì

Macrobius Lib. VI. Cap. I.

Nec pol homo quiſquam faciet impune animatus
Hoc, niſi tu, nam mi calido dabi' ſanguine poinas

. . . . Saturnius illei
Nomen erat, de quo late Saturnia terra

Priſcianus in Celeriſſumus.

Exit per terras poſtquam celeriſſumu' rumor

Feſtus in Sas.

Virgine' nam ſibi quiſque domos Romanu' rapit ſas
Quis pater aut cognatu' volet vos contra tuerei?

Nonius in Vultum.

Avorſabuntur ſemper vos voſtraque volta

Nonius in Ratus.

Occeiduntur, ibus potitur ratu' Romolu', praidam
Diſpertit . . . . .

Macrobius Lib. VI. Cap. I.

Quom ſuperum lumen nox intempeſta teneret
Adgreitus farei:

Varro L. L. Lib. IV.

Deivumque hominumque pater, rex,

Macrobius Lib. VI. C. I.

. . s . Saturno ſancte create,
Quei coilum vorſas ſtelleis ſolgentibus aptum;
. . . . . . quei ſolmine claro
Omnia per ſonitus arces . . . .

Feſtus in Orare.

. . . . face vero, . . .
Quod te cum precibus pater oro . . .

. . . . Rex deinde citatus
Convellit ſeſe . . . .
Flentes, plorantes, lacrumantes, obteſtantes:

Gellius Lib. XIII. Cap. XXI.

. s . . Neriene Mavortis

Priſcianus in Te.

O Tite tute Tati tibi tanta turanne tuliſtei

Feſtus in Sum.

Aſt te, non ut ſum, ſummam ſervare decet rem

Soſipater.

Alternum ſeritote diem concorditer ambo

Macrobius Lib. VI. C. I.

Accipe, daque fidem, fiduſque ferei bene firmum
. . . . . . Tatienſes

Seneca Epiſt. CIX. Lib. XIX.

. . . . quem ſuper ingens
Porta tonat coilei . . . .

Tranſnavit citu' per teneras caleiginis auras

Apuleius de Deo Socratis.

Juno, Veſta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo

Feſtus in Sos.

Conſtitit inde locei propter ſos Dia Dearum

Unus erit, quem tu tolles in coirola coilei
Templa . . . .

Reſpondet Juno Saturnia ſancta Dearum

Cicero Tuſc. Quæ. Lib. I.

Romolus in coilo cum Dis genetalibus aivom
Degat . . . .

Iſidorus Lib. XV. Cap. I.

. . . Hujus nate auſpiciis illa incluta Roma.

Incerto loco.

P-es e
. . . . pe—*de re*
. . . . . . Ennius lib. 1. *A-*
nalium . . . .

FRAGMENTA LIB. I.

Lactant. Lib. I. Cap. XVI.

. . O Romole, Romole, dic o
Qualem te patriai cuſtodem Di genuerunt!
Tu produxiſtei nos endo luminis oras:
O Pater, o Genetor, o Sanguen Dis oriundum

Priſcianus in verbo Miſ.

Ingens coira mi' cum concordibus aiquiparare

Feſtus in Quadrata.

Ecquis exter erat, Romai regnare quadratai

Cicero de Divinatione Lib. II.

Quom tonuit laivom bene tempeſtate ſerena,
Contremuit templum magnum Jovis Altitonantis

Varro in Olli.

Olli reſpondet ſuavis ſonus Aigeriai

Idem in Ancilia.

Menſas conſtituit, idemque Anceilia preimus,

Feſtus in Tutulum.

Leibaque, Fictores, Argeos & Tutulatos

Me regat aiqua Fides; Regno, vobeiſque, Quireites,
Res fortunatim, feleiciter, ac bene vortat

Feſtus in Me.

Sei quid me ſuvit humanitus, ut teneatis

. . . quianam legiones caidimu' ferro ?

Quamde tuas omneis legiones ac populareis

. . . Haic inter ſe tota vei tutidantes

Priſcianus in Annuo.

Adnuvit ſeſe mecum decernere ferro

Propertius.

Et cecinit Curios fratres.

Feſtus in Occaſus.

Ut datus eſt occaſus; Horatius inclutu' ſaltu

Feſtus in verbo Ningulus.

Quei ferro minitaris, ut in te ningulu' modo
Ire queat. . . . .

. . . . Laitificum gau

Propertius.

Et Horatia peila

Feſtus in verbo Tolerare.

Ferro ſucceidam, quam, dicteis heis, tolerarem

Accedit, ſum quei dederat in luminis oras

Et ſimol ecfugit ſperes ita funditu' noſtras

. . . . Metieo Fufetieo

. . . . . Tractatu' per aiquora campei :

Priſcianus in Homo, Soſipater.

Volturus in ſilvis miſerum mandebat hemonem
Heu quam crudelei condebat membra ſepolcro

Priſcianus, & Servius.

At tuba terribilei ſonitu Taratantara dixit

Quomque caput caderet ſonitum tuba ſola peregit,
Et pereunte viro, rauco ſonus aire cucurrit:

Servius.

Oſcitat in campeis caput a cerveice revolſum,
Semianimeſque micant ocolei, lucemque requeirunt
Nequeiquam; reliquai carni nil eſt animai

At domus interior gemitu miſeroque tumultu

. . . . cairola prata

Feſtus in verbo Quæſentibus.

Oſtia moenita eſt; Idem loca navibu' polcreis
Munda facit, Nauteiſque mari quaiſentibu' veitam

Cicero de Nat. Deor. Lib. III.

Europam Libuamque rapax ubi deividit unda,

. . . Et Tiberis flumen vomit in mare ſalſum

FRAGMENTA LIB. III.

Hic denſeis Aquila penneis obnixa volabat
Vento, quem perhibet Grajum genus aera lingua

Feſtus in Sis.

Poſtquam lumina ſis ocolis bonus Ancu' releiquit;

Tarquinio dedit imperium ſimol & ſola regnei

Gellius Lib. I. Cap. XXII.

Inde ſibei memorat unum ſupereſſe laborem

Gellius, Lib. XVI. Cpa. X.

Proletariu' poblicitus ſcuteiſque feroque
Ornatur ferro; moeros, urbemque, forumque
Excubieis coirat . . . .

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Poſtquam defeſſei ſunt, ſtant & ſpargere ſeſe
Haſteis, anſateis concurrunt undique teleis

Priſcianus in Tondeo.

Deque totondit agros laitos atque oppida cepit

Feſtus in Sos.

Circum ſos quai ſunt magnai gentes opulentai

Servius in Virgilium, Donatus in Teren.

. . . . Poſtumque turannei
Tarquiniei corpus bona femina lavit & unxit

Feſtus in verbo Prodeinunt.

Prodeinunt famolei, tum candida lumina lucent

Olim de coilo laivom dedit inclutu' ſignum

Macrobius Sat. Lib. I. Cap. IV.

Hac noctu feilo pendebit Etruria tota

. . . . Inſomnia . . .

Haut temere' ſt, quod tu triſtei cum mente gubernas

Deducant habileis radios ſeilo gracilento

. . . . . Interea fax

Occidit . . . .

Coilum proſpexit ſtelleis ſolgentibus aptum

Deiriu' ſupplicium ſceleris violentia poſcit

FRAGMENTA LIB. IV.

. . . . . Reges odiſſe ſuperbos

Cicero de Oratore Lib. III.

At Romanus homo, tamen etſi res bene geſta 'ſt,
Corde ſuo trepidat, delicto Coclite . . .

Obſidionis famem exprimens, offam eripuiſſe plorantibus liberis patres commemorat.

Cicero de Officiis Lib. I.

Vos etenim Jovenes animos geritis moliebreis
Illa Virago Virei . . . . .

Priſcianus in Pario.

Ova parire ſolet genu' penneis condecoratum

. . . . Bellum
Aiqueis de manibus nox intempeſta diremit

Nobeis unde ſorent fructus veitaique propagmen

Macrobius Sat Lib. VI. Cap. I.

Romanei ſcaleis ſumma neituntur opum vei

. . . . Volſcus perdidit Anxur

Propertius.

Anſeris & tutum voce fuiſſe Jovem

Varro in Canes.

Tanteidem, quaſi ſoita canes, ſine dentibu' latrat

FRAGMENTA LIB. V.

D. Auguſtinus ex Cicerone de Republica Lib. V.

MOribus anteiqueis Res ſtat Romana vireiſque

Ceives Romanei tunc factei ſunt Campanei

Romanei muteis Albam cinxerunt Longam

. . . Divei hoc audeite parumper,

Ut pro Romano popolo prognariter armeis
Certando, prudens animam de corpore mitto:

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. III.

Se tum; ſicut equus, qui de praiſepibus actus
Vincla ſueis magneis animeis abrumpit, & endo
Fert ſeſe campeis, per cairola laitaque prata,
Celſo pectore, ſaipe jubam quaſſat ſimol altam,
Speiritus ex anima calida ſpumas agit albas;

Feſtus in Occaſus.

Injicit inreitatu', tenet occaſu', juvat res

Diſperge hoſteis, diſtrahe, deiduc, deivide, differ

Priſcianus in verbo Misereo.

Cogebant hoſtes lacrumantes, ut misererent

. . . . . Ducuntur ſorte ligatei
Minturnenſes . . . .

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. IV.

Quod per amoinam urbem lenei fluit agmine flumen

Nonius in Anſatas.

Anſatas mittunt e turribus . . . .

FRAGMENTA LIB. VI.

Feſtus in Muſſo.

. . . intus in occolto muſſa . . .

Q. Ennius T. Caecilium Dentrem, fratremque ejus precipue miratus, propter eos ſextum Annalem adjecit.

Feſtus in Navus.

Navo' repertus homo, Grajo patre, Grajus homo, rex

Nonius in Stirpe.

Aimoni', Purrus, uti memorant, a ſtirpe ſupremo

. . . . . ſtolidum genus Aiacidarum
Bellipotentes ſunt magi', quam ſapientipotentes

Servius.

Ecfundit voces proprio cum pectore ſancto:

Cicero de Divin. Lib. I.

AIO TE AIACIDA ROMANOS VINCERE POSSE

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Apta, dato ſigno, loca torreitis elefanteis

Explo-

Explorant Numidae; totam quatit ungula terram

Servius ad Æneidos Lib. IV.

It nigrum campeïs agmen . . . .

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Barreitu pecudum titubantes arma requeirunt

. . . . Telo
Transfeigit corpus, ſaxo cere comminuit brum

. . . . . . tetroſque elefantos
Ut primum tenebreis abjecteis inalbabat
Dies . . . . .

Conſidunt tecteis bipatentibus . . . .

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Vortitur interea coilum cum ingentibu' ſigneis;

Tum cum corde ſuo Deivom pater atque hominum rex

Cicero de Officiis Lib. I.

Nec mi aurum poſco, nec mi precium dederitis,
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes;
Ferro, non auro, veitam cernamus utreique,
Voſne velit an me regnare Hera, quidve ferat Fors,
Virtute experiamur: & hoc ſimol accipe dictum:
Quorum virtutei bellei fortuna pepercit,
Horumdem me Leibertatei parcere certum 'ſt.
Dono ducite, doque volentibu' cum magneis Dis.

Cicero de Senectute.

Quo vobeis mentes, rectai quai ſtare ſolebant
Antehac, dementes ſeſe flexere viai

Sed quid ego heic animo lamentor

Varro in Orator.

Orator ſine pace redit, regeique refert rem

Varro in Foſſare.

. . . . Decretum eſt foſſari corpora teleis

Dum quidem unus homo Roma tota ſupereſcit.

Diomedes in Potis.

Quei potis ingenteis oras evolvere bellei

. . . . Anionem

Gellius Lib. VI. Cap. VI.

Brundiſium polcro praicinctum praipete portu

Priſcianus in verbo Naris.

Solſureas poſuit ſpeiramina Naris ad undas

Lumen . . . . ſcitus agaſo.

Feſtus in Muſſo.

Intus in occulto muſſabant . . . .

FRAGMENTA LIB. VII.

Priſcianus in Oriundus.

. . . Poinos Didone oriundus

Feſtus in Puellus.

Poinei ſunt ſoliti ſos ſacrificare puellos
Diveis . . . . . .

. . . . Poinei ſtipendia pendunt

. . . . . tunicata Joventus

Jupiter inducitur, promittens Romanis excidium Karthaginis.

Soſipater in verbo Aureſcunt.

Rureſcunt frundes . . . . .

. . . . . . longeique cupreſſei
Stant rectei folieis, & amaro corpore buxum

Nonius & Gellius in Cupreſſus.

Capitibus nutanteis pinus, rectoſque cupreſſos

Macrobius Sat. Lib VI. Cap. I.

Incidunt, arbuſta præalta ſecuribu' caidunt;
Percellunt magnas quercus, exceiditur Ilex,
Fraxinu' frangitur; atque abies conſternitur alta;
Pinus proceras pervortunt; omne ſonabat
Arbuſtum fremitu ſilvai frondoſai

Iſidorus Lib. XIX. Cap. II.

Ut clavom rectum teneant, navimque gubernent

. . . . . tonſam arte tenentes
Parerent; obſervarent, Portiſculu' ſignum
Quod dare coipiſſet

Nonius in Tonſa.

Poſte recumbite, voſtraque pectora pellite tonſeis

Nonius ibidem.

Pone petunt, exin referunt ad pectora tonſas

Feſtus in Termo.

Hortatore bono priu' quam jam feinibu' termo' ſit

Vxi.

Varro L. L. Lib. VI.

Conferta polere rate, inairataque pereite,
Per liquidum mare eunt, ſudantes atque ſedentes:

Labitur uncta careina per aiquora cana celonis

Iſidorus Lib. XIX. Cap. II.

. . . . Apluſtra
Molta foro ponens, ageaque longa repletur

Feſtus in Termonem.

. . . una trabes remeis roſtrata per altum
Ingentei vadit curſu, qua redditu' termo' ſt;

Priſcianus in verbo Mulgeo.

Molſerat huc navim compolſam fluctibu' pontus:

Feſtus in Reſtat.

Impetus haut longe medieis regionibu' reſtat

Feſtus in Nare.

Alter nare cupit, alter pugnare paratu' ſt

Feſtus in Sos.

Dum ceſſent terrere mineis, hortantur eei ſos:

Macrobius Sat. Lib VI. Cap. I.

Non ſemper voſtra evortit, nunc Jupiter hac ſtat;

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Fortibus eſt Fortuna Vireis data . . .

Feſtus in Metonymia;

Africa terribilei tremit horrida terra tumoltu
Undique, multimodis conſumitur anxia coireis:
Omnibus endo loceis ingens apparet imago
Triſtitias, ocoleſque manuſque ad ſudera laſſas
Protendunt, exſecrando duci facta reprendunt
Poinei, pervortentes omnia, circumcurſant

. . . Percolſei pectora Poinei
Tonſilleis rapide conſeigunt litus adunceis:

Servius in Lib. VI. Æneidos.

Navibus explebant ſeſe terraſque replebant

. . . . Evax' ſt

Aſpis ab Attilio . . . .

. . . . . . raribuſque fremebat
Imber Neptunei . . . .

Servius ad Æneidos Lib. I.

. . . . . furentibu' venteis

Macrob. Sat. Lib. VI. Cap. IX.

Denique vei magna quadrupes eques atque elefantei
Projiciunt ſeſe . . . .

. quianam dicteis noſtreis ſententia flexa' ſt

Feſtus in obſtipum.

Amplius exangere obſteipo lumine ſolis

, . . moltiplicant Romanei funera late,

Qua Pollus furtim noctu ſumma arcis adortus
Moinia, concubia, vigileſque repente cruentant

Gellius Lib. XII. Cap. IV.

Hocce loquutu' vocat, queicum bene ſaipe libenter
Menſam, ſermoneſque ſuos, rerumque ſuarum
Comiter impertit; magna quom laſſu' dieei
Parti fuviſſet, de ſummeis rebu' gerundeis
Conſilio, endo foro lato, ſanctoque Senatu.
Quoi res audacter magnas parvaſque jocumque
Eloqueretur: tincta maleis, & quai bona dictu
Evomeret, ſei qua vellet tutoque locaret:
Queicum molta volutat gaudia clamque palamque;
Ingenio quoi nolla malum ſententia ſuadet,
Ut faceret facinus levis aut malus; doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', ſuo contentu', beatus,
Sceitu', ſecunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens, anteiqua, ſepolta, vetuſta;
Quai faciunt mores vetereſque novoſque tenentem;
Moltarum veterum legum, Divomque hominumque
Prudentem, quei molta loqueive tacereve poſſet.
Hunc inter pugnas compellat Servilius ſic

Servius ad Æneidos Lib. VII.

. . . . . . Poſtquam Diſcordia tetra
Bellei ferratos poſteis portaſque refregit

Feſtus in Sibyna.

Illuriei reſtant ſeiceis ſibuneiſque ſodantes

. . . . Legio reditus rumore rueinas
Mox auferre domos popoli rumore ſecundo.

Nonius in verbo Quadrupedes.

At non quadrupedes equites . . . .

Priſcianus in verbo Vias.

. . . Dux ipſe vias . . .

Ne-

Nonius in Gracilentus.

Deducunt habileis gladios filo gracilento.

FRAGMENTA LIB. VIII.

OPtuma Coilicolum Saturnia magna Dearum

Marſa manus, Peligna cohors, feſteina virum vis

Debil homo . . . . .

Cicero de Senectute.

Unus homo nobeis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem;
Ergo magiſque magiſque virei nunc gloria claret

Gellius Lib. XX. Cap. IX.

Pellitur e medio Sapientia; Vei geritur Res;
Spernitur Orator bonus; horridu' Miles amatur;
Haut docteis dicteis certantes, ſed maledicteis;
Miſcent inter ſeſe inimeicitas agitantes;
Non ex joure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vei

Nonius in verbo Præcox.

. . . Praicox pugna' eſt. . .

Diomedes in Abnuo.

Certare abnueo, metuo legionibu' labem

Hoſtem quei feriet mihi erit Kartaginienſis,
Quiſquis erit, cujatis erit . . . .

Conſequitur, ſummam ſonitu quatit ungula terram:

Nonius in verbo Pulvis. & Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Jamque fere polvis ad coilum vaſta videtur;
Folva volat . . . . . .

. . . . . ſtant polvere campei:

Haſtatei ſpargunt haſtas, fit ferreus imber;

Denſantur campeis horrentia tela virorum;

Horret ager, campeique armeis ſubleimibus ardent

Feſtus in Suppernati.

Heis pernas ſuccidit ineiqua ſuperbia Poini

. . . . . . crateribus ollei
Ex aurateis hauſerunt . . . .

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Nunc hoſtes veino domitei, ſomnoque ſepoltei

Feſtus in Occaſus.

Aut occaſus ubei tempuſve audere repreſſit

Brutates . . . . bilingues

Quintu' pater quartum fit Conſol

Feſtus in Metonymia.

Cum magno ſtrepitu Volcanum ventu' vegebat

Feſtus in Ob.

Ob Romam noctu legiones ducere coipit

Feſtus in Oſcos.

. . . de moeris res gerit Opſcus

Feſtus in Meddix.

Summus ibi capitur Meddix, occiditur alter

Varro L.L. Lib. VI.

Clamor ad cælum volvendu' per æthera vagit.

Nonius in Famul.

. . . mortalem ſummum Fortuna repente
Reddidit, ut ſummo regno famul infumus eſſit

. . . molta dies in bello conficit unus,
Et rurſus moltai fortunai forte recumbunt:
Haudquaquam quemquam ſemper fortuna ſecuta'ſt

Nonius in verbo Politiones.

Raſtros dente faber raſit cauſa poliundei
Agrei . . . .

FRAGMENTA LIB. IX.

LIvius inde redit magno mactatu' triumpo

Cicero in Bruto.

Additur Orator Corneliu' ſuaviloquenti
Ore Cetegus Marcu' Tuditano conlega,
Marci filius: is dictus popularibus olleis,
Quei tum veivebant homines, atque oivom agitabant,
Flos delibatus popolei, Suadaique medolla

Priſcianus in verbo Frux.

Sed quid ego haic memoro? dictum factumque facit frux

No.

Nonius in Lucto.

. . . virei valideis cum viribu' luctant

Nonius in verbo Perpetuitas.

. . . Libertatemque ut perpetuaſſint
Maxume . . . .

Feſtus in Vel.

Vel tu Dictator, vel Equorum Equitumque Magiſter
Eſto, vel Conſol . . . . .

Priſcianus in verbo Turgeo.

Cuclopis venter velut olim turſerat, alti
Carnibus humaneis . . . . . .

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. IV.

. . . . Luchnorum lumina bis ſex

FRAGMENTA LIB. X.

INſece Muſa, manu Romanorum endoperator
Quod quiſque in bello geſſit cum rege Pilippo

. . . . . . affatur Flamininum,
Ille vir, haut magna cum re, ſed plenu' fideei,

Cicero de Oratore Lib. I.

Egregie cordatus homo, Catus Ailiu' Sextus:

Cicero in Catone majore.

O Tite, ſei quid ego adjuro, coiramve levaſſo,
Quai nunc te coquit, & vorſat ſub pectore fixa;
Et qua deprimeris fruſtra nocteiſque dieſque.
Ecquid erit praimi . . . . .

Tunc coipit memorare ſimol cata dicta

Sollicitarei te Tite ſic nocteiſque dieſque

Varro in Latrare.

. . . . animuſque in pectore latrat:

Feſtus in Nictare.

Sic ut, ſi quando vinclo venatica aeno
Apta, ſolet Cane', forte feram ſei nare ſagace
Senſit, voce ſua nictatque ululatque ibi acute

Nonius in verbo Paſſus.

Aigro corde comas paſſeis palmeis lacerantes,

Diomedes in Pinſere.

Pinſeibant teram genibus

Priſcianus ad Litteram M.

Inſignita fere tum millia militum octo
Duxit, dilectos bellum tolerare potenteis

. . . . ſpactabat virtutem Legionis;
Suſpectans, ſei muſſaret, quai denique cauſa
Pugnandi fieret, aut durei pauſa laboris

Priſcianus in Campſo.

Leucadem campſant . . . . .

Reguei . vorſatum ſummam vero columnam

. . . curſus quingentos ſaipe verutei

. . . . . horitor Endoperator

Haic nox proceſſit ſtelleis ardentibus apta

FRAGMENTA LIB. XI.

Priſcianus in Reſonunt.

TUm clupeei reſonunt, & ferrei ſtridit acumen;

Priſcianus in verbo Stridere.

Miſſaque per pectus, dum tranſit, ſtriderat haſta

Feſtus in Quippe.

Quippe ſolent reges omnes in rebu' ſecundeis

Feſtus in Sos.

Contendunt Graicos, Graios memorare ſolent ſos;
Quod Graica lingua longos per tempori' tractus
Hos parvei . . . . .

Nonius in Lacte.

. . . . & ſei
Moulier erubuit ceu lacte & purpura miſta.

Nonius in verbo Peniculamenta.

Pendent peniculamenta unum ad quemque pedum.

Nonius in verbo Malo.

. . . . . . malo cruce fatum
Ut des Jupiter . . . . . .

Priſcianus in morimur.

Nunc eſt ille dies, quom gloria maxuma ſeſe
Nobeis oſtendat, ſei veivimu' ſive morimur

Feſtus in Petra.

Rima . . . . utrique

Alte elata ſpecus, petreiſque ingentibu' tecta

FRAGMENTA LIB. XII.

Priſcianus in Acer.

OMneis mortaleis victores cordibu' viveis
Laitanteis, vino coiratos ſomnu' repente
In campo paſſim molliſſimu' perculit acris

Quainde . . . .

FRAGMENTA LIB. XIII.

Nonius & Gellius in verbo Cor.

ANnibal audacei dum pectore me dehortatur,
Ne bellum faciam, quem credidit eſſe meum cor
Suaſorem ſummum, & ſtudioſum robore bellei

Pontibus inſtrateis conjunxit littora Xerxes,

Varro L. L. Lib. VI.

Iſque Helleſponto pontem contendit in alto

Priſcianus in Sonunt.

Littora laita ſonunt . . . .

Matronai melos complent ſpectare faventes

Gellius Lib. XVIII. Cap. II.

. . . Satin' vates verant aitate in agunda

FRAGMENTA LIB. XIV.

QUom procol adſpiciunt hoſteis accedere venteis
Navibu' velivoleis

Feſtus in Ob.

Omnes occeiſei obcenſeique in nocte ſerena

Gellius Lib. II. Cap. XXVI.

Verrunt extemplo placide mare marmore flavo,
Cairoleum ſpumat ſale conferta rate polſum:

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Labitur uncta carina, volat ſuper impetus undas

Cicero in Oratore.

Ut patefecerunt Fruges . . . .

O patria, o Divom domus Ilium, & incluta belle
Pergama . . . . .

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Quai neque Dardanieis campeis potuere perire,
Nec, quom capta, capei, nec, quom combuſta, cremarei

Horreſcit teleis exercitus aſper utrimque

Priſcianus.

Inſit: O cives, quai me fortuna ferox ſic
Contudit? indigno bello confecit acervo

Romphaia . . . . . .

FRAGMENTA LIB. XV.

Nonius in Falæ.

MAlos diffindunt, fiunt tabolata falaique

. . . . ſuccinctei corda machaireis,

Iſtri duo in obſidione erumpunt portam, & ſtragem de obſidente hoſte faciunt.

Priſcianus Lib. VI.

Occumbunt moltei letum ferroque lapique,
Aut intra moeros, aut extra praicipe caſu

Folviu' Nobilior ſtravit certamine crebro
Aitolos . . . . . , .

Propertius.

Regiaque Aimilia vecta trophæa rate

. . . . . Cretenſes . . .

Priſcianus in verbo Arcus.

Arcus ubi adſpiciunt mortalibu' quai perhibentur

FRAGMENTA LIB. XVI.

Feſtus in Quippe.

QUippe vetuſta virum non eſt ſati' bella monere

Feſtus in Sapſa.

Quo res ſapſa loco ſeſe oſtentatque jubetque

Feſtus in Regimen.

. . . . ſe
Primus nec bradus in regimen belleique pereitus

Ingenio fortei dextrum latu' pertudit haſta,

Concidit, & ſonitum ſimol inſuper arma dederunt:

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

. . tamen endovolans ſummum abſtulit haſta
Inſigne . . . .

Vim tua noluntas facit imperioſa, vetando,
Quem Conſol meruit, quom res bene geſta, triumpum

Feſtus in Obſtipum.

Montibus obſtipeis obſtantibus, unde oritur nox

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Reges per regnum ſtatuaſque ſepolcraque quairunt,
Aidificant nomen, ſumma nituntur opum vei

Priſcianus in Neco.

Hos peſtis necuit, pars occidit illa duelli

Feſtus in Spicit.

Quos ubi Rex paullo ſpexit de collibu' celſeis

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Tum timido manat ex toto corpore ſudor

Macrobius Lib. VI. Cap. IV.

. . . . Interea fax
Occidit, Oceanumque rubra tractim obruit aithra:

Nox quando medieis ſigneis praicincta volabat

Feſtus in Speres.

Spero, ſei ſperes quidquam prodeſſe potes ſint

Feſtus in Prodere.

Non in ſperando cupidei rem prodere ſummam

Inſidiantes heic vigilant, partim requieſcunt,
Contectei gladieis ſub ſcuteis, ore faventes

Feſtus in Vagorem.

Qui clamos oppugnantis vagore volanti

Feſtus in Navus.

Navorum imperium ſervare eſt Endoperantum

Priſcianus in Acer.

Aiſtatem Autumnus ſequitur, poſt acer Hiems

Priſcianus in Contudit.

. . . . . . viroſque valenteis
Contudit crudelis Hiems . . . .

Gellius Lib. IX. Cap. XIV.

Proſtremai longinqua dies quom fecerit aitas

. . . . . . Hebem . .

FRAGMENTA LIB. XVII.

. . . . . . Grumarei . .

Priſcianus & Nonius in verbo Specus.

Concava ſub monteis late ſpecus intu' patebat

Nonius in Pigre.

. . . potes apte pigre ſufferre laborem

Feſtus in Muſſo.

Non poſſunt muſſare bonei, qui facta labore
Nixei militiai peperere . . . . .

Priſcianus in Frux.

Sei lucei, ſei nox, ſei mox, ſei quom data ſit frux

Macrobius Sat. Lib. IV. Cap. I.

It eques, & ploſu cava concutit ungula terram:

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Tollitur in coilum clamos exortus utrimque;

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. II.

Concurrunt, velutei ventei, quom ſpiritus Auſtrei
Imbricitor, Aquiloque ſuo cum flamine contra
Endo mari magno fluctus extollere certant:

Macrobius ibidem.

Undique conveniunt, velut imber, tela Tribuno
Confeigunt parmam, tinnit haſtilibus umbo
Airato ſonitu galeai, ſed nec pote quiſquam
Undique nitendo corpus diſcerpere ferro:
Semper abundanteis haſtas frangitque quatitque:
Totum ſudor habet corpus, moltumque laborat;
Nec reſpirandei fit copia, praipete ferro
Iſtrei tela manu' jacientes ſollicitabant,

Ma-

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

. . . . . magna oſſa lacerteique
Apparent hominei . . . .

Nonius in Longiſcere.

. . . . . neque corpora firma
Longiſcunt quidquam . . . . .

FRAGMENTA LIB. XVIII.

Quum ſeptimum & ſexageſimum annum ageret, duodevigeſimum Annalem ſcripſit, idque poeta in eo libro dicit

Cicero de Senectute.

SIc ut fortis equus, ſpatio qui ſaipe ſupremo
Vicit Olumpia, nunc ſenio confectu' quieſcit

D. Auguſtinus de Trinitate Lib. III.

Omnes mortales ſeſe laudarier optant,

Priſcianus in Adſectari.

Adſectarei omnes cupiunt . . . . .

Cicero de Oratore Lib. III.

Nos ſumu' Romanei, quei fuvimus ante Rodaiei

Feſtus in Tongere.

. . . . . aliei Retorica tongent

. . . . . ſanctoſque poetas

Gellius Lib. II. Cap. XXVI.

. . . aire . . . ſolva

EX INCERTIS LIBRIS ANNALIUM FRAGMENTA.

Priſcianus in Jubar.

INterea fugit albu' jubar Huperioni' curſum

Gellius Lib. X. Cap. ult.

Atque atque accedit moeros Romana joventus

Soſipater.

Hiſpane non Romane memoreti' loqui me

Sic uti ſi qui' ferat vas vini dimidiatum

. . . . terrai frugiferai
Pars ludicre jactant ſaxa inter ſe licitantur

Nonius in Metus.

Nei metus ulla tenet, rite in virtute quieſcunt

Varro L. L. Lib. VI.

. . . . . pauſam fecere fremendi

Soſipater in Sagas.

. . ſagas . coiroleas . therva . . .
. . . purpureeis gemmavit pampinus uveis

. . . coinacula maxuma coilei

Feſtus in Surum.

Suru' ſurum ferret tamen . unus defendere poſſet

Omnes corde patrem praibent animoque benigno
Circumfuſum . . . .

Servius.

Indignas turreis . . . .

. . . . . Divom domus altiſonum coil

. . . . . . proterviter . . .

Contra carinantes verba atque obſcoina loquutus

Nec dico . nec facio . . . . .

. . . . . rigido . . .

. . . . . ad illa reddita nuptam

Cicero in Oratore.

In templeis iſdem . . . . . .

Feſtus in Trifax.

Aut permaceret paries percuſſu' trifacei

Diomedes Lib. I.

. . . . nec retrahei . . poteſtur

Imperieis . . . .

Varo L. L. Lib. VI.

. . . . . . frunde frutimei
Suaviter . . . .

Iracunditer . . . . . .

Inde Parum . . . . ulabant

Feſtus in Topper.

. . . . topper quam nemo melius ſcit
Florens . . . .

Servius.

Ollei cernebant magneis de rebus agentes
. . . . ſuperbiter . .
Cum legionibu' quom proficiſcitur Endoperator
Ambactus . . . .

Soſipater in Partum.

Jamque fere quatuor partum . . .
. . . . ſoſpite liber
Inde locei lituus ſonitus ecfundit acutos
. . . . bipatentibus . .

Feſtus in Naucum.

Illi eſt nugator nihilei non naucei homo . .

Servius ad Lib. XI. Æneidos.

. . . quem non virtutis egentem
Surremſit . . . . . .

Feſtus in Cyprio.

Propter ſtagna, ubi lanigerum genu' piſcibu' paſcit
Armentas . . . .
. . . . redinunt
. . . . . praiclariter . . .

Varro L. L. Lib. VI.

. . . . . clamore bovantes

Idem L. L. Lib. V.

Dico quei hunc dicare cupit . . . .
Inluſtris ſublime iter . . . quadrupedantes,
Flammam halitantes . . . . .
Torrus . . . .
. . . . Clodiu' Tuſcus
. . . . . . ſeptemtrio . .

Nonius in Obſidium.

Quom ſaivo obſidio magnum Titana premebat
Crebriſuro : . . . .
Incedit veles volgo ſicilicibu' lateis
. . . . ſtipes . . . .
Quei vicit non eſt victor, niſi victu' fatetur
Optuma cum pulcreis animeis Romana joventus

Varro L. L. Lib. VI.

Jam cata ſigna fere ſonitum dare voce parabant
. . . . Inimiciter . . .

Varro L. L. Lib. VI.

. . decem coclites ques montibu' ſummeis
Ripeeis fodere . . . . . .

Servius ad Æneidos Lib. IX.

. . . . . . vortunt crateras aenos

Cicero de Nat. Deor. Lib. IX.

Simia quam ſimilis turpiſſuma beſtia nobeis
Conſiluere . . . .

Nonius in Longiſcere.

Quom ſola eſt eadem faciunt longiſcere longe
Inde patefecit radieis rota candida coilum
. . . . . endo ſuam do

Cicero de Nat. Deor. Lib. I.

. . . patrem Divomque hominumque
. . . . quai ſcis
In volgum volgas, artemque expromis inertem
Salſum humorem . . . . .

Cicero de Oratore.

Idem campus habet textrinum navibu' longeis.
. . . . . bona . . .
. . . . . . popolea frus
Quom ſomno ſeſe exſiccat Romana joventus
. . . . pilam vix
Sol mediam complere cohum terroribu' coili
. . . . . Ignaviter. . .
. . . . metari

. . . . quo tam temere iti' citate

Catomeraris . . . . .

Cicero in Lucullo.

O pietas animei . . . . .

. . . . . ſolui . . .

Servius ad Æneidos Lib. XII.

. . . funduntque elateis naribu' lucem

, quom illud, quo jam ſemel eſt imbuta veneno

. . . . . teloque trabalim

Feſtus in Muſſo.

Non . decet muſſare bonos . . . .

Nonius in Sagus.

. . . tergum igitur ſagu' pinguis opertat

. . . . . . noſtrei ceſſere parumper

Vorſat mucronem . . . . .

Proſperiter . . . . . .

Sed ſola terrarum poſtquam permenſa parumper

Succinctei gladieis media regione cracentes

Feſtinumque diem feſtinant . . .

. . quod minumum eſt, neque (ut aiunt) mu facere audet

Vocibu' concide . . fac ſiet obrutus . . .

Conſiptum . . . .

Irarumque ecfunde quadrigas

Nonius in Falarica.

Quai valido venit contorta falarica miſſu

Puriter . . . . . .

. . . mille rotam volvere per annos

Feſtus in Sultis.

Pandite ſolti' genas & corde relinquite ſomnum

. . . . . leveſque ſecuntur in haſteis

. . . . ſpiras legionibu' nexunt

Ferro foidatei . . jacent . . . .

. . . . . runata recedit

Imprimitque genai genam

. . . remorbeſcat . . . .

Quis te perſuaſit . . . . .

Contemſit fonteis, quibus exerugit aquai vis

Soſipater in Celeriſſimus.

. . . equitum celeriſſimus . .

. . . . . . repoſtus

Forteis Romanei quamquam Coilu' profundus

. . . . vita illa dignu' locoque

. . viden' . . . . . .

. . . . Oratores

Doctiloquei . . . . . .

Nonius in Scirpus.

Quairunt in ſcirpo (ſolitei quod dicere) nodum

. . . . eia machairas

Servius ad Georgic. Lib. III.

Perque fabam repunt & mollia crura reponunt

Iſta macella . . . . . .

. . . . fluctuſque natanteis

Porgite . . . . . .

. . . . forum, Putealque Libonis
Mandabo ſiccis; adimam cantare ſeveris.

Ad genua ſe proſternunt ſtatim lacrumanteis.

O domus Ancei, heu quam diſpari domino dominaris.

. . . Caput caderet, tuba ſola peregit,
Et præeunte viro raucus ſonus ære cucurrit.

Buteo, Sanqualis, Immuſculus, Aqquila, Vultur.

Gnateis parce tueis . . . . .

O Genitor noſter Saturne maxime divum.

. . . . . popoloi Romanoi . .

. . . Pes premitur pede, & arma teruntur

Armeis . . . .

Inſidit currum Dictator ubi, oppidum aduſque
Pervehitur . . . . .

. . . . Juno placata favere
Coipit Romaneis . . . . . .

Libe-

. . . . Libereis plorantibus offam
Eripuere Patres . . . .

Maſſilei portant jovenes ad litera tanas

Unde habeas quairit uemo, ſed oportet habere

Exſpoliantur eos, & corpora nuda relinquunt

PHAGETICORUM FRAGMENTA

Apuleius Apologia.

OMnibus at Clupea præſtat, Muſtela marina;
Mures ſunt Æni, aſt aſpra Oſtrea plurima Abydi:
Eſt Mitylenæ Pecten, Aperque apud Ambraciæ amnem:
Brundiſii Sargus bonus eſt: hunc, magnus erit ſi,
Sume. Apriclum piſcem ſcito primum eſſe Tarentei.
Surrentei fac emas Glaucum, & Cumas apud: at quid
Scarum præterii cerebrum Jovi' pene ſupremei?
(Neſtoris ad patriam heic capitur, magnuſque bonuſque)
Melanurum, Turdum, Merulamque, Umbramque mari-
Polypu' Corcyræ, Calvaria pinguia Atarnæ, (nam?
Purpura, Muriculei, Mures, dulces quoque Echinei.

EPIGRAMMATUM RELIQUIÆ.

Q. Ennii Epitaphium ab ipſomet conditum.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

ADſpicite, o Ceiveis, ſenis Ennii imagini' formam,
Heic voſtrum panxit maxuma facta patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, nec funera fletu
Facſit. quur? volito vivo' per ora virum.

P. Scipionis Africani Tumulus.

Cicero Lib. II. de Legibus, Seneca Lib XIX. Epiſt. CIX.

HEic eſt ille ſitus, quoi nemo ceivei', neque hoſtis
Quibit pro facteis reddere operæ pretium.

De eodem.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. V. & Lactant. Lib. I. Cap. XVIII.

A Sole exoriente ſupra Mæoti' paludes
Nem' eſt, quei facteis me æquiparare queat.
Si fas cædendo cæleſtia ſcandere quoiquam eſt:
Mi ſolei cælei maxuma porta patet.

XII. ſelectorum Deorum nomina.

Apuleius de Deo Socratis.

JUno, Veſta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.

EX SCIPIONE.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. II.

MUndus cæli vaſtus conſtitit ſilentio,
Et Neptunus ſævus undeis aſpereis pauſam dedit.
Sol equeis iter repreſſit unguleis volantibus,
Conſtitere amneis perenneis, arbores vento vacant.

Gellius Lib. IV. Cap. VII.

Quei propter Annibalis copias conſiderant.

Cic. de Orat.

* Scipio invicte . . . . .

Cicero de Finibus Lib. II.

* Deſine Roma tuos hoſteis ---
* Namque tibei monumenta mei peperere labores;
* Teſteis ſunt campei magnei ---

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. IV.

Sparſeis haſteis longeis campus ſplendet, & horret.

Trebel. Pol. in Claudio.

* Quantam ſtatuam faciet populus Romanus,
* Quantam columnam, quæ res tuas geſtas loquatur.

EX EPICHARMO.

Cicero in Lucullo.

NAm videbar ſomniare ego me' d eſſe mortuum

* Aqua, terra, anima, Sol, -

Priſcianus in verbo Mentis.

Terra corpus eſt: at mentis ignis eſt.

Varro de Ling. Lat. Lib. IV.

Iſteic de Sole ſumptus ignis.

Iſque actus mentis eſt ---

Varro L. L. Lib. IV.

* Eſſe igitur corpus terram, quæ deperit ipſam,
Et capit, & neque jam diſpendei conficit hilum.

* Iſtæc terreis genteis omneis peperit, & reſumit denuo.
Iſtæc dat cibaria; iſtæc omnibus fruges gerit.

* Frigori immiſcet calorem, atque humori aritudinem.

* Omne corpus, ubei nimius ardor, aut humor viget

Varro L. L. Lib. IV.

Iſteic is eſt Juppiter, quem dico, Græcei vocant
Aera, quique ventus eſt, & nubes, imber poſtea,
At-

Atque ex imbre frigus: ventus poſt fit, aer denuo:
Iſtæc propter Juppiter ſunt iſta, quæ dico tibei,
Qui mortaleis, urbeis, atque belluas omneis juvat.
Quod heic omneis, & ſub hoc ---

Ova parire ſolet genu' penneis condecoratum
Non animas ---

Inde venit divinitu' pulleis inſinuans ſe
Ipſa anima ---

Varro de Ling. Lat. Lib. IV.

Proſerpina.

EX ASOTO, vel SOTADICO.

Varro de Ling. Lat. Lib. IV.

IBant malacam viere Veneriam corollam.

Nonius in Tonſam.

Aliuſque in marei volt magno tenere tonſam

* Alii rhetoricam tongent ---
--- Cyprio bovi merendam.
Prope ſtagna, genus ubei lanigerum piſcibus paſcit.

* Tibicina maxumo clamore mugit.
* Subulo finitimas propter aſtabat aquas.

EX SATYRARUM LIBRO I.

Nonius in Convivat.

MAlo hercle ſuo magno convivat ſine modo.

Nonius in Celere.

Dum quicquid das celere ---

EX SATYRARUM LIBRO II.

Servius ad Virg. Æneid. XII. V. CXXII.

INde locei liquidas, pilataſque ætheris oras
Contemplo ---

Reſtitant, occurrunt, obſtant, obſtringillant, obganniunt.

EX SATYRARUM LIBRO III.

Nonius in Propino.

ENni poeta ſalve, qui mortalibus
Verſus propinas flammeos medullitus.

Nonius in Criminat.

Nam is non bene volt tibei, qui falſo criminat
Apud te ---

Nonius in Politiones.

--- teſteis ſunt
Latei campei, quos gerit Africa terra politos.

EX SATYRARUM LIBRO IV.

NEque triſte quæritat ſinapi, neque cepe mœſtum.

EX SATYRARUM LIBRO VI.

Donatus ad Terent. Phorm. Act. II. Sc. II.

QUippe ſine cura lætus lautus quom advenis
Inſerteis maleis, & expedito brachio,
Alacer, celſus, lupino impetu exſpectans.
Mox dum alterius obligurrias bona,
Quid cenſes domineis eſſe animi? Pro divom fidem,
Ille triſtis cibum dum ſervat, tu ridens voras.

EX INCERTIS LIBRIS SATYRARUM.

NAm quei lepide poſtulat alterum fruſtrari,
Quem fruſtratur: fruſtra eum dicit, fruſtra eſſe.
Nam ſeſe fruſtrari, quem fruſtra ſentit,
Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, ſi non ille eſt fruſtra.

Gellius Lib. II. Cap. XXIX.

Hercle puto, hoc erit tibei argumentum ſemper in promptu ſitum,
Ne quid exſpectes amicos, quod tu agere poſſis.

Nonius in verbo Memordi.

Meum non eſt, at ſi me canis memorderit.

EX PROTREPTICIS.

Pannibus.

EX PRÆCEPTIS.

Priſcianus in verbo Lolium.

UBei vidit avenam, lolium creſcere
Inter triticum, ſelegit, ſecernit, aufert ſedulo,
Rei operam addit, quam tanto ſtudio ſeruit.

EX INCERTO LIBRO.

EO ego ingenio natus ſum, amicitiam
Atque inimicitiam in fronte promptam gero.

RELIQUIÆ EX TRAGŒDIIS.

Medeæ,	*Eumenidum,*	*Menalippes,*
Iphigeniæ,	*Duloreſtis,*	*Alcmæonis,*
Achillis,	*Erechthei,*	*Creſſarum,*
Ajacis,	*Creſphontis,*	*Alceſtidis,*
Telamonis,	*Athamantis,*	*Nemeæ,*
Hectoris luſtrorum,	*Andromedæ,*	*Ilionæ,* ſive *Polydori,*
Alexandri,	*Telephi,*	*de Antiopa.*
Andromaches,	*Thyeſtis,*	
Hecubæ,	*Phœnicis,*	

EX

EX COMŒDIIS.

Amphithraſonis, *Ambraciæ*, *Pancratiaſtæ*.

Item

Fragmenta alia ex incertis Tragædiis, *& Comœdiis*.

EX MEDEA.

Auctor Rhet. ad Heren. Lib. II.

Nut. Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.
Neve inde navis inchoandæ exordium
Cœpiſſet, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua vectei Argivei delectei virei
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio Regis Peliæ per dolum.
Nam numquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea, animo ægra, amore ſævo ſaucia.

Nonius in Elimino.

Pæ. Antiqua, herilis fida cuſtos corporis,
Quid ſic, extra ædeis exanimata eliminas?

Cicero Tuſc. Queſt. Lib. III.

Nut. Cupido cepit miſeram nunc me proſequi
Cælo, atque terræ Medeai miſerias.

Nonius.

Cho. Fluctus verborum aures aucupant.

Cho. Qua Pontus Helles ---
Med. Nam multei ſuam rem bene geſſere, & poplicam patria procul:
Multei, qui domei ætatem agerent, propterea ſunt improbati.

Med. Nam ter ſub armeis malim vitam cernere,
Quam ſemel modo parere ---

Cicero.

Cr. * Animadverte, & dicto pare ---
Præter rogitatum ne querare ---

Varro L. L. Lib. V.

Cr. * Si te ſecundo lumine hic offendero,
Moriere ---

Feſtus.

Med. Teneor conſipta, undique venor.

Cicero de Oratore Lib. III.

Med. Quo nunc me vortam, quo iter incipiam ingredi?
Domum paternam ne? anne ad Peliæ filias?

Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib. IV.

Iaſ. * Tu me amoris magis, quam honoris ſervaviſti gratia.

Cicero de Oratore.

Med. * Neque tuum umquam in gremium extollas liberorum ex te genus.

Nonius in Cette.

Med. --- ſalvete optuma corpora
Cette manus veſtras, meaſque accipite.

Probus in Ecl. VI. Virg.

Cho. Juppiter, tuque adeo ſumme Sol,
Quei res omneis inſpicis,
Queique tuo lumine
Mare, terram, ac cælum
Contines, inſpice hoc facinus,
Priuſquam fiat, prohibe ſcelus.

EX ALTERA MEDEA.

Cicero Lib. III. de Oratore.

--- quei ipſus ſibei
Sapiens prodeſſe nequit, nequidquam ſapit.

Nonius in Contempla.

Adſta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum
Contempla; & templum Cereris ad lævam adſpice.

Nonius in Extuliſſes.

Utinam ne umquam me de cordis cupido
Corde pedem extuliſſes ---

Diomedes in Quis.

Quis tu es mulier, quei me inſueto nuncupaſti nomine?

Nonius in Sublimat.

Sol, quei candentem cælo ſublimat facem.

EX IPHIGENIA.

Varro L. L. Lib. VI.

Aga. Quid nocti' videtur? Sen. In altiſono
Cæli clupeo temo ſuperat
Stellas, cogens ſublime etiam
Atque etiam noctis itiner.

Feſtus in Pedum.

Aga. Procede; gradum proferre pedum
Nitere. ceſſas?

Rufinianus de Figuris.

Menelaus me objurgat: id meis rebus regimen reſtat.

* Ego projector, quod tu peccas:

Tu-

Tu delinquis, ego arguor pro malefacteis:
Helena redeat, virgo pereat innocens:
Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia.

Aga. Plebs in hoc Regi anteſtat loco: licet
Lacrumare plebei, regei honeſte non licet.

Feſtus in Ob.

Iphi. Acheruntem obibo, ubi mortis theſauri objacent

Gellius Lib. XIX. *Cap.* X.

Cho. Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quam cum eſt negotium in negotio:
Nam quoi, quod agat, inſtitum eſt, in illo negotio
Id agit: ſtudet ibei, mentem, atque animum delectat ſuum.
Otioſo in otio animus neſcit, quid ſibi velit.
Hoc idem eſt, neque domi nunc nos, nec militiæ ſumus:
Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum eſt, ire illinc lubet.
Incerte errat animus: præter propter vitam vivitur.

EX ACHILLE

Nonius in Præliant.

ITa mortaleis inter ſe pugnant, præliant.

Feſtus in Prolato.

Prolato ære adſtitit.

Nonius in Defendere.

Serva ceiveis, defende hoſteis, cum potes defendere.

Nonius in Regredere.

Quo nunc incerta re, atque inorata gradum
Regredere conare? ---

Nonius in Obvarare.

--- nam conſiliis obvarant, quibus
Tamen concedit hic ordo ---

Nonius & Feſtus in Subjices.

Nubes per ego Deum ſubjices humidas,
Unde oritur imber ſonitus aerio ſpiritu.

Ea Thetis illi mater ---

EX AJACE.

ALiquod lumen, jubarve in cælo cerno.

Nonius in Statim.

Qui res cum Achiveis geſſerunt ſtatim.

Feſtus in Tullii.

Ajax miſſo ſanguine tepido tullii
Efflanteis volant ---

EX TELAMONE.

HIccine Telamon ille eſt, modo quem gloria ad cælum (extulit;

Cicero Tuſc. Lib. III.

Quem aſpectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant ſua?

Idem ibid.

Pol mi fortuna magis nunc deſit, quam genus:
Namque regnum ſuppetebat mihi, ut ſcias quanto e loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapſa fortuna accidat.
Audibo, neque aureis tibi contra utendas dabo.

Nonius in Porcet.

Deum me ſentit facere pietas, civium porcet pudor.

Nonius in Partivit.

Eamdem me in ſuſpicionem ſceleris partivit pater.

Diomedes in Abnuere.

Ex eo futurum abnueant ---

Nonius in Claret.

Nam ita mihi Telamonis patris,
Atque facies proavi Jovis gratia ea eſt,
Atque hoc lumen candidum claret mihei.

Nonius in Obſidio.

Scibas natum ingenuum Ajacem, cui tu obſidionem paras.

Cicero Tuſc. Lib. III.

Ego quom genui, tum moriturum ſcivi, & ei rei ſuſtuli,
Præterea ad Trojam quom miſi ad defendendam Græciam,

Feſtus in Obſidio.

Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.

Nonius in Squalam.

Strata terra, lavere lacrimis veſtem ſqualam, & ſordidam.

Cicero de Divinat. Lib. I.

Ego Deum genus eſſe ſemper dixi, & dicam cælitum:
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.
Nam ſi curent, bene boneis ſit, male maleis; quod nunc abeſt.

Cicero Lib. I. de Divinatione.

Non habeo denique nauci Marſum augurem,
Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomnium:
Non enim ſunt ii, aut ſcientia, aut arte divinei;
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque hariolei,
Aut inertes, aut inſanei, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibei ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam;
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſei petunt:
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera;
Qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias.

EX HECTORIS LUSTRIS.

Nonius in Spernit.

MElius eſt virtute jus: nam ſæpe virtute malei (procul.
Naciſcuntur jus, atque æquom, ſe a malis ſpernitit

Nonius in Fuat.

At ego omnipotens te expoſco, ut hoc conſilium
Achiveis auxilii fuat - - -

Nonius in Tumulti.

Quid hoc hic clamoris? quid tumulti eſt? nomen
Qui uſurpat meum? quid in caſtris ſtrepiti eſt?

Nonius in Occupo.

Hector te ſumma armatos educit foras,
Caſtriſque caſtra ultro jam fere occupat.

Feſtus.

Hector quidem haud ceſſat obſidionem obducere.

Nonius in Sonere.

- - - & ſonit,
Franguntur haſtæ, terra ſudat ſanguine.

Nonius in Cuncto.

Qui cupiant dare arma Achillei, ut ipſei cunctent.

Nonius in Derepente.

Ecce caligo oborta eſt, omnem proſpectum abſtulit,
Derepente contulit ſeſe in pedes.

Nonius in Commiſereſco.

Servos, & noſtrum imperium, & fidem Myrmidonum
Vigiles commiſereſcite - - -

Nonius in Specus.

Inferum vaſtos ſpecus - -

Nonius in Vagant.

Conſtitit, credo, Scamander: arbores vento vagant.

Idem.

Severiter fortuna ferri cernunt de victoria.

Feſtus in Redhoſtire.

Quæ mea cominus machæra, atque haſta hoſtiris e manu.

Diomedes Lib. I.

Nos quieſcere æquom eſt, novimus ambo Ulyſſem.

Diomedes itidem.

Sublime iter quadrupedanteis, flammam halitanteis.

Nonius in Tenacia.

Ducet quadrupedem jugo invitum,
Domabit infrænum, & junget valide
Quoius tenacia infrænari nimis nequit.

EX ALEXANDRO.

Feſtus in Tæniæ.

VOlans de cælo cum corona, & tæniis,

Feſtus in Stolidus.

Hominem adpellat: quid laſcivis ſtolide? non intelligit.

Macrob. Sat. Lib. VI. Cap. II.

O lux Troiæ germane Hector,
Quid ita cum tuo lacerato corpore miſer?
Aut qui te ſic reſpectantibus tractavere nobis?

Varro de Ling. Lat. Lib. V.

Jamdudum ab ludeis animus, atque aureis avent
Avide expectanteis nuntium - - -

Macrob. Sat. Lib. VI. Cap. II.

Nam maximo ſaltu ſuperavit
Gravidus armateis equus,
Qui ſuo partu ardua perdat Pergama:

Macrob. Sat. Lib. VI. Cap. I.

Multei alii adventant, paupertas quorum obſcurat nomina.

Gellius Lib. VI. Cap. V.

Purum putum - -

Quapropter Parim paſtores nunc Alexandrum vocant

EX ANDROMACHA.

EXtemplo acceptum me necato, & filium.

Cicero Tuſc. Quæ. Lib. III.

Ex opibus ſummeis opis egens, Hector, tuæ.

Ibidem.

quid petam
Præſidii? quid exſequar? quo nunc aut exilio, aut fuga
Freta ſim? arce, & urbe ſum orba. quo accedam? quo applicem?
Quoi nec patriæ aræ domi ſtant; fractæ, & disjectæ jacent
Fana flamma deflagrata, toſti alti ſtant parietes,
Deformati, atque abiete criſpa - -
O pater, o patria, o Priami domus,
Septum altiſono cardine templum:
Vidi ego te, adſtante ope barbarica,
Tecteis cælatis, laqueatis,
Auro, ebore, inſtructum regifice.
Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vei vitam evitari,
Jovis aram ſanguine turpari.
Heu relliquias ſemiaſſi regis, denudatis oſſibus
Per terram ſanie delibutam fœde divexarier.

Vidi

Idem ibidem Lib. I.

Vidi, videreque paſſa ſum ægerrime,
Curru Hectorem quadrijugo raptarier:
Hectoris natum de mœro jactarier.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

Acheruſia templa alta Orci ſalvete infera.

Varro L. L. Lib. VI.

Andromachæ nomen qui indidit, recte indidit.

Malo torquetis cum ærumnis illum exanclari diem.

Nonius in Longinque.

Hæc malos annos, multoſque longinque ab domo
Bellum gerentes ſummum ſumma induſtria.

Nonius.

Quid fit ſeditio? tabes ne an numeros augificat ſuos?

Idem.

Nam neque iratei, neque blandei quidquam ſincere ſonunt.

Nonius.

Nam ubei introducta eſt, puerumque ut laverunt, collocant in clupeo.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. V.

Rapit ex alto naveis velivolas.

--- ſed quaſi
Ferrum, aut lapis dura, rarenter gemitum
Conatur trahere ---

Feſtus.

--- di......m eſt. nam muſſare ſi....

EX HECUBA.

Cicero Tuſc. quæſt. Lib. I.

Adſum, atque advenio Acherunte vix via alta, atque ardua,
Per ſpeluncas ſaxeis ſtructas aſpereis pendentibus

Maxumeis; ubi rigida conſtat, & craſſa caligo inferum;
Unde animæ excitantur obſcura umbra, aperto oſtio
Alti Acheruntis, falſo ſanguine imagines mortuorum.

Nonius.

O magna templa cælitum,
Commixta ſtelleis ſplendideis.

Gellius Lib. XI. Cap. IV.

Hæc tu, etſi pervorſe dices, facile Achivos flexeris.
Nam quom opulentei loquuntur pariter, atque ignobiles,
Eadem dicta, eademque oratio æqua non æque valet.

Nonius in Miſerere.

Miſerete anuis, date ferrum qui
Me anima privem ---

Nonius in Evenat.

Senex ſum, utinam mortem oppetam prius,
Quam evenat, quod in pauperie mea
Senex graviter gemam ---

Nonius in Guttatim.

Vide, hinc meæ inquam lacrumæ guttatim cadunt.

Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib II.

Etſi ſegetem ſunt in deteriorem datæ
Fruges, tamen ipſæ ſuapte natura enitent.

Idem de Finibus Lib. II.

--- nimium bonei eſt, quoi nihil eſt mali.

Nonius in Salum.

Undantem ſalum ---

Nonius in Perbitere.

Numquam ſcripſiſtis, quis parentem, aut hoſpitem
Necaſſet; quo quis cruciatu perbiteret.

Nonius in Modicum.

Quæ tibi in concubio verecunde, & modice
Morem gerit ---

Nonius in Gratulor.

Jupiter tibi ſumme tandem male re geſta gratulor.

Nonius in Lavere.

Heu me miſeram, interii: pergunt lavere ſanguen ſanguine.

EX EUMENIDIBUS.

Nonius.

Niſi patrem materno ſanguine exanclando ulciſcerem.

Nonius in Expedibo.

Id ego æquom aptius feciſſe expedibo, atque eloquar.

Nonius in Opino.

--- tacere opino eſſe optumum,
Ut pro viribus ſapere, atque fabulari tute noverint.

Varro L. L. Lib. VI.

Areopagiticam ea de re vocant petram.

Nonius in Faceſſere.

Dico ego viciſſe Oreſtem, vos ab hoc faceſſite.

EX DULORESTE.

Nonius in Conciere.

EXtemplo Ægiſthi fidem nuncupantes conciebant populum.

EX ERECHTHEO.

Gellius Lib. VI. Cap. ult.

QUibu' nunc ærumna mea libertatem paro?
Quibu' ſervitutem mea miſeria deprecor?

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. IV.

Arma rigent, horreſcunt tela---
---lapideo

Feſtus.

Sunt corde multei, quos non miſeret neminis.

EX CRESPHONTE.

Auctor Rhetor. ad Heren. Lib. II.

INjuria abs te afficior indigna, pater,
Nam ſi improbum Creſphontem exiſtimaveras;
Cur me huic locabas nuptiis? ſin eſt probus,
Cur talem invitum invitam cogis linquere?
Nulla te indigna, nata, afficio injuria;
Si probus eſt, bene te locavi: ſin eſt improbus,
Divortio te liberabo incommodis.

Idem.

---duxi probum,
Erravi, poſt cognovi, fugio cognitum.

Feſtus in Quæſere.

Duxit uxorem ſibei liberum quæſendum cauſa.

Feſtus in Redhoſtire.

Audis, atque auditis, hoſtimentum adjungito.

Nonius in Sortio.

An inter ſe ſortiunt urbem, atque agros?

Nonius in Nitidant.

O pie eam ſecum advocant, eunt ad fontem, nitidant corpora.

Aulus Gellius Lib. VI. Cap. ult.

Ego quom meæ vitæ parcam, letum inimico deprecor.

Auctor Rhetor. ad Heren. Lib. II.

Eho tu, Dii, quibus eſt poteſtas motus ſuperum, atque inferum,
Pacem inter ſeſe conciliant, conferunt concordiam.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. II.

Neque terram injicere, neque cruenta
Conveſtire mihi corpora licuit,
Neque miſeræ lavere lacrumæ ſalſum ſanguinem.

Nam nos decebat, cœtus celebranteis domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala.
At qui labores morte finiſſet graveis,
Omneis amicos laude, & lætitia exſequi.

EX ATHAMANTE.

Soſipater in Euhoe.

IIs erat in ore Bromius, heis Bacchus pater,
Illeis Lyæus vitis inventor ſacræ.
Tum pariter Evan, Evhyus:
Ignotus juvenum cœtus alterna vice
Inibat alacris, Bacchico inſultans modo.

EX ANDROMEDA.

Varro L. L. Lib. IV.

QUæ cava cæli ſignitenentibus
Confici bigeis---

Priſcianus in Filiis.

Filiis propter te objecta ſum innocens Nerei.

Nonius in Scapres.

Scrupeo inveſtita ſaxo, atque oſtreis, quam excaperent:

Feſtus.

Circum ſeſe urvat ad pedes a terra quadringentos caput.

Nonius in Rurſus.

Rurſus prorſus reciprocat fluctus feram.

Nonius.

Corpus contemplatur, unde corporaret vulnere.

Nonius in Viſceratim.

Alia fluctus differt, diſſupat viſceratim membra:
Maria ſalſa ſpumant ſanguine---

Feſtus in Quæſere.

Liberum quæſendum cauſa familiæ matrem tuæ.

EX TELEPHO.

Feſtus in Mutire.

PAlam mutire plebeio, piaculum eſt.

Nonius in Stola.

Regnum reliqui ſeptus medici ſtola.

Nonius in Stola.

Cedo, & caveo veſtitus, ſqualida ſeptus ſtola.

No-

Nonius.

Verum, quorum liberei leto datei ſunt in bello,
Non lubenter hæc enodari audiunt.

Nonius in Itiner.

Deumque de conſilio hoc itiner credo conatum modo.

Nonius in Advorſum.

Te ipſum hoc oportet profiteri, & proloqui,
Advorſum illam mihi - - -

Nonius in Mactare.

Et civitatem video Argivum incendier.

Nonius in Mactare.

Qui illum Dii, Deæque magno mactaſſint malo.

EX THYESTE.

Feſtus in Sublime.

- - - adſpice hoc
Sublime candens, quem vocant omnes Jovem.

Nonius in Delectat.

Et me Apollo ipſe delectat, ductat Delphicus.

Nonius in Contingere.

Quam mihi maxime heic hodie contigerit malum.

Nonius in Conglomerare.

Heu mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala!

Nonius in Cernere.

Impetrem facile ab animo, ut cernat vitalem Bæbium.

Nonius in Flaccere.

Inflaccebunt conditiones, repudiato, & reddito.

Nonius in Increpare.

Sed ſonitus aures meas pedum pulſu increpat.

Nonius in Putat.

Ibei quid agat, ſecum cogitat, parat, putat.

Cicero de Oratore.

Quemnam te eſſe dicam? qui tarda in ſenectute.

Idem Tuſc. Lib. I.

- - ipſe ſummeis ſaxeis fixus aſpereis
Eviſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabo,
Sanie, & ſanguine atro - - -
Neque ſepulchrum, quo ſe recipiat, habeat, portum corporis, ubei
Remiſſa humana vita, corpus requieſcat a maleis.

Idem Tuſc. Lib. III.

Nolite hoſpites ad me adire, illico iſtic
Ne contagio mea boneis, umbrave obſit,
Tanta vis ſceleris in corpore hæret.

EX PHŒNICE.

Gellius Lib. VII. Cap. XVII.

Sed virom vera virtute vivere animatum adjecit fortiter;
Eumque innoxium vocare: adverſus adverſarios
Ea libertas eſt, qui pectus purum, & firmum geſtitat.
Aliæ res obnoxiæ nocte in obſcura latent.

Nonius in Derepente.

Ibei dum derepente ex alto in altum deſpexit mare.

Nonius.

Severiter ſuſpectionem ferre falſam, futilium eſt.

Nonius in Futile.

Ut quod factum eſt futile amicei nos feramus fortiter.

Nonius in Faxim.

Plus miſer ſum, ſi ſceleſtum faxim, quod dicam fore.

Nonius in Cupienter.

Stultus eſt, qui cupida cupiens cupienter cupit.

Nonius in Duriter.

Quam tibei ex ore orationem duriter dicteis dedit.

EX MELANIPPA.

Nonius in Soſpito.

Regnumque noſtrum ut ſoſpitent, ſuperſtitentque

Nonius in Auſculto.

Mihei auſculta, nate, pueros cremari jube.

Nonius in Auguro.

Certo hic eſt nulla, quin monſtrum ſiet:
Hoc ego tibei dico, & conjectura auguro.

Priſcianus in Scindo.

Quom ſaxum ſciciderit - - -

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. IV.

Lumine ſic tremulo terra, & cava cærula candent.

Gellius Lib. V. Cap. II.

Stata forma - - -

EX

EX ALCMÆONE.

Nonius in Jamdiu.

FActum eſt jamdiu ---

Cicero Lib. III. IV. de Oratore.

Multi' modis ſum circumventus morbo, exſulio, atque inopia:
Tum pavor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

Cicero Acad. Quæſt. Lib. IV.

Sed mihi neutiquam cor conſentit.

Idem ibidem.

Unde hæc flamma oritur?
Incede, incede, adſunt, adſunt, me, me expetunt.

Idem ibidem.

Fer mi auxilium, peſtem abige a me,
Flammiferam hanc vim quæ me excruciat.
Cæruleæ incinctæ igni incedunt,
Circumſtant cum ardentibus tædis.
Intendit crinitus Apollo
Arquum auratum Luna innixus:
Diana facem jacit a læva.

EX CRESSIS.

POlvis oritur, omnem pervolgat cæli fretum.

EX ALCESTIDE.

TIbei vita, ſeu mors in mundo eſt.

Fulgentius in Friguttire.

Hæc anus admodum fringutit: nimirum ſe ſauciavit flore Liberi.

EX NEMEA.

Priſcianus in Pecudi.

PEcudi dare viva una marito.

EX ILIONA ſive POLYDORO.

O Pietas animi ---

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. I.

Mater, te adpello; tu quæ curam ſomno ſuſpenſo levas:
Neque te mei miseret; ſurge, & ſepeli natum.

Idem Acad. Quæſt. Lib. IV.

* Age, adſta, mane, audi, itera, dum eadem & iſta mihei.

EX AMPHITRASONE.

Nonius in Exanclarem.

PErtolerarem vita, cladeiſque exanclarem impatibiles.

EX AMBRACIA.

Nonius in Cluet.

PEr genteis eſſe cluebat omnium miſerrumus.

Nonius in Depopulo.

Agros audaces depopulant ſervei dominorum dominei.

Nonius in Veges.

Et æquora ſalſa veges ingentibus venteis.

Nonius in Cuncto.

Bene mones: tute ipſe cunctato: vide fortem virum.

EX PANCRATIASTE.

Nonius in Deſubito.

QUom deſubito me orat mulier lacrumans, quæ ad genua accidit.

Nonius in Audibo.

Quo nunc me ducis? ubei molarum ſtrepitum audibi maxumum.

Nonius in Proterviter.

Quis eſt, qui noſtreis foribus tam proterviter?

EX INCERTIS TRAGŒDIIS ET COMŒDIIS.

Cic. de Off. Lib. I.

HOmo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi de ſuo lumine lumen accendat, facit,
Nihilominus ut ipſi luceat, quom illi accenderit.

Idem de Orat. III.

Suarum rerum incertei, quos ego mea ope ex
Incerteis certos, compoteique conſilii
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Cic. de Amicitia.

Amicus certus in re incerta cernitur.

Quem metuunt, oderunt:
Quem quiſque odit, periiſſe expetit.

Cic. de Off. Lib. II.

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Quod nemo eſt tam firmo ingenio, aut tanta confidentia,
Quin refugiat timido ſanguen, atque exalbeſcat metu.

Cic. de Off. Lib. I.

Salmacida ſpolia ſine ſudore, & ſanguine.

Ide

Idem Tuſc. Lib. IV.

Flagitii principium eſt nudare inter civeis corpora.

Tanto ſublatæ ſunt agmine tunc lapides.

Idem de Off. Lib. I.

Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt.

Minime nomine fieri pravum.

Animuſque æger ſemper errat, neque pati,
Neque perpeti poteſt, cupere numquam
Deſinit - - -

Cic. de Off. Lib. II.

O fides alma, apta pennis, & jusjurandum Jovis

Iſidor. Lib. II. Cap. I.

Atque genua comprimit arta gena.

Gellius Lib. V. Cap. XV.

Philoſophandum eſt paucis, nam omnino haud placet.

Cic. in Orat.

Quoi quod in me eſt, exſecrabor, hoc, quo lucet quicquid eſt.

Varro L. L. *Lib. VI.*

Ut tibei Titanis Trivia dederit ſtirpem liberum.

Idem ibid.

Quin inde invicteis ſumpſerunt perduellibus.

Idem ibid.

Si voles advortere animum, comiter monſtrabitur.

Frunde, frutimi, ſuaviter.

Varro. L. L. *Lib.* VI.

Atque prius pariet locuſta lucam bovem.

Vos epulo poſtquam ſpexit.

Feſtus.

Habet is coronam vitulans victoria.

Apud emporium in campo hoſtium per mœne.

Ille meæ tam potis pacis potiri.

Parentem & patriæ dii ſervate ſoſpitem.

Cic. de Off. Lib. *II.*

* Quem incertum te iſti credere, atque exercere lingua, ut argutarier poſſis.

Feſtus.

Vivam, an moriar, nulla in me eſt metus.

Aut permaceret paries percuſſus trifaci.

Varro Lin. Lat. Lib. *IV.*

O terra trita, ubei Liberi fanum,
In cujus mœro locavi - - -

Idem. ibid.

Cubitis pinſibant humum.

Nonius.

Et quis illæc eſt, quæ lugubri ſuccincta eſt ſtola?

Idem.

Labat, labuntur ſaxa, cæmentæ cadunt.

Diomed. Lib. *I.*

Nec retrahi poteſtur imperiis.

Diomed. Lib. *II.*

Eos deduci, quam relinqui; evehi, quam deferi malui.

Diomed. Lib. I.

An aliquid quod dono illi morares, ſed accipite.

Ira inſaniæ initium - - -

Num non vis hujus me verſutiloquas malitias?

Varro L. L. *Lib. VI.*

Hehe ipſe clupeus cecidit - - -

Quicquam quiſquam cuiquam, quod conveniat, neget.

Feſtinant diem - - -

Qui ſilentio noctis favent faucibus
Ruſſis, cantu, plauſuque premunt alas.

Iſidor. Lib. I. Cap. XXV.

- - - quaſi in choro pila
Ludens, datatim dat ſeſe, & communem facit.
Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Eſt occupata, alii perpellit pedem,
Alii dat annulum ſpectandum a labris;
Alium invocat, cum alio cantat: attamen
Aliis dat digito literas - - -

GN. NÆVII
FRAGMENTA
DE BELLO PUNICO.

Priſcianus in Titani & Terras.

INerant ſigna expreſſa quomodo Titani bicorpores, gigantes, magnique Atlantes, Rhuncus atque Purpureus, filii terras.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. V.

Silvicolæ homines bellique inertes.

Soſipater in Exerciti.

Marcus Valerius conſul partem exerciti in expeditionem ducit.

Nonius in Perconto.

Blande & docte percontat Ennius quo pacto Trojam urbem reliquiſſet.

Priſcianus in Puer.

Prima incedit Cereris Proſerpina puer.

Priſcianus in Quies.

Jamque ejus mentem fortuna fecerat quietem.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. V.

Deinde pollens ſagittis inclytus arcitenens ſanctuſque Delphis prognatus Pythius Apollo.

Priſcianus in Adoriant.

Hectore proficiſcente tunc ipſos adoriant, neque hinc Spartam referat nuntium.

Nonius in Gratulabatur.

Iſque furſum ad cælum ſuas res Amulius gratulabatur divis.

Feſtus in Sola.

Tarquinio dedit imperium ſimul & ſola regni.

Nonius in Auſpicat.

Virum prætor adveniet, auſpiciat auſpicium proſperum.

Nonius in Concinnare.

Tranſit Melitam Romanus exercitus, inſulam integram urit, populatur, vaſtat, rem hoſtium concinnat.

Nonius in Danunt.

Eam carnem victoribus danunt.

Nonius in Atrocia.

Simul atrocia projecerunt exta miniſtratores.

Nonius in Viciſſatim.

Viciſſatim volvi victoriam.

Nonius in Superbiter.

Superbiter contemptim conterit legiones.

Nonius in Locos.

Convenit regnum, ſimulatque locos ut haberent.

Nonius in Illico.

Septimum decimum annum illico ſedent.

Nonius in Cenſere.

Cenſent eo venturum obviam.

Nonius in Paciſcunt.

Id quoque paciſcunt mœnia ſint, quæ Luctatium r conciliant captivos plurimos.

Nonius in Quianam.

Summe deum regnantor, quianam genus iſti?

Priſcianus in Marum.

Senex fretus pietate deum, alloquutus ſommi deum r gis fratrem Neptunum, regnatorem marum.

Priſcianus in Decor.

Magnamque domum decoremque ditem vexerant.

Priſcianus in Acer.

Fames acer augeſcit hoſtibus.

Donatus in Andriam.

Plerique omnes ſubjunguntur ſub ſuum judicium.

Iſidorus in Citroſam.

... pulchramque ex auro veſtemque citroſam,

Feſtus in Sardare.

Quod bruti nec ſatis ſardare queunt.

Nonius in Caſtus.

Res divas edicit, prædicit caſtus.

A C O N T I Z O M E N O.

Soſipater in Prime.

Acontizomenus fabula eſt prime proba.

Soſipater in Noctu.

Sulpitii noctu interfecit.

Soſipater in Falſo.

Hujus autem gnatus dicitur geminum alterum falſo occidiſſe.

A G I T A T O R I A.

Soſipater in Tax pax.

Age, ne tibi mihi adverſari dicas, hunc unum diem de meo ſequor: ſinam ego illos eſſe tax pax, poſtea currentes ego illos vendam, niſi tu viceris.

Idem in Eho.

Eho, an vicimus? viciſtis volop: quomodo dicam tibi.

Idem in Secus.

Secus ſi umquam quidquam feci, carnificem cedo.

Idem in Dedita Opera.

Quaſi dedita opera, quæ ego volo, ea tu non vis: quæ ego nolo, ea cupis.

Soſipater in Plenius.

Ego ſemper pluris feci potioremque habui multo quam pecuniam.

Soſipater in Nimio.

Nimio arte colligo, cur inquæſita colligor.

A G R I C O L A.

Nonius in Nominativis.

Lernete duo verbis, etiam primo & poſtremo.

Nonius in Repueraſco.

Quid ita? quia enim repueraſcis, fugit has perſonas pater.

Nonius in Comeſt.

Ædepol paternam qui comeſt pecuniam.

A L C E S T I D E.

Nonius in Obeſus.

Corpore pectoreque undique obeſo, ac mente exſenſa, tardigenulo ſenio oppreſſum.

* Oblitera gens. * Fœdifragi. * Aurora pudicolor. * Memnon nocticolor. * Forte, dubitanter. * Loca ſilenta: pulverulenta: peſtilenta. * Carendum tui eſt. * Magno impete. * Forteſcere. * Dolentia. * Avens *pro* libens. * Curis intolerantibus. * Manciolis tenellis. * Quis tam ſiliceo? * Fuere impendio. Accipitret. * Triſecli ſenex, dulciorìloquus Neſtor. * Multigrumis fluctibus. * Tegmine onychino flumina. * Subducti ſupercilii carptores.

Velata frondentes comas.

A G R Y P N U N T I B U S.

Nonius in Præmiatores.

Nam in ſcena vos nucturnos cæpit præmiatores tollere.

A P P E L L A.

Priſcianus in Cepe.

Cui cepe edendo oculus alter profluit.

Priſcianus in Cepa.

Ut illum dii terant, qui primum olitor cepam protulit.

A R I O L O.

Macrobius Sat. Lib. III. Cap. XVIII.

Quis heri apud te, Præneſtini & Lanuvini hoſpites.
Suopte utroſque decuit acceptos cibo.
Alteris inanem bullam madidam dari,
Alteris nuces in proclivi profundere.

Feſtus in Oreæ.

Deprandi autem leonis obdas oreas.

A S I N I O.

Nonius in Revortit.

Age nunc quando rhetoricaſti, reſponde, quod te rogo.

ASSITOGIOLA, forte AGITATORIA.

Nonius in Deſpica.

Ac ſibi proſpica ac deſpica.

A U L U L A R I A.

Nonius in Præciſum.

Præciſum, omaſum, pernam, callum, glires, glandia.

BUBULCO CERDONE.

Nonius in Commetare.

Quum ad lupam noſtram tam multi crebro commetant lupi.

BUCCULA.

Nonius in Editis.

Quod editis nihil eſt: ſi vultis quod cacetis, copia eſt.

CARBONARIA.

Priſcianus in Edo.

Tibi ſervi multi apud menſam adſtant, ille ipſe adſtat quando edit.

CLASTIDIO.

Varro L. L. Lib. II.

* Vita inſepulta lectus in patriam reduxit.

COLACE.

Nonius in Protinam.

Ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus protinam me dedi.

Nonius in Multare.

Et aſſeri laudes ago cum votis me multatis meis, quod præter ſpem quem vellem audiebam: hoc mihi Ennius.

Priſcianus in Polluxit.

Qui decumas partes quantum alieni fuit polluxit, tibi a publicando Herculis decumas.

Nonius in Proluvio.

Et volo, & vereor, & facere in proluvio eſt.

COROLLARIA.

Soſipater in Efflictim.

Nolo ego hanc adeo efflictim amare. diu vivat volo, ut mihi prodeſſe poſſit.

Idem in Mordicus.

Utinam naſum abſtuliſſet mordicus.

Idem.

Quid ſalve at tat tat at at tatæ? rivalis. ſalve. quid iſtud a te advertiſti tam cito?

Idem.

Se tale verbum cave faxis.

Idem in Nimio.

Nimis homo formidoloſus eſt.

DANAE.

Nonius in Valentiam.

Omnes formidant hominis ejus valentiam.

Idem in Lavere.

Animi jubeo fonte lavere nemini manum.

Idem in Contemplo.

Contemplo placide formam & faciem Virginis.

Idem in Confidentia.

Excidit orationis omnis confidentia.

Idem in Exigor.

Indigne exigor patria innocens.

Idem in Icit.

Quam quondam fulmine icit Jupiter.

Idem in Pretium.

Quia ut quiſque eſt meritus, præſens pretium pro factis ferat.

Idem in Deſubito.

Deſubito famam tollunt, ſi quam ſolam videre in via.

Idem in Minitas.

Etiam minitas? mitte ea, quæ tua ſunt magis quam mea.

Idem in Manubiæ.

Manubias ſuppetat pro me.

Idem in Compos.

Eam nunc eſſe inventam opprobriis compotem ſcis.

DECUMA.

Nonius in Pariter.

Quid prophanari modo ſi treis menſes in æde, ut pariter diſpertiam.

Idem in Fallam.

Me non vocabit ob eam rem, hanc feci fallam.

Idem in Sublabrare.

Jam ego illi ſubiens ſublabrabo eſui illud ſinciput.

DOTATA.

Nonius in Artivit.

Artivit linguam in palatum, cœpit labia ſugere.

Idem

Idem in Penus.

Meum in penum componam ſatius eſt.

DUOBUS DOSENNIS.

Feſtus in Temeti.

Sequimini, præminate, ſequere temeti timor.

DULORESTE.

Caperata fronte.

ECULEO.

Priſcianus in Cepe.

Oleas, cepe, ficus.

EQUO TROJANO.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Namquam hodie effugies, quin mea manu moriare.

EROTOPÆGNIOIS.

Nonius in Latibulari.

Nocte ut opertus amictu latibuletur.

EXODIO.

Nonius in Argutari.

Quando ad ludos venit, alii quum tacerent, totum diem argutatur quaſi cicada.

Idem in Rarenter.

Multum ames, paulum des crebro, venias rarenter.

Idem in Gallulare.

Puerum mulieri præſtare nemo ſcit quanto melior ſit, cujus vox gallulaſcit, cujus jam ramus roboraſcit.

Idem in Datatim.

In molis non ludunt, raptim pilo, datatim morſo.

Idem in Pilare.

Putidum poterunt antequam pugnæ pilant.

FIGULO.

Soſipater in Nimio.

Nimis avarus.

FULLONIBUS FERIATIS.

Nonius in Comeſt.

Fortit ſe in omnes beſtias, comeſt quidquid tetigit tantum.

Idem in Anima.

Nihil eſt periculi. dabo tibi virum validum, virum animoſum.

Idem in Piſtillus.

Teſtis peſtinas piſtillos mihi cantent.

FUNERE.

Feſtus in Temetum.

Agite, exite, temulentiamque tollite.

GALLINARIA,

Nonius in Tolutiloquentia.

O peſtifera Pontica fera, trux tolutiloquentia.

Idem in Mactare.

Mactatote hiſce verbenis. mactat villam infortunio.

Idem in Senium.

Operæ coactor, cantor, curſor, ſenium ſonticum.

GEMINIS.

Nonius in Feſtiviter.

O domus parata pulchræ familiæ feſtiviter.

GLAUCOMA.

Priſcianus in Pupugit.

Quod de eo obſonio ſtilo mihi in manum pupugit.

GYMNASTICO.

Nonius in Diſpulverare.

Saxa, ſilvas, lapides, montes disjicis, diſpulveras.

Idem in Muſtum.

Utrum eſt melius? virginem an viduam uxorem ducere? virginem, ſi muſta eſt.

Idem in Pecua.

Homines, pecua, belluaſque;

Idem in Spiſſe.

At enim tu minus ſpiſſe atque tarde inceditis.

Idem in Simile.

Pol haut paraſitorum aliorum ſimile eſt.

Idem in Hærem.

Atque meis bonis omnibus ego te hærem faciam.

Idem in Deſtitui.

In alto navem jubet deſtitui ancoris.

Idem in Cupido.

Ædepol Cupido quam puſillus ſis, nimis multum vales.

HECTORE.

Cicero Tuſc. IV.

--- Lætus ſum
Laudari me abs te, pater, laudato viro.

Priſcianus Lib. VIII.

Proficiſcente tunc ipſos adoriant, ne quis hinc Spartam referat nuncium.

HESIONA.

Gellius Lib. X. Cap. XXV.

Sine mihi morem gerere videar, haud lingua, verum lingula.

HETÆRA.

Nonius in Artivit.

Conatus artivit matri inter femina fortiter.

ILIADE CYPRIA.

Soſipater in Torquis.

Collum marmoreum torquis gemmata coronat.

Priſcianus in Penitus.

Fœcundo penetrat penitus thalamoque potitur.

IPHIGENIA.

Nonius in Paſſum.

Paſſo vel hoc vicinum aquilone hortum fer foras.

ITHYPHALLO.

Gellius Lib. II. Cap. XIX.

Si umquam quidquam filium reſcivero
Argentum amoris cauſa ſumpſiſſe mutuum,
Extemplo illo te ducam, ubi non deſpuas.

LIGARART;A LICINIARIA.

Gellius Lib. XV. Cap. XIII.

Quia ſupellex multa, quæ non utitur, emitur tamen.

LIGNARIA.

Priſcianus in Forceps.

Signare oportet frontem calida forcipe.

LUPO.

Feſtus in Redhoſtire.

* Vel Veiens regem ſalurat jube Albanum milium comitem ſenem ſapientem contra redhoſtis Menalus.

LYC.URGO.

Nonius in Ingenio.

Vos, qui regalis corporis cuſtodias
Agitis, ite actutum in frundiferos lucos, ubi
Ingenio arbuſta nata ſunt, non obſita.

Idem in Mutus.

Ducite eo cum argutis linguis mutas quadrupedes:

Idem in Illicere.

Alii ſublime alios ſaltus illicite, ubi
Bipedes volucres lino linquant lumina.

Idem in Vitulantes.

Ut in venatu vitulantes ex aviis
Locis nos mittant pennis decoratos feris.

Idem in Fervere.

Longe lateque trans noſtros fervere.

Idem in Tutant.

Tuos qui celſos terminos tutant.

Idem in Ignoti.

Ignotæ iteris ſumus, tute ſcis.

Idem in Injurie.

--- oderunt dii homines injurios:
Egone an ille injurie facimus?

Idem in Amnis.

Sed quaſi amnis cis rapit, ſed tamen inflexa flectitur.

Idem in Liqueſcere.

Jam ſolis æſtu candor cum liqueſceret.

Idem in Crocotula.

Pallis, patagiis, crocotis, malatiis, mortualibus.

Idem

Idem in Arvas.

Quaque incedunt, omnis arvas obterunt.

Idem in Schema.

Pergite thyrſigeræ Bacchæ modo
Bacchico cum ſchemate. ---

Idem in Cette.

Proin Dryante regem prognatum patre
Lycurgum * cette.

Idem in Pecua.

Sine ferro pecua manibus ut ad mortem meant.

Idem in Angues.

Alte jugatos angues in ſeſe gerunt.

Idem in Contendere.

--- Cave ſis tuam
Contendas iram contra cum ira Liberi.

Idem in Melos.

Suave ſummum melos.

Idem in Acrimonia.

Næ ille mei feri ingenii atque animi acrem acrimoniam.

Idem in Timos.

Jam ibi nos duplicat advenientis timos
Vapoſque. ---

Idem in Fimbriæ.

Ut videam Volcani opera, hæc flammis fieri flora.

Idem in Potior.

Dic quo pacto eum potiti, pugna an dolis?

Nonius.

Nam ut ludere lætantes inter ſe vidimus
Propter amnem, creterris ſumere aquam
Ex ponte. ---

Feſtus in Obſtinati.

Vos qui adſtatis obſtinati.

MACCHO EXULE.

Nonius in Labias.

Verberatio, populus homini labias pugnis cædere.

Idem in Caſeum.

Pecunia quid bonum? quid bonum, reſpondi, Sardis veniens caſeum?

Idem in Derepente.

Scalpis dentes derepente in cævam ſi peccaveris.

Idem in Tolutim.

Dixi iturum hominem in Thuſcos tolutim.

Idem in Veſceris.

Curiſis, tunc vadimonia ſuum veſtimentum veſceris.

Idem in Limen.

Limen ſuperum, quod mihi miſero ſæpe confregit caput:
inferum autem, ubi ego omnes digitos defregi meos.

Feſtus in Nictare.

Actutum ſcribit cum in nervo nictabere.

MALEVOLIS.

Nonius in Perconctaſſem.

Si perconctaſſem, malum hoc me præteriſſet.

Idem in Inaudivi.

Unde hoc tam repente jucundum inaudivi malum?

MANIA. vide in MIMA.

MILITIBUS POMETINENSIBUS.

Nonius in Mercatura.

Inſtant mercaturam: ſpero rem faciet. frugi eſt homo.

Idem in Simile es.

Tu pueri puſilli ſimile es: quia enim ad os fers quidquid nactus es.

Idem in Valgus.

Valgus, veternoſus, genibus magnis, talis turgidis.

MIMA MEDICA.

Nonius in Piſtillus.

Lacrimæ cadent, calet piſtillus.

Idem in Præſente.

Medicate volumus dona donare pulchra, præſente omnibus.

MORTIS & VITÆ JUDICIO.

Nonius in Eſurire.

Ita vobis otioſus ſum: mihi algebo & mihi eſuribo.

OPTIONE.

Nonius in Panus.

Qui me miſerum miſeriorem reddidit quam panus puerum:

PACEVO.

Nonius in Catapulta.

Ut ſole horreſcit ſera, caſtra crebro catapulta impulit.

PAPPO PRÆTERITO.

Nonius in Capulum.

Dum iſtos invitaveris ſuffragatores, pater prius in capulo quam in curuli ſella ſuſpendit nates.

PARTU.

Gellius Lib. XVII. Cap. II.

Quod magnopere quæſierunt, id fruiſci non queunt.
Qui non par ſit apud ſe, fructus eſt.

PATHICIS vel DEPATHICIS.

Nonius in Dicebo.

Primum quod dicebo, recte; ſecundum quod dicebo, eo melius.

Idem.

Tibi quum videbo, fidelis ero.

PAULO.

Idem in Celere.

Nunc te obteſtor, celere ſancto ſubveni cenſori.

PEDIO.

Idem.

Quot res vis hunc privari pulchras, quas uti ſolet.

Idem in Mollicina.

Mollicinam, crocotam, chirodatam, ricam,

Idem in Graſſari.

Certarius ſi me diploidi a recta graſſatur via.

Idem.

Nunc me res ipſa reprimit, ſæpe hac eadem graſſatus ſum via.

PELLICO.

Nonius in Socrus.

Deſine ſocri tuo, fratri patrui meo,

PHILONICO.

Nonius in Penularium.

Non multo poſt ſonoram accepit, abſedet, conſequitur penularium, pſilothrum petit.

PHŒNISSIS.

Feſtus in Scirpus.

Sume arma, id eſt, jam te occidam clavà ſcirpea.

PICO.

Nonius in Rutabulum.

Quid ego facerem? otioſus rodebam rutabulum.

PRÆCONE POSTERIORE.

Nonius in Labias.

Ergo dedita opera te pater ſolum foras
Seduxi, ut nequis eſſet teſtis tertius
Præter nos, tibi quum tunderem labias lubens.

PROTECTO.

Diomedes in Moras.

Quid moras?

Idem in Patio.

Populus patit: tu patias modo.

PROTESILAO.

Nonius in Gracilens.

Vide gracilentis colorem, dum & quam cito factus eſt gracilens.

Idem in Joca.

Clam ineunt, irruunt, cachinnos, joca, dicteriis itatis.

Priſcianus in Quie.

Complexa ſomno corpora operiuntur, ac ſuavi quie dicantur.

PULLIS.

Nonius in Aſperiter.

Ubi tu nequaquam cubares aſperiter.

Nonius in Aſſulatim.

Hic jure inops paulo da adſimile, ſimul aſſulatim vi aias ſumit cibum.

QUA-

QUADRIGEMINIS.

Nonius in Parcuit.

Suo labori nullus parcuit.

SANNIONIBUS.

Nonius in Purpuriſſum.

In licio cretam, ceruſſam, purpuriſſum.

SATYRA.

Feſtus in Quianam.

Quianam Saturnium populum pepuliſti.

SURDO.

Feſtus in Temetum.

Filias habeo temulentas, ſed eccas video incedere

TABELLARIA.

Nonius in Pannum.

Qui habet uxorem ſine dote, pannum poſitum in purpura eſt.

Diomedes in Attollo.

Dotem ad nos nullam attollat.

TARENTILLA

Soſipater in Utribi.

Utribi cœnaturi eſtis? hiccine an in triclinio.

Idem in Serio.

Vereor ſerio.

Idem in Quanti.

Quæ ego in theatro hic meis probavi plauſibus,
Ea non audere quemquam regem rumpere,
Quanto libertatem hanc hic ſuperat ſervitus abſolute.

Idem in Quippiam.

...am quippiam.

Idem in Ei ei.

...i ei, etiam ſe audenti ne cum una apparere.

Idem in At at.

...t at tatæ cave cadas amabo.

Idem in Duum.

...vi & fortunati duo, duum noſtrum patres.

Idem in Defricate.

Facete & defricate.

Idem in Nimio.

Numquam quiſquam amico amanti amica
Nimis fiet fidelis, nec nimis erit
Morigera nota quiſque.

Idem in Peregri.

Primum ad virtutem ut redeatis, abeatis ab ignavia, domo præſens patriam ut colatis potius quam peregri probro.

Idem in Peregre.

Ubi iſti duo adoleſcentes habent, qui hic ante parta patria peregre prodigunt?

Feſtus in Adnictat.

Alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet.

TELEPHO.

Nonius in Iteris.

Studiumque iteris reprime.

TOGULARIA.

Feſtus in Quiſquiliæ.

Abi, deturba te ſaxo, quiſquiliæ, non homo.

TESTICULARIA.

Priſcianus in Scindo.

Immo quo ſciſcidimus conſcindam atque abjiciam.

TRIPARTITA.

Nonius in Deſubito.

Poſtquam ſe vidit hæredem, deſubito divortium fecerunt.

TRIPERDITA.

Nonius in Pingue.

Si autem pingue eſt, male cubandum eſt putrem panticas.

TUNICULARIA.

Feſtus in Penis.

Theodotum compellas, qui aras compitalibus
Sedens, in cella circumtectas tegetibus
Lares ludentes peni pinxit bubulo.

Idem in Naueum.

Ejus noctem nauci ducere.

VIN-

VINDEMIATORIBUS.

Nonius in Prælumbare.

Cœpit unumquemque prælumbare fuſtibus.

VIRGINE PRÆGNANTE.

Nonius in Sapivi.

Quando ego plus ſapivi, qui fullonem compreſſi quinquatribus.

Nonius in Puriter.

Sequere me, puriter volo facias. igni atque aqua volo hunc accipere.

ZONA.

Nonius in Duriter.

Duriter me habere, vigilaſſe.

Idem in Vulgariam.

Aquæ facilitatem video uteris vulgariam.

EX INCERTIS OPERIBUS.

Gellius Lib. VI. Cap. VIII.

Etiam qui res magnas manu ſæpe geſſit glorioſe,
Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes ſolus
Præſtat, eum ſuus pater cum pallio uno ab amica abduxit.

Priſcianus in Ai.

An nata eſt ſponſa prægnans? vel ai, vel nega.

Priſcianus in Sallio.

Salliturus iſtæc, mittam ſalem.

Nonius in Promicanda.

Siquidem loqui vis, non perdocere, multa longe promicanda oratio eſt.

Idem in Metus.

Magni metus tumultus pectora poſſidet.

Idem in Collus.

Cor utrum ſcapulæ plus angulus colli habeat neſcio.

Idem in Gutturem.

Ingurgitavit uſque ad imum gutturem.

Idem in Paciſco.

Sicilienſes paciſcit obſides ut reddant.

Idem in Quæſtuis.

Per Deam ſanctam Lavernam, quæ cultrix quæſtuis ſit.

Idem in Ficitatem.

Ficitores omnes capiunt ficitatem, iners eſt ſine moleſtia.

Idem in Præcox.

Huic puellæ præcoquis libido ineſt.

Idem in Pedis.

Eſt pedis unus ingens in naſo.

Idem in Fretus.

Dubiis faventem per fretum intro currimus.

Idem in Fulgorivit.

Sane a ſuo ſonitu claro fulgorivit Jupiter.

Varro L. L. Lib. V.

Conſponſi ſpondebatur pecunia, aut filia nuptiarum cauſa.

Varro L. L. Lib. VI.

Expirante vapore vides unde ignes cluet mortalibus dives.

Varro L. L. Lib. VI.

Riſi egomet caſſabundum ire ebrium.

Idem L. L. Lib. VI.

Eccum ire video ferme injuria.

Idem L. L. Lib. VI.

Sed velatas frondentis comas cornua taurum.

Feſtus in Rutabulum.

Vel quæ ſperat ſe nupturum iri adoleſcentulo, ea lice ſenile tractet retritum rutabulum.

Idem in Petimina.

Petimine piſcino qui meruerat.

Idem in Aleo.

Peſſimorum peſſime, audax, ganeo, lurco, aleo.

Idem in Apluda.

Non hercle apluda eſt hodie quam tu nequior.

Idem in Bilbit.

Bilbit amphora.

Idem in Buttubata.

Buttubata.

Idem in Concipilaviſti.

Concipilaviſti.

Idem

Idem in Coquus.

Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem.

Idem in Liberalia.

Libera lingua loquemur ludis liberalibus.

Idem in Numero.

Neminem vidi, qui numero ſciret, quique ſcit, id eſt opus.

Idem in Numero nimium.

An panurgus Antonius hæc ait numero nimium cito?

Idem in Partus.

Male patta male dilabuntur.

Idem in Offam.

Penitam offam.

Idem in Perſicus.

Et qui fuerit Perſicus carpenti eſt ratio.

Idem in Piſatilem.

Piſatilem.

Idem in Rumitant.

Simul alius aliunde rumitant inter ſe.

Idem in Sandaraca.

Merula Sandaracino ore.

Idem in Sonticus Morbus.

Sonticam eſſe oportet cauſam quamobrem perdas mulierem.

Idem in Stuprum.

eſeque ii perire mavolunt ibidem, quam cum ſtupro redire ad ſuos populares.

Idem in Stuprum.

in illos deferant fortiſſimos viros, magnum ſtuprum populo fieri pergetis.

Idem in Summuſſos.

di ſummuſſos: proinde aperte dice quid ſit.

Idem in Tam.

ui, ſi taceat, dum videat, tam etiam ſciat quid ſcriptum eſt.

Idem in Titinnire.

itinnire & titinnabunt.

Idem in Titinnire.

Tantum ubi molle crepitum faciebant, titinnabant compedes.

Idem in Topper.

Capeſſet flammam Volcani topper.

Idem in Topper.

Namque nullum pejus macerat humanum, quamde mare ſævum. vires cui ſunt magnæ topper confringent importunæ undæ.

Idem in Præficæ.

Hæc quidem mehercle, opinor, præfica eſt, quæ ſic mortuum collaudat.

Idem in Sagmina.

Jus ſacratum Jovis jurandum ſagmine.

Idem in Sagmina.

Scapos atque verbenas ſagmina ſumpſerunt.

Iſidorus in Interbibere.

Mare interbibere.

Idem in Trionem.

Trionum hic moderator ruſticus.

Idem in Confrages.

In montes ubi venti frangebant locum.

Varro L. L. Lib. IV.

Dictator ubi currum inſidit, pervehitur uſque ad oppidum.

Idem Lib. VI.

Hoc ubi æthra cærula ſeptum ſtat hemiſphærium.

Idem ibid.

Diabathra in pedibus habebat, & erat amictus epicroco.

Servius ad Æneid. IV.

Struix malorum.

Macrobius Lib I. Cap. XVIII.

Hac qua ſol vagus igneas habenas
Immittit propius, jugatque terræ.

Idem Lib. VI. Cap. I.

Cum tu arcitenens ſagittis pollens dea.

Cicero in Orat.

Vos qui accolitis Hiſtrum fluvium, atque Algidum.

Idem ibid.

Quam numquam vobis Graii, atque barbari.

NÆVII EPITAPHIUM.
a ſeipſo compoſitum.

Gellius Lib. I. *Cap* XXIV.

Immortales mortales ſi foret fas flere,
Flerent divæ camœnæ Nævium poetam.
Itaque poſtquam orcio traditu' eſt theſauro,
Obliti ſunt Romæ lingua latina loquier.

M. PACUVII
FRAGMENTA

EX ANCHISE.

Gellius Lib. IV. *Cap.* XVII.

IN promontorium, cujus linguam in altum projicit.

ANTIOPA.

Nonius in Propages.

Salvete gemini, mea propages ſanguinis.

Frendere noctes miſera quas perpeſſa ſum.

Nonius in Frendere.

Fruges frendo ſolas, ac ſic probo re.

Nonius in Amolior.

Nonne hinc vos propere ſtabulis amolimini?

Idem in Attendo.

Sed cum animum attendo ad quærendum quid ſiet.

Idem in Minitabiliter.

Minitabiliterque increpare dictis ſævis incipit.

Feſtus in Torrens.

Flammeo vapore torrens terræ fœtum exuſſerit.

Diomedes in Inito.

Loca arida initas.

Soſipater in Inſomnia.

Perdita inluvie atque inſomnia.

Cervicum floros diſpargite crines.

Cicero de Divinat. Lib. II.

Quadrupes tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite brevi, cervice anguina, aſpectu truci,
Eviſcerata, inanima, cum animali ſono.

Non intelligimus, niſi aperte dixeris.

Teſtudo.

--- Ærumnis cor luctificabile fulta.

ARMORUM JUDICIO.

Nonius in Cauſari.

Qui ſeſe adfines eſſe ad cauſandum volunt,
De virtute iis ego cernundi do poteſtatem omnibus.

Nonius in Attollat.

Pro imperio agendum eſt. quis vetat quiſve attollat?

Idem in Inaudivi.

Quod ego inaudivi, accipite; &, quid facto opus, decernite.

Idem in Cernere.

--- Et æquum eſt & rectum quod poſtulas;
Jurati cernant. ---

Idem in Moneris.

Dic quid faciam; quod me * moneris, effectum da.

Idem in Veſci.

Qui viget, veſcatur armis; ut percipiat præmium.

Idem in Certetur.

An quis eſt, qui te eſſe dignum quicum certetur, putet

Idem in Pœnitebant.

--- Prologo.
Nunc * pœnitebunt, libant liberi grato ex loco.

Idem in Icit.

Nam canis quando eſt percuſſa lapido, non tam illum appetit
Qui ſe icit, quam illum eum ipſum lapidem, quo ſe
iſta eſt, petit.

F

Feſtus in Reapſe.

Si non eſt ingratum reapſe, quod feci bene.

Feſtus.

Tu te deſidere mavis reſidem, nos hic eſſe in labore.

Feſtus in Torvus.

Feroci ingenio torvus, prægrandi gradu.

Idem ibidem.

Quum recordor ejus ferocem & torvam confidentiam.

Soſipater in Abhinc.

Seque ad ludos jam inde abhinc exerceant.

Suetonius in Julio Cæſare.

Men' ſervaſſe, ut eſſent qui me perderent.

Cic. in Orat.

Nihilne ad te de judicio armorum accidit.

ATALANTA.

Nonius in Potiri.

Regi ut memorabis, nunc regnum potitur tranſmiſſu patris.

Idem in Stirps.

Dubito quam inſiſtam viam, aut quod primordium
Capiſſam ad ſtirpem exquirendum.

Idem in Confidentia.

Grandem atque atrocem coerce confidentiam.

Idem in Expedito.

Nam quod conabar, quum interventum eſt, dicere
Nunc expedibo. ---

Idem in Geminitudo.

Habeo ego iſtam qui diſtinguam inter vos, geminitudinem.

Idem in Famulitas.

Quas famulitas, vis, egeſtas, fama, formido, pavor.

Idem in Abdicare.

Mortem oſtentant, regno expellunt, conſanguineam
Eſſe abdicant- ---

Idem in Accuſativus ſingularis.

Parentum incertum inveſtigandum gratia.

Idem in Callere.

Omnes qui, tanquam nos, ſub regno ſerviunt,
Callent domi cum imperio metuere.

Idem in Civitas.

Nil ſollicita ſtudio, obſtupida ſuſpenſo animo civitas.

Idem in Parti.

Ubi ego me gravidam ſentio aggraveſcere
Propinquitate parti. ---

Idem in Itiner.

Dolet pigetque magis magiſque me conatum hoc nequicquam itiner.

Idem in Inſolens.

Quæ ægritudo inſolens mentem attentat tuam?

Idem in Occupare.

Super ſatis agere, ut ne in mare animum occupes.

Idem in Porcet.

Magna te, ut vereor, eloqui porcet pudor.

Idem in Triſtitas.

Quid iſthuc eſt? vultum alligat quæ triſtitas?

Idem in Rimari.

Quum incultos perveſtigans inrimarer ſinus,

Idem in Æquiter.

Conſentire ac diſſentire partem da curſum æquiter.

Idem in Cette.

--- Is veſtrorum uter ſit, cui ſignum datum eſt, cette.

Extremum intra canterem ipſum prægradat Parthenoreum

Idem in Plaga.

Et ſi metuo picta de plaga pallam.

Feſtus in Sexus.

Triplicem virili ſexu patruum procreat.

Idm in Ungulus.

Suſpenſum in lævo brachio oſtendo ungulum.

Calydonia altrix terra exuberantium virum.

Cepiſti me iſthoc verbo; miſeretur tui.

CHRYSE.

Varro L. L. Lib. VI.

Dii monerint meliora, atque amentiam averruncaſſint.

Cicero de Divinat. Lib. I.

Hoc vide circum ſupraque, quod complexu continet
Terram; id quod noſtri cœlum memorant, Graii perhibent æthera.
Quicquid eſt hoc, omnia is animat, format, auget, alit, ferat,
Sepelit, recipitque in ſeſe omnia; omniumque idem eſt pater:
Indidemque eadem quæ oriuntur, de integro æque eodem occidunt.

Cicero de Divinat. Lib. I.

Nam iſtis qui linguam avium intelligunt,
Pluſque ex alieno jecore ſapiunt, quam ex ſuo,
Magis audiendum quam auſcultandum cenſeo.

Cicero in Oratore.

Cives antiqui, amici majorum meum,
Conſilium Socii, augurium atque extum interpretes.

Poſtquam prodigium horriferum, portentum pavor.

Feſtus in Specus, Nonius in Nigret, & Aucupo.

Eſt ibi ſub eo ſaxo penitus ſtrata arena ingens ſpecus,
Solis quæ exortu capeſſit candorem, occaſu nigret.
Illud incipio ſaxum tentans eſcendere verticem
In ſummum, deinde in omneis parteis proſpectum aucupo.

Nonius in Veſcimur.

--- Fugimus qui arte hac veſcimur.

Idem in Adjutamini.

--- Adjutamini & defendite.

Idem in Augurat.

Propemodum animus conjectura de errore ejus augurat.

Idem in Integrare.

Sed ceſſo inimicitiam integrare.

Idem in Populare.

Atque ut promeruit pater, mihi patriam populavit meam.

Idem in Flucti.

--- Interea loci
Flucti flaceſcunt, ſileſcunt venti, mollitur mare.

Idem in Æſti.

Æſti forte exarido.

Idem in Opino.

Inveni * opino eſſe optumum, Oreſtes ut hæres ſit ſed tamen.

Idem in Dejugare.

--- Perque noſtram egregiam
Unanimitatem, quam memoria dejugat.

Idem in Poteſtur.

Si qua poteſtur inveſtigari via.

Idem in Certiſſant.

Atque eccos unde certiſſent.

Idem in Adjugare.

Mater eſt terra, ea parit corpus, animam æther adjugat.

Priſcianus in Oſſum.

Oſſum inhumatum, æſtuoſam auram.

Feſtus in Redantruare.

--- Promerendæ gratiæ,
Simul cum videam Graios nil mediocriter
Redantruare, opibuſque ſummis perſequi.

DULORESTE.

Nonius in Nobilitare.

Hiccine hic eſt, * quæ fame gratia ante omnes nobilitat viros?

Feſtus in Spectu.

Amplius; rubicundo colore & ſpectu protervo, ferox,
Caperata fronte?

Nonius in Hymenæum.

--- Hymenæum fremunt
Æquales: aula reſonit crepitu muſico.

Idem in Torto.

Nam te in tenebris ſæpe lacerabo fame
Clauſum, & fatigans artus torto diſtraham.

Idem in Macte.

Macte eſto virtute, operaque omenque approbo.

Idem in Dies.

Gnatam deſpondit, nuptiis hanc dat diem.

Idem in Pudet.

--- Quid? quondam & mihi
Piget paternum nomen, maternum pudet
Profari. ---

Idem

Idem in Vanitudo.

Primum hoc abs te oro, nimis inexorabilem
Faxis, ne turpalis vanitudine ætatem tuam.

Idem in Eliminare.

Ubi illic eſt? me miſerum, quam clamor eliminat.

Idem in Contendere.

Nil conjectura quivi interpretarier,
Quorſum flexivice contenderet.

Nonius in Accuſativus.

Nonne officium fungar vulgi, atque ægre malefactum feram?

Idem in Fuat.

Reſponſa explanat; mandat ne mater fuat
Cognoſcendi umquam aut contuendi copia.

Idem in Crepera.

Non vetet animum ægritudine in re crepera confici.

Idem in Orbitudine.

Vel cum illum videas ſollicitum orbitudine.

Idem in Itiner.

Delphos venum pecus * ſecundæ abſtabula ac itiner contuli.

Idem in Occupas.

--- Is quis eſt?
Qui tunc ſi tu illum occupas, leto * dabis.

Idem in Grandiri.

Nec grandiri frugum fœtum poſſe, nec miteſcere.

Idem in Prolixitudo.

Oro mi, ne flectas fandi mi prolixitudinem.

Idem in Conſternari.

Unde exoritur? quo præſidio fretus? auxiliis quibus?
Quo conſilio conſternatur? qua vi? cujus copiis?

Cicero de Oratore Lib. III.

Interea prope jam occidente ſole inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctiſque & nimbum occæcat nigror:
Flamma inter nubes coruſcat, cælum tonitru contremit:
Grando miſta imbri largifluo ſubita turbine præcipitans cadit.
Undique omnes venti erumpunt, ſævi exiſtunt turbines,
Fervet æſtu pelagus. ---

Nonius in Soniti.

Quidnam autem hoc ſoniti eſt, quod ſtridunt fores?

Idem in Incilet.

Si quis hac me oratione incilet, quid reſpondeam?

Idem in Matreſcam.

Utinam nunc matreſcam ingenio, ut meum patrem
Ulciſci queam. ---

Idem in Temeritudo.

Heu, non tyrannum novi temeritudinem?

Idem in Calvitur.

Me calvitur ſuſpicio: hoc eſt illud quod fore
Occulte Ajax prædixit.

Idem in Autumo.

Aut hic eſt, aut hic adfore actutum autumo.

Idem in Adjutatur.

Illum quæro qui adjutatur.

Idem in Fatiſcere.

Ut ſi ita ſunt promerita veſtra, æquiperare ut queam,
Vereor, ſi numquam fatiſcar facere quod quibo boni.

Idem in Amiciter.

Nunc ne illum exſpectes, quando amico amiciter
Feciſti. ---

Si Priamus adeſſet, & ipſe ejus commiſereſceret.

Allicui in Ægæo freto.

Ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus.

Priſcianus in Pleros.

Pater Achæos in Caphareis ſaxis pleros perdidit.

Nonius in Incertat.

Sed ne incertet dictio, quam rem expedi.

Extemplo Ægyſthi fidem nuncupantes conciebant populum.

Nonius in Munificus.

Animum quæ tum largitio multis ignota erat,
Munificus nemo putabatur, niſi pariter volens.

ΕΡΩΤΟΠΑΙΓΝΙΟΙΣ.

Nonius in Hoſtire.

Lib. 2. Hunc quod meum amiſſum nocens hoſtit voluntatem tuam.

HER-

HERMIONA.

Varro L. L. Lib. VI.

Regni alieni cupiditas pellexit.

Auctor Rhetoric. ad Heren. Lib. II.

Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam perhibent philoſophi:
Saxoque inſtare eam globoſo prædicant volubilem;
Ideo quo ſaxum fors impulerit, cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem eſſe memorant, quia nihil cernat quo ſeſe applicet.
Inſanam autem illam aiunt; quia atrox, incerta, inſtabiliſque ſit.
Brutam autem, quia dignum atque indignum nequeat internoſcere.
Sunt autem & alii philoſophi, qui contra fortunam negent
Eſſe ullam, ſed temeritate omnia autument regi. id magis
Veriſimile aiunt; quod uſus reapſe experiundo edocet.
Velut hic Oreſtes modo fuit rex, modo mendicus factus eſt.
Naufragio res hæc contigit. nempe ergo haud fortuna obtigit.

In turba Oreſti cognita, agnota eſt ſoror.

Nonius in Diſcorditas.

Quantamque ex diſcorditate cladem importem familiæ.

Idem in Amoliri.

Non tu te hinc e conſpectu amolire?

Idem in Genitivis.

Tyndareo fieri contumeliam, cujus a te veretur maxime.

Idem in Genitivo.

Nihilne te populi veretur, qui vociferare in via?

Idem in Aptus.

Quod ego in acie celebro objectans vitam, bellando aptus ſum.

Idem in Lamentas.

Lamentas, fletus facere compendi licet.

Idem in Brutum.

Et obnoxium eſſe, aut brutum, aut elinguem putes.

Idem in Dicere.

--- Prius data eſt,
Quam tibi dare dicta, aut quam reditum eſt Pergamo.

Idem in Concorditas.

Concorditatem hoſpitio adjunctam perpetem
Probitatem conſerveris. ---

Idem in Dignarent.

Quum neque me aſpicere æquales dignarent meæ.

Quid benefaciam ei, patris cujus opera te eſſe ultum autumat?

Nonius in Anxitudo.

Triſtitia atque animi intoleranda anxitudine.

Idem in Spiſſum.

Habet hoc ſenectus in ſe, cum pigra eſt ipſa, ut ſpiſſe omnia
Videantur confieri. ---

Idem in Clypeare.

Currum liquit, chlamyde contorta aſtu clupeat brachium.

Idem in Flexanima.

O flexanima, atque omnium regina rerum oratio.

Idem in Grandævitas.

--- Quod tamen ipſa orbitas,
Grandævitaſque Pelei per penuriam
Stirpis ſubaxet. ---

Idem in Tetinerim.

Sub judicio quoque omnes gradus tetinerim.

Idem in Moraret.

Paucis abſolvit, ne moraret diutius.

Idem in Clepere.

Sermonem hic noſtrum ex occulto clepit, quantum intelligo.

Idem in Domutio.

Nam ſolis Danais hic domutionem dedit.

Idem in Geminus.

Par fortitudo, gemina confidentia.

Feſtus in Tagit.

Aut non cernam, niſi tagam.

--- quas gloria & ---

Ibo atque dicam, frequentes ut eant gratatum hoſpiti.

ILIONA.

Nonius in Altercata.

Cur illa hic mecum altercata eſt?

Idem

Idem in Adiugat.

Blandam hortatricem adjugat voluntatem.

Idem in Cluentur.

Sed hæc cluentur hoſpitum infideliſſimi.

Nonius in Dignet.

--- Quis Deos
Infernos, quis cœleſtes dignet decorare hoſtiis?

Nonius in Expetunt.

Dii me, etſi perdunt, tamen eſſe adjutam expetunt:
Quod, priuſquam intereo, ſpatium ulciſcendi danunt.

Nonius in Lactare.

Ne porro te error, qui nunc lactat, maceret.

Idem in Poti.

Tu ſi conere, credo avitum ſceptrum patienter poti.

Idem in Inibi.

Profecto aut inibi eſt, aut jam potiuntur frugum.

Idem in Offendo.

Quos ego, ita ut volui, offendo incolumes.

Idem in Unoſe.

Occidiſti; ut multa paucis verba unoſe obnuntiem.

Feſtus in Perpetem.

Fac, ut cœpiſti, hanc operam mihi des perpetem
Oculis traxerim. ---

Feſtus in Repotia.

- - Ab eo
Depulſum mamma pædagogandum accipit
Repotialis Liber. ---

Nonius in Ungulus.

Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum.

MEDO (al. MEDEA.)

Nonius in Averruncaſſere.

Poſſum ego iſtam capite cladem averruncaſſere.

Idem in Bount.

Clamore & ſonitu colles reſonantes bount.

Idem in Vagat.

Quid tandem, ubi ea eſt? quod recepta exul incerta vagat.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Diverſi circumſpicimus, horror percipit.

Illum amor quem dederat, qui plus pollet, potiorque eſt patre.

Feſtus in Oſtentum. Nonius in Calvitur.

--- *Medea.* Atque eccum in ipſo tempore
Oſtentum ſenem. tueorne te ſenex? proh Jupiter!
Sen. Quis tu es mulier, quæ me inſueto nuncupaſti nomine?
Medea. Sentio, pater, te vocis * calvi ſimilitudine.
Sed quid conſpicor? num me lactens calvitur ævitas?
Cœlitum Camilla, exſpectata advenis: ſalve hoſpita.

Nonius in Soſpitare.

Populoque ut fauſtum ſempiterne ſoſpitent.

Nonius in Super.

Qua ſuper re interfectum eſſe Hippotem dixiſti?

Idem in Tetiniſſe.

Cedo, quorſum itiner tetiniſſe aiunt?

Idem in Fulgere.

Linguæ biſulcis actu criſpo fulgere.

Idem in abjugat.

Quæ res te ab ſtabulis abjugat, certum eſt loqui.

Idem in Illico.

Repudio auſpicium. regrediundum eſt illico.

Priſcianus in Egregius.

Mulier egregiiſſima forma.

Priſcianus in Pegi.

Acceſſi ad eam, & tonſillam pegi lævo in littore.

Soſipater.

Te Sol invoco, ut mihi poteſtatem duis
Inquirendi mei parentis. ---

Idem in Ques.

Ques ſunt iſti? ignoti, neſcio ques ignobiles.

Nonius in Attollere.

Cuſtodite iſtum vos, ne eum qui attollat, neve qui attigat.

Idem in Betere.

Ire ſi reſto, pergit iter: jam ſi ire conor, prohibet betere.

Inter ſe degularunt omnia.

MERCATORE.

Varro L. L. Lib. VI.

Non tibi iſthuc magis dividia eſt, quam mihi hodie fuit.

NIPTRIS.

Nonius in Infabre.

Barbari eam peſtem navibus noſtris obtulit
Nova figura factam, commiſſam infabre.

Idem in Facies.

Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum.

Priſcianus in Specus.

Advenio in ſcrupoſam ſpecum.

Inde advenio montem Oetam ſcrupoſam ſpecum.

Pedetentim ite, & ſedato niſu, ne ſuccuſſu arripiat major dolor.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. II.

Tu quoque Uliſſes, quamquam graviter cernimus ictum, nimis
Pene animo es molli, qui conſuetus in armis ævum agere.
--- Retinete, tenete, opprimite,
Ulcus nudate. heu miſerum me! excrucior.
Operite, abſcedite, jam jam mittite.
[illegible] attrectatu & quaſſu ſævum amplificatis dolorem.
Conqueri fortunam advorſam, non lamentari decet:
Id viri eſt officium: fletus muliebri ingenio additus.

Feſtus in Serilla.

Nec ulla ſubſcus cohibet compagem alvei,
Sed ſuta lino & ſparteis ſerillibus.

Nonius in Betite.

Vos hinc defenſum patriam in pugnam betite.

Idem in Pariter.

Pariter te eſſe erga illum video, ut illum te erga ſcio.

Cedo tamen pedem, lymphis flavis flavum ut pulverem
Manibus iſdem, quibus Ulyſſi ſæpe permulſi, abluam,
Laſſitudinemque minuam manuum mollitudine.

Feſtus.

Spartam repedare inſtat, id ſi perpetrat.

Idem.

Priuſquam oppeto malam peſtem hoſtili mandatam manu.

PAULLO.

Nonius in Progenii.

Pater ſupreme, noſtræ progenii patris.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. XV.

Quamvis caprigeno pecori grandior greſſio' ſt.

Nonius in Nivit.

Sagittis, plumbo, & ſaxis grandinat, nivit.

PERIBOEA.

Nonius in Moderat.

Neque tuum te ingenium moderat, neque fraternum ira exſulium levat.

Idem in Ætas Mala.

Parum eſt quod te ætas male habet, ni etiam hic ad malam
Ætatem adjungas cruciatum reticenti?

Idem in Gliſcit.

Sed neſcio quidnam eſt: animi horreſcit, gliſcit gaudium.

Idem in Perbitere.

Nam me perbitere, illic opitul[illegible]rier,
Quovis exitio cupio, dum p[illegible]a modo.

Idem in M[illegible]tus.

Thyaſantem fremitum concidi melum.

Nonius in Niti.

Ardua per loca agreſtia ac trepidante gradu nititur.

Varro L. L. Lib. VI.

Scrupea ſaxa Bacchi templa prope aggreditur.

Idem ibid.

Ardua per loca agreſti
Nititur, ac trepidante gradu,
Saxaque ſcrupea Bacchi,
Altaque templa prope aggreditur.

Nonius in Conſternari.

* Conſternatæ animæ, ex pectore hac, & volvere
Conſilium ſubit omnes, quod de nata eſt modo;
Quo pacto inimicis mortem, & huc vitam efferas.

Idem in Tætret.

Belluarum ac ferarum adventus ne tætret loca.

Pre-

Idem in Verruncem.

--- Precor veniam, petens
Ut quæ egi, ago, axim, (*Superi*) verruncent bene.

Idem in Vagat.

In triplici pertimefactus mœrore animi, incerte errans vagat.

Idem in Genitivus.

Poſtquam eſt oneratus frugum & floris Liberi.

Idem in Tamen.

Tamen obfirmato animo miteſcit metus.

Idem in Iniuria.

Patior facile injuriam, ſi eſt vacua a contumelia.

Idem in Accuſativis.

Regnum potior, conjugem macto inferis.

Idem in Autumare.

Flexa, non falſa autumare dictio Delphis ſolet.

Idem in Tuta.

Tu mulier tege & tuta templa Liberi.

Idem in Exanclare.

Non poteſt, Menalippe, hic ſine tua opera exanclari clavos.

Idem in Lapit.

Lapit cor cura, ærumna corpus conficit.

Idem in Macor.

Corpuſque meum tabe, mœrore, errore, macore ſenet.

Idem in Senium.

Metus, egeſtas, mœror, ſenium, exſuliumque & ſenectus.

Idem in Timiditas.

Ecfare quæ cor tuum timiditas territat.

Idem in Imbuere.

--- Nam ſi te regeret pudor,
Sive adeo cor ſapientia imbutum foret.

Idem in Expedibo.

--- Mane,
Expedibo: fac tu mihi contra quod rogo reſpondeas.

Idem in Accuſativus ſingularis.

Regnum imperator, æternum morum ſator.

Idem in Enoda.

Gnato ordinem omnem ut dederit, enodat patri.

Idem in Copem.

O multimodis varie dubium, & proſperum copem diem.

Priſcianus in Senet.

Quamquam ætas ſenet, ſatis habeat rem virium, ut te ab ara arceam.

Gloſſar.

Olli opitularier cupio.

PHINIDIS.

Feſtus.

Tacete, & tonſillas lævo in littore edite.

PSEUDONE.

Ni ego te blaterantem aſpicerem, his nuncium indicaſſem.

TANTALO,

Nonius in Prægreditur.

Extremum intra campterem, ipſum
Jam prægreditur parthenopæum.

TARENTILLA.

Varro L. L. Lib. VI.

Ab luce inluſtre.

TEUCRO.

Cic. de Divin. Lib. I.

Flexanima tamquam lymphata, & Bacchi ſacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans meum,
Alcyonis ritu litus pervolgans feror.

Servius in I. Æneid.

Armamentum ſtridor & rudentum ſibilus.

Cariſius Lib. I.

Qui ſtirpem occidit meum.

Cic. de Orat. Lib. II.

Segregare abs te auſus, aut ſine illo Salamina ingredi?
Neque paternum aſpectum es veritus?

Idem ibid.

--- Quem ætate exacta indigem
Liberum laceraſti, orbaſti, extinxiſti: neque fratris necis,
Neque gnati ejus parvi, qui tibi in tutelam eſt traditus?

Nonius in Alumnus.

Quæ deſiderio alumnum, pœnitudine,
Squale, ſcapreque inculta vaſtitudine.

Idem in Facul.

Nos illum interea perficiendo propitiaturos facul remur.

Feſtus in Reciprocare.

* Rapido, reciproco, percito, anguſto, citare, rectem, reciprocare unde, eque gremiis ſubjectare, adtigere.

Nonius in Putret.

Quamquam anniſque & ætate hoc corpus putret.

Feſtus in Tagit.

Ut ego, ſi quiſquam me tagit, & tagam.

Priſcianus Lib. IV.

Poſtquam defeſſus perrogitando advenas
De natis, neque quemquam invenit ſcium.

Priſcianus in Plera.

Periere Danaî, plera pars peſſumdata eſt.

Nonius in Hoſtire.

Niſi coerceo protervîtatem, atque hoſtio ferociam . .

Idm in Providere.

Aut me occide, illa hinc ſine uſquam provideam gradum.

Idem in Faceſſere.

Te repudio, nec recipio, naturam dico faceſſi.

Idem in Faceſſite.

Faceſſite hinc omnes, parumper tu mane.

Idem in Tueri.

Quam te poſt multis tueor tempeſtatibus.

Idem in Amplant.

Ubî poetæ pro ſua parte falſa conficta canant,
Qui cauſam humilem dictis amplant.

Feſtus in Perpetrare.

Neque perpetrare precibus nec pretio quit ---

Feſtus in Profuſus.

* Profuſus gemitu murmuro oceiſtians ruat.

Feſtus in Sapſa.

Nam Teucrum regi ſapſa res reſtibiliet.

Feſtus.

Maxime Teu . . . numquam . . .

Nonius in Ferocia.

Inſcitia, ferocitate, atque ferocia.

Idem in Accepſo.

--- Haud ſinam
Quidquam profari, priuſquam accepſo quod peto.

Idem in Properiter.

--- Mihi claſſem impetrat Theſſalam,
Noſtramque in altum ut properiter deducerem.

Servius in IX. Æneid.

Flictus navium.

Cic. Tuſc. Queſt.

Patria eſt, ubicumque eſt bene.

THYESTE.

Fulgentius.

Non illic luteis aurora bigis.

TUNICULARIA.

Varro L. L. Lib. VI.

Ecbolas quaſſant, ejiciunt.

INCERTIS EJUSDEM TRAGOEDIIS.

--- Piſcium laſciviam
Intuerentur, nec tuendi ſatias capere poſſiet?
Interea prope jam occidente ſole inhorreſcit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctiſque & nimbum occœcat nigror;
Flamma inter nubes coruſcat, cœlum tonitru contremit,
Grando mixta imbri largifluo ſubita præcipitans cadit:
Undique omnes venti erumpunt, ſævi exiſtunt turbines:
Fervit æſtu pelagus. ---

Cic. de Orat. Lib. II.

Segregare abs te auſus, aut ſine illo Salamina ingredi
Neque paternum aſpectum es veritus?

Cic. de Fin. Lib. V.

-- Ego ſum Oreſtes.
Imo enimvero ego ſum, inquam, Oreſtes.

Cic. de Divinat. Lib. II.

Grajugena de iſto aperit ipſa oratio.

Gellius Lib. XIII. Cap. VIII.

Ego odi homines ignava opera, & Philoſopha ſententi[a]

Idem

Idem Lib. XIV. Cap. I.

Nam ſi qui, quæ eventura ſunt, provideant,
Æquiperent Jovi. ---

Priſcianus in Calypſo.

Filios ſibi procreaſſe eandem per Calypſonem autumant.

--- Nerei
Repandiroſtrum incurvicervicum pecus.

Sol ſi perpetuo ſit, aut nox, flammeo vapore aut frigore terræ fructus omnes interire.

Varro L. L. Lib. IV.

Exhalat auram terra, atque auroram humidam.

Varro L. L. Lib. V.

Paſtor exorto jubare, noctis decurſo itinere.

Idem. L. L. Lib. VI.

Calydonia altrix terra exuberantium virum.

Idem in Fretum.

Liqui in Ægæo freto.

Varro in Æges.

(Æges) ferme aderant æquore in alto ratibus repentibus.

Varro L. L. Lib VI.

Flexanima tamquam lymphata. ---

Idem L. L. Lib. IV.

Alcyonis ritu littus pervolgans furor.

Idem L. L. Lib. VI.

Nulla res neque
Cicurare, neque mederier potis eſt, neque
Reficere. ---

Feſtus in Genæ.

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Idem in Incicorem.

Reprime incicorem iracundiam.

Idem in Cicur.

Conſilium cicur.

Idem in Manticulæ.

Ad manticulandum aſtu aggreditor. ſcite quid prome, erue.

Educ, i, manticulator. ita me facti oppreſſit jugo.

Aggreditur aſtu regem. manticulandum eſt hic mihi.
Machinam ordiris novam manticulatam aſtu. ---
Sanctiora adigis juranda jura, quibus cotidie
Parvæ noxæ extergeantur. ---

Idem in Mulcere.

Quid me obtutu terres, mulces laudibus?

Idem in Nequitur.

Sed cum contendi nequitum vi, clam tendendaeſt plaga.

Idem in Obſtinati.

Obſtinati exorſus.

Idem in Prologium.

Quid eſt? nam me exanimaſti prologio tuo.
--- Promerendæ g atiæ
Simul, cum videam Graios nihil mediocriter
Redamptruare, opibuſque ſummis perſequi.

Feſtus in Repeda.

Paulum repeda, gnate, a veſtibulo gradum.

. . . . pandite valvas . . . . complectar.

Feſtus in Salacia.

. . . . Hinc ſævitiam Salaciæ fugimus,
. . . . . veſcimur . . . mo . . .
. . . . ut me . . . . um ſeptem . . .

Feſtus in Solari.

Solatur, auxiliatur, hortaturque me.

Idem in Spira.

Quid ceſſatis, ſocii, ejicere ſpiras ſparteas?

Idem in Topper.

Topper tecum ſit poteſtas, faxit ſi mecum velit.

Idem in Trabica.

Labitur trabica in alveos.

Quoniam ille interit, imperium Caleſo tranſmiſſum eſt.

Quæ meum venenis flexit ſocium pectora.

--- Murmur maris.

Volucri currit axe quad iga.

Ques ſunt ii ignoti, neſcio ques ignobiles.

Agite, ite, volvite, rapite, coma tractate per
Aſpera ſaxa & humum: ſcindite veſtem ocyus.

At accepiſti me iſto cum verbo, miſeretur tui.

Nonius in Arvas.

Poſtquam calamitas plures annos arvas calvitur.

Idem in Debiliter.

Miſeret me, lacrimis lingua debiliter ſtupet.

Idem in Frons.

Voce ſuppreſſa, innato fronte, vultu turpido.

Idem in Confidens.

Improbus, confidens, nequam, malus videatur.

Quæ te applicaviſti tamen ærumnis obruta.

Priſcianus in Agnota.

In turba Oreſti cognita, agnota eſt ſoror.

Hic tibi ſtrepitus, fremitus, clamor, tonitru, rudentiſibilus.

Qui apud te, quaſi ſervos, eſt canicium panem.

Non ego ſic fui, ut nunc ſunt meretrices diobolæ,
Quæ ſuam nummi cauſa parvipendunt gratiam.

Diomedes Lib. III.

Omnivomo oceano Hyperion fulgurat euro,
Arrepto plauſtro Boreas bacchatur aheno,
Heſperio zephyro. ſed Orion volvitur auſtro,
Fulvo acrique noto vaga Cynthia proruit atro.

Epigramma Pacuvii verecundiſſimum & puriſſimum, dignumque ejus elegantiſſima gravitate.

Gellius Lib. I. Cap. XXIV.

Adoleſcens, tametſi properas, hoc te ſaxum rogat
Uti ſe adſpicias: deinde, quod ſcriptum eſt, legas:
Heic ſunt poetæ Pacuvii Marci ſita
Oſſa. hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale.

S. CÆCILII
FRAGMENTA

ÆTHRIONE.

Feſtus in Ora.

ORam reperire nullam, quam expediam, queo.

Idem in Numero.

Hei perii. quid ita? numero venit: fuge domum.

Idem in Sentinat.

Cum Mercurio capit conſilium, poſtquam ſentinat ſatis.

AMPHITRYONE.

Nonius in Proſumia.

De nocte ad portum ſum provectus proſumia.

ANDROGYNO.

Nonius in Tæniæ.

Sepulchrum plenum tæniarum, ita ut ſolet.

Idem in Stolidus.

Sed ego ſtolidus: gratulatum me oportuit prius.

ARIOLO.

Idem in Oreæ.

Deprandi autem leonis obdas oreas.

ARISTOSIS.

Heri vero proſpexiſſe eum expaſſum domi.

ASOTO.

Nonius in Edim.

Nihilne tibi eſſe quod edim?

Idem in Callere.

Tu jam callebis, ille ſeſtus deſidet.

Idem in Deſubito.

Nam ego duabus vigiliis tranſactis duco deſubito domum.

Idem in Meritiſſimo.

Meritiſſimo hic me ejecit ex hac decuria.

Idem in Depopulat.

Jamdudum depopulat macellum.

CAL-

CALCHIS.

Nonius in Parere.

Sat hic vicinus, ſe autem peperiſſe, & vobis datum id prudenter.

Idem in Soniti.

Nam quidnam fores fecere ſoniti?

CARINE.

Feſtus in Reluat.

Ut aurum & veſtem, quod matris fuit,
Reluat, quod viva ipſi oppoſuit pigneri.

CHRYSIO.

Gellius Lib. VII. *Cap.* XVII.

Quamquam ego mercede hic conductus tua advenio,
Ne tibi me eſſe ob eam rem obnoxium reare:
Audibis male, ſi male dicis mihi.

CRATINO.

Priſcianus in Concordis.

Modo fit obſequens, hilaris, comis, communis, concordis, dum id, quod petit, potitur.

Feſtus in Stalagmium.

Ex aure ejus ſtalagmium domi habeo.

DARDANO.

Nonius in Spiſſum.

Nihil ego ſpei credo: omnes res ſpiſſas facit.

DAVO.

Feſtus in Probrum.

Ea tum compreſſa parit huic puerum, ſibi probrum.

DE MANDATIS.

Nonius in Icit.

Si umquam quiſquam vidit quem catapulta aut baliſta icerit.

EMBONO.

Nonius in Auſcultare.

Audire ignoti quod imperant ſoleo, non auſcultare.

HEPHÆSTIONE.

Nonius in Senium.

Tum in ſenectute hoc deputo miſerrimum,
Sentire ea ætate eum ipſum eſſe odioſum alteri.

EPICLERO.

Priſcianus in Claudeat.

An ubi vos ſitis, ibi conſilium claudeat?

Priſcianus in Immemoris.

Itane, Antipho, juventus profluvia fide?
Itane eſt immemoris? itan' eſt madida memoria?

EPISATOMO.

Priſcianus in Celeris.

Si properas, extende huc in meam navem, ita celeris eſt.

EPISTOLA.

Priſcianus in Jovis.

Nam novus quidem Deus repertus eſt Jovis.

EXULE.

Nonius.

Non hæc putas? non hæc in corde verſantur tibi?

Idem in Abſcondit.

Nam hic in tenebris intus ſeſe abſcondit.

FALLACIA.

Nonius in Duriter.

Nam quam duriter vos educavit atque aſpere, non negat.

Idem in Quantiſper.

Velim pauliſper experiri te, quantiſper non plus triduum.

Idem in Aliquantiſper.

Nam ſi illi, poſtquam rem paternam amiſerant, egeſtate aliquantiſper jactati forent.

Idem in Officulatim.

Officulatim Parmenonem de via liceat legant.

Idem in Iniuriam.

Facile ærumnam ferre poſſunt, ſi male abeſt injuria: etiam injuriam, * niſi contra conſtant contumeliam.

Idem in Incurſim.

Nullus ſum, niſi meam rem jam omnem propero incurſim perdere.

Idem in Pugnitus.

Niſi quidam, qui ſe malit pugnitus peſſundari.

FŒNE

FŒNERATORE.

Nonius in Peniculamentum.

Volat ſanguis, ſimul anhelat peniculamentum, & pallio datur.

Idem in Pelvis.

Pelvim ſibi popoſcit.

GAMO.

Feſtus in Toxicum.

Ut hom. . . toxico tranſegerit.

HARPAZOMENE.

Nonius in Ineptitudinis.

Qui homo ineptitudinis cumulatus, cultum oblitus eſt.

Nonius in Collum.

Hunc collum ludo præcidi jube.

Idem in Pulchritatis.

Dii boni! quid illud eſt pulchritatis!

HYMNIDE.

Nonius in Luculentitas.

Vide luculentitatem ejus & magnificentiam.

Feſtus in Senium.

Sine ſuam ſenectutem ducat utique ad ſenium ſorbitio.

Idem in Prodigere.

Prodigere eſt, quum nihil habeas, te irriderier.

Idem in Nictare.

Garrulis medentes jactent ſive nictentur perticis.

Nonius in Licitari.

Quæ narrare inepti eſt ſcitras ferventis, quin machæra licitari adverſum quum cœpiſti ſciens.

Idem in Blaterare.

Deſine blaterare, nihil agit in amore inermis.

HYPOBOLIMÆO ÆSCHINO.

Nonius in Exigor.

Ego illud minus nihilo exigor portorium.

Idem in Tetuliſti.

Ærumnam pariter tetuliſti meam.

Feſtus in Stolidus.

Abi hinc tu ſtolide, illic ut tibi ſit pater?

Nonius in Lactare.

Mea raſtraria, quod proluvium, quæ volu ptas, quæ te lactat largitas?

Priſcianus in Schema.

Filius in me incedit ſatis hilari ſchema.

HYPOBOLIRASTRARIA.

Nonius in Obſorduit.

Obſorduit jam hæc in me ærumna miſeria.

Idem in Singulatim.

Hos ſingulatim ſapere, vos minus arbitror.

Idem in Mantat.

Jam voltu eodem in eadem mantat malitia.

MERETRICE.

Nonius in Profumia.

Qui pro gubernatore ſe gerens, prope evertit proſumiam.

Idem in Candelabrum.

Memini ibi candelabrum ligneum ardentem.

NAUCLERO.

Nonius in Suppilare.

Suppilatum eſſe eum, atque ornamenta omnia.

Idem in Infelicitent.

Ut te dii omnes infelicitent cum male monita memoria.

Idem in Audibis.

Num ab eo audibis, præterea ſi dicis, filia redeat Pergamo.

NOTONICASIONE.

Idem in Decolles.

Habes, vide, tibi tradidi: in tuo collo eſt, decolles cave.

Idem in Illico.

Illico ante oſtium hic erimus.

OBOLOSTATE.

Idem in Populatim.

Ego perdidi te, qui omnes ſervos perdo populatim: quæſo, ne ad malum hoc addas malum.

Idem

Idem in Depoſitus.

ſta re depoſitus modo ſum anima, vita ſepultus ſum.

Idem in Reperibit.

Nunc enimvero eſt, quum meæ morti remedium reperibit nemo.

Idem in Delicat.

i linguas decem habeam, vix habeam ſatis te qui laudem ache. immo vero hic ante ſolitus ſum delicat.

PAUSIMACHO.

Idem in Limaſſis.

Hoc a te poſtulo, ne cum meo gnato poſthac limaſſis caput.

Idem in Rarenter.

Edepol voluntas homini rarenter venit.

Idem in Molochinum.

arbaſina, molochina, ampelina.

Nonius in Coamatores.

iber eſſem jamdiu, ſi habuiſſem ingenioſos coamatores mihi.

PERIBOEA RASTRARIA.

Idem in Cœpiam.

ere obſcuro hercle deſinam, mane cœpiam.

PLOTIO.

Idem in Rarenter.

u nurum non vis odioſam tibi eſſe, quam rarenter videas.

Idem in Accuſativus.

Jum ejus mortem inibo.

Idem in Graviter.

lacere occœpit graviter poſtquam eſt mortua.

Cicero de Senectute.

Edepol ſenectus ſi nihil quidquam aliud vitii
pportet ſecum quum advenerit, unum id ſatis eſt,
Quod diu vivendo, multa quæ non vult videt.

Nonius in Extollat.

bi intro, atque iſta hæc aufer: tamen hodie extollat nuptias.

Idem in Sumpti.

uid hoc futurum obſonio, & ubi tantum ſumpti factum.

Idem in Auſpicant.

Inſanum hoſpitium aliter hiſtrionum eſt, atque ut magiſtratus publice quum auſpicant.

Idem in Opulentitate.

Opulentitate noſtra ſibi injuriam faciam.

Idem in Publicitus.

Ibo domum ad plebem: pergitur publicitus: defendendum eſt.

Idem in Pauperi.

Ibo ad forum, & pauperi tutelam geram.

Idem in Inſomnia.

Conſequitur comes inſomnia, ea porro inſaniam affert.

Idem in Danunt.

Patiere quod datur, quando optata non danunt.

Idem in Properatim.

Properatim in tenebris tunc confectum eſt opus.

Gellius Lib. II. *Cap.* XXIII.

S. Is demum miſer eſt, qui ærumnam ſuam nequit
Occultare. *M.* Ferre ita me uxor forma & factis facit.
Si taceam, tamen indicium eſt: quæ niſi dotem, omnia
Quæ nolis, habet. qui ſapit, de me diſcet, qui quaſi
Ab hoſte captus, libere ſervio, ſalva urbe atque arce.
Quæ nihil quidquam placet, eo privatum, vin' me ſervatum?
Dum ejus mortem inhio, egomet vivo mortuus
Inter vivos. ea me, clam ſe, cum mea ancilla ait
Conſuetum: id me arguit: ita plorando, orando,
Inſtando, atque objurgando, me obtudit, uti eam
Venundarem. nunc credo inter ſuas æquales
Et cognatas ſermonem ſerit, Quæ noſtrum fuit
Integra ætatula, quæ hoc itidem a viro
Impetrarit ſuo, quod ego anus modo
Effeci, pellice ut meum privarem virum?
Hæc erunt concilia hodie: differor ſermone miſer.

Idem ibidem.

S. Sed tua moroſane uxor quæſo eſt?
M. Quam rogas?
S. Qui tandem? *M.* tædet mentionis: quæ mihi, ubi domum
Adveni, ac ſedi, extemplo ſuavium datat jejuna anima.
S. Nihil peccat de ſuavio: ut devomas volt, quod foris potaveris.

Idem ibidem.

Is demum infortunatus eſt homo pauper,
Qui educit in egeſtate liberos, cui fortuna
Et res eſt, ut continuo pateat. nam opulento famam
Facile occultat factio. . . .

Gellius Lib. III. *Cap.* XVI.

Inſoletne mulier decimo menſe parere? Pol nono etiam.

tiam, ſeptimo atque octavo.

AD POL.

Feſtus in Floces.

Ego neque florem, neque floces volo mihi: vinum volo.

PUGILE.

Nonius in Nictare.

Tum inter laudandum hunc timidum tremulis palpebris
Percutere nictu: hic gaudere & mirarier.

SUBDITITIO.

Gellius Lib. XV. Cap. IX.

Nam ii ſunt inimici peſſimi, fronte hilaro,
Corde triſti, quos neque ut adprehendas, neque ut mittas ſcias.

Nonius in Iracunditer.

Quæſo ne temere hanc rem agas, & ne iracunditer.

SYMBOLO.

Idem in Deſtituit.

Deſtituit omnes ſervos ad menſam ante ſe.

SYNARISTUSIS.

Gellius Lib. XV. Cap. XV.

Heri vero proſpexiſſe eum ſe ex tegulis
Hæc nuntiaſſe, & flammeum expaſſum domi.

SYNEPHEBIS.

Cicero de Senectute.

Serunt arbores quæ alteri ſeculo proſint.

Feſtus in Collus.

Ad reſtim res redit: imo collus, non res. nam ille argentum habet.

SYRACUSIS.

Idem in Similitas.

Vide, Demea, hominis quid fert morum ſimilitas.

Idem in Stet.

Hic amet, familiæ fame pereant, ager autem ſtet ſentibus.

Idem in Indulcitas.

Tanta huic invaſit in corda indulcitas.

TITHE.

Idem in Concedere.

Hic dum abit, huc conceſſero.

TRIUMPHO.

Nonius in Succenturiare.

Nunc meæ malitiæ aſtutia opus eſt ſuccenturia.

Gellius Lib. VII. Cap. VII.

Hierocles hoſpes eſt mihi adoleſcens adprobus.

TYCHE.

Nonius in Contendam.

Egon' vitam meam Atticam contendam cum iſthac ruſticana Syra?

Idem in Compitum.

Ubi adjicientem compitum.

Idem in Gravidare.

Per myſteria hic inhoneſte gravidavit probro.

VENATORE.

Idem in Quæſti.

Satiſne huic ordine? etſi nihil egi quæſti, quia ſunt æmuli.

Idem in Vernaliter.

Credo nimis tandem hoc ſit vernaliter.

UMBRIS.

Priſcianus in Puere.

Age, age puere, duce me ad patrios fines, decoratus opipare.

Nonius in Turbam.

Mirum adeo niſi frater domi ebrius turbam aliquam dedit.

Idem in Balneæ.

Quid mihi non ſunt balneæ?

Idem in Uter.

Nunc uter creſcit, non poteſt celari.

Idem in Pecus.

Et homini & pecudibus omnibus.

EX

EX INCERTIS COMŒDIIS.

Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. IV.

. . . Deum qui non ſummum putet,
Aut ſtultum, aut rerum eſſe imperitum exiſtima.
Cui in manu ſit quem eſſe dementem velit,
Quem ſapere: quem ſanari, quem in morbum injici:
Quem contra amari, quem accerſiri, quem expeti.

Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. III.

Sæpe eſt etiam ſub palliolo ſordido ſapientia.

Gellius Lib. V. Cap. VI.

Advehuntur cum ilignea corona & chlamyde.
Dii voſtram fidem. . . .

Diomedes in Obſopo.

Mulierculam ego illam huic deſpondebo ex gnato ſaltem obſopem.

Donatus in Comment. ad Eunuchum.

Quid tibi aucupatio eſt argumentum, aut de meo amore verſificatio eſt patri?

Feſtus in Noxa.

Nam iſta quidem noxa mulieris eſt magis quam viri.

Diomedes in Grundire.

Cruento ita ore grundibat miſer.

Nonius in Factio.

Filium alta eorum fama occultabat & factio.

Idem in Illex.

Quid narras barbare cum indomitis moribus, illiterate? illex es.

Feſtus in Quiſquilias.

Quiſquilias volantis venti ſpolia memorant modo.

Idem in Truo.

Quæſo igitur quiſquis es, mea mulier.

Proh dii immortales! unde hic prorepſit truo?

Nonius in Lacte.

Tite præſertim quæ non peperit, lacte non habet.

Idem.

Nomen Virginis, niſi mirum eſt, deintegravit.

Diomedes.

Præterea ſi non ſarcire quitur.

Feſtus in Silicernium.

Credidi ſilicernium ejus me eſſe eſurum.

Nonius in Gramiæ.

Gramoſis oculis ipſa, atratis dentibus.

Priſcianus in Nullæ.

Nullæ nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam brevi ſpatio datas arbitror quam vobis.

Nonius in Tapete.

Glubrum tapete.

Donatus Comment. in Eunuchum.

Decora domi.

Varro.

Tantam rem dilabare, ut pro nihilo habuerit.

Priſcianus in Arbitrantur.

Ex ſcriptis eorum qui veri arbitrantur.

Diomedes in Hietare.

Sequere me tu qui mihi oſcitans hietanſque reſtas.

Priſcianus in Experrectis.

Mihi ſordido dormitum ſuadet ut eam quiſquam? etſi ego obdormiero, tute idem ibi eris experrectus.

Nonius.

Qui panis ſoli corbulam.

Idem in Gerræ.

Cur depopulato gerræ.

L. CA-

L. ACCII FRAGMENTA

ACHILLE.

Nonius in Delica.

QUa re alia ex crimine inimicorum effugere poſſis, delica.

Idem in Fervat.

Ne tum cum ſervat pectus iracundia.

Idem in Flaccent.

An ſceptra jam * flaccent, ferat.

ÆDILITIA.

Diomedes in Planipes.

Datum eſt aurum, exultat planipes.

Gellius Lib. VII. *Cap.* IX.

Sed ſi pepugero, metuet.

ÆGISTHO.

Nonius in Frageſcunt.

Neque fera hominum pectora frageſcunt, donec vim perſenſerint imperii.

Idem in Fligi.

Heu cujatis ſtirpem penitus fligi ſtudet.

Idem in Sordet.

Cum manus materno ſordet ſparſa ſanguine.

Idem in Callet.

Melius quam viri callent mulieres.

Idem in Celebri.

Celebri gradu greſſum adcelebraſſe decet.

ÆNEADIS, ſeu DECIO.

Idem in Devorato.

Patrio exemplo & me dicabo, atque animam devorabo hoſtibus.

Idem in Verruncent.

Te, ſancte, venerans precibus, invicte, invoco,
Portenta ut populo patriæ verruncent bene.

Nonius in Sanguen.

Vim Gallicam obduc contra in acie, exercitu-
Ve patrum hoſtili fuſum ſanguen ſanguine.

Idem in Reſonit.

Clamore & gemitu templum reſonit cœlitum.

Idem in Segnitas.

Et nunc quod eorum * ſegnitas ardet focus.

Idem in Ignavit.

Fateor; ſed ſæpe ignavit fortem in ſpe expectatio.

Idem in Minitabiliter.

Gallei voce canora fremitu peragrant minitabiliter.

Idem in Caſtra.

Caſtra hæc veſtra eſt, optime eſſis meritus a nobis,

Idem in Gliſcit.

* Dii ſumma tibi perduellum eſt, quorum aut quibus ſe a partibus
Gliſcunt. . . . .

Idem in Tumulti.

Nihil neque periculi, neque tumulti eſt, quod ſciam.

Idem in Callet.

Quod periti ſumus in vita, atque uſu callemus magis.

Idem in Adauctavit.

Quibus rem ſummam, & patriam noſtram quondam adauctavit pater.

AGAMEMNONIDIS.

Nonius in Obliterare.

Inimicitias Pelopidarum extincta jam obliteratas memoria renovare.

Idem in Componere.

Sic multi, animus quorum atroci junctus malitia eſt,
Com-

Compoſita dicta e pectore evolvunt ſuo,
Quæ cum componas, dicta factis diſcrepant.

In altiſono cœli clupeo.

ALCESTIDE.

Priſcianus in Strideret.

Cum ſtrideret retracta rurſus inferis.

ALCMÆONE.

Nonius in Vanans.

Tanta ut fruſtrando lactans vanans protrahit.

Idem in Specis.

Quod dii interdum inferam penitus depreſſum altis cluſere ſpecis.

Idem in Grandævitas.

Quia nec vos, nec illi impune irriderent meam grandævitatem.

Idem in Superſtites.

Suos deſeruit liberos, ſuperſtites ſunt.

Idem in Tarditudine.

Atque eccos ſegnis ſomno & tarditudine.

Idem in Amplexa.

Poſtremo amplexa, fructum quem dii dant, cape.

Idem in Generibus.

Qui ducat, cum te viderit ſocerum, generibus tantam eſſe impietatem.

Idem in Lætitudine.

Ut me repoſitum immerentem repentino nuntio alacrem
Reddidiſti, ac me excitaſti ex luctu in lætitudinem!

ALPHESIBŒA.

Idem in Enoda.

Quid hi tam obſcuri dicunt? eſtne tam inenodabile?

Idem in Dedicat.

At vereor, cum te eſſe Alcmæonis fratrem factis dedicat.

Idem in Anguſtitatem.

Sed anguſtitate incluſam, ac ſaxis ſqualidam.

Idem in Deponere.

. . . . Etſi eſt malis
Depoſitus animus meus, quæ ſcribi exinde audiet.

Idem.

Ita territa membra
Animo ægroto
Cunctant ſufferre laborem.

Idem in Miſeritudinem.

Cum ipſa ſim, & miſeritudo eorum ulla eſt liberum.

Idem in Genitivis.

Si tui veretur te progenitoris, cedo.

Idem in Aſpecti.

* Odiorum hoſtificumque diem obvium turbam aſpecti atque horribilem.

Idem in Cautim.

Sed tibi cautim eſt adeundum ad vitium.

AMPHITRUONE.

Nonius.

Si ſatis recte, aut vera ratione augurent.

Idem, & Feſtus.

Hoccine eſt, quod tu tam temeriter meam benevolentiam
Interiiſſe es ratus? aut tam obſtinato animo confiſus tuo?

Feſtus in Redhoſtire.

* Cedo ecquid te redhoſtitum cum meaſſem objectet facilius.

Nonius in Redhoſtire.

* Quid hic redhoſtit viam: comitem obiet facilius.

Idem in Mala ætate.

An mala ætate mavis male mulcari exemplis omnibus?

Idem.

Quin meum ſenium cum dolore tuo conjungam & comparem.

Idem in Orbitudinis.

Miſeret lachrimarum, luctuum, orbitudinis.

Idem in Tonſu.

Sed quænam hæc eſt mulier, funeſta veſte, tonſu lugubri
Ne, ſi forte paulo, quam tu, veniam ſerius.

Idem in Gracilitudo.

Tametſi ſtatuæ gracilitudo & propemodum luctus facit,
Ne abſitem. . . .

Idem in Sanguen.

Cum patre parvos patrum hoſtifice
Sanguine ſanguen vincere tuo.

Idem in Ordiri.

. . Non parvam rem ordibor; ne retice, obſecro.

Pertolerarem vim tantam, cladeſque exanclarem impatibiles.

ANDROMEDA.

Nonius in Algo.

Miſera obvalla ſaxo, ſenio, pedore, alguque & fame.

Nonius in Tetuliſti.

Donec tu auxilium, Perſeu, tetuliſti mihi.

Nonius in Vapos.

Qui neque terræ eſt datus, nec cineris cauſa umquam evasit vapos.

Idem in Prolubium.

Muliebre ingenium, prolubium, occaſio.

Idem.

Alui, educavi, id facite gratum ut ſit ſeni.

Idem in Fors.

Multi iniquo, mulier, animo ſibi mala auxere in malis,
Quibus natura prava magis, quam fors aut fortuna obfuit.

Priſcianus in Ningo.

Quum ninxerit cœleſtium molem mihi.

Niſi quod tua facultas nobis tulat operam.

Nonius in Segnitate.

Namque ut dicam te metu aut ſegnitate addubitare, haut meum'ſt.

Idem in Dividos.

Noſque ut ſeorſum dividos leto offeres.

Idem in Famulitas.

Nam poſtquam parvos oppreſſit famulitas.

Vis atque egeſtas, fama, formido, pudor.

Nonius.

Quot luna circulos annuo in curſu inſtitit.

Idem in Seges.

Quod beneficium haut ſterili in ſegete, rex, te obeſſe intellegis.

Nec qui te adjutem invenio: hortari piget; non prodeſſe, id pudet.

Nonius in Immane.

Immane te habeat templum obvallatum oſſibus.

ANNALIBUS.

Priſcianus Lib. V.

Maia nemus retinens gravido concepit in alvo.

Macrobius Sat. Lib. I. Cap. VII.

Maxima pars Graium Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt ſacra quæ Cronia eſſe iterantur ab illis:
Quumque diem celebrant, per agros urbeſque fere omnes
Exercent epulas læti, famuloſque procurant
Quiſque ſuos: noſtrique itidem. & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Feſtus in Metelli.

Calones, famulique, metellique, caculæque.

Priſcianus in Oſſum.

Fraxinus fixa ferox infenſa infunditur oſſis.

Idem in Alvus.

Ut quam frigidiſſimus alvus.

ANTENORIDIS.

Nonius in Integrent.

Namque huc venio, ut mea ope opes Troiæ integrem.

Idem in Mertet.

Fortaſſean ſint, quos hic non mertet metus.

Idem in Mactabo.

Quia aut illorum in campo fundam copias,
Aut navis uram, aut caſtra mactabo in mare.

Nonius in Æquiter.

. . . . . Ad populum intellego
Referunda, quorum jam æquiter ſententiæ
Fuere . . . .

Idem in Celeranter.

. . . . Sed hic quis eſt,
Qui matutinum curſum huc celeranter rapit?

ANTIGONA.

Idem in Numerum.

Ne iſtum numero amittas ſubitum oblatum.

Idem in Obitum.

At at, niſi me fallit in obitu ſonitus.

Idem in Expergite.

Heu vigiles, properate, expergite
Pectora tarda ſopore; exſurgite.

Idem in Reſupinas.

Quid agis? perturbas rem omnem, ac reſupinas ſoror.

Macrobius.

. . . . Jam jam neque dii regunt,
Neque profecto deum ſummus rex omnibus
Curat. . . .

Idem.

Quanto magis te iſtiuſmodi eſſe intellego,
Tanto, Antigona, magis me par eſt tibi
Conſulere & parcere.

ARGONAUTIS.

Ex perſona paſtoris qui primus vidit navem Argo.

Cic. de natura Deorum Lib. II.

. . . Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu & ſpiritu
Præ ſe undas volvit, vortices vi ſuſcitat,
Ruit prolapſa, pelagus reſpergit, reflat.
Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod ſublime ventis expulſum rapi
Saxum aut procellis, vel globoſos turbines
Exſiſtere ictos, undis concurſantibus.
Niſi quas terreſtres pontus ſtrages conciet.
Aut forte Triton fuſcina evertens ſpecus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo ſaxeum ad cælum vomit.

Idem ibidem.

Sicut citi atque alacres roſtris perfremunt
Delphini. . .

Idem ibidem.

. . Sylvani melo
Conſimilem ad aures cantum & auditum refert.

ARMORUM JUDICIO.

Cur vetera tam ex alto appetiſſis diſcidia,
Agamemno? . . .

Nonius.

Hem vereor, plus quam fas eſt, captivum hiſcere.

Idem in Veſci.

Cedit, Achilli inclutis armis veſci ſtudet,
Ut ea cuncta optime is levia præ illis putet.

Idem in Subiti.

. . . . . Bene facis;
Sed nunc quid ſubiti mihi febris æſtuat mali?

Idem in Componere.

Quid eſt cur componere auſis mihi te, aut me tibi?

Idem in Noxitudo.

Ocule, noxitudo obliteretur Pelopidarum, ac per nos ſanctefcat genus.

Idem in Imbutos.

Inter quos ſæpe & multo imbutos ſanguine.

Hujus me dividia cogit plus quam par eſt, loqui.

Major erit luctus, quum me damnatum audiet.

Nonius in Pervico, & Propria.

Sed pervico Ajax animo atque inorabili.
Nam non facile, ſine Deum opera, propria humana ſunt bona.

Idem.

Ubi cura eſt, ibi anxitudo; acerba ibi cuncta conſiliorum ratio & fortunæ.

Idem in Exerciti.

* In quo ſalutis ſpes ſupremas, ſummam ſibi habet exerciti.

Macrobius.

. . . Nam trophæum ferre me a forti viro,
Polchrum eſt: ſin autem & vincat, vinci a tali nullum eſt probrum.

Idem.

Virtuti ſis par, diſpar fortunis patris.

Auctor Rhet. ad Her. Lib. II.

Aperte fatur dictio, ſi intellegas,
Tali dari arma, qualis qui geſſit fuit,
Jubet, potiri ſi ſtudeamus Pergamo.
Quæ ego profiteor eſſe mea: nam me æquum eſt frui
Fraternis armis, mihique adjudicarier,
Vel quod propinquus, vel quod virtute æmulus.

Idem ibidem.

Qua cauſa accuſem hunc, nequeo putando evolvere?
Nam ſi veretur, quid eum accuſem, qui eſt probus?
Sin inverecundum animi ingenium poſſidet
Quid eum accuſem, qui id parvi auditu exiſtimet?

Idem

Idem ibid.

Nunc ego te ab ſummo jam detexam exordio.

Cic. de Orat.

Nihilne ad te de judicio armum accidit?

Cariſ. Lib. IV.

Vidi te, Ulyſſes, ſaxo ſternentem Hectora;
Vidi tegentem clupeo claſſem Doricam;
Ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam.

ASTYANACTE.

Nonius in Fortem.

Itera in quibus partibus (namque audire volo)
Si eſt quem exopto, & quo captus modo,
Fortunane an forte reperitur.

Idem in Miſeritudinem.

Troja eſt teſtis; quære ex aliis, qui illius miſeritudine
Nomen clarum in humili ſaxo multis memorant vocibus.

Idem in Aucupant.

Nunc in concilio id reges Argivum aucupant,
Id quærunt. . . .

Idem in Vaſtitates.

Propter te tot tantaſque habemus vaſtitates funerum.

Idem in Pecua.

. . . . In celſis montibus
Pecua, atque inter colles paſcunt Danai in Phrygiæ & terminis.

Idem in Populavit.

Qui noſtra per vim patria populavit bona.

Idem in Satias.

Quorum crudelitatem nulla umquam explet ſatias ſanguinis.

Idem in Divitant.

Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas; ſuas ut auro locupletent domos.

Idem in Derepente.

Hic per matutinum lumen tardo properantem gradu,
Derepente aſpicio ex nemore pavidum & properantem egredi.

Idem in Aſpecti.

Abducite intro. nam mihi miſertudine
Commovit animum excelſa aſpecti dignitas.

Idem.

Utinam unicam mihi antiſtitam arcitenens ſuam
Tuetur. . . .

Idem in Sæviter.

Ferum feroci contundendum vi permiſit ſæviter.

Idem in Obſcænum.

* Hunc altaiſpinem regionum fac, ac deſiſtet exercitum morari, nec me ab domuitione marceretur obſcœne homine.

ATHAMANTE.

Nonius in Indecoris.

Cujus ſit vita indecoris, mortem fugere turpem haud convenit.

Idem in Miſerarent.

Atque ita de illis merui, ut jure hæc numquam miſerarent mala.

Idem in Invadere.

Ut profugiens hoſtem, inimici invadam in manus.

Idem in Turbam.

An dubito? vah, quid agis? cave, ne in turbam te implices.

Idem in Grave.

Beneficium grave in hoſtium peperiſti gratiam.

Idem in Veſcuntur.

Priuſquam infans facinus oculi veſcuntur tui.
. . . Veritus ſum arbitror,
Atque utinam poſſim memet oblivifcier.

ATREO.

Nonius.

Ne cum tyranno quiſquam epulandi gratia
Accumbat menſam, aut eandem veſcatur dapem.

Idem in Sonere.

Sed quid tonitru turbida torvo
Concuſſa repente æquora cæli
Senſimu' ſonere? . .

Ego incipio, conata exſequar.

Nonius in Lacerti.

Concoquit partem vapore flammam tribuit verubus lacerata in focos.

Idem

Idem in Digner.

:gone Achivum imperium attingam, aut Pelopis digner domo?
:uoi me oſtendam? quod templum adeam? quem ore funeſto alloquar?

Priſcianus.

mul & Piſæa præmia arrepta a ſocru poſſedit ſuo.

Priſcianus in Delitor.

:pularum fictor ſcelerum, fratris delitor.

Cic. Orat. in L. Piſon.

. . Quamquam quod ad me attinet,
lumquam iſtam imminuam curam inficiando tibi.

Idem de Off. Lib. III.

[ulti iniqui atque infideles regno, pauci ſunt boni.

Idem ibid.

:egiſtine fidem? neque dedi, neque do infideli cuiquam.

Idem Tuſc. Lib. IV.

:uis homo te exſuperavit umquam gentium impudentia?
Quis autem malitia te? . . .

Idem ibid.

Major mihi moles, majus miſcendum malum,
:ui illius acerbum cor contundam & comprimam.

Idem ibid.

I pius hortatur me frater, ut meos malis miſer
anderem natos. . . .

Idem de Off. Lib. I.

:derint, dum metuant.

Idem ibid.

Itis ſepolchrum eſt ipſe parens.

Idem Tuſc. Lib. V.

Deinde ita parent ſe in vita, ut vinci neſciant.

Cic. de nat. Deor.

Cod re in ſumma ſummum eſſe arbitror
Piclum, matres coinquinari regias,
Contaminari ſtirpem, admiſceri genus.

Idem ibid.

Ado huc, quod mihi portento cœleſtum pater
Prodigium miſit regni ſtabilimen mei,
Anum inter pecudes aurea clarum coma,

Quondam Thyeſten clepere auſum eſſe e regia:
Qua in re adjutricem conjugem cepit ſibi.

AUTOMEDIA.

Nonius.

Immane te habeat templum, obvallatum oſſibus.

BACCHIS.

Nonius in Fulgere.

Lætum in Parnaſſo inter pinos, tripudiantem in circulis
Ludere, atque tædis fulgere. . . .

Nonius.

Quod neque ſat fingi, neque ſatis dici poteſt
Pro magnitate. . . .

Nonius in Lætitudine.

Quanta in venando affecti lætitudine.

Nonius in Modico.

Agite modico gradu, jacite thyrſos leves.

Idem.

Tum ſilveſtres exuvias lævo pictas lateri accommodant.

Idem in Fœtus.

Ubi ſanctus Cithæron frondet viridantibus fœtis.

Idem.

Quia neque vetuſtas, neque mors, neque grandævitas.

Idem in Nitiditate.

Formæ figura, nitiditate, hoſpes regius.

Idem in Nigret.

Splendet ſæpe, aſt idem nimbis interdum nigret.

Nonius in Vago.

Deinde omnes ſtirpe cum incluta Cadmeide
Vagant matronæ percitatæ tumultu.

Nonius.

Acre crepanteis melos.

Nonius.

Et nunc ſilvicolæ ignota inviſentes loca.

Macrobius Sat. Lib. IV.

O Dionyſe pater, optime vitiſator, Semela genitus Euthuia.

Fe-

Feſtus in Oſtentum.

* Præſens præſto irridetis nobis . . . ſtirpe ultro oſtentum obtulit.

Soſipater.

Indecorabiliter alienos alunt.

Lanugo flora nunc genas demum irrigat.

Nam flori crines video, ut propexi jacent.

Deinde ab jugulo pectus glauco pampino obnoxæ obtexunt.

B R U T O.

Tarquinius ſuperbus de ſomnio ſuo.

Cic. de Divinat. Lib. I.

Cum jam quieti corpus nocturno impetu
Dedi, ſopore placans artus languidos;
Viſum eſt in ſomnis paſtorem ad me appellere
Pecus lanigerum eximia polcritudine:
Duos conſanguineos arietes inde eligi,
Præclarioremque alterum involare me:
Deinde ejus germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad calum dari:
Exin proſtratum terra graviter ſaucium,
Reſupinum; in cœlo contueri maximum
Ac mirificum facinus; dextrorſum orbem flammeum,
Radiatum ſolis, liquier curſu novo.

Conjectorum interpretatio ſuper eodem ſomnio Tarquinii.

Idem ibidem.

Rex, quæ in vita uſurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitantque; ea ſi cui in ſomno accidunt,
Minus mirum eſt: ſed in re tanta haud temere viſa offerunt:
Proin vide, ne, quem tu eſſe hebetem deputes æque ac pecus,
Is ſapientia munitum pectus egregium gerat,
Teque regno expellat. nam id quod de ſole oſtentum eſt tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore
Perpropinquam. hæc bene verruncent populo. nam quod ad dexteram
Cepit curſum ab læva ſignum præpotens, polcherrime
Auguratum eſt, rem Romanam publicam ſummam fore.

Varro L. L. Lib. IV.

Qui recte conſulat, conſul fuat.

Nocte intempeſta noſtram devenit domum.

Tullius, qui libertatem civibus ſtabiliverat.

C H R Y S I P P O.

Feſtus in Pigraſſe.

Melius pigraſſe, quam properaſſe eſt nefas.

Nonius in Cernimus.

Quid agam? vox illius eſt certe. idem omnes cernimus.

Idem in Partiſſent.

Æternabilem divitiam partiſſent.

Feſtus in Rodus.

Neque quiſquam a telis vacuus, ſed uti cuique obvium fuerat ferrum, alius ſaxum, rodum,

Idem in Supereſcit.

Quin huic, ſi ſupereſcit, Spartam atque Amyclas trado.

C L Y T Æ M N E S T R A.

In pectore fulmen inchoatum, flammam oſtentabat Jovis.

Deum regnator nocte cæca cælum e conſpectu abſtulit.

Priſcianus in Reſonunt.

Sed valvæ reſonunt regiæ (domus.)

Feras potiuntur plagas.

Nonius in Incilat.

Matre meo jure factum incilas, genitorem injuſtum approbas.

Idem in Tetinerit.

Ut quæ tum abſentem rebus dubiis conjugem
Tetinerit, nunc prodat ultorem. . .

Idem in Pigrent.

Omnes gaudent facere recte, mali pigrent.

Idem in Compotem.

Cur me miſeram irridet magnis compotem & mul malis?

Nonius.

Scribam hanc mihi ſupremam lucem, & ſervitutis fine dari.

Idem.

Flucti immiſericordes jacere, & atra ad ſaxa allidere.

Idem in Sufferam.

Aut ego illum eripiam, aut illi pœnas ſufferam.

C O N C I L I A T R I C E.

Gellius Lib. VII. *Cap.* IX.

Urſum ſe memordiſſe autumat.

DE-

DEIPHOBO.

Priſcianus in Neximus.

Nos continuo ferrum eripimus omnibus, manicas neximus.

Vel hic qui in ea parte effrenata impudentia
Præſentem præſens dictis mertare inſtitit.

Nonius in Graviter.

* Aut infando homini gnatula erat, aut arena, ſi ex ſole,
Qui neque amico amicus umquam gravis, neque hoſtis hoſti fuit.

Idem.

Eo ante noctem, externa retia ut proveherem, & ſtatuerem.
Forte aliquanto quam ſolitus lembo ſum progreſſus longius.

DEMETRIO.

Nonius in Aptum.

Huic colomenula geminis aptum cornibus.

DIOMEDE.

Nonius.

Fere exanclavimus tyranni ſævum ingenium atque execrabile.

Nonius.

Non genus virum ornat, generis vir fortis loco.

Idem in Attendo.

Simul aurem attendo, ut quirem exaudire amplius.

Nonius in Attenderis.

Si umquam perpediar gnato, puer ne attenderis
Petere a me id, quod nefas ſit concedi tibi.

Nonius.

Adſum apud te, genitor.

Idem.

Paſſimque præda pecua balabant agris.

Idem in Largi.

Benigne, & pro beneficio largi atque ampliter.

Idem.

Ut qualis fuerit, fama celebreſcat tua.

Idem.

Multa amittuntur tarditie & ſocordia.

Idem in Inſolentia.

. . . Ita & fletu & tenebris obſtinatus
Speciem amiſſi luminis conſpiciunt * inſolentiam.

Feſtus in Gnobilis.

Me Argos referam, nam hic ſum nobilis,
Ne cui cognoſcar noto. . . . . .

Ogygia mœnia.

DULORESTE.

Nonius.

Vereor, ſi numquam fatiſcar facere quod quibo boni.

EPIGONIS.

Idem in Ulſo.

Qui, niſi genitores ulſo, nullum meis dat finem miſeriis.

Idem in Attigas.

Age, age, amolire, amitte, cave veſtem attigas.

Nonius in Pigrem.

Fateor: ſed cur propter te pigrem hæc, aut hujus dubitem parcere capiti?

Nonius in Pauſa.

Sed jam Amphilochum huc vadere cerno, & nobis datur bona pauſa loquendi.

Idem in Amnem.

Apud abundantem antiquam amnem, & rapidas undas Inachi.

Idem in Parcent.

Quibus oculis quiſquam noſtrum poterit illorum obtui
Voltus, quos jam ab armis anni porcent? . . . .

Nonius in Vulgus.

Et nonne Argivos fremere bellum, & velle vi vulgum videt?

* Maneas adhiſante exſulio macte Pelopis externis.

Nonius in Moderat.

Viden' ut te impietas ſtimulat, nec moderat metus?

Nonius in Collum.

Quid ceſſo ire ad eam? hem præſto eſt, camo collum gravum.

Idem.

Eloquere propere, ac pavorem hunc meum expectora.

EPINAUSIMACHE.

Soſipater in Duo.

Martes armis duo congreſſos crederes.

Idem.

Incurſio ita erat acris.

Priſcianus.

Lucifera lampade exurat Jovis arietem.

Nonius in Senium.

Mors amici ſubigit, quæ mihi eſt ſenium multo acerrimum.

Nonius in Exerciti.

Et contra, quantum obſueris, ſi victus ſies,
Conſidera, & quo revoces ſummam exerciti.

Idem in Anima.

Ut nunc cum animatus iero, ſatis armatus ſum.

Idem.

Probis probatum potius, quam multis fore.

Idem in Compara.

Proin tu id cui fiat, non qui facias, compara.

Nonius.

Quod ſi procedit, neque te, neque quemquam arbitror
Tuæ pœniturum laudis; quam ut ſerves, vide.

Idem in Terricula.

Ubi non terricula tua ſunt?

Idem in Amnis.

Sanguine undam ſalſo ſanctam obtexui Scamandriam,
Atque acervos alta in amni corpore explevi hoſtico.

Idem in Accuſativis.

Ab claſſe ad urbem tendunt, neque quiſquam poteſt
Fulgentium armum armatus ardorem obtui.

Idem in Fligi.

Nec perdoleſcit fligi ſocios morte, campos contegi.

Idem in Fatiſcere.

Tamen haud fatiſcar, quin tuam implorem fidem.

Idem in Cernere.

Primores procerum revocarent nomina, niſi
Eſſet quis qui armis ſecum vellet cernere.

Idem in Mutus.

Item ad mœſtitiam mutam infantium quadrupedum.

Idem in Accuſativis.

* Eos mortalis fœnis. *Lib.* x. miſeror ſæpe ſtuditos volo.

ERIGONA.

Nonius.

Sapimus animo, fruimur anima: ſine animo anima eſt debilis.

Nonius in Comitaſſet.

* Tum autem Ægiſthus ſi me eſſe eodem loco comitaſſet patri.

Idem in Putret.

Quamquam exſangue hoc corpus mihi annis putret.

Idem.

Ita imperitus ſtupiditate erumpit ſe, impos conſilii.

Idem Nonius in Genitivis.

Locrorum late viridia & frugum ubera.

Idem.

Aſſentio; age nunc tu tuam progeniem, & ordine.
Hoſpitem depoſita interimes.

Idem in Cleperet.

Eaque hoc cauſa, ut ne quis noſtra auribus verba cleperet.

Nonius in Gravit.

Sed ubi ad finem ventum eſt, in quo illum fors expectabat loco,
Atque Oreſtes gravis ſacerdos ferro prompto adſtitit.

Idem in Suppliciis.

Nunc pergam, ut ſuppliciis placans Cœlitum aras expleam.

Nonius.

Quod utinam me ſuis arcitenens telis mactaſſet dea.

ERIPHYLA.

Priſcianus.

Pallas bicorpor anguium ſpiras trahit.

EURYSACE.

Super Oceani ſtagna alta patris,
Terrarum amfracta reviſam.

No-

Nonius,

Nunc per terras vagus, extorris regno, exturbatus mari.

Idem in Enoda.

Tu autem, quod quæro abs te, enoda, & qui ſis explica.

Idem.

Nam ea oblectat ſpes ærumnoſum hoſpitem,
Dum id, quod miſer eſt, clam eſſe cenſet alteros.

Idem in Contendere.

* Jam potero incipiam, & ſine quid vi contendam ut hinc
Comportet texum Salaminem habeam.
Sed atratus tetra veſte, & vaſtitudine
Tam deformatus. . . .

Idem in Frageſcat.

Numquam erit tam immanis, cum mea opera extinctum ſciet,
Quin frageſcat. . . .

Idem.

Apud ipſum adſtas.

Idem.

* Diffidam autem, ne cidere turbat vulgum ambigua accius evitat, mœros disjicit.

Idem.

Perſuaſit mœror, anxitudo, error, dolor.

Idem in Accuſativis.

Heu me miſerum, cum hæc recordor, cum illos reminiſcor dies.

Idem in Opinione.

. . . . opinione tactum eſt, quanto minus
turpem educabant, tanto ut rebemur magis
...os eſſe. . . . . .

Idem.

...ot tropæa tranſdes, ſummam gloriam evorti ſines
...am deſubito?

Idem in Accuſativis.

...eprime parumper vim citatum quadrupedum.

Idem in Diſertim.

...iſertim id unum incommodis deſit meis.

Idem.

...o dii immortales! ſpeciem humanam, inuſitatam, egregiam,
Indignam clade & ſqualitudine,

Idem in Calvor.

Sed memet calvor. vos iſtum, ut juſſi, ocyus
Abſtrahite.

Idem.

Quemadmodum impetum occupemus facere ultro in regem.

Idem in Comparare.

* Nihil eſt. ſi autem ad te retardat, ſotium in portu eſt, copiaque ſubſiſtat modo, tu te ipſe effirma & compara.

Idem in Miſerari.

Heu mihi, ut etiam hæc ærumna mihi luctum addit luctibus!

N. * Quid miſerari id me Euryſacem tuam ſolitatem memoras, formidas tibi: te commiſerebar magis, quam miſerebar mei, & multis mei & aliquando vexata generibus.

Idem.

. . . Ille orbus, exſpes liberum.

Idem in Illico.

Illico inquam habitat * ovis quam propitius.

Atque, ut vides, non tenui de loco.

HECUBA.

Priſcianus.

Veter fatorum terminus ſic juſſerat.

HELENIBUS.

Feſtus.

Signa extemplo canere, & tela ob mœnia offerre imperat.

Idem.

Qui, niſi probrum, omnia alia indelicta æſtimant.

ILIONA.

Nonius.

Aut ſtagnorum * humorem rimarentur loca.

Idem in Sonunt.

Ibo ad eam, ut ſciſcam quid velint: valvæ ſonunt.

JONE.

Priſcianus in Aibant.

Quibuſnam te aibant ortum locis?

Idem Lib. X.

Ex taurigeno ſemine ortam fuiſſe, an humano eam?

Idem ibidem.

Cuſtodem aſſiduum Ioni appoſuit virgini.

Feſtus.

Topper, ut fit, patris tunc eicit iras.

MEDEA.

Nonius.

Ego me extollo in abietem, alte ex tuto proſpectans aucupo.

Idem.

Primo ex immani victum ad manſuetum applicans.

Nonius in Propria.

. . . Fors dominatur, neque ulli vita propria
In vita eſt. . .

Idem in Extiſpicum.

Principio extiſpicum ex prodigiis congruens ars te arguit.

Nonius.

Niſi ut aſtu ingenium, lingua laudem, dictis lactem lenibus.

Nonius in Aditum.

Tun' dia Medea es, cujus aditum exſpectans pervixi uſque adhuc?

Niſi quas terreſtris pontus ſtrages conciet.

Nonius in Pecuda.

Vagant, pavore pecuda in tumulis deferunt,
Qui nos paſcet poſtea?

Idem.

Qui potis eſt repelli quiſquam, ubi nullus eſt cauſandi locus?

Idem in Tabificatile.

Par neci orbificor, liberorum leto & tabificabili.

Idem in Fetis.

Perite in ſtabulis frenos immittens feris.

Idem.

Ut triſtis turbinum toleraret hiemes, mare cum horret fluctibus.

Idem in Lavit.

Lavere ſalſis vultum lacrimis.

Idem in Exſpes.

Exſul, inter hoſtis, exſpes, expers, deſertus, vagus.

Apud vetuſtam turrem. . . .

MELEAGRO.

Nonius in Ruſpantes.

Vagent ruſpantes Silvas, ſectantes feras.

Idem.

Quæ vaſtitudo hæc, aut unde invaſit mihi?

Idem in Herba.

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt, donant, tenent,
Pro ſe quiſque, cum corona clarum conſtat caput.

Idem in Dativis.

Cujus exuvias & coronam huic muneravit virgini.

Idem in Facul.

Erat virile iſtuc, ferre advorſam fortunam facul.

Idem in Frigit.

Frigit fricantem corpus aerium occulte abſtruſo in flumine.

Idem.

Frigit æſtas rubore ex oculis fulgens flammeo.

Idem in Torris.

Eum ſuum vitæ finem ac fati internecionem fore
Meleagro, torris cum eſſet interfectus flammeus.

Idem in Dignavi.

Remanet gloria apud me; exuvias dignavi Atalantæ dare.

Idem in Incilans.

Quis erit, qui non me ſpernens, incilans probris,
Sermone indecorans, turpi fama differet?

Idem in Ancillans.

Quam invita ancillans, dicto obediens viri.

Idem in Eliminor.

Tum ut eliminor clamore, ſimul ac nota vox ad aures accidit.

Idem in Grandeſcere.

Fruges perhibet grandeſcere.

Idem in Itiner.

Labore aut minuat itiner ingreſſum via.

Idem

Idem.

Cave laſſitudo poplitum curſum levet.

Idem in Manſues.

Nunc ſi me matrem manſues miſericordia
Capiit. . . . .

Idem in Fervit.

Heu cor ira fervit cæcum, amentia rapior, feror.

MENALIPPO, vel MELANIPPA.

Nonius in Invidit.

Quiſnam florem liberum invidit meum?

Feſtus in Noxam.

Te eſſe huic noxæ obnoxium.

Idem.

Neque ratum eſt quod dicas; neque quæ agitas, diſcendi locus eſt.

Feſtus in Rodus.

Conſtituit, cognovit, ſenſim conlocat ſe in celſum locum;
Hinc manibus rapere rodus ſaxeum grande & grave.

Incurioſa itaque es, Menalippe, rejicis abs te religionem, ſcrupeam,
Imponas. . . .

Nonius in Imbuturum.

Credite amici morte me imbuturum manus.

Idem.

Regina, erit tempus cum hic torris quem amburi vides.

Idem in Aptus.

* Obvia amens idque advorſum aptus, alter in promptu occupat.

Idem in Cette.

En eum aliquis cette in conſpectum, aut nos, ubi eſt, ducite ad eum.

Idem in Præſente.

Eſt res aliqua, quæ præſente his prius mature inſtitit.

Paratus ſum ubivis petere peſtem, perniciem.

Nonius.

Egone auxilio motus, temere ut hoſti me animato offeram?

Idem in Salti.

Hic Melanippum interea trajectus nemorum in ſalti faucibus.

Pro Jupiter! . . . . .

Revolſo ſtipite.

MINOTAURO.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. V.

Taurigeno ſemine ortum fuiſſe, an humano.

MYRMIDONIBUS.

Nonius.

Tu pertinaciam eſſe, Antiloche, hanc prædicas;
Ego pervicaciam aio, & a me uti volo.
Nam pervinacem dici me eſſe, & vincere,
Perfacile patior: pertinacem nil moror:
Hæc fortes ſequitur; illam indocti poſſident.
Tu addis quod vitio eſt, demis quod laudi datur.

Nonius.

Ego me non peccaſſe plane oſtendam; aut pœnas ſufferam.

Nonius in Accuſativis.

Mea fata in acie obliti.

Idem in Fidelitate.

Nolo equidem: ſed tu huic, quem ſcis quali in te ſiet
Fidelitate, ob fidam naturam viri
Ignoſce. . . .

Idem in Mœraret.

Quod ſi, ut decuit, ſtares mecum, haut me meus mœraret dolor;
Jam diu inflammarier naves vidiſſent ſuas.

Idem in Anima.

Claſſes trahere in ſalum, & vela ventorum animæ immittere.

Idem in Cernere.

Regnum tibi permitti malunt: cernam, tradam exercitus.

Idem.

Iram infrenes, obſtes animis, reprimas confidentiam.

Idem

Idem in Honeſtitudo.

Tua honeſtitudo Danaos decepit diu.

NEOPTOLEMO.

Nonius.

Ubi nihil contra rationem æquam habuit, aſſenſit ſilens.

Feſtus.

Vim, ferociam, animum, atrocitatem, iram, acrimoniam.

Satis jam dictum eſt, neque ego errantiæ animi prave morigerabor.

Nonius in Pudet.

Dolet, pudetque Graium me, & vero piget.

Sat in aſtu & fallendo callet.

Nonius.

Sed quem mihi jungent? cui, quæ cum illo fuerim, dignabor dari?

Idem in Sonere.

Atque adeo valvas ſonere ſenſi regias.

Idem in Genitivis.

Quid ſi ex Græcia omne nomen Ilium par nemo reperiri poteſt?

Ita ut dixi, macte his armis; macte virtute patris.

Nonius.

Vis veritatis atque acritas.

Feſtus in Tæniæ.

Decorare eſt ſatius quam urbem tæniis.

Feſtus in Tolerare.

Haud quiſquam potis eſt tolerare acritudinem.

Atque ego repercutio ratibus mare.

Nonius in Piget.

An pro me, Dane, qui te adjutem, invenio? hortari pudet, non prodeſſe, id piget.

Sed queſdam. . . .

NIPTRIS.

Nonius.

Inde advenio montem Oetam, ſcrupoſam ſpecum.

NYCTEGRESIA, al. NYCTEGERSIA.

Nonius in Ruſpari.

Lubet nunc attentare, lubet nunc animo ruſpari Phrygas.

Idem in Fervit.

Claſſis adit, clauditur, fervit.

Nonius.

Cuncta expedibo; id modo jusjurandum date.

Idem.

Illos ſuapte induxit virtus; tu laudem illorum levas?

Idem in Tumulti.

Cujus vos tumulti cauſa accierim, & quid parem, advortite.

Idem.

Scandit ora laterum texta Volcani vorax.

Id quod facis, gratum & grave eſt.

Aut ego illum eripiam, aut illi pœnas ſufferam.

Nonius in Lucti.

Tune, quod ſupereſt, ſocium mittis leto, an lucti pœnitet?

Idem in Accuſativis.

An ego Ulyſſem obliviſcar umquam, aut quemquam præponi velim?

OENOMAO.

Nonius in Faventia.

Vos ite actutum, atque opere magno edicite
Per urbem, ut omnes, qui arcem aſteumque accolunt
Cives, ominibus fauſtis auguſtam adhibeant
Faventiam. ore obſcœna dicta ſegregent.

Idem in Segetem.

Ferre ante auroram radiorum ardentum indicem.
Cum ſomno in ſegetem agreſtis cornutos cient,
Ut roſulentas terras ferro fidas
Proſcindant glebas, arvoque ex molli excitent.

Nonius & Feſtus in Expurgo.

Ego ut eſſem adfinis tibi, non ut te extinguerem,
Tuam petii gnatam. numero te expurgat timor.

Nonius in Grumum.

Quemcumque inſtiteram grumum, aut præciſum jugum.

Idem.

Saxum id facit anguſtitatem, & ſub eo ſaxo exuberans

Sca-

Scatebra fluvia eradit rupem.

Idem in Itere.

Præſto etiam adſum; exprome quid fers; nam te longo itere cerno vadere.

Idem in Itiner.

Conjugium Tiſis patere ad te itiner tendere.

Idem in Uſuram.

Atque hanc poſtremo ſolis uſuram cape.

Idem in Honeſtitudo.

Horrida honeſtitudo Europæ principium primum ex loco.

Nonius in Auguro.

Atque ea conjectura auguro.

PARIDE.

Frena theſauri equorum accommodant.

PELOPIDIS.

Nonius in Satu.

Nam me ut credam ex tuo eſſe conceptum ſatu,
Ut argumenta redigunt animum & commovent.

Nonius in Lætarem.

. . . & te ut triplici lætarem bono.

Idem in Lucti.

Ceſſo ire hinc, & rapere lucti veſtem in leto conjugis?

Gellius Lib. II. Cap. VI.

Ejus ſerpentis ſquamæ ſqualido auro & purpura
Prætextæ. . . .

Servius.

Nec tibi me in hac re gratari decet.

Marcian. Capella Lib. III.

. . . . Stimulove cor meum.

PERSIDIS.

Priſcianus.

Satin' ut quem cuique tribuit fortuna ordinem?
Numquam ulla humilitas ingenium infirmat bonum.

PHILOCTETE.

Apul. de Deo. Soc.

Inclute, parva prædite patria;
Nomine celebri, claroque potens
Pectore, Achivis claſſibu' ductor,
Gravis Dardaniis gentibus ultor,
Laertiade . . .

Nonius.

Contra eſt eundum cautim, & captandum mihi.

Idem.

Quod ted' obſecro, ne iſthæc aſpernabilem
Tætritudo mea me inculta faxit.

Idem in Habet.

Ubi habet? urbe, agrone?

Nonius in Contempla.

Contempla hanc ſedem, in qua ego novem hyemes
ſaxo ſtratus pertuli.

Nonius in Molitur.

. . . Ubi horrifer
Aquilonis ſtridor gelidas molitur nives.

Quod ejulatu, queſtu, gemitu, fremitibus,
Reſonando multum flebiles voces refert.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. II.

Cui viperino morſu venæ viſcerum
Veneno imbutæ tetros cruciatus cient.

. . . jacet in lecto humido,
Qui ejulatu, queſtu, gemitu, fremitibus, &c.

Cicero ibidem.

Heu, quis ſalſis fluctibu' mandet
Me ex ſublimi vertice ſaxi?
Jam jam abſumor: conficit animam
Vis vulneris, ulceris æſtus.

. . . Pinnigero, non armigero in corpore,
Exerceantur tela, abjecta gloria.

Cicero de fin. Lib. V.

Configo tardus celeres, ſtans volatiles,
Pro veſte pennis membra textis contegens.

Varro L. L. Lib. VI.

Quis tu es mortalis, qui in deſerta Lemnia
Et teſca te adportas loca?

Varro Lib. VI. & Cicero Tuſc. Lib. II.

. . . . . . Qui Lemni aſpera
Teſca tuere & celſa Cabirum
Delubra tenes, miſteriaque

Pri-

Priſtina caſtis concepta ſacris.

Idem ibid.

Et Volcania templa ſub ipſis
Collibus, in quos delatu' locos
Dicitur alto ab lumine cæli,
Ætnæa vi ſpirante, vapor
Fervidus; unde ignis mortalibus
Diviſſe cluet doctu' Prometheus
Clepiſſe dolo, pœnaſque Jovi
Fato expendiſſe ſupremo.

. . . Reciproca tendens
Nervo equino concita tela.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. I.

Quem neque tueri contra, nec affari queas.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. V.

. . . . Heu Mulciber
Arma ignavo invicta es fabricatus manu.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. V.

Caprigenum trita ungulis.

Si imperaſſes tibi, ego nunc non eſſem miſer.

Nonius in Cupienter.

. . . Cui poteſtas ſi detur, tua
Cupienter malis membra diſcerpat ſuis.

Idem in Succuſare.

Agite, ac, volnus ne ſuccuſſet greſſus, caute ingredimini.

Idem in Immanis.

Phrygiam mitiorem eſſe immani Græcia.

Loca aſpera, ſaxa teſca tuor.

PHINIDIS.

Nonius in Sonit.

Ac ubi curvo litore latrans
Unda ſub undis labunda ſonit.

Nonius in Cachinnare.

Simul & circum magna ſonantibus
Excita ſaxis ſæva ſonando
Crepitu clangente cachinnat.

Nonius in Sublima.

Aut ſæpe ex humili ſede ſublimæ advolant.

Neque ulla curas finis interea datur.

Nonius.

Salſis cruorem guttis lachrimarum lavit.

Abtorque proram, ac ſuppa tortas copulas.

Quæ veat graſo tibi congenerat gentium aut generum affinitas.

Nonius in Medicina.

Sevenis ſterilem eſſe illius opera, medicina autumans.

Tacete, & tonſillas littore in lævo edite.

PHŒNISSIS.

Priſcianus Lib. de Verſibus Comicis.

Sol, qui micantem candido curru atque equis
Flammam citatis fervido ardore explicas,
Quianam tam adverſo augurio & inimico omine
Thebis radiatum lumen oſtendis tuum?

Nonius.

Viciſſitatemque imperitandi tradidit.

Idem in Dividiæ.

Ne eorum dividæ diſcordiæ diſſupent
Et diſturbent tantas & tam opimas civium
Divitias. . . .

Idem in Vaſteſcant.

Juſſit proficiſci exſulium quovis gentium,
Ne ſcelere tuo Thebani vaſteſcant agri.

Nonius.

Egredere, exi, effer te ex urbe, elimina.

Nonius.

Obit nunc veſtra mœnia, & omnis ſaucios
Conviſit, ut curentur diligentius.

Nonius in Sanctitudines.

Delubra cœlitum, maris ſanctitudines.

Nonius in Expectorant.

Incuſant ultro, a fortuna opibuſque omnibus
Deſertum, abjectum, afflictum ex animo expectorant.

Nonius in Potiri.

Gnatus virtute ſceptrum potiretur patris.

Idem in Caſtitudo.

Ibi fas, ibi cunctam antiquam caſtitudinem.

Idem

Idem in Antiquior.

Ab dracontis ſtirpe armata exortus, genere antiquior.

Nonius in Crepera.

Quæ ego cuncta eſſe fluxa in mea re crepera comperi.

Idem.

Num pariter videor patris veſci præmiis?

PROMETHEO.

Prometheus ad Caucaſum affixus.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. II.

Titanum ſoboles, ſocia noſtri ſanguinis,
Generata cœlo, adſpicite relegatum aſperis
Vinctumque ſaxis; navem ut horriſono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitæ:
Saturnius me ſic infixit Jupiter,
Jovisque numen Mulciberi adſcivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inſerens
Perrupit artus: qua miſer ſolertia
Tranſverberatus, caſtrum hoc furiarum incolo.
Jam tertio me quoque funeſto die,
Triſti advolatu aduncis lacerans unguibus
Jovis ſatelles paſtu dilaniat fero:
Tum jecore opimo farta & ſatiata affatim,
Clangorem fundit vaſtum. & ſublime advolans
Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinem.
Quum vero adeſum inflatu renovatum eſt jecur,
Tum rurſus tetros avida ſe ad paſtus refert.
Sic hunc cuſtodem mœſti cruciatus alo,
Qui me perennivivum fœdat miſeria.
Namque, ut videtis, vinclis conſtrictus Jovis,
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.
Sic me ipſe viduus peſtes excipio anxias,
Amore mortis terminum anquirens mali:
Sed longe a leto numine aſpellor Jovis:
Atque hæc vetuſta, ſæclis glomerata horridis,
Luctifica clades noſtro infixa eſt corpori;
Ex quo liquatæ ſolis ardore excidunt
Guttæ, quæ ſaxa aſſidue inſtillant Caucaſi.

Idem ibidem.

Atqui, Prometheu, te hoc tenere exiſtimo,
Mederi poſſe rationem iracundiæ.

Prometheus.

Si quidem qui tempeſtivam medicinam admovens
Non adgraveſcens volnus illidat manus.

Nonius.

. . . Tum profuſus flamine hyberno gelus.

PUTATORIBUS.

Nonius in Latibuletur.

Progredere, & ne quis latibuletur, proſpice.

SOTADICORUM Lib. I.

Gellius Lib. VII. Cap. IX.

Non ergo aquila, ita ut hi prædicant,
Ceciderat pectus. . . .

STASIASTIS, vel, TROPÆO.

Nonius in Corporare.

Corporare abs tergo es auſus.

Nonius in Liquerit.

* Tum ſibi deloi de lore hoc anima corpus liquerit.

Nonius in Lautum.

Volnere tetro deformatum ſuo ſibi lautum ſanguine tepido.

Nonius.

Non vides quam turbam, quoſve fluctus concites?

TELEPHO.

Priſcianus.

Jam jam ſtupido Theſſala ſomno
Pectora languentque, ſenentque.

His videntur continuo annectenda;

Jam jamque auroram
Rutilare procul cerno.

Nonius.

Nam ſi a me regnum fortuna atque opes
Eripere quivit, at virtutem non quiit.

Nonius in Mæſtitudo.

. . . Quem ego ubi adſpexi, virum
Memorabilem intui viderer, ni veſtitus teter,
Mœſtitudo, vaſtitudo prædicarent hominem eſſe.

Nonius in Molle.

. . . Remiſque nixi, properiter navem in fugam
Tradunt, ſubter ſaxa ad lævam, qua mons mollibat mare.

Idem in Crepera.

Nunc tu in re crepera tua quid capias conſilii, vide.

Nonius in Terricula.

Proinde iſta hæc tua aufer terricula, atque animum iratum comprime.

. . . Studiumque iteris reprime.

Nonius in Augura.

Pro certo arbitrabor ſortis oracla, adytis augura.

Idem in Satu.

Profecto haudquaquam eſt ortus meliori ſatu.

Idem in Cujatis.

Qui neque cujatis eſſet umquam potuimus multa erogitantes ſciſcere.

Idem.

Nam etſi opertus ſqualitate eſt, luctuque horrificali.

Idem in Fervere.

Ære atque ferro fervere, igni, inſignibus
Florere. . . .

Idem in Nobilitat.

Nam is demum miſer eſt, cujus nobilitas miſerias nobilitat.

Idem in Flucti.

Flucti cruoris volverent mihi.

Priſcianus.

Quantam Tyndareo gnata, & Menelai domus
Molem excitarit belli, paſtorque illius.

TEREO.

Nonius in Depoſitus.

Tereus indomito more atque animo barbaro
Conſpexit in eam, amore vecors, flammeus, &
Depoſitus: facinus peſſimum ex dementia
Confingit. . . .

Nonius in Contendas.

Video ego te, mulier, more multarum utier,
Ut vim contendas tuam ad majeſtatem viri.

Idem in Dulcitas.

O ſuavem linguæ ſonitum, o dulcitas conſpirantis animæ!

Nonius in Famulanter.

Deum Cadmo generatum Semela affare, & famulanter pete.

Nonius in Comparo.

Atque id ego ſemper mecum ſic agito & comparo,
Quo pacto magnam molem minuam. . . .

Idem in Sanctitudo.

Alia hic ſanctitudo eſt, aliud & nomen & numen Jovis.

Idem in Vagat.

Fama, non nobilitas alta ex ſtirpe præclare vagat.

Idem in Ferox.

Novus novo habitu, advena
Animo audaci in medium proripit ſeſe ferox.

* Sed ubi clamor is regem auferre ab regina occupo puerum.

TRACHINIIS.

Herculis tunicati ejulatio.

O multa dictu gravia, perpeſſu aſpera,
Quæ corpore exanclato atque animo pertuli!
Nec mihi Junonis terror implacabilis,
Nec tantum invexit triſtis Euryſtheus mali,
Quantum una vecors Oenei partu edita:
Hæc me irretivit veſte furiali inſcium.
Quæ lateri inhærens morſu lacerat viſcera,
Urgenſque graviter pulmonum haurit ſpiritus:
Jam decolorem ſanguinem omnem exſorbuit.
Ipſe corpus clade horribili abſumptum extabuit.
Ipſe alligatus peſte interimor textili.
Hos non hoſtilis dextra, non terra edita
Moles gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo;
Non Graia vis, non barbara ulla immanitas,
Non ſæva terris gens relegata ultimis;
Quas peragrans, undique omnem hinc feritatem expuli:
Sed feminea vi, feminea interimor manu.
O nate, vere hoc nomen uſurpa patri,
Nec me occidentem matris ſuperet caritas:
Huc arripe ad me manibus abſtractam piis:
Jam cernam, me an illam potiorem putes.
Perge, aude, nate; illacruma patris peſtibus:
Miſerere. gentes noſtras flebunt miſerias.
Heu! virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemiſcentem malo!
Sic feminata virtus afflicta occidit?
Accede, nate; adſiſte. miſerandum adſpice
Eviſceratum corpus lacerati patris.
Videte cuncti: tuque cœleſtum ſator
Jace, obſecro, in me vim coruſcam fulminis.
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vortices:
Nunc ſerpit ardor. o ante victrices manus!
O pectora! o terga! o lacertorum tori!
Veſtrone preſſu quondam Nemeæus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetra mactata excetra
Placavit? hæc bicorporem afflixit manum?
Erymanthiam hæc vaſtificam abjecit belluam?
Hæc, e Tartarea tenebrica abſtractum plaga,
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem?
Hæc interemit tortu multiplicabili
Dracontem, auriferam obtutu obſervantem arborem?
Multa alia victrix noſtra luſtravit manus.
Nec quiſquam e noſtris ſpolia cepit laudibus.

Henr.

Henr. Stephanus ſuperiores verſus, non uti Attianos, ſed Ciceronianos cum Sophoclis Trachin. verſibus contulit, in Lexic. Ciceron. Græco-Lat.

Recte perfecteis ſacreis volt accipi.

THEBAIDE.

Nonius in Nitidare.

Quin id Circæo fonte advenient mundulæ nitidantur vulgo,
Pripendantur ſoni.

TROADIBUS.

Nonius in Frendere.

Saxo fruges frendas.

* Nocturnam ſaxo fruges franges torridas.

Priſcianus.

Sed utrum terræmotus, ſonituſve Inferum
Pervalit auris inter tonitra & turbines?

Diomedes Lib. I.

—— Nam neque pretio,
Neque amicitia, neque vi impelli, neque prece quita ſum.

EX INCERTIS LOCIS.

Nonius in Ferox.

Neque vi tanta quiſquam eſt, neque tam abundans fortunis ferox.

Nonius in Labaſcatur.

Nullum eſt ingenium tantum, neque cor tam ferum,
Quod non labaſcatur lingua, miteſcat malo.

Nonius in Frena.

Pars frena terſa ori equorum accommodant. *Vid. ſupra in* Paride.

Varro in Polus.

. . . Pervade polum
Splendida mundi ſidera bigis
Continuis ſe cœpit ſpoliis.

Varro in Aurora.

Jamque auroram rutilare procul cerno.

Oblivio lavet, quod incidit invidendum.

Citius Orion patefit.

Myſtica ad dextram per vada vecti.

Varro in Numen.

Multis nomen veſtrum numenque ciendo.

Recte perfectis ſacris vult accipi.

Feſtus in Mundus.

Cum virginali mundo clam patre.

Sed jam propellunt rates ſolum.

Feſtus in Repudium.

Repudio ejecta ab Argis jam dudum exſulo.

Odi reſiduos, ſomno deditos atque inertes.

Si rite ad patriam ſalvus & ſoſpes perveniſſet.

Feſtus in Vaſtum.

Jam hanc urbem ferro vaſtam faciet Peleus.

Quadrurbem Athenas.

Priſcianus in Io.

Cuſtodem aſſiduum Ioni appoſuit virgini.

Nam neque pretio, neque amicitia, neque vi impelli, neque prece quitus ſum.

Unde omnia perdiſci ac percipi queuntur.

Gradus eliminat.

Priſcianus in Experta.

Multa inventa expertaque ex hoc ſunt bona.

Non calida latice lautus.

An hæc jam obliti ſunt Phryges?

Soſipater Lib. I.

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quænam umquam ob mortem Myrtili
Pœnis luendis dabitur ſatias ſupplicii?

Priſcianus Lib. VII.

Quorum genitor fertur eſſe ops gentibus.

. . . . . Præfervido fulgore . . . .
Ardor injectus Junonis dextera ingenti incidit.

Unde eſtis nautæ huc hieme delati?

Cicero de Officiis Lib. III.

Multi iniqui atque infideles regno, pauci ſunt boni.

Fregiſtine fidem? N. Neque dedi, neque do infideli quoiquam.

Imo enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abſtuli.

Scindens dolore identidem intonſam comam.

Cicero de Oratore.

Video ſepolcra dua duorum corporum.

 Idem

Idem ibidem.

— Mulier una duum virum.

Ecquis hoc animadvertit? vincite.

Nonius in Vulgus.

Evitat, mœros disjicit.

Varro in Miriones.

Perſonas diſtortas, oribus deformes, miriones.

Varro in Scrantiæ.

Scrantiæ, ſcrupedæ, ſtritabillæ, tantalæ.

Idem in Reciprocare.

Reciproca tendens nervo equino concita tela.

Varro in Intempeſta.

Nocte intempeſta noſtram devenit ad domum.

Idem.

Veteres Caſmenas, caſcas res volo profari.

CAII LUCILII
FRAGMENTA

SATYRIS.

LIBER I.

Nonius in Pauſa.

HÆc ubi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.

Nonius in Protolleret.

Si non amplius ad luſtrum hoc protolleret unum.

Nonius in Grangræna.

Serpere uti grangræna malo ad quem herpeſtica poſſet.

Nonius in Amphitapæ.

Pſilæ atque amphitapæ villis ingentibus molles.

Nonius in Tunica.

Prætextæ ac tunicæ Lydorum opus ſordidum omne.

Nonius in Contendere.

. . . ut contendere poſſem
Theſtiadas Ledæ, atque Ixionas Archilochio.

Macrobius Sat. Lib. VII. Cap. IV.

Porro chænopodas, clinopodas, lychnoſque.

Idem.

Diximus cenuos ante pedes lecti atque lucernas.

Nonius in Priva.

Ad cœnam adducam, & primum hiſce abdomina thynni
Advenientibus priva dabo, cephaleamque carnem.

Nonius in Cynædos.

Stulte ſaltatum te interveniſſe cinædos.

Nonius in Munus fungi.

Munus tamen fungi, & muros ſervare.

Diomedes Lib. III. Cap. VI.

Per ſatyram ædilem factum qui legibus ſolvat.

Nonius in Sceleroſi.

Non vim, ætatem, tempeſtatem hanc ſceleroſi merentur.

Donatus in Andriæ locum. Nodum, in Scirpo quæris.

Nodum in ſcirpo inſane facere vulgus.

Soſipater in Amplius.

Quo pacto populum atque urbem ſervare potis ſit
Amplius Romanam.

Donatus in Ter. & Charis. in Canes, & Nonius in Irritare.

Irritata canes quam homo quam planius dicit.

Nonius in Miracula.

Miracula ciet thelephantas.

No-

Nonius in Popina.

Inſamem honeſtam turpemque odiſſe popinam.

Nonius in Vultus.

Vultus item ut facies mors citer morbus venenum.

Nonius in Ablativis.

Porro quæcumque & cuicumque, ut diximus ante,
Obſtiterit, primo hoc minuendi refert res.

Nonius in Mereo.

Et mercede meret religiones.

LIBRO II.

Donatus in Phormionem, & Nonius in Lurcones.

Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.

Priſcianus in Occido.

. . quæ horis ſu..lata duabus
Omnia ſunt, ſole occaſu duoque.

Nonius in Caballus.

..ccuſſatoris tetri tardique caballi.

Nonius in Catax.

..oſtilibus contra peſtem perniciemque catax quam Manlius nobis.

Nonius in Circumferre.

..um facta omnia ſunt circumlata.

Nonius in Ricinum.

..icini aurati cicæ & oraria mitræ.

Nonius in Capulum.

..uem ille quum vidiſſent Hortenſius Poſtumiuſque,
..æteri item in capulo hunc non eſſe, aliumque cubare.

Nonius in Rapinator.

..omo impudicus, & impune eſt rapinator.

Nonius in Monogrammus.

. . vix vivo homine ac monogrammo.

Nonius in Vulga.

. . in vulgam penetrare piloſam.

Nonius in Exlex.

Non dico, uncat & vagus exulet, erret exlex.

Nonius in Impuno.

Homo impuratus & impuno eſt rapiſter.

Nonius in Lurcari.

Numquid Murio ſubjectoque huic opus ſigno,
Ut lurcaretur lardum, & carnaria furtim
Conficeret.

Nonius in Excanto.

Quæ ego nunc Æmilio præcanto, atque exigo, atque excanto.

Nonius in Natrices.

Sinatibus natricem impreſſit craſſam & capitatam.

Nonius in Eliſſe.

Injuriatum hunc in fauces involaſſe, animamque eliſſe illi.

Nonius in Exculpo.

Nunc nomen jamque ex teſtibus ipſe rogando
Exculpo, hæc dicam.

Nonius in Conjicere.

Quid dicis? cur eſt factum, quod conjicis iſtuc?

LIBRO III.

Nonius in Bronci.

Broncus novit lanius, dente adverſo, eminulo. hic eſt rhinoceros.

Gellius Lib. XVI. Cap. IX.

Verum hic ludus ibi ſuſque omnia deque fuerunt,
Suſque & deque fuere, inquam, omnia, ludus jocuſque,
Illud opus durum, ut ſetinum acceſſimus finem.

Ut aiunt, montes Ætnæ omnes aſperi Athones.

Nonius in Incitas.

Illud ad incitas quum rediit atque internecionem.

Nonius in Degrumari.

Viamque degrumari vis, ut caſtris menſor facit olim.

Nonius in Oſtrea.

Oſtrea nulla fuit, non purpura nulla Pelori.

Ma-

Nonius in Rictus.

Malas tollimus animo, atque utimur rictu.

Nonius in Longiter.

Non (ut opinor) id a lecto jam longiter rati.

Priſcianus in Expergitus.

Et ſomno pueros cum mane expergitus clamat.

Nonius in Ructus.

Exhalas tum acidos ex pectore ructus.

Nonius in Laboſum.

Præterea omne iter hoc eſt laboſum.

Priſcianus in Caupona.

Caupona hic tamen una Syria.

Nonius in Sumemus.

. . . & ſpatium curando corpore honeſtum
Sumemus.

Nonius in Depoſitus.

Symmachus præterea jam tum depoſitus bubulcus,
Exhalans animam pulmonibus æger agebat.

Gellius Lib. I. Cap. XVI.

Ad portam mille, a porta eſt exinde Salernum.

Nonius in Dictione poſtica.

Non peperit, verum poſtica parte profundit.

Nonius in Cernuus.

Cernuus extemplo plantas conveſtit honeſtas.

Priſcianus in Adoriri.

Conturbare animam potis eſt quicumque adoritur.

Nonius in Stricturæ.

Crebræ ut ſcintillæ in ſtricturis quod genus olim
Ferventi ferro.

Nonius, & Charis. in Forus.

Romanis ludis forus olim ornatus lacernis.

Chariſ. in Lignum.

Aſparagi nulli.

Charis ibid.

. . . ſtudent hi ligna videre.

LIBRO IV.

Nonius in Sententia.

Vertitur œnophoris fundus ſententia nobis.

Nonius in Componere, & Spurcus.

Eſerninus fuit flacco ore, una equidem
Samnis ſpurcus homo, vita illa dignus, locoque,
Cum Pacidiano componier, optimus multo
Poſt homines natos gladiator qui fuit unus.

Nonius in Unguentum.

Tiſiphone te pulmonibus adirem, unguentum excoctum
attuli Eumenidibus ſanctiſſima Erinnys.

Nonius in Vectis.

Ne agitarem manu tu peſſulus, & hunc vectem poſſi
cuneis ipſo.

Nonius in Partiſſes.

Tu partem laudis caperes, tu gaudia mecum partiſſes

Nonius in Commanducatur, & Comeſt.

Aſſequitur nec opinantem, in caput inſilit ipſum:
Commanducatur totum complexa, comeſtque.

Feſtus, Non. Priſ. in Puellus.

Quumque hic tam formoſus homo, ac te dignus puellus

Priſcianus in Turgeo.

Obturſi ebrius.

Non. in Grus.

Longior hic quam grus grue tota cum volat olim.

Non. in Catuli.

Concurſaret agros, catulos, fœtumque ferarum.

Non. in Genus.

Hæret ventriculis adfixum in poſteriore
Parte atque articulis, ut novis talus genuſque eſt.

Non. in Sumen.

Quod ſi nulla poteſt mulier tam corpore duro
Eſſe, tamen tenero moveat ſuccuſſa lacerto,
Atque manus uberi lactanti in ſumine ſidat.

Priſcianus in Æthiopus.

Rhinocerus velut Æthiopus.

N

Non. in Fulmenta.

ufficit huic dum fulmentas quatuor addit.

Priſcianus in Edo.

ui edit ſe, hic comedit me.

Non. in Lupari.

. . & divos thure precemur
onſilium fas ſi placent: tunc impune luparis?

Non. in Prodere.

oſſiſne elabi, an porro prodenda dies ſit.

Gellius Lib. XVIII. Cap. VIII.

uo me habeam pacto, tametſi non quæris, docebo.
uando in eo numero manſi, quo in maxima non eſt
ars hominum, ut periiſſe velis, quem nolueris, quum
iſere debueris, hoc nolueris, & debueris, te
i minus delectat quod ἄτεχνον Iſocratium eſt,
χληρῶδες quæ ſimul totum ϗ σὺμειρακιώδης
on operam perdo. Si tu hic . . .

Non. in Luſtrare.

uſtratus, piatus.

Non. in Stat.

. . interea ſtat ſentibus pectus.

Priſcianus in Patiar.

eficit alma Ceres, nec plebes pane potitur.

Non. in Cæpe.

lebile cæpe ſimul, lacrimoſæque ordine talpæ.

Non. in Sententia.

i tam corpus loco validum & regione maneret,
criptores quam vera manet ſententia cordi.

Nonius in Creperus.

anute ſoli mihi in magno mœrore,
riſtitia in ſumma, crepera juventus ſalutis.

Nonius in Accuſativis.

evius pauperiem ait ſe ingentia munera fungi.

Nonius in Satis.

am ſi quod ſatis eſt homini, id ſatis eſſe poteſſet,
oc ſat erat: nunc quum hoc non eſt, qui credimus porro
ivitias ullas animum mihi explere poteſſe?

Nonius in Cæpa.

ippus edenda, acria aſſidue cepar ius cepa lacrimoſa.

Nonius in Roſtrum.

Nec deſignati roſtrum prætoris pedeſque
Spectes.

Nonius in Dare.

Sicuti quum primus ficos propalam recentes
Protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos:

Nonius in Macte.

Macte, inquam, virtute ſimulque his verſibus eſto.

Non. in Miſtarius.

Urceus aut longa geminus miſtarius anſa.

Non. in Pecus.

Laſcivire pecus juſſit, roſtrique repandum.

Non. in Minutim.

Dic quam cogitas, vis ire minutim,
Per commiſſuras rimarum noctis nigrore.

Non. in Intybus.

Intybus præterea pedibus prætenſus equinis.

Priſcianus Lib. IX. & X.

, . . hic ſolus vigilavit, opinor,
Et quum id mihi viſus facere eſt, tum retia nexit.

Non. in Catapulta.

Cuſtodem claſſis catapulta inſtila ſariſſas.

LIBRO VI.

Non. in Macellus.

SI noſti, non magnus homo eſt, naſutus, macellus.

Non. in Facul.

Peccare impune rati ſunt poſſe, & nolit a te facul propellere iniquos.

Non. in Peſtilitas.

Atque ea vis omnis morborum, peſtilitaſque.

Nonius in Pubere.

Salvere jubere.

Nonius in Ablativis.

Et id ſolum adverſæ fortunæ rei quæ reſiſtit.

Priſcianus in Puellus.

Inde venit Romam tener ipſe etiam atque puellus.

No-

Nonius in Innubere.

Suam enim invadere atque innubere cenſeat.

Nonius in Zonatim.

Zonatim circum impluvium cineraris cludebat.

Nonius in Protilare.

Quem neque Lucanis oriundi tauri
Ducere protelo validis cervicibus poſſent.

Nonius in Genitivis.

Hortare illorum ſi poſſim capi ſortiri.

Nonius in Elevit.

Si hic veſtimenta elevit luto, ab eo riſum magnum ad cachinnum imprudens ſubjicit.

Nonius in Amphitapæ.

Pluma atque amphitapæ, & ſi aliud quid deliciarum.

Nonius in Porcent.

. . . non te porro procedere porceat.

Nonius.

Poſtquam præſidium caſtris educere crevi.

Nonius in Latrina.

Hoc tu apte, credit quemque latrina periſſe.

Nonius in Mercatura.

Verum & mercaturæ omnes & quæſticuli inſtituti.

Donatus in Quiritare.

Hæc, inquam, rudet e roſtris, atque ejulitavit,
Concurſans veluti arenarius, clareque quiritans.

Priſcianus in Scuta.

Scutam ligneolam cerebro infixit.

Nonius in Dominum.

Qui te bonus Jupiter, inquit, Craſſo Mutium quum cœnabat dominum fortem.

Donatus in Andriam.

Date bibere ſummo.

Nonius in Bulga.

Cui neque jumentum eſt, nec ſervus, nec comes ullus,
Bulgam, & quicquid habet numinorum, ſecum habet ipſe:
Cum bulga cœnat, dormit, lavit: omnes in una
Spes hominis bulga, hic devincta eſt cætera vita.

Nonius in Prodigitas.

Nequitia occupat os, petulantia, prodigitaſque.

Nonius in Abſtemius.

Thaunomeno, inquit, valva ſororem lanificam dici ſiccam atque abſtemiam ubi audit.

LIBRO VII.

Nonius in Rorarii.

Quinque haſtæ aureolo cinctu rorarius velox.

Nonius in Fulgit.

Primum fulgit uti caldum & fornaceum ferrum.

Nonius in Simare.

Simavit taxum ad nareis, delphinus ut olim.

Nonius in Vannere.

Hunc molere, illa autem ut frumentum vannere tum vis.

Nonius in Caries.

Ne auriculam obſidat caries, ne vermiculique.

Nonius in Nobilis.

Phryne nobilis illa ubi amatorem improbius quem.

Nonius in Gannire.

Eodem pactolo gannis.

Nonius in Deſquamari.

Sador, ſubellor, deſquamor, punicor, ornor,
Expilor, pingor. . .

Nonius in Catuli.

Rate ad catulos acceleret inultum.

Gellius Lib. IX. Cap. XIV.

Qui te diligit, ætati faciæque tuæ ſe
Fautorem oſtendat, fore amicum polliceatur.

Nonius in Flaccet.

Hic eſt Macedo, ſi agron longius flaccet.

Nonius in Sagæ.

Ætatem & faciem ut ſaga & bona conciliatrix.

Nonius in Genitivis.

Triſtes, difficiles ſumus, faſtidimus bonorum.

Nonius in Caprone.

Aptari caput, atque comas fluitare capronas
Altas, frontibus immiſſas, ut mos fuit illis.

Nonius in Seges.

Solem auram adverſam ſegetem immutaſſe ſtatumque.

Nonius in Muginari.

Muginamur, molimur, ſeducimur.

Nonius in Contendere.

Hunc in ego umquam hyacintho hominem cortinipotentis deliciis contendi.

Nonius in Naſum.

Quos oculi non ſunt, neque naſum, & qualia ſunt.

Nonius in Collus.

Caldiſſima ac bene plena iaſolorum atque anſeris collus.

Nonius in Viroſæ.

Dixi ad principium venio, vetulam atque viroſam
Uxorem cædam potius quam caſtrem egomet me.

LIBRO VIII.

Nonius in Gracila.

Quod gracila eſt, pernix, quod pectore puro,
Quod puero ſimilis.

Nonius in Genitivis.

Quarum & abundemus rerum, & quarum indigeamus.

Nonius in Primores.

Gallinaceus quum victor ſe gallus honeſte
Suſtulit in digitos, primoreſque erigit ungueis.

Nonius in Parectati.

Unde parectato chlamydes ac barbula prima.

Nonius in Buæ.

Quum vinulentas diſceret vini, buas deſignavit.

Nonius in Samium.

Hanc ubi vult male habere, ulciſci procellæ, ejus teſtam ſumit homo ſamiam. ibi an uno telo inquit præceſſit caulem teſtis, quæ una amputat ambo.

Nonius in Fervit.

Fervit aqua, & fervet: fervit nunc, fervet ad annum.

Nonius in Cercurus.

Rerum flumen, atque uti ipſo divortio ligneis pedibus cercurum concurret æquis.

Nonius in Colluſtra.

Hiberam inſulam fomenti omni colore colluſtra.

Nonius in Poſticum.

Piſtrinum appoſitum, poſticum, ſella, culina.

Nonius in Fervere.

Fervere ne longum vero hoc littoribus tradam.

Nonius in Lento.

Lentet opus . . .

Nonius in Poema.

Non hæc quid valeat, quidve hoc interſiet illud,
Cognoſcis primum hoc, quod dicimus eſſe poema.

Nonius in Componere.

Cum Plotio eodem obvio amplector, labra labellis Compono. hoc eſt, cum ipſo duco pœnas.

Priſcianus in Sallere.

Sallere murænas, mercem in frigidaria ferre.

Priſcianus in Panus.

Intus vero ſtet rectus ſubtegmine panus.

Nonius in Gigeria.

Gigeria ſunt ſive adeo hepetia.

Nonius in Tolutim.

Si omne iter evadit ſtadiumque acclive tolutim.

LIBRO IX.

Nonius in Aceroſus.

Latere qui ducit, habet nihil amplius: nam quam commune lutum a paleis cœnumque aceroſo.

Priſcianus in Capis.

Hinc ancilia, ab hoc apices capidaſque repertas.

Nonius in Roſtrum.

Arripio & roſtrum labe, atque hoc referiat impercutio, denteſque adverſos diſcutio omneis.

Nonius in Oſtrea.

Quid? ego ſi cerno Oſtrea, cognorim fluvium, limum ac cœnum ſapere ipſum?

Nonius in Paſſi.

Rugoſi paſſique ſenes eadem omnia quærunt.

Priſcianus in Scabere.

Scaberat ut porcus contritis arbore coſtis.

Macrobius in Milli.

Tu milli nummum potes uno quærere centum.

Nonius in Diſcere.

Diſcere labora, ne res te ipſa ac ratio ipſa refellat.

Nonius in Ramices.

Quod deformis ſenex appetitus ac podagroſus,
Quod mancus, miſerque exilis, ramice magno.

Nonius in Rutellum.

Frumentarius eſt, modium hic ſecum atque etiam rutellum unum affert.

Nonius in Elephas.

Nec tutus ſpatio eſt elephas.

Nonius in Fingens.

Eodem in poculo bibo, eodem amplector, labra labellis fingens compono.

Nonius in Redandruare.

Ut vulgus redandruet inde.

Nonius in Panus.

Foris ſubtegminis panus eſt.

Nonius in Genitivis.

Si nihil ad faciem, etſi olim lupa proſtibulumque,
Nummi opus, atque abſit.

LIBRO X.

Nonius in Sumam.

— HOnorum Judicium craſſis eſt, ut deſcribimus ante,
Hoc eſt, quid ſumam, quid non, in quoque locemus.

Nonius in Firmiter.

Fluctibus a ventiſque adverſis firmiter eſſent.

Nonius in Pigror.

Languor obreſcitque pigror, torporque quietis.

Nonius in Aptus.

Tonſillas quoque validis in funibus aptas.

Nonius in Rorarius.

Pone paludatus ſtabat rorarius velox.

Nonius in Deſubito.

Quamvis deſubito trinis deducere ſcalis.

LIBRO XI.

Nonius in Damnant.

CAſſius Caius hic operarius, quem Cephalonem
Dicimus ſectorem, Furiumque hunc, Tulliusquem
Judex hæredem facit, & damnant alii omnes.

Nonius in Evannetur.

Curſavit, ut ſi frumentum clunibus vannat.

Nonius in Tricones.

Lucius Cotta ſenex Craſſi pater hujus Panæti
Magnus trico fuit nummarius, ſolvere nulli lentus.

Nonius.

Scipiadæ magno improbus objiciebat aſellus,
Luſtrum illo cenſore malum infelixque fuiſſe.

Gellius Lib. IV. Cap. XVII.

. . . & jam conjicere in verſus dictum præconis volebam Granii.

Nonius in Tentæ.

Hic ubi conſeſſum pelleſque in ordine tentæ.

Nonius in Meret.

Annos hic erat tam plures miles hiberna nobiſcum meret.

Nonius in Latrina.

Qui in latrina lacuque.

Nonius in Torquem, & Fulgere.

Conventus pulcher, bracæ, ſaga, fulgere torques
Magni . . . .

Nonius in Spurcus.

Prætor noſter adhuc, quam ſpurcus eſt ore, quod omnes
Extra caſtra ut ſtercus, foras ejecit ad unum.

Nonius in Rudus.

Viam ſtruendam & jaciendum huc aggerem, & id genus rudus.

Nonius in Famoſus.

Quintus Opimius ille Jugurthini pater hujus,
Et formoſus homo fuit & famoſus, utrumque,
Primo adoleſcens, poſterius drectius ſeſe.

LIBRO XII.

Nonius in Protelare.

HUnc juga mulorum protelo ducere centum non poſſunt.

Priſcianus in Aſſentior.

Aſſenſus ſum homini.

Nonius in Firmiter.

Firmiter hoc pariterque tuo ſit pectore fixum.

Dio-

Diomedes Lib. I. in Decollare.

Quibus fructibus me decollavi.

Nonius in Publicitus.

Huic homini quæſtore aliquo eſſe opus atque chorago,
Publicitus qui mi atque Epiſco præbeat aurum.

Gellius Lib. IX. Cap. XIV.

Rugoſum atque famii plenum.

Nonius in Petilis.

Inſignis varis cruribus & petilis.

LIBRO XIII.

Nonius in Paſceolus.

ADde Syracuſis ſola, paſceolum, alutamen.

Nonius in Oſtrea.

His itidem in cœna dabis oſtrea millibus nummum
Empta . . . . .

Nonius in Fortuna.

Cui parilem fortuna locum fatumque tulit ſors.

Nonius in Fortuna.

Aut forte omnino ac fortuna vincere bello,
Si forte ac temere omnino quid curſum ad honorem.

Nonius in Gradarius.

Ipſe equus non formoſus, gradarius, optimus victor.

Nonius in Dominus.

Primum domini atque ſodalitia omnia tollantur.

LIBRO XIV.

Nonius in Viſcus, & in Largi.

ID ne ægri eſt magis, an quod pane & viſcere primo
Quod viſcus dederas, tu quidem, hoc eſt viſcera largi.

Priſcianus in Hilum.

Naumachiam licet hæc inquam alveolumque putare,
Et calces: delectes te, hilo non rectius vivas.

Nonius.

Non paucis male ac ſi a ſapientibus eſſe probatum,
Καὶ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

Nonius in Cercurus.

Ad regem legatus Rhodum, Ecbatanam ac Babylonem
Ibo: cercurum ſumam . . . .

Caper apud Priſ. in Laceſſo.

Nam vetus ille Cato laceſſiſſe appellari, quod conſcius ipſe non erat ſibi.

Nonius in Nebulones, & Tenebriones.

Publius Panus mihi Tubitanus quæſtor Hibera
In terra fuit, lucifugus nebulo id genus ſane.

Nonius in Ampliter.

Nam ſumptibus magnis & ſtructam ampliter, atque quum accumbimus menſam.

Macrobius Lib. VI. Cap. IV.

Si mihi non prætor fiet additus, atque agitet me:
Non male ſic ille, ut dico, me extenderat unus.

Nonius in Antiquius.

Quin potius vitam degat ſedatus quietam,
Quam tu antiquius facere quam hoc feciſſe videaris.

Chariſ. in Caſeus.

Caſeus ala molliet.

Nonius in Manducamur.

Quum illud quid faciat, quod manducamur in ore.

Nonius in Vulgus.

Dilectum video ſtudioſe vulgus habere.

Nonius in Epulatio.

Id epulo cibus atque epulatio Jovis omnipotentis.

Nonius in Quem Utare.

Quem metuas ſæpe, interdum quem utare libenter.

Nonius in Samio.

Et non pauper me uti Samio curtoque catino.

Nonius in Palumbes.

Macroſque palumbes.

LIBRO XV.

Nonius in Tunica.

SCit poeticon eſſe, videt tunicam, & toga quid ſit.

Nonius in Cerebroſi.

Te primum cum iſtis inſanum homines & cerebroſum.

Nonius in Palla.

Quum tectum eſt, quid vis? ſatis eſt: viſuri alieni
Sint homines, ſpiram, pallas, redimicula promit.

Nonius in Ergaſtulus.

Non ergaſtulus unus & alius judicem appoſuit, ut nemo ſententiam libere quaſi ergaſtulus poſſit dicere.

Gellius in Bovinator Lib. XI. Cap. VII.

Hic ſtrigoſus bovinatorque ore improbus duro.

Nonius in Senium.

In numero quorum nunc primus Trebellius multos
Titos Lucios marceſſebat, febris, ſenium, vomitus, pus.

Macr. Lib. I. Sat. Cap. V. et Gellius Lib. I. Noct. Att. Cap. XVI.

Hunc mihi paſſum qui vicerit atque duobus
Campanus ſonipes ſuccuſſor nullus ſequetur
Majore in ſpatio, ac diverſus videbitur ire.

Nonius in Corbita.

Multa homines portenta in Homeri verſificata
Monſtra putant: quorum in primis Polyphemus ducentos
Cyclopas coclites, & porro huic majus bacillum
Quam malus navis in corbita maximus ulla.

Nonius in Meret.

Dum miles hybernat ac meret terſa ex ætate quaſi annos.

Non. in Penula.

Penulam ſi quæris, cantherius ſervus ſegeſter utilior mihi quam ſapiens.

Nonius in Sacrum.

Adde iſtos ſacer illoto colſo fax Syro phœnix, quid facere eſt ſolitus.

Nonius in Poſtomis.

Truleus poſtomis huic ingens de naribus pendet.

Nonius in Holerorum.

Tintinnabulum abeſt hinc ſurpiculique holerorum.

Gellius Lib. IV. Cap. XVII.

Subjicit huic humilem & ſuffectus poſteriorem.

Chariſ. in Halicarius.

Nemo eſt halicarius poſterior te.

Nonius in Medimnus.

Præterquam in pretio: primus ſemiſſe, ſecundus
Numo. tertius jam plures quam totus medimnus.

LIBRO XVI.

Non. in Cubita.

LYſippi Juppiter iſta tranſivit quadraginta cubita, altus Tarento.

Non. in Ignaviter.

Cur tam ignaviter hoc præſertim tempore quæris?

Non. in Cepe.

Hoc aliud longe eſt, inquit qui cepe ferebat.

Gellius Lib. IV. Cap. I. in Legavit.

Legavit quidam uxori mundum omne penumque.
Quod mundum, atque penum? nam qui dijudicet iſtuc?

Non. in Horridum.

Et hi, quos divitiæ producunt, & caput ungunt
Horridulum.

Priſcianus Lib. III.

Fundi delectat virtus te, villicus paulo
Strenuior ſi evaſerit.

Chariſ. in Piſtrinam.

Media e piſtrina ad tabernam referens.

Non. in Publicitus.

Publicitus vendit tamen extrema figuris.

Macrob. Sat. Lib. III. Cap. XVI. in Lupo piſce.

Fingere præterea afferri quod quiſque volebat.
Illum ſumina ducebant, atque altilium lanx,
Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.

LIBRO XVII.

Non. in Proprium.

CÆtera contemnit, & in uſura omnia ponit
Non magna: proprium vero nihil neminem habere.

Non. in Lavernæ.

Si meſſes facit, Muſas: ſi vendis, Lavernæ.

Non. in Compernes.

Compernem aut varam fuiſſe Amphitryonis Conjugem.

Priſcianus Lib. IX.

Nupturum te nupta negas, quod vivere Ulyſſem ſperas.

Non. in Calvitur.

Sed non capito inquit eum, etſi calvitur ergo fur dominum.

LIBRO XVIII.

Non. in Satis.

DEnique ut ſtulto nihil ſit ſatis, omnia quum ſint.

No-

Non. in Fruniſcor.

Eque fruniſcor ego ac tu.

Non. in Jactare.

In re jactanda ipſa ridicula id atque adſederet.

LIBRO XIX.

Non. in Signat.

NAm ut diſcrimen non facit, neque ſignat linea alba.

Idem in Singillatim.

Sic ſingillatim noſtrum unuſquiſque movetur.

Idem in Olim.

Si tu illos fructus quæras adverſa hieme olim
Queis uti poſſis hæc delectare domi ve.

Idem in Optem.

Aurum vis, hominem habeas. hominem? quid ad aurum?
Quare ut dicimus, non video hic quidnam magnopere optem.

Idem in Sume.

Sume diem, qui eſt viſus tibi pulcherrimus unus.

Non. in Spargere, & Cic. in Piſonem.

Tu naufragio expulſus uſpiam, ſaxis fixus aſperis,
Eviſceratus, latere penderes (*ut ait ille*) ſaxa ſpargens tabo,
Sanie, ſanguine atro.

Nonius in Peniculamentum.

Peniculamentum vere reprehendere noli.

LIBRO XX.

Idem in Nebulones.

NUgator quidam ac nebulo ſit Maximus multo.

Idem in Myctyris.

Pulmentaria utentibus aut aliquod genus herba, & jus mænarum bene habet ſe myctyris, hoc eſt meri.

Idem in Primoribus.

Calphurnii ſæva lege in Piſonis reprehendi, eduxique animam in primoribus naribus.

Lactantius Lib. X. Cap. XX.

Terricolas Lamias Fauni quas Pompiliique
Inſtituere Numæ, tremit has, hic omnia ponit.
Ut pueri infantes credunt ſigna omnia ahena
Vivere & eſſe homines, ſic iſti omnia ficta
Vera putant, credunt ſignis cor ineſſe ahenis.
Pertica pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Nonius in Illuvies.

Illuvies, ſcabies oculos, petigo conſcendere,

Idem in Parectati.

Tum ephebum quemdam, quem vocant parectaton.

Idem in Colubra.

Jam diſrumpetur medius, jam ut Marſus colubras
Diſrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.

Idem in Guberna.

Proras deſpoliate, & detundite guberna.

Idem in Præciſum.

Illi præciſo atque epulis capiuntur opimis.

Priſcianus in Terſi.

Purpureo terſi tunc latas gauſape menſas.

LIBRO XXI.

Nonius in Patibulus.

DEligata ad patibulos deligantur & circumferuntur, cruci defiguntur.

LIBRO XXII.

Nonius in Labias.

SOpirion labias cædit utrimque ſecus.

Idem in Præfica.

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos ſcindunt & clamant magis.

Idem in Naſum.

Naſum rectius nunc homini eſt, ſuræ nec pedes dici.

LIBRO XXIII.

Idem in Cupiditas.

CUpiditas ex homine, cupido ex ſtulto numquam tollitur: quod cupiditas pars quædam ſit temperatior defluens ex cupidine.

Priſcianus in Lambere.

Jucundaſque puer qui lamberat ore placentas.

Nonius in Aceroſum.

Quæ Gallam vivere, ac rugis conducere ventris,
Farre aceroſo olei decumano, pane cumano coegit.

Idem in Portenta.

Niſi portenta anguiſque volucres ac pinnatos ſcribitis.

Idem

Idem in De.

Solus jam vim de claſſe prohibuit Vulcani.

Idem in Belli.

Ut populus Romanus victus vi & ſuperatus prœliis ſæpe eſt multis, bello vero numquam, in quo ſunt omnia.

Idem in Tetigit.

Neque priuſquam venas hominis tetigit ac præcordia.

Idem in Cognoſcat.

Rem cognoſcat ſimul & dictis animum attendat poſtulo.

Idem in Idiota.

Quidni & tu idem illiteratum me atque idiotam diceres?

Idem in Munes.

Munifici muneſque amicis noſtris videamur viri.

Idem in Cogere.

Rauco contentionem ſonitu curvis cogant cornibus.

Idem in Effero.

Ego ubi quem ex præcordiis effero verſum.

Idem in Depeculaſſere.

Depeculaſſere aliqua ſperans me ac deargentaſſere, decalanticare, eburno ſpeculo depeculaſſere.

Idem in Expirare.

Ut ſi illuviem facere per ventrem velis, curare omnibus diſtento corpore expiret vis.

Idem in Repedare.

Rediſſe ac repedaſſe ut Roma vitet gladiatoribus.

Idem in Bulga.

Ita ut quiſque noſtrum e bulga eſt matris in lucem editus.

Idem in Genius.

Curet ægrotum, ſumptum homini præbeat, genium ſuum defraudet, alii parcat.

Idem in Accuſativis.

Hæc ſi tu voles, per aureis pectus irrigarier.

Idem in Accuſativis.

Qui ſex menſes vitam ducunt, orco ſpondent ſeptimum.

Idem in Capital.

Facile deridemur, ſcimus capital eſſe iraſcier.

Idem in Confectum.

Tum doloribus confectum corpus animo obſiſtere.

Idem in Conficere.

Non te multitudinem tuorum, quam in album inclyti dextra confici ſibi.

Idem in Gluttinum.

Prætento tepido glutinator gluttino.

Idem in Appellere.

Aggere in jaciendo ſi quod eſt in vineis actis opus, primum id dant operam ut quamprimum appellant.

Idem in Capere.

Nunc itidem populum iſtum ſcriptoribus volumus capere animum illorum.

Idem in Colere.

Quare hoc colere eſt ſatius quam illam ſtudium omne hic conſumere.

Idem in Difflare.

Pars difflatur vento, pars autem obrigeſcit frigore.

Idem in Rogare.

Ferri tantum ſi roget me, non dem, quantum auri petit, ſi ſe tubit, ſi quoque a me quæ roget non impetret.

Idem in Niti.

Summis niti naturæ opibus: at ego contra ut diſſimilis ſiem.

Idem in Nundinum.

Paucorum atque hoc pacto ſi nihil guſtat inter nundinum.

Idem in Efferent.

Depugnabunt pro te ipſi, & morientur ac ſe ultro efferent.

Idem in Clandeſtino.

At enim dicis clandeſtino tibi quod comm iſſum foret, ne mutires quidquam, neu myſteria hæc ferres foras.

Idem in Delirare.

Quapropter deliro, & cupiendi officium fungor ruberum.

Idem in De magis.

ex Corus ille duos hos ventos Auſtrum atque Aquilonem noviſſime alebat, ſolos de magis iſtos ex nimbo auſtellos, nec nos ſeneces putare.

Idem in Offenderam.

iquod verum inuſitatum, aut zetematium offenderam.

Idem in Spectatus.

uam probatam mihi & ſpectatam maxime adoleſcentiam.

Idem in Siccaſſem.

um ſtudio in gymnaſio duplici, corpus ſiccaſſem pila.

Idem in Lautum.

alis neceſſe eſt lautum e menſa pure captaturus cibum.

Idem in Cor.

t quod tibi magnopere cordi eſt, mihi vehementer diſplicet.

Idem in Tollere.

udivi quem febris una atque una ἀπεψία, vini inquam hiatus unus potuit tollere.

Idem in Monſtrificabile.

Nunc ignobilitas his mirum ac monſtrificabile.

Idem in Vitare.

Quid cavendum tibi cenſerem, quid evitandum maxume.

Idem in Sumas.

Hunc laborem ſumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.

Idem in Vegrande.

Non idcirco extollitur, nec vitæ vegrandi datur.

Idem in Veſcum.

Quam faſtidioſum ac veſcum cum faſtidio edendi vivere.

Idem in Mutem.

Mihi quidem non perſuadetur publice ut mutem meos.

Idem in Provenire.

Denique adeo male me accipiunt decimæ & proveniunt male.

Idem in Dare.

Animoque ægrotat: vidimus corpore hunc ſignum dare.

Idem in Adipiſci.

Ut ego effutiam, quod ego te in primis cupere adipiſci intelligo.

Idem in Fulgoritatem.

Luporum exauctorem malvanum, & fulgoritatem arborum.

Idem.

Percrepa pugnam Pompili factam, Corneli cave.

Idem in Eleviem.

Ut eleviem facere per ventum velis.

Idem in Viriatus.

Contra flagitium neſcire bello vinci a barbaro viriato Annibale.

Idem in Dativis.

Si miſerantur ſe ipſi, vide, ne illorum cauſa ſuperiore loco collocaverit.

Idem in Producunt.

Ducunt uxores, producunt quibus hæc faciam liberos.

Idem in Offerre.

Homines ipſi hanc ſibi moleſtiam ultro atque ærumnam offerunt, ducunt uxores.

Idem in Accuſativis.

Suſpendatne ſe, an in gladium incumbat, ne cælum videat.

Idem in Summus.

Squalitate, ſumma ſcabie, ſumma ærumna obrutam, neque inimicis invidioſam, neque amicis exoptabilem.

Idem in Sævus.

Quodque te in tranquillum ex ſævis transfert tempeſtatibus.

Idem in Præcipere.

Porro amici eſt bene præcipere, tueri, bene prædicare.

Idem in Evadere.

Idcirco omnes evaſuros cenſent ægritudinem.

Idem in Petere.

Sic autem hos vident, bona ſemper petere ſapientem, & putant.

Idem in Combibones.

Quandoquidem reperi magnis combibonum ex copiis.

Idem in Muto.

Publicanus vero, ut Aſiæ fiam ſcripturarius pro Lucilio:

lio: id ego nolo, & in uno hoc non muto omnia.

Idem in Impurus.

Conjugem infidamque, flacitam familiam, impuram domum.

Idem in Deducere.

Illuc oculi deducunt ipſi, atque animum ſpes illuc rapit.

Idem in Proferre.

Nec minimo & proferatur pax, quod Caſſandram ſigno deripuit.

Idem in Evadere.

Evadat ſaltem aliquid aliqua, quod conatus ſum.

Idem in Domutio.

Domutionis cupidi, imperium regis pene imminuimus.

Idem in Folliculum.

Ego ſi quis ſum, & quo folliculo nunc ſum indutus, non queo.

Idem in Verſipellis.

At libertinus Tricorius Syrus ipſe ad maſtigias, quicum verſipellis fio, & quicum commuto omnia.

Idem in Inductus.

Veterem hiſtoriam inductus ſtudio ſcribis ad amores tuos.

Idem in Conſtare.

Principio Phyſici omnes homines ex anima & corpore conſtare dicunt.

Idem in Exacturum.

Veſtimentis frigus atque horrorem exacturum putet.

LIBRO XXVII. SATYR.

Idem in Appellare.

Quum mei me adeunt ſervuli, non dominam ego appellem meam?

Idem in Differunt.

Tamen aliti verruca, aut cicatrix medius papulæ differunt.

Idem in Credere.

Hymnis velim te id quod verum eſt credere.

Idem in Mordicus.

Mordicus petere aurum e flamma expediat, & e cœno cibum.

Idem in Cribrum.

Cribrum, incerniculum, lucernam in laternam, in telam licium.

Idem in Adiutor.

Nec ſi paulo minus uſuras, & magna adjutatus diu.

Idem in Conventurum.

Tu Lucilium credis conventurum, quum me ruperim, ſumma omnia fecerim.

Idem in Monogrammi.

Quæ pietas, monogrammi quinque adducti pietatem vocant.

Idem in Adeo.

Quum pacem peto, quum placo, quum adeo, & quum appello meam.

Idem in Cernuus.

Modo ſurſum, modo deorſum, tamquam collus cernui.

Idem in Inducere.

Aut quod animum induxi ſemel, & ut ille omnino putat

Idem in Rogare.

Conſilium patriæ, legumque oriundus rogator.

Idem in Commodent.

Certa ſunt ſine detrimento, quæ inter ſeſe commodent.

Idem in Inſignis.

Cocus non curat caudam inſignem eſſe illam, dum pinguis ſiet
Sic amici animum quærunt, paraſiti autem divitias.

Idem in Attendas.

Rem cognoſcas ſimul, & dictis animum attendas poſtula.

Idem in Præſtat.

Si facies præſtat facie, ſi corpore corpus.

Idem in Captare.

Quod ſi pauliſper captare atque obſervare hæc volueris.

Idem in Mediocritas.

Paulo hoc melius quam mediocre, hoc minus malum ut quam peſſimum.

Idem in Concedere.

Concedere unum, atque in eo dicere, quo ſuperatur manus.

Idem in Parcere.

Parcat illi majus, cui poſſit, cui fidem eſſe exiſtiment

Idem in Proprium.

Quum ſciam nihil eſſe in vita proprium mortali datum.

Idem

Idem in Pernix.

Fuimus pernices, æternum id nobis ſperantes fore.

Idem in Cædat.

Lignum cædat, penſum faciat, ædes verrat, vapulet.

Idem in Tibicinas.

Viginti domi, an triginta, vel centum tibicinas alas.

Idem in Propitii.

In venis porro eſt viris, ſi irati ſeu cui propitii ſunt, ut diutius una maneant in ſententia. nam cum benignitate ſollicito propoſitus.

Idem in Sedulo.

Salutem fictis verbis Lucilius quibus poteſt impertit, totumque hoc ſtudioſe & ſedulo.

Idem in Offendere.

Nam hic quidem reditum ſuum talem portendebant, neque alia in re ulla oſtendere.

Idem in Proferat.

Proferat ergo jam noſter ordo ſcelera, quæ in ſe admiſerit.

Idem in Meſſem.

Potius quam non magnum meſſem eſſe non proba vindemia.

Idem in Redire.

Si tamen non ad te hoc redivit, hoc carebis commodo.

Idem in Conſtat.

Trado ergo illius minimo, porro quod mihi conſtat carius.

Idem in Deſtinare.

Facio, ad lenonem venio, tribus in libertatem millibus deſtiner.

Idem in Excidere.

Metuo, ut fieri poſſit, eo vivo ab Archilocho excidere.

Idem in Ardum.

Ardum, miſerrimum atque infelix lignum ſambucum vocant.

Idem in Averruncaſſint.

Dii maluerint meliora, atque amentiam averruncaſſint tuam.

Idem in Verrere.

Quam non ſolum devorare ſe omnia ac deverrere.

Idem in Qua tempeſtate.

Jam qua tempeſtate vivo certo fine ad me recipio.

Idem in Strabones.

Nulli me invidere, non ſtrabonem fieri ſæpius deliciis me iſtorum.

Idem in Fero.

Cæterum quidquid ſit, quid non ſit, fero æquo animo ac fortiter.

Idem in Deiiciam.

Hos e feneſtris in caput deijciam qui prope ad oſtium aſpiraverint.

Idem in Mutuum.

Etſi maxime quod ſpero mutuum hoc meum facias.

Idem in Excludere.

Primum qua virtute ſervitutem excluſerit.

Idem in Pedetentim.

Ille contra omnia inter plures ſenſim & pedetentim foris, ne quem lædat.

Idem in Honorem.

Nullo honore diſpletus, nullo funere.

Idem in Canicas.

Quanti vellet quam canicas pulte & maconis manu.

Idem in Capere.

At metuis porro, ne aſpectu & forma capiare altera.

Idem in Demiſſum.

Re in ſecunda tollere animo, & in mala demittere.

Idem in Obſervas.

Quod ſi obſervas hominem, qui pro commodo & regno gaudeat.

Idem in Portorium.

Facit idem quod illi qui inſcriptum ex porta exportant clanculum, ne portorium dent.

Idem in Chartus.

Nec ſicubi Græci, ubi nunc Socratici charti, quidquid quæritis petimus.

Idem in Impertire.

Quibus poteſt impertit.

Idem in Petere.

Rerum explicatorem mittam, miſerum mendicum petam.

LIBRO XXVIII.

Nonius in Summittas.

SUmmittas aliquos ſiquos poſſis cenſeas.

Idem in Armillum.

Hinc ad me, hinc licet anus rurſum ad armillum.

Idem in Deferre.

Quapropter certum eſt facere contra, & proſequi, & nomen deferre hominis.

Idem in Exeatis.

Ne hoc faciat, atque ex hac ærumna exeatis.

Idem in Committere.

Quid me fiet, ſi quidem non vis te improbis committere?

Idem in Ceſſeris.

Vel ſi aliqua opus ſit, forte hinc aliquo ceſſeris.

Idem in Tranſmittere.

Polemon & amavit mortem, & huic tranſmiſit ſuam ſtolam, quam ducunt.

Idem in Delinitus.

Concedat homini id quod vult, deliniat, corrumpat prorſus, ac nervos omnes delicet.

Idem in Sumere.

Omnia viſcatis manibus leget, omnia ſumet,
Crede mihi, preſſe auferet omnis.

Idem in Exigas.

Quum cognoveris, vitam ſine cura exigas.

Idem in Locare.

Hæc tum conventus, tela, inſidiaſque locavi.

Idem in Inducere.

Hymnis ego animum ſic induco, quod tu ab inſano auferas.

Idem in Interficere.

Piſcium magnam atque altilium vim interfeciſti, u nego.

Idem in Urgere.

Cæde oſtium, gnato urgere reſtant, perimus.

Idem in Triſtis.

Adde eodem, triſtis ac ſeverus philoſophus.

Idem in Argutari.

Agite, agite fures, mendacia argutamini.

Idem in Fingere.

Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus.

Idem in Tergum.

Orationem facere compendi poſtes, dum ſalvo in tergo, & tergi non licet.

Idem in Baliſta.

Quid fit? baliſtas jactas centenarias.

Idem in Redundat.

Primo redundat aurum, ac theſauri patent.

Idem in Da.

Perſuade, & tranſi, vel da quamobrem tranſeas.

Idem in Subire.

Pueri præterea noſtris qui ſubeant, jubet.

Idem in Confector.

Malo hercle veſtro confectores cardinum.

Idem in Cadi.

Millia ducentum frumenti tolles medimnum,
Vini mille cadum.

Idem in Impertio.

Soſpitat impertit ſalutem plurimam & pleniſſimam.

Idem in Vatrax.

Ut ſi progeniem antiquam qua eſt Maximus Quintus vacax, qua varicoſus vatrax.

Idem in Autumare.

Socrate ut quid dante tyranno miſiſſe Ariſtippum autumant.

Idem in Hornum.

Utrum anno anque horno te abſtuleris a viro.

Idem in Maltas.

Inſanum vocant quem maltam ac fœminam dici volet.

Idem in Religioſi.

Anno vertente dies tetri miſeri ac religioſi.

Idem

Idem in Subſicivum.

Præterea hæc ſubſiciva quando voles operam.

Idem in Credere.

Vitam ac fortunas cui crediderim meas.

Idem in Mutare.

Doctior cæteris iſaſamitis mutes aliquo tecum ſacra facta.

Idem in Fulmentas.

Fulmentas eis atque ænois ſubducere.

Idem in Genitivis.

Cui ſæpe impoſui mille plagarum in diem.

Idem in Sarcinator.

Sarcinatorem eſſe ſummum, ſuere centonem optume.

Idem in Tollere.

Tanti ſe tempotis montes & fœdera tollent.

Idem in Es.

Conjice te intro, ac bono animo es.

Idem in Senecta.

Proſpiciendum ergo in ſenecta nunc adoleſcentiæ eſt.

Idem in Volam.

Atque dolo attonitos vincere Epicuri volam.

Idem in Pretium.

Nec par vocat ullo pretio.

Idem in Ire.

Chremes in medium, in ſummum iere Addemenetus.

Idem in Interpellare.

Verum tu quid agis? interpella me ut ſciam.

Idem in Aqua intercus.

Aquam te in animo habere intercutem.

Idem in Statura.

Quare pro facie, pro ſtatura.

Idem in Aera.

Hæc eſt ratio perverſa, aera ſumma & ſubducta improbe.

Priſcianus in Raudo.

Rauſuro tragicus qui carmina perdit Oreſte.

Nonius in Eligere.

Corrumpat prorſus, ad nervos omnes eligat.

Nonius in Depilati.

Nato quid actum eſt, depilati omnes ſumus.

Idem in Diſtrahere.

Dividant, differant, diſſipent, diſtrahant.

Idem in Nefantia.

Diſſociat atque omnia ac nefantia.

Idem in Supplantare.

Supplantare aiunt.

Idem in Signate.

Si Socrates in amore & in adoleſcentulis meliore paulo facie ſignat, nihilque amaret.

Idem in Attendere.

Præterea ut noſtros animos attendere dictis, atque adhibere velis.

Idem in Stare.

Hic corpus ſolidum invenies, hic ſtare papillas
Pectore marmoreo. . . .

Idem in Ferre.

Colligere auxilium, tametſi eſt indigna ut feram.

Idem in Vomica.

Tyroneo & non mortifero adfectus vomica & vulnere.

Idem in Producere.

Etſi tetinere hunc voles, ſi longius te producturum & diutius.

Idem in Favitorem.

Favitorem me tibi, amicum, amatorem putes.

Idem in Subducere.

Eodem uno hic modo rationes ſubduceret.

Idem in Advocaſſe.

Amicos hodie cum improbo illo audivimus Lucilio advocaſſe.

Idem in Offerre.

Ut nunc hac re mihi opem atque auxilium offeras.

Idem in Interficere.

Prius non tollas quam tuli animum ex nomine, atque hominem ipſum interfeceris.

Idem in Habebat.

Hoc tum habebat, & fere omnem Appuliam.

Idem in Referre.

Quod te intromiſi, gratiam referat mihi.

Idem in Conducere.

Magno, non magna mercede, magno quidem conduxeris.

Idem in Obducere.

Vos interea lumen auferte, atque aulæa obducite.

Idem in Nobile.

Tum illud epiphoni, quod etiam tum nobile eſt.

Idem in Offendere.

Crus lapide, nihil eſt, credam, ſi te offenderint.

Idem in Ancipiti.

Vecte atque ancipiti ferro effringam cardines.

Idem in Mœſtum.

Ventrem alienum, mœſtum, fovere ex molito hordeo, uti cataplaſmo.

Idem in Exploratus.

Certum ſcio eſſe ita ut dicis. nam mihi erant de illo explorata omnia.

Idem in Bellum.

Ætatem iſtuc tibi laturam, & bellum, ſi hoc bellum putas.

Idem in Ignominia.

Apoloſt numen, qui te antiquis non ſinet deliciis maculam atque ignominiam imponere.

Idem in Carpam.

Hiemem una mquamque carpam.

Idem in Recipere.

Primum ex adverſo ſi quod eſt cœnaculum quo recipiat te.

Idem in Palpatur.

Hic me ubi videt, ſubblanditur, palpatur: caput ſcabit.

Idem in Emungi.

In mellis ſpem eſſe omnem quovis poſſem emungi volo.

Idem in Satias.

Quid mihi proderit? ſatias te jam omnium rerum tenet facta.

Idem in Reddere.

Pluteos excutit, tectaque & teſtudines reddet.

Idem in Periculum.

Cujus ſi in periculo feceris periculum.

Idem in Periculum.

Adde alios omnes meo periclo ex ordine.

Idem in Remittere.

Cohibet & domi mœſtus ſe Albinus, repudium quod filiæ remiſit.

Idem in Schema.

In gymnaſio ut ſchema antiquo eſt peccatores retinerem.

Idem in Polypus.

Pauliſper cui medentia medem, hæc ſe ut polypus ipſa.

Idem in Exterminare.

Non rediret ad ſe, atque illam exterminaret miſeram.

Idem in Pernicie.

Nunc tu contra venis, vel qui in nuptiis, vel ſe ſeneces, nec ſine pernicie.

Idem in Flagitium.

Quiete poſcente minus, & præbeat rectius multo & ſine flagitio.

Idem in Filium.

Surge mulier, ducite filium non malum.

Idem in Conſortio.

Dejerat enim ſcripſiſſe, & poſt non ſcripturum: redi in conſortionem.

Idem in Putare.

Perge, amabo, ac ſi potes, face dignam me ut vobi putem.

Idem in Eiicere.

Ibi erat ſcorpios ejicere iſtum ab te quamprimum, & perdere amorem.

Idem in Haberet.

Huc, alioquum iter haberet, præteriens venit.

Idem in Partiret.

Quid quas partiret ipſe pro doctrina boni?

Idem

Idem in Aptus.

Ut ſi id quod concupiſſet non aptus.

Idem in Sudum.

Nec ventorum flamina flando ſuda ſecundent.

Idem in Acceptum.

Sic inquam veteratorem illum, vetulum lupum Annibalem, acceptum.

Idem in Exui.

Unde domum vix redeat, vixque hoc exuat ſe.

Idem in Collare.

Cum manicis catulo, collareque ut fugitivum
Deportem. . . .

Idem in Urget.

Urget gravedo ſæpius culpa tua.

Idem in Deletio.

Deletionem noſtri ad unum exercitus.

Idem in Gravem.

Habeaſque animo, mihi admodum cauſam gravem fore quæ me ab ullo commodo abducat tuo.

Idem in Dejectus.

Detruſus tota vi, dejectaque Italia.

Idem in Exordium.

Virum triſtis, contorto aliquo ex Pacuviano exordio.

Idem in Ducere.

Age nunc ſummam ſumptus, ducatque æri ſimul atque alieni.

Idem in Indulgere.

Tu qui iram indulges nimis, manus abſtinere a muliere melius eſt.

Idem in Detrahant.

Quum ipſi in locum deſcendant, quum alios detrahant.

Idem in Habes.

Habes omnem rem, timeo ne accuſer.

Idem in Docere.

At non ſunt ſimiles, neque dant: quid ſi dare vellent?
Accepeiiſne? doce.

Idem in Inſultare.

Inſulta miſerum te quoque in me.

Idem in Conjungere.

Quam mihi quantum eſt inter humanum genus, rerumque inter ſe conjungat, communicat.

Idem in Signatam.

Primam Chryſcum negat ſignatam reddere.

Idem in Diſcrimen.

Et amabat omnes. nam diſcrimen non facit, neque ſignat linea alba.

Idem in Penſum.

Nihil parvi ac penſi uti litera doceas lutum.

LIBRO XXX.

Nonius in Tenta.

Hic ubi muſcipula tenta eaque ſcorpios cauda ſublata.

Idem in Deblaterare.

Deblaterat plenus bonus ruſticus, concinit una.

Idem in Geſtit.

Quanto haurire animus muſarum e fontibus geſtit.

Idem in Immittere.

Neque barbam immiſeris iſtam.

Idem in Genuæ.

Illo quid fiat lamia & pitto ixiodentes,
Quod veniunt genuæ illæ, vetulæ, improbæ, ineptæ.

Idem in Incilare.

Nunc Cai quoniam incilans nos lædis viciſſim.

Idem in Jacere.

Et ſua percipere retro, relicta jacere.

Idem in Deductare.

Deductat hunc voce leo, Cur tu ipſa venire
Non vis huc?

Idem in Exanclare.

Quantas quoque modo ærumnas, quantoſque labores
Exanclaris.

Idem in Nugator.

Quam me hoc tempore nugator cognoſcere non vis.

Idem

Idem in Species.

Sicuti te, qui ea quæ ſpeciem vitæ putamus eſſe.

Idem in Potus.

Secus cum eo medio ac ludo bene potus receſſit.

Idem in Durus.

Et ſævo ac duro in bello multo optimus hoſtis.

Idem in Cædunt.

Lana opus omne perit, ſqualor, tineæ omnia cedunt.

Idem in Carioſus.

Planta una eſt pedibus carioſis menſulibano.

Idem in Nemo.

Neminis ingenio quemquam confidere oportet.

Idem in Experiar.

Summatim tamen experiar reſcribere paucis.

Idem in Comeſt.

Conficit ipſe comeſtque.

Idem in Efferre.

Omnia alia, in quibus efferimur rebus, ne ego multis loquar.

Idem in Induci.

Quid quærimus acre inductum, cantu cuſtoditum.

Idem in Hilum.

Quod tuas laudes culpes non proficis hilum.

Idem in Privum.

Culcitræ accedunt privæ centonibus binis.

Idem in Involare.

Inde canino ritu, oculiſque involem.

Idem in Nenum.

Sed tamen hoc dicas, nenum moleſtum eſt.

Idem in Cluere.

Cuja opera troginus calix per caſtra cluebat.

Idem in Sævus.

Idque tuis ſævis factis & triſtibus dictis.

Idem in Simitu.

Gratia habetur utriſque illis, quæ ſibi quæ ſimitu.

Idem in Volutari.

Quid tu iſtuc curas ubi ego oblinar atque voluter?

Idem in Invitare.

Cito enim bene longinquum mortalibus morbum
In vino eſſe, ubi qui invitavit dapſilius ſe.

Idem in Do.

Si liceat facere etiam hoc, verſibus reddere quod do.]

Idem in Sexcentum.

Quid vero eſt centum ac ducentum, poſſideas ſi millium.

Idem in Sexcentum.

Maximus ſi argenti ſexcentum ac mille reliquit.

Idem in Verbi.

Maximus ſi argento in verbi Androgyni barbati mœchocinædi.

Idem in Sumpti.

Quid dare, quid ſumpti facere ac præbere potiſſet.

Idem in Subigas.

Tune jugo juugas me ante, & ſuccedere aratro
Invitum & glebas ſubigas proſcindere ferro?

Priſcianus in Peroleſſe.

Quis totum ſcis corpus jam peroleſſe biſculis.

Nonius in Manicæ.

Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita eſt.

Nonius in Ducunt.

Non datur, admittit nemo, nec vivere ducunt,
Orco ſpondent ſeptimum.

Idam in Dicare.

Sicubi ad aures fama tuam pugnam claram allatam dicaſſet.

Idem in Differre.

Gaudes quum de me iſta foris ſermonibus differs.

Idem in Differre.

Et maledicendo multis ſermonibus differs.

Idem in Volutare.

Hoc tu me inſimulas, nonne ante in corde volutas?

Idem.

Idem in Spectare.

Quid ſibi volt, quare fit ut intro verſus ut ad te
ſpectent, atque ferant veſtigia ſe omnia prorſus?

Idom in Aptus.

Unus conſternit novis vetus reſtibus aptus.

Idem in Temnere.

Quodque adeo fuerunt qui temnere ſuperbum.

Idem in Manſum.

Sperans ætatem eadem hæc proferre poſſet, manſum ex ore daturum.

Idem in Subducere.

Neu quis te ignoret famulis ſubducere.

Idem in Honor.

Cujus cum vultu, ac facie, ludo, ac ſermonibus noſtris,
Virginis hoc pretium, atque hunc reddamus honorem.

Idem in Efferre.

Continuo ſimulac paulo vehementius aura
Inflarit, fluctus erexerit, extuleritque.

Idem in Concelebrare.

Multis inductis ſermonibus concelebrarunt.

Idem in Micare.

Omnia timendo mucro videas fervente micare.

Idem in Excutere.

Ipſo cum domino calce omnes excutiamus.

Idem in Invadere.

Ut ſemel in cœli pugnas invadere vidi.

Idem in Locare.

Virtutis hæc tuæ artis monimenta locantur.

Idem in Bonus.

Salvus palantino quidam vir nobilis, bonus bello.

Idem in Producere.

Producunt me ad te, tibi me hæc oſtendere cogunt.

Idem in Contentus.

Et his te verſibus interea contentus teneto.

Idem in Parcere.

Quanti nos faciant ſocii quum parcere poſſunt.

Idem in Luſtrari.

Quem ſumptum facis in luſtris, circum oppida luſtrans.

Idem in Maculoſus.

Hæc veſtimentis maculoſis aſpicit ipſe.

Idem in Dicare.

Juratam ſe uni cui ſit data adæque dicata:

Idem in Exlex.

Accipiunt leges, populus quibus legibus exlex.

Idem in Accipere.

Hoc etiam accipe quod dico. nam pertinet ad rem.

Idem in Mereas.

Publica lege ut mereas præſto eſt tibi quæſtor.

Idem in Macula.

Quem ſcis ſcire tuas omnes maculaſque notaſque.

Idem in Delinire.

Præſervit, labra delicit, delinit amore.

Idem in Intybus.

Pulmentaria, ut intybus, aut aliqua id genus herba.

Idem in Operari.

Aut operat aliquo in celebri cum æqualibus fano.

Idem.

Cui ubi decimucia meæ epitegina appedi longe opera ante omnia alia.

Idem in Ruere.

Ruis hæc & colligis omnia furtim.

Idem in Conducere.

Et virtute tua & claris conducere chartis.

Idem in Nutritur.

Senſu nutricatum ſane caput opprimit ipſe.

Idem in Tetrum.

Quæ non ſpectans ſpectandi ſtudioſe, at hominis tetri impulſu ingreſſus.

Idem

Idem in Committere.

Quod ſua committunt mortali clauſtra camœnæ.

Idem in Curatum.

Et circumvolitant ficedulæ, turdi curatis coci.

Idem in Diſcerniculum.

Euplocamo digitis diſcerniculumque capillo

Idem.

Nolito tibi me maledicere poſſe putare.

Idem in Trepidare.

Sed quid ego hæc animo trepidante dicta profundo.

Idem in Porrigo.

Triſte & corruptum, ſcabie & porriginis plenum.

Idem in Perſtringere.

Perſtringat oculorum aciem in acie hoſtibus.

Idem in Subigere.

An ego te acuam atque animoſam Theſſalam, ut indomitam frænis ſubigam ante domemque.

Idem in Exultare.

Quin totum purges, debellas me atque deauras, exultes, ſollicites.

Idem in Rumpere.

Quæ quondam populi oris aures pectora rumpit.

Idem in Servas.

Quid ſervas quo eam? quid agam? quid id attinet ad te?

Idem in Delicare.

Nemo iſtum ventrem pertundet, delicet uti atque videbis.

Idem in Miſſum.

Hoc miſſum face, illomet utere libenter.

Idem in Sublatus.

Sublatus pudor omnis, licentia fœnus refertur.

Idem in Mite.

Et illud quoque mite malum blandum atque doloſum.

Idem in Gerdius.

..curare domi ſint Gerdius, ancillæ, pueri, zonarius, textor.

Idem in Tagax.

Et Muſconis manu perſcribere poſſet Ajacem.

Idem in Invitare.

Contra hæc invitaſſe aut inſtigaſſe videntur.

Idem in Improbus.

Improbior multo quam de quo diximus ante,
Quanto blandior, hoc tanto vehementius mordet.

Idem in Improbus.

Omnes formoſi, fortes: ergo improbus eſto.

Idem in Apud.

Aut quum iter eſt aliquo & cauſam commentavi, ut apud aurificem, ad matrem, communem cognatam, ad amicam,

Idem in Metiri.

Vir mare metitur magnum fluctibus tradit.

Idem in Sucerdæ.

Hic in ſtercore humi, fabuliſque fimo atque ſucerdis.

Idem in Præſtiterit.

Uti in pecudem tu, aſinumque ut denique naſci præſtiterit.

LIBRO XXXVI.

Idem in Contemnificus.

Ego enim contemnificus fieri, & faſtidire Agamemnonis.

Idem in Referre.

Quod is intelligebat poſſe haud paucos, retuli.

Idem in Illuvies.

Hic cruciatur fame, frigore, illuvie, invalnitie, improfundie, incuria.

LIBRO XXXIX.

Idem in Vel.

Hoc inveniſſet unum ad morbum illum homini ve... belliſſimum.

Idem in Anceps.

Nemo hos ancipites ferro effringat cardines.

EPISTOLA.

Idem in Poeſis.

Quævis non magna pars poema eſt illa: poeſis o... totum, totaque illa ſumma eſt una θέσις ut A... nales Ennii: At quæſtus unum eſt, majus multo ... quam

quam quod dixi ante poema.
Quapropter dico, nemo qui culpat Homerum,
Perpetuo culpat, neque quod dixi ante poeſim,
In verſum unum culpat verbum enthymemate malo cum
Var Parmenone.

Ex iisdem Satyrarum libris loci addendi ſuperioribus.

LIBRO I.

Soſipater.

VUlturius.

Idem.

Arutæne aquales.

LIBRO II.

Idem.

DUceret has greges.

Donatus in Andria.

Nunc prætor tuus eſt, meus ſi diſceſſerit horno Gentili.

LIBRO III.

Soſipater.

LOnge tria millia paſſuum.

Donatus in Phormione.

. . . ille alter abundans. Cum ſeptem in locum
Hiſpanus r. a. r. p.

LIBRO V.

Soſipater.

ADipatam pultem.

LIBRO X.

Donatus in Andriam.

NÆ in arce bovem diſcerpſi magnifice.

LIBRO XIV.

Idem.

PUncto una hora . . . & qui quoque invaſit,

LIBRO XVII.

Nonius in Compernes.

NUnc cenſes καλλιπλόκαμον καλλίσφυρον illam
Non licitum eſſe utrem aquæ etiam inguina tangere
mammis,
Compernem aut varam fuiſſe Amphitryonis
Conjugem Alcmenam, atque alias, Ledam ipſam denique
nolo
Dicere tute vide, atque diſyllab on dilige quodvis.
Τὴν εὐπατέρειαν aliquam rem inſignem habuiſſe,
Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum,

LIBRO XIX.

Priſcianus in Raugi.

RAuſuro tragicus qui carmina perdit Oreſte.

Soſipater.

Scalprorum forcipumque millia XX.
Quivis forcipibus dentes vellere.

LIBRO XX.

Gellius Lib. III. Cap. XIV.

TEmpeſtate ſua atque eodem uno tempore, & horæ
Dimidio & tribus confectis duntaxat eandem
Et quartam.

LIBRO XXV.

Soſipater.

ARabus artemo.

LIBRO XXIX.

Nonius in Penſum.

NEmo eſt, ideo dixit, quis tu homo es? nemo ſum
homo at . . .

Soſipater.

Non laudare hominem quemquam, neque mu facere umquam.

Idem.

Cui ſi cum jure populus vix totus ſatisfit.

Diomedes.

Curarum retia nexit.

Donatus in Eunuchum.

. . . ex facie florem delegeris.

Nonius in Eugium.

Sine eugio, ac deſtina.

Nonius in Fretus.

Cæli nomine & ſalis fretus.

EX INCERTIS EJUSDEM LUCILII LIBRIS.

Nonius in Exculpere.

UTi eſurienti leoni ex ore exculpere prædam.

Idem in Utres.

Flacci lege utria.

Idem in Genitivis.

Si argenti indiges.

Idem in Laboſas.

Tantalus laboſas pœnas.

Idem in Gutturem.

Et ventrem & gutturem eundem.

Idem in A fertur.

Intereunt, labuntur, euntur omnia verſum.

Idem in Cyma.

Aſparagi molles, ſed viride cyma.

Idem in Invitare.

Pulchre invitati, acceptique benigne.

Idem in Verna.

Verna acer cupit hæc.

Idem.

Si tibi porro iſthæc res idcirco eſt cordi: quod re utilem.

Idem in Interfici.

Durum molle voras, fragmenta interficis panis.

Idem in Menda.

Nam in quibus mendæ omnibus in rebus fiunt, fierique potis ſunt.

Idem in Tolutim.

Velle tolutim hic ſemper incepturus videtur.

Idem in Gladius.

Hærebat mucro gladium in pectore tantum.

Idem in Algo.

Nam tam algo atque nigrore majus.

Idem in Repedare.

Sanctum ego a Metello Romam repedabam munere.

Idem in Sibilus.

Saxa & ſtridor ubi atque erunt dum ſibilus inſtitis.

Idem in Coxendix.

Caput colle ſuſtentatur, truncus ſuſtinetur a coxendicibus.

Idem in Anchora.

Armamenta tamen vel omnia ſervo. ſunis enim præciſus cito, atque anchora ſoluta.

Nonius in Carcheſium.

Tertius hic mali ſuperat carcheſia ſumma.

Idem in Commodum.

. . . biſquinoctoginta videbis Commoda de Capua quinquaginta atque octo.

Idem in Hippocampi.

Tranſverſo ordine poſuit hippocampi elephanto camelos.

Feſtus in Imbubinat.

Hæc te imbubinat, & contra te imbulbitat.

Feſtus.

Cariſſam.

Feſtus.

Vinum crucium.

Feſtus.

. . . palmiſque miſellam
Depuvit me.

Feſtus in Mamphula.

Piſtricem validam, ſi nummi ſuppeditabunt,
Addas empleuron, mamphulas quæ ſciat omnes.

Idem in Me.

Nunc ad te redeo, ut quæ res me impendet agatur.

Idem in Delos.

Inde Dicæarchum populos, Delumque minorem.

Idem in Nequam.

Nequam aurum eſt, auris quodvis vehementius ambit.

Idem.

Non omnibus dormio.

Idem

Idem in Pedaeius.

. . . agipes vocem mittere cœpit.

Idem in Pedes.

Ubi me videt, caput ſcabit, pedes legit.

Idem in Petauriſta.

Sicuti mechanici cum alto exiluere Petauro.

Idem in Petimina.

Ut petimen naſo, aut lumbos cervicibus tangat.

Idem in Piſcina.

Pro obtuſo ore pugil, piſcinenſis res eſt.

Idem in Quartarius.

Porro homines nequam malus ut quartarius cippos colligere omnes.

Feſtus in Querquera.

Jactans me ut febris querquera.

Item alibi.

Querquera conſequitur febris, capitiſque dolores.

Idem in Ampiruat.

Præſul ut ampiruat, inde vulgus redamplavit.

Idem in Pertæſum.

Quo facetior videare, & ſcire pluſquam cæteri, pertiſum hominem, non pertæſum dicere ferunt. nam genus . . .

Idem in Remora.

Quænam vox ex te reſonans meo gradu remoram facit?

Idem in Rhonde.

Rhonde ſciadionque.

Idem in Rodus.

Plumbi paxillum rodus linique matexam.

Idem in Sargus.

Quem præclarus helops, quem Ægypto ſargus movebit.

Idem in Scurra.

Cornelius Publius noſter Scipiadas dicto, tempuſque intorquet in ipſum
Oti, & deliciis luci effictæ, atque cinædo.

Et ſectatori adeo ipſi ſuo, quo rectius dicas.
Ibat forte domum, ſequimur multi atque frequentes.

Idem in Sicyonia.

Et pedibus læva ſicyonia demit honeſta.

Idem in Solla.

Suaſa quoque omnino dirimit non ſolla dupondi.

Idem in Spara.

Tum ſpara, tum murices portantur, tragula porro.

Idem in Squarroſus.

Varronum, ac rupicum ſquarroſa incondita roſtra.

Idem in Stlembum.

Pedibus ſtlembum.

Idem.

Ut veles bonus ſub vitem, qui ſummiſit haſtas.

Idem.

Neque prodire in altum, præliari procul ſub vite.

Idem in Suppus.

Si vero das quod rogat, & ſi ſuggeri ſuppus.

Idem in Tama.

Inguen ne exiſtat, papulæ, tama, ne boa noxit.

Idem in Tapulla.

Tapullam rident legem contere opimi.

Idem.

Verticulas.

Idem in Vindiciæ.

Nemo hic vindicias, neque ſacra, neque numen veretur.

Idem in Vitiligo.

Hæc odioſa mihi vitiligo eſt, non dolet, inquit.

Nonius in Solox.

Paſcali pecore & montano, hirto atque ſoloce.

Soſipater in Intro.

Nam veluti intro aliud longe eſſe atque intus, ſic apud ſe longe aliud eſſe, neque eadem valet. at tu intro nos vocas, & ſeſe tenet.

Idem in Plure.

Plura fora ſuenti.

Idem in Pedetentim.

Pedetentim hunc reſalutem.

Idem in Ficus.

Fici comeduntur & uvæ.

Idem in Plure.

Plure foras vendunt.

Idem in Forum.

Quum illa fora itant.

Idem in Vocativis.

Tierei Leontado & Pemani & thermo Parnime.

Diomedes in Prætor.

Prætor ne ruſticus fias.

Idem in Suffocare.

Et ſuffocare conatus.

Idem in Nolo.

Vultis? empta eſt noltis? non empta eſt.

Priſcianus in Penus.

Magna penus parvo ſpatio conſumpta peribit.

Priſcianus Lib. II.

A me auxiliatus es.

Idem.

Quin amplexetur qui velit, ego non ſinam me amplectier.

Donatus in Eunuchum.

Vicimus, o ſocii, & magnam pugnavimus pugnam.

Idem in Phormionem.

Lecti omnes. Atticon hoc eſt.

Idem in Hecyram.

Myconi calva omnis juventus.

Idem.

Carcer vix carcere dignus.

Idem in Adelphis.

Animo ac virtutibus tuis.

Idem in Eunucho.

Ut multos menſeſque dieſque.

Idem in Andriam.

Tuam ut memoriam retineas.

Idem in Eunuchum.

Ante fores autem & triclinii lumina quidam
Perditus Tirena tuſſi grandævus gemebat.

Servius in Lib. I. *Æneid.*

Ecquem Pamphilum quæris.

Idem in Lib. VI. *Æneid.*

Scinde calam, ut caleas.

Idem ibidem.

Mihi neceſſe eſt loqui: nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe.

Idem in Lib. IX. *Æneid.*

Conſilium ſummis hominum de rebus habebant.

Idem in Lib. II. *Georgic.*

Χῖοςτε δ ὑνατθαι. *Vir.Georg.* 2. Sunt & amineæ vites, firmiſſima vina,
Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus.

Idem.

Reſultant ædeſque lacuſque!

Iſidorus.

Et velut in fabricam fervens quum marculus ferrum
Multorum magnis ictibus tundit.

Idem.

Hanc cataporatem puer eodem defert, unctum plumbi pauxillum rudis linique mataxam.

Idem.

Centum genera ſolœciſmorum.

Varro L. L. Lib. VI.

Thynno capto corvum excludunt foras, occiduntque lupos a perdice, & jura ſiluri. Sume ipſe atque amiam.

Idem L. L. Lib. IV.

Terra abiit in nimbos imbreſque.

Idem ibidem.

Quadrantis ratiti.

Idem ibidem.

Vis eſt vita vides, quæ nos facere omnia cogit.

Idem ibidem.

Ergo prætorum eſt ante præire.

Idem L. L. Lib. V.

Quum ad ſe cubitum venerit ſua voluntate, ſponte ipſam ſuapte adductam ut tunicam & cætera rejiceret.

Idem L. L. Lib. VI.

Quid tibi ego ambages ambivi ſcribere coner?

Idem ibidem.

Nequam & magnus homo, laniorum immanis canes ut.

Idem ibidem.

Cæcilius ne ruſticus fiat.

Idem ibidem.

Hæc inquam rudet ex roſtris, atque hinnilitabat.

Idem ibidem.

Quantum hinnitum atque equitatum.

Porphyrio ad Horat. Lib. I. *Od.* VII.

Rhodos Carpathium in pelagus inclinat apertum.

Idem Lib. I. Od. XXVII.

Judicis Hortenſi eſt, ad eam rem nata palæſtra.

Cicero de Finibus.

Græcum te Albuti, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Titi, Anni, centurionum,
Præclarorum hominum, ac primorum, ſigniferumque,
Maluiſti dici. Græce ergo prætor Athenis,
Id quod maluiſti te, quum ad me accedis, ſaluto.
Χαῖρε inquam Tite, lictores, turma omnis cohorſque,
Χαίρετε hinc hoſtis Muti Albutius, hinc inimicus.

Cic. in Oratore Lib. III.

Quam lepide lexeis compoſtæ ut teſſerulæ omnes,
Arte pavimento, atque emblemate vermiculato,
Craſſum habeo generum: ne rhetoricωteros tu ſis.

Idem Tuſc. Quæſt. Lib. IV.

Occidam illum equidem, & vincam, ſi id quæritis, inquit.
Verum illud credo fore, in os prius accipiam ipſe
Quam gladium in ſtomacho, ſura ac pulmonibus ſiſto.
Odi hominem: iratus pugno: nec longius quidquam
Vobis, quam dextræ gladium dum accommodet alter:
Uſque adeo ſtudio atque odio illius, efferor ira.

Idem de Nat. Deor. Lib. I.

. . . Tubulus ſi Lucius umquam,
Si lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius.

Idem de Oratore Lib. II.

Quid Decius Nuculam? an confixum vis facere, inquit?

Idem de Oratore Lib. III.

. . quamvis bonus ipſe
Samnis in ludo, ac rudibus cauſis ſatis aſper.

Idem de Finibus Lib. II.

O Lapathe, ut jactare neceſſe eſt cognitus cui ſis:
In quo Lælius clamores σοφὸς ille ſolebat
Edere, compellans gumas ex ordine noſtros.
O Publi, o gurges, Galloni es homo miſer, inquit.
Cœnaſti in vita numquam bene, quum omnia in iſto
Conſumis, ſquilla atque acipenſere cum decumano.

Gellius Lib. XX. Cap. VII.

Luna alit oſtrea, & implet echinos, muribus fibras
Et pecu addit.

Idem Lib. III. *Cap.* XIV.

Quidni? & ſcruta quidem ut vendat ſcrutarius laudat,
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

Idem Lib. II. *Cap.* XXIV.

Legem vitemus Licini.

Idem ibidem.

Fanni centuſſiſque miſellos.

Idem Lib. IX. *Cap.* XIV.

Et primum facie honeſtas accedit.

Idem Lib. IV. *Cap.* XXVI.

Quod ſumptum atque epulas victu præponis honeſto.

Idem.

Uno oculo pedibuſque duobus dimidiatus
Ut porcus.

Macro.

Macrobius, & *Nonius*.

Queis hunc currere equum nos atque equitare videmus,
His equitat, curritque: oculis equitare videmus.
Ergo oculis equitat.

Lactantius Lib. IV. *Cap.* V.

Virtus, Albine, eſt pretium perſolvere verum
Queis inverſamur, queis vivimus rebus poteſſe:
Virtus eſt homini, ſcire id, quod quæque habeat res:
Virtus, ſcire homini, rectum, utile, quid ſit honeſtum
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhoneſtum.
Virtus, quærendæ rei finem ſcire, modumque:
Virtus, divitiis pretium perſolvere poſſe:
Virtus, id dare, quod re ipſa debetur honori:
Hoſtem eſſe atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defenſorem hominum morumque bonorum.
Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum.
Commoda præterea patriæ ſibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam poſtremaque noſtra.

Idem Lib. IV, *Cap.* III.

Ut nemo ſit noſtrum quin aut pater optimus divum,
Aut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Janus, Quirinus pater, nomen dicatur ad unum.

Idem Lib. V. *Cap.* IX.

Nunc vero a mane ad noctem, feſto atque profeſto
Totus item pariterque die populuſque patreſque
Jactare indu foro ſe omnes, decedere nuſquam,
Uni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere, & arti,
Verba dare ut caute poſſint, pugnare doloſe,
Blanditia certare, bonum ſimulare virum ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Idem Lib. VI. *Cap.* XVIII.

Homini amico ac familiari non eſt mentiri meum.

SEX. TURPILII
FRAGMENTA

ACTA.

Nonius in Lupari.

Atque ſcalis cum meretrice e noſtro ornatu per vias lupantur.

BETHONIBUS.

Idem in Legere.

Qui verba venatur mea, peſtis ars cædat, & ſermonem hinc ſublegam,

Idem in Cogita.

Quæſo cogita ac delibera.

Idem in Sagæ.

Non ago hoc per ſagam pretio conductam, ut vulgo ſolent.

Idem in Tuburcinari.

Melixa intus ceſſat, credo hercle helluo tuburcinatur.

Idem in Derepente.

Eum derepente uxorem audio ducere.

Idem in Macte.

Macte virtute eſto.

CANEPHORO.

Idem in Spiſſum.

Ita eſt: verum haud facile eſt venire illi, ubi ſpiſſa eſt ſapientia.

Idem in Fructi.

Satis fructi reddunt.

Idem in Logi.

Teſtamentum ergo calabis logi.

Idem in Gracilis.

Noſti quam ſit gracili corpore.

DEMETRIO.

Idem in Levat.

Nunc me ex aliorum ingeniis judicat, intercapedo quorum

rum amicitias levat.

Idem in Icere.

Nam ſi iceris me poſthac, credas mihi velim, inquit: tum quid cenſes? dolebit ſcilicet.

Idem in Sacerrume.

Et me jam irrides peſſume ac ſacerrume?

Idem in Enoda.

Ab initio ut res ſit geſta, enoda mihi.

Idem in Numerus.

Numquam nimis numero quemquam vidi facere quam facto eſt opus.

Idem in Singularia.

Homo unica eſt natura & ſingularia.

Idem in Pudet.

Pudet pigetque mei me.

Feſtus in Nec.

Nec recte dici mihi jamdudum audio.

Nonius in Oſtrea.

In acta cooperta age inoras oſtreas.

Idem in Inſolentia.

Timere occœpit, interdum oſcitarier ineptus.
Quid mihi vellem ex inſolentia neſciebam.

Idem in Primoribus.

Sandalio innixa digitis primoribus.

Idem in Tangere.

At etiam ineptus meus mihi eſt iratus pater, quia ſe talento argenti tetigi, veteri exemplo amantis.

Idem in Carere.

Dolentis perſona meos parentes careo.

Idem in Delinitus.

Vide mirum ingenium, ac delenificam mulierem: commorat hominem lacrimis.

Idem in Piſcati.

Antehac ſufflabat Aquilo, aut Auſter: inopia tum erat piſcati.

DEMIURGO.

Idem in Modicum.

Ego ædepol docta dico, quæ mulier volet ſibi,
Summum amicum eſſe, indulgentem & diutinum,
Modice atque parce ejus ſervi ad cupidines.

Idem in Apertæ.

Apertæ ſuræ, brachia autem procera horrorem mihi ex corde ſuſcitabant.

Idem in Tricæ.

Judicia, lites, turbas, tricas, contentiones maximas.

Idem in Senio.

Quia enim odio ac ſenio mihi hæ ſunt nuptiæ.

Idem in Porti.

Neque nautæ, quum eſſent circumventi ventis, incerto itinere porti indigentes.

Idem in Quæſti.

Mulier meretrix, quæ me quæſti cauſa cognovit ſui.

Idem in Scutus.

Quia non minus res hominem quam ſcutus tegit.

EPICLERO.

Priſcianus Lib. de Metris Comicis.

Quæſo ædepol quo ante lucem te ſubito rapis,
Here, cum uno puero?
Nequeo eſſe intus Stephanio.
Quid ita? Præut ſolent me curæ ſomno ſegregant,
Foraſque noctis excitant ſilentio.
Currendo ſic eſt, ſic datur nimium ubi ſopori ſervias
Potius quam domino, & ubi ſevero imperio quæ imperata ſunt.

Idem in Saucius.

Patrocinantem ubi factum audierit ſaucius.

Idem in Legere.

Quam legere, te optimum eſſe atque æquiſſimum, qua cum ætas vegeta, & jubendum eſſe tibi.

Idem in Dividia.

Sperabam conſilia noſtra dividiæ tibi, quum ætas acceſſet, non fore.

Idem in Liberum.

In Caliphonis nunc te miſeræ liberum.

Idem in Accuſativis.

Sed vola ut familia noſtra officia fungatur ſua.

Idem in Invitare.

Non invitat pluſculum hic ſeſe, ut ſolet.

Idem in Miſeretur.

Quam matris nunc patris me miſeretur magis.

Idem

Idem in Nominativis.

At enim ſcies quæ fuiſti inſcius.

Idem in Copem.

Te quidam omnium jam pater copem cauſa rem facit.

Idem in Obitus.

Ecquis eſt qui interrumpit ſermonem meum obitu ſuo?

HETÆRA.

Idem in Quæſti.

Simulari me a ſe amari quæſti gratia.

Idem in Jamdiu.

Rhodienſis ſe iſtuc commigravit jamdiu.

Idem in Torporavit.

Stupidus adſtat: ita ejus aſpectus repens cor torporavit homines amore.

Idem in Fructi.

Hæc ſi impetro abs te ut faciat, ſatis fructi cepero ex te.

Idem.

Rus ad illas commigrat, habitamus hiemem totam cum mulierculis.

Idem in Immortalitus.

Sat me, ut meum cor voluptatibus dat, immortalitus ſe obtulit mihi hæc facultas.

Idem in Proficiſceret.

Hortatur hominem quamprimum proficiſceret.

Idem in Villicari.

Hic villicor ante urbem, nunc rus eo.

Idem in Meret.

Meret me merito ut diligare.

LEMNIIS.

Idem in Celox.

Remulis ſenſim celox ab oppido proceſſerat,

Idem in Lembus.

Lembi redeuntes domum duæ ad nos certam accelerarunt ratem.

Idem in Contendere.

Habet poteſtatem: niſi poteſtatem ſenis pretio contendas, ut redempto Phædria liceat redire antiquam in conſuetudinem.

Idem in Comparavi.

Numquam unius me comparavi ſervire elegantiæ.

Idem in Protelare.

Propter peccatum pauxillum indigniſſime patria protelatum eſſe, ſævitia patris.

Idem in Extorris.

Neque durare poſſunt, ita hujus inſcitia atque dementia extorrem facit.

LEUCADIA.

Idem in Suavitudo.

Intercapedine interficior, deſiderio differor, tua mihi cupiditas ſuavitudo, & mei animi expectatio.

Idem in Attingere.

Ne me attingas, atque aufer manum. eja quam ferocula eſt.

Idem in Inſolens.

Quem olim oderat, ſectatur ultro ac detinet
Ille inſolens aut faſtidiat carnifex.

Idem in Sanctitudo.

Miſeram terrent me omnia, maris ſcopuli, ſonitus, ſolitudo, ſanctitudo Apollinis.

Idem in Vagas.

Vultu vecordi vagas inſania.

Idem in Tangere.

* Hoc quæro ignoſcere iſtic ſolent necis minoris noxia ſerum, ſi forte quaſi alias res vini cavo.

Idem in Triſtitias.

Antefacta in ignem committo, triſtitias ante divortium.

Idem in Condemnata.

Et amplius illam apparere condecet, quandoquidem vo condemnata eſt.

Idem in Mei.

Vide nunc faſtidit mei.

Idem in Lembus.

Hortari noſtros cœpi illico ut celerarent lembum.

Idem in Confidens.

Videtur frigus inceſſum, quam eſt confidens, diis tum perdunt.

Idem in Illico.

Sed quam longe eſt cum iſti illico.

Idem

Idem in Limare.

Veritus ſum, ne amoris cauſa cum illa limaſſis caput.

Idem in Apud.

Utinam nunc apud ignem aliquem magnum aſſidam.

Idem in Invitare.

Invitavit pluſculum hic ſeſe in prandio.

Idem in Colubra.

Arripuit colubram mordicus.

Idem in Caries.

Ciperi vident ut oſculatur cariem. num illum illæc pudet?

Idem in Exſorbebo.

Jam ego iſtam tibi triſtitiam exſorbebo.

L I N D I A.

Priſcianus Lib. de Metris Comicis.

Profecto ut quiſque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam duxit maxime.
Ut philoſophi aiunt iſti, quidvis ſatis eſt.
Dii advenientem perdant, hic quidem nos perdit:
Factum eſſe diem hinc quartum hodie iterant ita conventum.

Nonius in Mercatura.

Conſilium hoc cœpi. literas miſi ad ſenem noſtrum, prodeſſe nobis ex ſententia mercaturam.

Idem in Sacerrimus.

Abhinc triennium ſacerrimum domicilium hoc quidem contulit leno.

Idem in Luſtra.

Quibus ſenem rebus deſpoliaſti fœdum, in luſtris latet.

Idem in Accuſativis.

Me vis potiri, fac ergo potiar quod volo.

Idem in Vilitant.

Quin moneam, quin clamem, & querar tua vitia, quæ te vilitant.

Idem in Numero.

Ego interim in turba foras ſubduxi cum hac me, nequis ad numero mihi videbat currere.

Idem in Mitis.

Miſero mihi mitigabat ſandalio caput.

Idem in Velitare.

Comperce vobis velitare, ad rem dedi.

P A R A T E R U S A.

Idem in Subducere.

Quum antehac videbam ſtare triſtes turbido vultu, ſubductis cum ſuperciliis ſenes,

Idem in Villicari.

Ego nondum etiam hic villicabar Phædria.

Priſcianus in Conniveo.

Dum ego connixi ſomno, hic ſibi proſpexit vigilans virginem.

Nonius in Meritiſſime.

Meritiſſimo te magnifacio.

Idem in Largitas.

O dic mihi, an oblita obſecro ejus crebras manſiones ad amicam, & ſumpti largitatem?

Idem in Offendit.

Caput ut offendit ad limen pol.

P E D I O.

Idem in Claret.

Cujus adventu inſula hodie claret Cypros.

Idem in Succedere.

Ut ille hac ſeſe abſtineret, ego ſuperſederem nuptiis.

Idem in Dies.

Quando equidem amorem intercapedine ipſe lenivit dies.

Idem in Præſtolabo.

Ego præſtolabo illi, ut citante opicium.

Idem in Intui.

Tamen oculis longa intercapedine appetunt, cupide intui.

Idem in Fama.

Quæſo omittite ac deſerite hanc meretricem, quæ te ſemel ut eſt nacta, ſemper ſtuduit perdere, detegere, ſpoliare, opplereque adeo fama ac flagitiis.

Idem in Accuſativis.

Nuptias abjeci, amicos ut primores viros.

Idem in Roſtrum.

Nec umquam vidit roſtrum hæc tragœdia tantum uti.

Idem in Tumulti.

Progredior foras viſere quid hinc tumulti ante fores.

Idem in Humanitus.

Quare eſſe dicat quiſquam illum hominem, haud quidquam facere humanitus.

Idem in Increpa.

Age tu hymenæum increpa.

Idem in Genitivis.

Neque virum educta ut par eſt, expers malitiis, metuens ſui.

Idem in Meminiſſe.

Jam deſine meminiſſe illius formam.

PHILOPATRO.

Idem.

Certum ac deliberatum eſt me illis obſequi.

Idem in Ætatem.

Miſerum puto ſi etiam iſtuc ad malam ætatem acceſſit mali.

Idem in Uterum.

Diſperii miſera. uterum cruciatur mihi.

Idem in Invitari.

Lucus ipſe invitat hercle hic Veneris.

Idem in Gliſco.

Quum te ſalvum video ut volui, gliſco gaudio.

Idem in Meres.

Utinam poſſim tibi referre gratias, ut de me meres.

Idem in Contendit.

Gemmeas fortunas mater. hem qua cauſa huc opere maximo contenditur?

Idem in Olim.

Deinde quum ad te redierit res olim poſt mortem patris.

Idem in Accuſativis.

Ecce autem tuo more, ut ſoles, videre mihi ægre pati, quia hos dies compluſculos intercapedo ſumpti faciundi fuit.

Idem in Lenitudo.

Mira lenitudine ac ſuavitate abundat.

Idem in Dominus.

Forte eo die meretrices ad me de levitate Atticæ, ut convenerat, quo dixerant quæ cœnam apud me, Thais atque Erotium, Antiphila, Pythias. ego extra cubui domina.

Idem in Auferre.

Simul circumſpectat: ubi præter ſe neminem videt eſſe, tulit, aufert: ego clam conſequor.

Idem in Strophium.

Me miſeram, quid agam? inter vias epiſtola excidit mihi: infelix inter tuniculam ac ſtrophium collocaram.

THRASYLEONE.

Idem in Obſequela.

Quum interea nihil quidquam a me eſt præmii, neque erat tuæ benignitatis atque obſequelæ.

Idem in Munerat.

Dat ultro, ac munerat quod ab illo abſtulit.

Idem in Factio.

Non utilitate, factione fretus, intercedere.

Idem in Itiner.

Age, age, egredere: atque utinam iſtuc perpetuum itiner ſit tibi.

Idem in Occupare.

Ceſſo occupare, & me in colloquium conferre horum?

Idem in Invitari.

Onera, menſam, talos, vinum, in hæc hujuſmodi quibus rebus vitam amat tum invitari ſolem.

Idem in Mercimonium.

Videre cupio noſtrum mercimonium.

Idem in Divitant.

Dii me divitant.

Idem in Vulgaria.

Non eſt mediocris, neque vulgaria fallacia hæc.

Idem in Turba.

Nemo umquam vidit ebrium interdiu, neque turbam facere, neque fores exurere.

Idem

Idem in Orbitudo.

Hoc te oro, ut illius commiſereſcas miſeræ orbitudinis.

VELITERNA.

Idem in Ricinum.

Ducit me ſecum: poſtquam ad ædem venimus, veneratur deos, interea aſpexit virginem geſtantem in capite riculam, indutam oſtrinam.

EX INCERTIS LIBRIS.

Idem in Obſequela.

Et geleros, & neque offerre hunc diutius errari, & conqueri neceſſe ſuæ obſequelæ.

Iſidorus in Propes.

Quaſi quum ventus fert navem in mare ſecundus, ſi quis propedon miſit ſi veli ſiniſtrum.

Nonius in Tapete.

Glabrum tapete.

GN. MATII
FRAGMENTA

MIMIAMBIS.

Gellius Lib. X. *Cap.* XXIV.

NUper die quarto ut recordor, & certe
Aquarium urceum unicum domi fregit.

Idem Lib. XV. *Cap.* XXV.

Jam jam albicaſcit Phœbus & recentatur,
Commune lumen hominibus voluptaſque.

Idem ibidem.

Quapropter edulcare convenit vitam,
Curaſque acerbas ſenſibus gubernare,
Sinuque amicam recipere frigidam caldo,
Columbatimque labra conſerens labris.

Idem ibidem.

Jam tonſiles tapetes ebrii fuco,
Quos concha purpura imbuens venenavit.

ILIADE.

Idem Lib. IX. *Cap.* XIV.

An maneat ſpecii ſimulacrum in morte ſilentum.

Idem ibidem.

Altera pars Acii vitaſſet fluminis undas.

Varro L. L. Lib. IV.

Corpora Graiorum mœrebat mandier igni.

Idem ibidem.

Obſcæni interpres funeſtique ominis auctor.

L. AFRANII FRAGMENTA

ABDUCTA.

Feſtus in Senticoſus.

QUam ſenticoſa verba pertorquet turba.

Nonius in Callere.

Neſcis num. heri mei omnem melius callent rem quam volo.

Idem in Pariter.

Diſpartiantur patris bona pariter.

AQUALIBUS.

Idem in Comeſt.

Iſte, ut tu rem narras, dona comeſt hic quotidie.

AUCTIONE.

Idem in Extrabunt.

Simul limen intrabo, illi extrabunt illico.

Idem in Facul.

Haud facul (ut ait Pacuvius) femina invenietur bona.

Idem in Abſente.

Si hac abſente nobis venerit puer.

AUGURIBUS.

Nonius in Putidum.

Et fallaci aſpectu paries pictus, putidus.

Idem in Blaterare.

Quid eſt iſthuc te blaterare atque obloqui?

Idem in Statim.

Quamquam non iſtis exercetur in jocis hic noſter delaborat quum puer ſtatim.

BRUNDUSINIS.

Idem in Regulaſſe.

Imo jamdudum obcubuiſſe, degulaſſe oportuit.

Priſcianus in Reſipio.

Equidem nunc reſipui poſtquam pectus eſt lætitiæ onuſtum.

Nonius in Implicabatur.

In parte inferiore hic implicabatur caput fateor.

Feſtus in Sagaci.

Quis tam ſagaci corde atque ingenio unico?

CÆDO.

Nonius in Spiſſum.

Itaque ſpiſſum videtur fieri, non poſſunt domi meum virum expectare, quem mihi ſtudeo jamdudum dari.

CINERARIO.

Soſipater in Cuccuru.

Id me celabat cuccuru.

Nonius in Gratulor.

Quod ſalvus venis melius eſt, gratulor diis.

Priſcianus in Gratulor.

Sexte frater mi ſalve, quum ſalvus venis, meliuſque tibi eſt, gratulor diis.

COMPITALIBUS.

Idem in Sal.

Ut quidquid loquitur, ſal merum eſt.

Nonius in Genitivis.

Si non verear, nemo vereatur tui.

Idem in Pilare.

Præterea corpus meum nunc pilare primum cœpit.

CONSOBRINIS.

Soſipater.

Non ſum apud me: en lentus lenteque te rogabo.

Fe-

Feſtus in Temulentæ.

Pol magis iſtius temulentæ futilis.

Soſipater.

Vaha retinet homo linguam mordicus.

Gellius Lib. XV. *Cap.* VIII.

Hem iſte parentum eſt vitabilis liberis.
Ubi malunt metui, quam vereri ſe a ſuis.

Soſipater in Præfiſcine.

Scis habitum ita ut nunc obtinet præfiſcine.

CRIMINE.

Nonius.

Quos impune depopulatur dedecus.

Idem in In ſolum.

Orbitatem ſenectuti tuæ malam metui, quod in ſolum non venit cæco ac dementi.

Idem in Jentare.

Hæc jejuna jentavit.

DEDITIONE.

Soſipater in Saga.

Quod quadrati ſunt ſagi.

DEPOSITO.

Feſtus in Conciere.

Dii ſunt irati tibi, qui conciere cogites tantum mali.

DIVORTIO.

Idem in Viroſæ.

Vigilans, ac ſolers, ſicca, ſana, ſobria, viroſa non ſum. & ſi ſim, non deſunt mihi
Qui ultro dent. ætas integra eſt, formæ ſatis.

Idem in Vafer.

Qui coner noctu clanculum bruſire dotem ne remittat vafer, honeſte ut latites, & nos laudas diutius.

Nonius.

Quum teſtamento patria partiſſet bona.

Idem.

Ino illum mitem ſaxo faciant fuſtibus.

Idem in Spurcum.

Mulier noverca nomen huc adde impium: ſpurca gremio veſtigio haud dici poteſt.

Idem.

O dignum facinus adoleſcentis, optumas, bene convenientes, concordes quum vires repente viduas faciat ſpurcitia patris.

Idem in Flaccet.

Diſperii, perturbata ſunt; jam flaccet fortitudo.

Idem in Cognomen.

Letium genus cognominationis morborum cognominis.

Idem in Sceleroſum.

O diem ſceleroſum & indignum!

Idem in Perſpicace.

Quam perſpicace, quam benigno, quam cito.

Idem in Diſerte.

Quod vult diſerte pactum aut dictum.

Idem in Averruncent.

Et puncto averruncent cur Syriam ſimul.

Idem in Inaudiat.

Novis dictis quæſo ne ille inaudiat.

EMANCIPATO.

Nonius in Deſubito.

Quam beatæ ſcenicæ videntur mihi mulieres,
Quæ jurgio & benevolentia terrent deſubito viros!

Priſcianus in Quies.

Sollicito corde corpus non potitur nunc quie.

Idem in Cauſaris.

Vide, ut facunde contra cauſaris patrem.

Idem in Genitivis.

Optandum uxorem quæ non vereatur viri.

Idem in Fortunaſſint.

Deos ego omnes ut fortunaſſint, precor.

Soſipater in Seorſus.

Principium hoc oro, in animo ut ſic tuo ſtatuas, officiis cogi ut abs te ſeorſus ſentiam de uxoria re.

Idem

Idem Lib. II.

Nudiuſtertius tute adveniſti quam diluculo.

Idem Lib. II.

Idem es, qui ſemper, idque ut rite intelligas te facere.

Idem ibidem.

Ne tu ſummatim ratio putes.

Idem Lib. I.

Ut ſint repentino apparandæ nuptiæ.

Idem Lib. II.

O quot clamas!

Idem in Secreto.

Idcirco hæc agere tecum ſecreto inſtiti.

Idem in Hem.

Hem quid ais? mane ſerva quæſo, niſi moleſtum eſt, pauca ſunt tecum, quæ volo.

Idem in An.

An mi homo? immo ædepol vos ſupremum meum concelebretis diem.

Idem in An.

An quid me cenſes obſecro? non audiſti?

Idem in Compacto.

Te facere compacto omnia.

Idem in Pauloprius.

Paulo prius hinc abiit.

Idem in Nimium.

Cur nimium adpetimus, ſi reſpondetur nemini nimium, bene eſt.

Idem in Pudenter.

Malo pudenter metientem.

Idem in Porro.

Poſt narravero: nunc eſt diſtentus animus ut negotiis. porro autem propero.

Idem in Lente.

Quam lente tractat me atque inludit.

Nonius in Remeare.

Vetuit me ſine mercede proſum paucis remeare in ludum.

EPISTOLA.

Nonius in Triſtior.

Jactavit ſeſe, jactet, mihi erit triſtior.

Idem ibidem.

Natura triſtiori paululo.

Idem in Intricavit.

Ita intricavit hujus hanc rem temeritas.

Idem in Comparatum eſt.

Nam proba & pudica quod ſum, conſulto & pareo mihi. Quoniam comparatum eſt, uno ut ſimus contentæ viro.

Idem in Supparum.

Tace. puella non ſum, ſupparo ſi induta ſum.

Idem.

Amare, habere puerum depoſitum foris.

Idem in Fervit.

Ego miſera riſu clandeſtino rumpier, fere matera meu ſtra fervere.

Idem in Protinis.

Tum protinis recta domum digredimur.

Idem in Calleo.

Quamquam iſta hæc malitioſa non tam calleo, tamen non fefelli.

Idem in Extundo.

Atque adeo extundo exitio datur mihi cuſtodiendus.

Idem in Tenebrio.

Huc venit fugiens tenebrionem Tyrum.

Feſtus in Tyria Maria.

Hunc ſervum autem, maria Tyria conciet.

Idem in Quid niſi.

Me authore mater abſtinebis. quid niſi?

Nonius in Contendiſſem.

Non licet me quo contendiſſem ita pervenire.

EXCEPTO.

Nonius in Paleſtricus.

Etiam depellis mihi manum per palæſtricos.

Idem in Habet.

Ubi hic, neſcis, quæſo, habet meretrix Neapolitis?

Idem

Idem in Maceries.

ſi ille hæc nunc ſentis, facere illi ſatis vis, quanta illius mors ſit maceries tibi.

Idem in Oſtrew.

Conchas, echinos, oſtreas marinas.

Nonius in Meretrices.

Meretrix cum veſte longa, peregrino in loco ſolet tutandi cauſa ſeſe ſumere.

Idem in Appellant.

Habitu appellant huc ad molem noſtram naviculam.

Idem in Genitivis.

Quod vitæ ſtudium, aut quod præſidium in poſterum mihi ſupponebas, mecum privis tui?

Idem in Graſſantur.

Conſimili graſſantur via a quibus eſt hic omnis cultus.

Idem in Cymba.

Tum conſcendo cymbam, interibi lucis piſcatoriam venio, jacitur anchora, inhibent leviter.

Idem in Succedite.

Audite pueri pauca, vos ſuccedite.

Idem in Herba.

Fit opus luculentum, hoc diei herbam det.

Idem in Advorſum.

De vita ac morte domini fabulavere advorſum fratrem illius ac dominum ſuum.

Idem in Pediolus.

Atque adeo nolo nudo pediolo es pus.

Idem in Operari.

Proficiſcor, res, tempus, locus, ſimul otium hortabatur, ut operatum illum Dianæ degerem ſanctum diem.

Idem ibidem.

Jubeo hominem tolli & collocari & confoveri, ſolvo operam Dianæ.

FRATRIIS.

Idem in Dicare.

At ruſtico neſcio cui vicino ſuo perpauperi, cui dicat dotis paululum.

Idem in Manducari.

Facile manducari qui poteſt.

Idem.

Formoſa virgo eſt, dotis dimidium vocant
Iſti qui dotes negligunt uxorias.

Idem in Speratum.

Curre & nuntia venire, & mecum ſperatum adduce.
Videat puellam: curent, conformentur jube.

Idem ibidem.

Speratam non odi tuam.

Idem in Merenda.

Interim merendam occurro: caute quum veni juvat.

Idem in Fingere.

Nunc vide, hoc quo pacto eo aurum in medio proferam, tu Caſtalia cogita, tu finge, fabricare, uti libet.

Idem in Requiram.

Proin tutum quæram, ne requiram te vide.

Idem in Toga.

Equidem prandere ſtantem nobiſcum incincta togam.

Idem in Exigat.

Retinebitur vir, ut voluntate una probabili prægnantem quod non exigat.

Idem in Luculentulus.

Piſtori novat cur non ſcribitari ut mittas fratris filio luculentulus.

Idem in Laverent.

Aquam ex cœno haurire, qui laverent manus.

FRATRIBUS.

Idem in Suppliciis.

Nullam profecto acceſſi ad aram, quin Deos ſuppliciis, ſumptu vatis, donis, precibus, plorans, obſecrans nequidquam defatigarem.

Idem in Sacrum.

O ſacrum ſcurram & malum.

Idem in Adſeſtrix.

Dimittit adſeſtricem, me ad ſeſe vocat.

Idem

Idem in Olat.

Non poteſt qui in illas tacta longeque & multis olat.

Idem in Spurca.

Commemorabo, oſtendam illius facta & ſpurca improbi.

Idem in Præclavium.

Mea nutrix ſurge, ſi vis profer purpuram, præclavium, contextus.

Idem in Atri dies.

Septembris heri calenda: hodie atri dies.

HOMINE.

Idem in Derepente.

Atque ille derepente in jumentum exilit, contendit oculos, derepente abit cælo.

Priſcianus in Sciſcidiſtis.

Satis fortiter paulo veſtras ſciſcidiſtis colus.

Nonius.

Amabit ſapiens, cupient cæteri.

Idem in Offendam.

Ea memoriter quum venero confecta ut offendam.

Idem in Bacillum.

Bacillum deligatum corneolum poſcit.

Idem in Datatim.

Datatim uxorem ut ludas.

Idem in Præclavium.

Tertium diem præclavium unum texere.

Priſcianus in Ipſi.

Ipſi me velle veſtimenta dicito.

IDA.

Feſtus in Petulci.

Noſtrum in conventum, aut conſeſſum ludum, lapſumque petulcum.

IMIS.

Nonius in Faceſſes.

Multa atque moleſta res potis ut dicta faceſſes.

INCENDIO.

Nonius.

Non uſquequaque idoneum invenias locum,
Ubi derepente quum velis facias lutum.

Priſcianus in Puer.

O puere puere ſine me proſpicere mihi.

Nonius in Blateres.

Illud memento, nequid imprimis blateres.

Idem in Conjicere.

Servus eſt mihi Nicaſio, ſceleratus, curioſus: is cum filio ei conjicere ad neſcio quidquid de latratiuncula.

Idem in Concedere.

Atque hæc etiam incendit hoc, procul conceſſero.

Idem.

Experjurabant, execrabant ſe ac ſuos.

INIMICIS.

Idem in Adiutamini.

Hæc obſecro igitur, agite & me adjutamini.

LIBERTO.

Idem in Faceſſe.

Nolo hic te videat, dominus eſt, puer faceſſe hinc.

MARITIS.

Idem in Obedibo.

Meo ut obſequar amori, obedibo tibi.

MATERTERIS.

Soſipater in Ilicet.

Quum is Balbum ſupra modum differere conantem laudaret, an tu eloquens ilicet.

Nonius in Conjicere.

Cauſam conjicere hodie ad te volo: ambo adeſtis, pro futuros arbitror.

Idem in Panum.

In quem plenam papulam, panum, tympanum.

Idem in Spiſſum.

Quod exſpectans deſeſſa domi ſedi, quod ſpiſſo veris viſum eſt mihi.

Idem

Idem in Sepiunt.

Perii, lachrimæ linguam ſepiunt.

Idem in Inibi.

Poſtquam ſe vidit inibi eſſe gignatam, parvulam ſororibus commendat.

Idem in Largitus.

Quid iſtuc eſt? quid fles? quid lachrimas? largitus proloquere.

MEGALENSIBUS.

Idem in Saniter.

Adeſte, aſſentio te amare, me adorare ſaniter.

Ν Ο Μ Ω.

Gellius Lib. X. *Cap.* XI.

Adpetis dominatum demens præmature præcocem.

PANTALEO.

Soſipater.

Contemnens inquit liber natus eſt, ita mater ejus dixit in Gallia, quum ambos emerem.

Idem.

Sed eccos ambos.

Idem.

Revocas nos ambo ad prælium.

POMPA.

Idem Lib. I.

Interim tua clienta.

Nonius in Fluctuatim.

Tene tu, in medio nemo eſt, magnifice volo fluctuatim ire ad illum, accipe hoc tegmen tu & ſuſtine.

PRIVIGNO.

Idem in Paratus.

Silentio opus eſt: nulla ineſt paratio.

Idem in Luſtra.

Uxorem quærit firmamentum familiæ, ſcias abeſſe ab iis luſtris ingenium procul.

Idem in Hilare.

Et propter patruelem tuam conſtituit hilare anhelans dejecta coma.

Idem in Profeſti.

Quæ feſtis nos facere ſolemus de quotidiano opere promiſcue atque profeſto concelebras focum.

Idem in Auſcultavi.

Videt ludos, huic auſcultavi procul.

Idem in Obſequela.

Quam mihi ſit grata illius obſequela.

Idem in Intolerabilis.

Quod ſi feciſſem paulo ſæpius, didiciſſet id ferre & non eſſe intolerabilis.

Idem in Vulgariam.

Dehinc temeritatem repudio vulgariam.

Idem in Carie.

Nemo illa vivit carie carioſior.

Idem in Duriter.

Vivax vetus, quam duriter nunc conſulito tergo meo.

Idem in Fervit.

Hoc potius, hoc non fervit minus, hæc volo.

Idem in Frigit.

Occaſione certa mulier involat in collum, plorat, orat, occurrit nepos pauxilllus, neptis porro de lecto frigit.

Idem in Mactaſſint.

A fulica pene periſti: dii te mactaſſint malo.

Feſtus in Sexus.

Orbus viriles ſexus adoptavit ſibi.

Idem in Adquo.

Ni tantum amarem talem tam merito patrem, miratus eſſem adquo licere.

Idem in Numero.

Numero inepti pertimuiſtis caſſam terriculam adverſarii.

Idem in Velitari.

Interea verba jactare, & labris inter ſe velitari veliſicarier.

Idem in Æqualem.

Novi amicum atque æqualem eum.

Idem in Serium.

Non ego re novi triſtem? ſervum ſerium?

Feſtus in Tenax.

Vixiſti triſtis, durus, difficilis, tenax.

PRODIGO.

Idem in Sufferre.

Nam me pudet, ubi mecum loquitur Numerius: aliquid ſuffero, Græce irridet me illico.

PRODITO.

Feſtus in Remeligines.

Remeligo a laribus miſſa ſum hanc quæ curſum coit.

Priſcianus in Diminutivis.

Tu ſenecionem hunc ſatis eſt ſi ſervas anus.

PROMO vel PRIMO.

Feſtus in Tentipellium.

Pro manibus credo habere ego illos tentipellium.

Nonius in Fuas.

Cave, ne pendeas, ſi ſuas in quæſtione.

Idem in Adquo.

Ut ſcire poſſis, adquo te expediat loqui.

REPUDIATO.

Idem in Humanitus.

Quanto facilius ego, qui equo venio, adducor ferre humana humanitus.

Soſipater in Secius.

Perdit ingens imbecillitas tuam æquo ſecius me colligant ceciderit.

Idem ibidem.

Sin, id quod non ſpero, ratio talis ſequius ceciderit.

Idem in Pauxillo.

Pauxillo prius me convenit.

Idem in Officioſe.

Te iſtuc facere officioſe ſcio.

Idem in Occulto.

Age curre curſim ad Numiſium occulto.

ROSA.

Nonius in Gannire.

Gannire ad aurem numquam didici.

SELLA.

Gellius Lib. XIII. Cap. VIII.

Uſus me genuit, mater peperit Memoria:
Σοφίαν vocant me Graii, vos Sapientiam.

Macrobius Sat. Lib. III. Cap. XIX.

Pomum, holus, ficum, uva.

SIMULANTE.

Nonius in Sævum.

Sævum ferre hæc te ſimul, & gnatam ab illo abducere.

Idem in Genitivis.

Tui veretur, me ad te miſit oratum peteret.

Idem in Audio.

Ne ego illos vel tantis auſculto libens.

Idem in Icit.

Simulantem offendit, regit, rumpit, icit poculo.

Idem in Conjecere.

Vellem interveniſſem ante. nam (ut ſigna indicant)
Hi conjecere verba inter ſe acrius.

Idem in Conjicere.

Nolim matri me præſente cum patre conjicere, non ſi me non vis mel meum.

Feſtus in Numero.

Enim fera numero ac nequidquam egi gratias.

SORORIBUS.

Soſipater.

Nunc ſe obſequentem atque hilarem dixi præbeas.

Nonius in Veſtum.

At puer eſt veſcis imbecillus viribus.

SUSPECTA.

Nonius in Numero.

Perfalſum abs te creditum numero nimis celeriter.

Priſcianus in Toti.

Adeo ut te ſatias caperet toti familiæ.

Nonius in Ordiri.

Tamen animo ordire me oportet paula paululum.

Idem in Olim.

Non amatorem olim defenſorem per eam volet.

Idem in Lavere.

Vident lavere lachrimis me tuum collum pater.

Idem in Sanctitudinem.

Tuam majeſtatem & nominis matronæ ſanctitudinem.

Idem.

Noli ex ſtultitia multarum credere eſſe animum meum.

Idem in Villicetur.

In Arpinos jam quantum potes explodam hominem ut villicetur.

Idem Extrarium.

Ut me eſſe in hac re ducat abs te extrarium.

TALIONE.

Priſcianus in Penus.

Vos quibus cordi eſt intra tunicam manus læva, dextra in penum herile.

TEMERARIO.

Soſipater in Simia.

Quis hic eſt ſimia, qui me hodie ludificatus eſt?

THAIDE.

Nonius in Reſtrictim.

Et quæ ferme ſedere melius conſultoribus quam reſtrictim cogitata omnibus rationibus.

VIRGINE.

Idem in Inſolum.

Ne veniret quod non agitur inſolum.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. IV.

Verbis pauculis reſpondit, triſtis voce deducta, malleque ſe non quieviſſe dixit.

Nonius in Commetas.

Quo tu commetas? ubi confixus deſides.

Feſtus in Super.

Aliis de rebus cœpiſti ſuper.

VOPISCO.

Nonius in Nutricatur.

Nam nutricatur oliva.

Idem in Confidenter.

Excludat uxor tam confidenter virum? non faciet.

Idem in Opera.

Deinde id, quod dedita opera controverſiæ concinno.

Idem in Infidelitas.

Id eſt intus actum, perit opera nimium mea, ea aio fidelitatis.

Idem in Æqualem.

Equidem te numquam mihi paraſitum, verum amicum, æqualem atque hoſpitem quotidianum, & lautum convivam domi.

Idem in Tumulti.

Hem quid hoc? perii, pertimui: quid tumulti exaudii?

Idem in Mala ætas.

Si poſſent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum & morigeratio,
Hæc ſunt venena formoſarum mulierum.
Mala ætas nulla delineamenta invenit.

Idem in Offendo.

Quoque nunc offendo ſæpe procul noſtra ſit mala.

Idem in Fervitur.

Quanta vociferatione fervitur! heu miſeræ mihi.

Idem in Deamo.

Voluptatem capio maximam cruciari tua te culpa, qui det, & de illa peſſuma quam deamas, promere.

Idem in Partio.

Non dolorum partionis veniet in mentem tibi, quos miſera pertuliſti, ut partum projiceret pater?

Idem in Moroſus.

Dum morigeram, dum moroſam præbeo, deinde aliquid dedita opera controverſiæ concinno, lædo interdum contumeliis.

Idem in Accuſativis.

Antiquitas petenda in principio eſt mihi, majores veſtri incupidiores liberum fuere.

Idem in Nos indulgent.

Male merentur de nobis heri, qui nos tantopere indulgent in pueritia.

Idem in Primoribus.

Apage ſis, clivum tuum animum in naribus primoribus vix pertuli ædepol.

Idem in Effigia.

Cujus te ſuſcitat imago? cujus effigia cognatus patre?

Idem in Flagriones.

Tu flagrionibus privigno jucunditatis plus ineſt in te mihi, quam commercatis conquiſitæ edulibus.

Idem in Veſtitiſpici.

Novi non inſcituram ancillulam veſpere.

Idem in Accuſativis.

Tandem ut poſſimus noſtra fungi munera.

Idem in Mulieroſus.

Homo mulieroſus confert me illico alio.

Idem in Uterum.

Sedit uterum non ut omnino tamen.

Idem in Titinnire.

Titinnire janitoris impedimenta audio.

Idem in Propria.

Dii tibi dent propria quæcumque exoptes bona.

Idem.

Igitur quieſcit quoniam inter nos nuptiæ ſunt dictæ.

Soſipater in Surde.

Amentes, quibus animi non ſunt integri, ſurde audiunt.

Idem.

Tumultuoſe & cunctis copiis.

Idem.

Memini memoriter.

Idem in Impendio.

Cecidit ſpes reducendi domum quam cupio: cujus ego in dies impendio ex deſiderio magis magiſque maceror.

Idem in Perdite.

Quia ſcit me illam amare perdite.

Idem in Porro.

Porro paſſuros ſcio.

Idem in Neceſſum.

Præfeſtinamus quæ ſit cauſa ſciſcere, quod ſit neceſſum ſcire, præſertim in bre *

EX INCERTIS LIBRIS.

Soſipater in Teſtu.

Indignum vero dici ſolet teſtu.

Feſtus in Tamne.

Tamne arcula tua plena eſt araneaium?

Idem in Sonare.

Hoſtiarii impedimenta titinnire audio.

Idem in Muſtricola.

Muſtricolam in dentes impingam tibi.

Nonius in Manducari.

Fratris facile manducari qui poteſt.

Idem in Exercitus.

Suſpecta ita ut huic hero adoleſcenti cui ſuſpirium tradidit, qui me eſt animi exercitus.

Idem in Jentare.

Bucone adoptato, jentare nulla invitat.

Idem.

Palam facito Demea, & plagulam de lecto pellis dimitte ordine.

Idem.

Aliber totius monilis poſſeſtricem, ita impulſatrix, ita curatrix, ita plauſtrix, ita aſſeſtrix.

Idem in Gelus.

Quis tu es, ventoſo in loco ſoleatus, intempeſta nocte ſub divo, aperto capite, ſilicem quum findat gelus?

Idem

Idem.

Virgini tam creſcit uterus, quam gravidæ mulieri.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. IV.

Heu me miſerum! *Reſpondetur*, Dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.

Macrobius Sat. Lib. VI.

Nam quod vulgo prædicant aurito me parente natum, non ita eſt.

Gellius Lib. XX. Cap. V.

Neſcio qui noſtri miſeritus tandem Deus.

Q. TRABEÆ

FRAGMENTA.

Cicero de Finibus Lib. II.

TAnta lætitia auctus ſum, ut mihi non conſtem.

Idem ibidem.

Nunc demum mihi animus ardet.

Idem Tuſc. Quæſt. Lib. IV.

Lena delinita argento nutum obſervabit meum,
Quid velim, quid ſtudeam. adveniens digito impellam januam:
Fores patebunt. deimproviſo Chryſis, ubi me aſpexerit,
Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum,
Mihi ſe dedet.
Fortunam ipſam anteibo fortunis meis.

C. LICINII IMBRICIS

FRAGMENTA.

EX NEÆRA.

Gellius Noct. attic. Lib. III. Cap. XXII.

NOlo ego Neæram te vocent, ſed Nerienem,
Cum quidem Marti es in connubium data.

Q. NOVII

FRAGMENTA.

ADMONITIO AD LECTOREM.

*F*Ragmenta *Q. Novii jam habes, amice lector, ſupra, eam ob cauſam cum* GN. *Nævii fragmentis conjunctim deſcripta, ideo quod fabulæ, ex quibus petita ſunt, non Novio ſolum, ſed & ipſi Nævio adſcribantur a* Grammaticis, *uti in Prologomenis dictum eſt.*

LUCII

L. POMPONII BONONIENSIS
FRAGMENTA

A D E L P H I.

Nonius in Datatim.

Quod ille dicit, tum datatim in lecto tecum luſi.

Æ D I T U O.

Nonius in Ædituor.

Qui poſtquam tibi appareo, atque ædituor in templo tuo,
Nec mortalibus, nec mortalium ullum in terra miſerius eſt.

A G A M E M N O N E.

Nonius in Expergiſceret.

Suppoſito ne quis miraretur quum tam clare tonuerit, ut ſi quis dormitaret expergiſceret.

A L E O N I B U S.

Nonius in Ruſticatim.

At ego ruſticatim tangam, urbanatim neſcio.

ANNULO POSTERIORE.

Nonius in Reperibitur.

Id credo metuis, ne invidia deſit, quum nemo qui a te recipiat reperibitur.

A R I S T A.

Nonius in Iraſcere.

Noli quæſo iraſcere: more fit, moriri ſuam quiſque uxorem ut velit.

A R U S P I C E.

Nonius in Puriter.

Fac puriter, vel pectore ruſtico uti tractes. lavi jamdudum manus.

A S I A.

Nonius in Auſcultare.

Atque auſcultare diſce, ſi neſcis loqui.

A S I N A R I A.

Nonius in Feſtivatim.

Exilui de nocte ad molam fullone feſtinatim.

A T R E O.

Nonius in Notifices.

Nunc te obſecro ſtirpem ut evolvas, meorumque genus notifices mihi.

A U C T O R A T O.

Nonius in Inſaniter.

Ludit nimium inſaniter.

Non. in Torviter.

Occidit taurum torviter, me amores amavit.

A U G U R E.

Non. in Eſuribis.

Immo mane non eſuribis diutius. quare roga.

BUCCONE ADOPTATO.

Non. in Invenibit.

Sæpe annuit, invenibit ſæpe.

Nonius in Taxim.

Clandeſtino tacitus taxim perſpectavi percautum.

Non. in Properatim.

Pergis properatim.

Nonius.

Si prægnans non es, paribis numquam.

CALENDIS MARTIIS.

Macr. Sat. Lib. VI. Cap. IV.

Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Jube modo afferatur unus, ego vocem reddam tenuem & tinnulam.

Idem.

Etiam nunc vocem deducam.

CAM-

CAMPANIS.

Non. in Publicitus.

Dat ordo ſenio & fullonibus publicitus cibaria.

Non. in Eliminabo.

Iſtic manet, eliminabo extra ædeis conjugem.

CAPELLA.

Chariſius in Clypeum.

Clypeum in medio fixum eſt.

COLLEGIO.

Non. in Expalpare.

Siquid expalpare poſſim ab illo.

CONDITIONIBUS.

Non. in Edim.

Vix nunc quid edim invenio: quidnam fiet ſi duxero?

CRETULA.

Non. in Ominas.

Vel petiture bene eveniat. ita ſit, & tibi bene ſit, qui recte ominas.

DECUMA FULLONIS.

Non. in Tortor.

Et ubi inſilui in cochleatum equuleum, ibi tolutim tortor.

Feſtus in Temetum.

Non multi temeti, ſed plurimi.

DOGALI.

Non. in Penus.

Unum penum quæ omnem cæterum aliam præberem penum.

DOTATA.

Non. in Quantiſper.

Poſſum exorare te ut recedas a me pauliſper modo quantiſper ſat habes.

Non. in Efflictim.

Scio pol te illam amare efflictim.

ERGASTULO.

Non. in Villicari.

Longe ab urbe villicari, quo herus rarenter venit, non villicari ſed dominari eſt, mea ſententia.

FULLONIBUS.

Non. in Complectite.

Quin ergo quando convenit, complectite. mi frater ſalve. o ſoror ſalve mea.

Non. in Fervat.

Facite, ut ignis fervat, ligna in ſtipite, far concidite.

GALLIS TRANSALPINIS.

Gellius Lib. IV. Cap. VI.

Mars tibi voveo facturum, ſi umquam redierit, bidenti verre.

HIRNEA.

Non. in Verminari.

Pappi decimus menſis eſt, quum factum eſt, ita ſit, ita ſemper ſolet, decumo menſe demum turgens verminatur, parturit.

LARE FAMILIARI.

Priſcianus in Lactes.

Oro te, Baſſe, per lactes tuas.

LENONE.

Chariſ. in Caſeum.

Caſeum molle.

MACCHIS GEMINIS.

Non. in Contui.

Incepi contui, conſpicio coleatam cuſpidem.

Non. in Pannibus.

Bono animo es, video, eripuiſti primitus de pannibus.

Non. in Abſcondiſti.

Perii, non puella eſt. numquid abſcondiſti inter nates?

Non. in Accinge.

Jam ego mihi adero, dum ego revortor, agamus, accinge ad molas.

Non. in Venibo.

Sero eſt, ſi tibi placet, venibo.

MACCO.

Non. in Attendere.

Quid futurum eſt, ſi pol ego hanc diſcere artem attenderim?

No-

Non. in Verecunditer.

Virginem prætериens vidit duos ſenſim in ludo, verecunditer non docentem diſcipulum, verum ſcalpentem nates.

Non. in Foria.

Conforiſti me Diomedes.

MACCO SEQUESTRI.

Non. in Fulgit.

Simile eſt quaſi quum in cælo fulgit propter lunam lucifer.

MACHO MILITE.

Chariſ.

Nam ſi cibaria vicem duorum ſolum me comeſſe condecet.

Idem in Contubernale.

Cum contubernale pugnavi, quod meam cœnam.

MÆVIA.

Macrob. Sat. Lib. I. Cap. IV.

Dies hic ſextus, quum nihil egi: die
Quarto moriar fame.

MAIALI.

Non. in Revortit.

Cœnam quæritat, ſi eum nemo vocat, revortit mœſtus ad me nam miſer.

Non. in Fruſtrarent.

Miſeret me eorum, qui ſine fruſtis ventrem fruſtrarent ſuum.

Non. in Veget.

Animos Venus veget voluptatibus.

MEDICO.

Non. in Rhetoriſſas.

Dolaſti uxorem nunc, & propter me cupis concidere, & jam rhetoriſſas.

MUNDA.

Non. in Convivent.

Si calendis convivent, idibus cœnant foris.

NUPTIIS.

Non. in Condepſere.

Partem inſipui, concluſi, condepſui.

PANNUCEATIS.

Non. in Evannetur.

Dixi ego illud futurum. in prima valva eſt, vix hæret miſera. evannetur, & mea ocyus opera ut fiat ſcero.

Non. in Truam.

Mulier ubi aſpexit tam mirifice tutulatam truam.

Non. in Velet.

Nunc rogas quid fiat? reſtis eſt vilis, velet gulam.

Nonius in Penula.

Penulam in caput induce, ne te noſcat.

Non. in Incoxare.

Neque interim cacandi cauſa umquam incoxavi nate

Non. in Nebulones.

Quid dedi nebuloni, quem pertæſum pauperem.

Non. in Rutrum.

Sarculum hinc illo profectus, illum rediſti rutrum.

Non. in Nubere.

Sed meus frater major poſtquam vidit me indejectur domo, nupſit poſterius dotatæ vetulæ, varicoſæ Afræ.

PAPPO AGRICOLA.

Non. in Ibus.

Nunc quando voluiſti facere. fac voluptati ſies ibus.

Non. in Fervit.

Domus hæc fervit flagitiis.

Non. in Manducatur.

Neſcio qui ſellam urget quaſi aſinus uxorem tuam, opertis oculis ſimul manducatur ac molet.

Non. in Deſubito.

Volo ſcire ex te, cur urbanas res tam deſubito deſeris.

PA

PATRUO.

Non. in Mirabis.

Mirum facies fatuæ, ſi ſtudium mirabis diu.

Non. in Tuto.

Non erat, quod corpus tremulum famula tutaret toga.

PETITORE HÆREDE.

Non. in Ampliter.

Heu aptate pueri munde atque ampliter convivium.

Non. in Forus.

Balnea, forus, macellus, fana, portus, porticus.

PICTORIBUS.

Non. in Callere.

Mirum ni hæc Marſa eſt, in colubras callet canticulam.

Non in Inteſtatus.

Ipſus cum uno ſervo ſenex inteſtato proficiſcitur.

Nonius in Occuparem.

Quæ tuleram mecum millia decem victoriata, Græca mercede, illico curavi ut occuparem,

Nonius in Strena.

Aſſide, ſi qua ventura eſt alia ſtrena ſtrenue.

Nonius in Manduci.

Magnus manducus Camillus canterius.

Nonius in Dicas.

Numos certos dicas.

PISCATORIBUS.

Varro in Tumulti.

Quid hoc eſt tumulti?

Nonius in Merum.

Neſcio quid non eſt hoc merum, quod hic plorat.

Nonius in Piſcati.

Quid habes in ſcirpiculis calve? Omne piſcati genus.

PISTORE.

Nonius in Comeſt.

Decipit vicinos, quod molendum conduxit, comeſt.

Non. in Ocquiniſcere.

Niſi nunc aliquis ſubito obviam occurrit mihi, qui ocquiniſcat quo compingam terminum in tutum locum.

Non. in Quæſti.

Nam plus quæſti facerem, quam quadrinas ſi haberem molas.

Non. in Deſubito.

Fit deſubito hilarus, triſtis: ſaltat, ridens ringitur.

PITHONE GORGONIO.

Non. in Pervenibunt.

Hominem beatum, quo illæ pervenibunt divitiæ.

PLACENTA.

Non. in Intybus.

Ruſtici edunt libenter pedibus triſteis acres intybos.

PORCARIA.

Non. in Coſſim.

Hoc ſciunt omnes quantum eſt qui coſſim cacant.

PORTOPERIPOCONS.

Non. in Vepres.

Vepra eſt veprecula.

PRÆCONE POSTERIORE.

Non. in Senium.

Calve apportas nuntium nobis diſparem, diviſum: huic ſeni ſenium & metum.

Non. in Mactare.

At te dii omnes cum conſilio calve mactaſſint malo.

Non. in Senica.

Sed me exercet ſenica nequam: neque illo quid faciam ſcio.

Non. in Vafrum.

Poſt tergum varium, linguam vafram.

Non. in Particulones.

Age modo Stagari, particulones producam tibi.

Non. in Operari.

Ad Veneris profectus eſt mane vetulus, votum ut ſolveret

veret : ibi nunc operatuſ eſt.

Nonius in Accuſativis.

Quot lætitias inſperatas modo mihi irrepſere in ſinum.

Nonius in Commictilis.

Si ſciam quid velis quaſi ſervi comici commictilis.

Nonius in Derepente.

Vis facere, ut noverca vetulum derepente deſerat.

PRÆFECTO MORUM.

Nonius in Operibo.

Pater at eſt, nagato eſſe hic me, ego operibo caput.

Nonius in Germanitus.

Ut ſi quis eſt amicus amici, gaudeat, ſi quid boni evenit, cujus amicus eſt germanitus.

PROSTIBULO.

Nonius in Rumen.

Ego rumorem parviſacio, dum ſit rumen qui impleam.

Non. in Lirarit.

Jamne abierunt? jam non tundunt? jamne ego ſum in tuto ſatis? num quis hic reſiſtit, qui nondum labeas lirarit mihi?

Non. in Schema.

Si valebit plus in buccam vetet, ſi dicin' ſchema.

Non. in Edim.

Ego quæro quod edim, has quærere qui parcant certum eſt.

Non. in Spurcus.

Quæ peditibus nubere poterant, equites ſperant ſpurcæ.

Non. in Ocquiniſcere.

Ut nullum civem pædicavi per dolum,
Niſi ipſus orans ultro qui ocquiniſceret.

Non. in Rictus.

Quis hic eſt, quamobrem hic proſtat? rictum & labeas quum conſidero.

Non. in Centuriatim.

Continuo ad te centuriatim current, qui panem petent.

QUINQUATRIBUS.

Non. in Seplaſia.

Venit rogatum nos, quando noſtræ eſſent ſeplaſiæ.

RUSTICO.

Non. in Dapſile.

Quid nunc vis fieri? verrem ſume dapſile ac dilucide.

SARCULARIA.

Non. in Suppilare.

Alteram apportat, prodigit patrem, ſuppilat ſemper.

SATYRA.

Priſcianus in Diſcordis.

Blanda, fallax, impotens, ſuperba, diſcordis.

Priſcianus in Diademam.

Cujuſvis leporis liber diademam dedit.

SPONSA.

Non. in Aſſentio.

Papæ pol magis ubi cognorint omnes, una aſſentiant.

SYNEPHEBIS.

Chariſ. in Incolume.

Incolume illo.

SYRIS.

Non. in Lurcare.

Lapitium nullum veſcebatur, lardum lurcabat lubens.

Non. in Præſente.

Quid eſt? apud forum præſente teſtibus mihi vendidit.

VACCA, vel MARSUPIO.

Priſcianus in Conquexi.

Simul intro veni, acceſſi ad patrem,
Prehendi manum, in terra ut cubabat nuda,
Ad eum ut conquexi, interim mulieres conſpiciunt.

VERNIONIBUS.

Non. in Aperibo.

Aperibo, non poſſum civem pati: orcus eſt, quem amare cœpi, pinguis, non pulcher puer.

VER-

VERRE ÆGROTO.

Non. in Fruſtillatim.

Verum illi valent qui luctantur cum leonibus, & te objectes fruſtatim paſſerinum prandium ſaturarum, non fruſtillatim, nec minutatim dari.

Non. in Teſtatim.

Jam iſtam colaphis comminuiſſem teſtatim tibi.

Non. in Parciter.

Salbeole, parciter tamquam frater mihi ſis, medium abdomen quum dividam.

EPIGRAMMA.

Var. de Ling. Lat. Lib IV.

Ridiculum eſt, quum te caſcum tua dicit amica,
Caſca Philotonis ipſa ſenex, pue um.
Dic tu illam puſam, ſic fiet mutua muli.
Nam vere puſus tu, tua amica ſenexſt.

VITE, *vide in ſequentibus.*

EX INCERTIS LIBRIS.

Non. in Palumbem.

Quo palumbem unum ex ore tollit.

Non. in Eliminare.

Conclavos iſtic manet, eliminabo extra ædes conjugem.

Non. in Inſaniter.

Metuo illum, jocari neſcit, ludit nimium inſaniter.

Priſcianus in Taxillus.

Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi.

Non. in Populatim.

Magnus poeta placuit populatim omnibus.

Diomedes in Pinſere.

Quum neque molis molui, neque palmis pinſui.

Non. in Aptate.

Heus aptate pueri munde atque ampliter convivium.

DECIMI LABERII *FRAGMENTA*

ALEXANDREA.

Gellius.

QUid eſt juſiurandum? emplaſtrum æris alieni.

ANNALIBUS.

Non. in Conlabella.

eranna collabella oſculum.

AQUIS CALDIS.

Non. in Glis.

tiam hic me optimus ſomnus premit, opprimitur glis.

Soſipater.

dagricus.

ARIETE.

Idem.

Vix ſuſtineo clunes ſcævolæ.

AUGURE.

Idem.

Largiter lucri feci.

AUL---

Non in Ebriacus.

Homo ebriacus ſomno ſanari ſolet.

BELLO.

Idem in Efflictim.

Inſtria domina noſtra privignum ſuum amat efflictim.

CACOMEMNONE.

Gellius Lib. XIV. Cap. VII.

Hic eſt ille gurdus, quem ego
Me ab hinc duos menſes ex Atrica
Venientem excepiſſe tibi narravi.

CÆCULIS.

Soſipater in Mauricatim.

. . . te mauricatim ſcire.

CANCRO.

Priſcianus Lib. VI.

Nec Pythagoream dogmam doctus.

CARCERE.

Nonius in Miſerimonium.

Homo frugi, quod tibi relictum eſt miſerimonium retines.

CATULARIO.

Gellius in Deſcendiderant.

Ego mirabar, quomodo mammæ mihi deſcendiderant.

Nonius in Hillas.

Neve aliter hunc prædicabis: quomodo video, adoleſcenti noſtro cædit hilla.

CENTENARIO.

Idem in Eugium.

Quare tam arduum aſcendis? an concupiſti eugium ſcindere?

CHARE.

Idem in Ebriulare.

Ebriulati mentem hilaram arripiunt.

CITHARA.

Idem in Portiſculus.

Nec palmarum pulſus, nec portiſculi.

COLACE.

Idem in Igneſcitur.

Figura humana inimici ardore igneſcitur.

COLORATORE.

Gellius Lib. VII. Cap. IX.

. . . itaque levi
Pruna percuctus, ſimul ſub dentes mulieris
Veni, bis ter memordit.

COPHINO.

Nonius in Lena.

Quum provincias diſpoliavit, columnas monolithas, labella lenis.

Gellius Lib. XVI. Cap. VII.

Manuatus eſt.

FULLONE. FULLONICIS.

Idem Lib. XVI. Cap. VII.

Manuari pudorem perdidiſti.

Non. in Grus.

Virum tu hunc gruem balearicum, an hominem putas eſſe?

Idem in Decidua.

Non ubi caput a foliis decidua folia pandit.

GALLIS.

Gellius Lib. VII. Cap. IX.

. . . De integro patrimonio
Meo centum millia nummum memordi.

GEMELLIS.

Idem Lib. I. Cap. VII.

Non putavi hoc eam facturum.

IMAGINE.

Idem in in Genius.

Genius generis noſtri parens.

LACU AVERNO.

Idem in Catullire.

Scinde unam exoleto impatienti catullientem lupam.

Priſcianus Lib. VI.

Verſorum non numerum numero ſtuduimus.

MARCO.

Nonius in Miſeriter.

Mens incorrupta miſeriter corrumpitur.

MI-

MIMIS.

Gellius Lib. XVI. Cap. VII.

Mendicimonium. Mœchimonium.
Adulterionem, adulteritatemque.
Depudicavit. Abluvium.

NACCA.

Gellius ibidem.

L. Cippum.
Obbam.
Camelliam.
Induis capitium tunicæ pictacium.

NECROMANTIA.

Gellius Lib. XX. Cap. V.

Dum diutius detinetur, noſtri oblitus eſt.

Idem Lib. XVI. Cap. VII.

Duas uxores, hoc hercle plus negotii eſt,
(Inquit cocio) ſex ædiles viderat.

NUPTIIS.

Nonius in Iniquat.

Æquum animum indignanti iniquat contumelia.

ODYSSEA.

Idem in Dextrabus.

Deque manibus dextrabus.

PAUPERTATE.

Idem in Lanitia.

Nihil refert mollem de lanitia Attica, an pecore ex hircorum veſtium geras.

Idem in Bidentes.

ïſus hac nocte bidentes propter viam facere.

Idem ibidem.

icentiatus.

RECTORE.

Gellius Lib. X. Cap. XVII.

Democritus Abderites phyſicus philoſophus clypeum
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere ut poſſet ſplendore æreo, ita radiis
olis aciem effodit luminis, malis bene
ſſe ne videret civibus. ſic ego
ulgentis ſplendore pecuniæ volo
lucificare exitum ætatis meæ,
le in re bona videam eſſe nequam filium.

RESTIONE.

Gellius Lib. XVI. Cap. VII.

Calabarriunculos.

SALINATORE.

Idem Lib. III. Cap. XII.

Non mammoſa, non annoſa, non biboſa, non procax.

SATURNALIBUS.

Idem.

Hominem leenam.

SCRIPTURA.

Idem.

Caput ſine lingua, pedaria ſententia eſt.

SCYLACE.

Nonius in Lubidinitate.

Lubidinitate labitur.

SEDICITO.

Nonius in Grunnientem.

Grunnientem aſpexi ſcropham.

SORORIBUS.

Nonius in Clypeum.

Hoc voluit clypeum contra pulvem projici.

Idem in Somniculoſus.

Æcaſtor multum ſomniculoſum.

Idem in Adoleſcit.

Laus nomine gloriæ adoleſcit.

STAMINARIIS.

Gellius Lib. XVI. Cap. VII.

Tollet bona fide vos Orcus nudas in Charonium.

Idem ibidem.

Et quid properas, & quid præcurris Calidonia?

Idem.

Et elutriare lintea.

Idem.

Labandria.

Idem

Idem.

Collicior in fullonicam.

T U C C A.

Nonius in Luculentitate.

Dominus noſter tua luculentitate captus.

Idem in Bliteam.

Bipedem, bliteam, belluam.

T U S C O.

Idem in Mœſtas.

Concitatam mobilitate mœſtas.

V I R G I N E.

Idem in Pelvis.

Amore cecidi tamquam blatta in pelvim.

Idem in Appetones.

Alienum appetonibus viæ perditæ diverticulas.

Idem in Colluſtra.

Siquidem mea colluſtra fretus terris ſtudere feciſſet ſumere aquam ex fonte.

In Prologo quodam.

Macrob. Sat. Lib. I. Cap. VII.

Neceſſitas (cujus curſus tranſverſi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt)
Quo me detruſit pene extremis ſenſibus?
Quem nulla ambitio, nulla umquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla authoritas
Movere potuit in juventa de ſtatu:
Ecce in ſenecta, ut facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita,
Submiſſa placide blandiloquens oratio.
Etenim ipſi dii denegare cui nihil potuerunt,
Hominem me denegare quis poſſet pati?
Ego bis tricenis annis actis ſine nota,
Eques Romanus ex lare egreſſus meo,
Domum revertar mimus. nimirum hoc die
Uno plus vixi, mihi quam vivendum fuit.
Fortuna immoderata in bono æque atque in malo,
Si tibi erat libitum literarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere:
Cur quum vigebam membris prævirıdantibus,
Satisfacere populo & tali quum poteram viro,
Non flexibilem me concurvaſti, ut carperes?
Nunc me quo dejicis? quid ad ſcenam affero?
Decorem formæ, an dignitatem corporis?
Animi virtutem, an vocis jucundæ ſonum?
Ut hedera ſerpens vires arboreas necat,
Ita me vetuſtas amplexu annorum necat.
Sepulchris ſimilis, nil niſi nomen retineo.

IN IPSA ACTIONE.

Idem ibidem.

Porro, Quirites, libertatem perdidimus.

Idem ibidem.

Neceſſe eſt multos timeat quem multi timent.

Idem ibidem.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.
Summum ad gradum quum claritatis veneris,
Conſiſtes ægre, & citius quam aſcendas, decides:
Cecidi ego, cadet qui ſequitur: laus eſt publica.

E X I N C E R T I S L I B R I S.

Nonius in Deliritas.

Quænam mens, quæ deliritas vos ſuppilatores facit cum cano Eugio velitari?

Idem in Hilla.

Lambit item hillam cocus: ſi lumbum aduſſit, flagris cæditur.

Idem in Pluor.

Late loquente qui pedem ex taberna tulimus, tantus quum ſtaret pluor.

Diomedes in Prævello.

Aliqua parte prævulſerat.

Priſcianus in Fruſtramur.

Fruſtramur, irridemur.

Idem in Conſectari.

Uxorem tuam & meam novercam a populo lapidibus conſectari video.

Q. CA-

Q. CATULLI
FRAGMENTA

IN ROSCIUM PUERUM.

Cicero de Nat. Deor. Lib. I.

COnſtiteram exorientem auroram forte ſalutans,
Quum ſubito a læva Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat, cœleſtes, dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe deo.

AD THEOTIMUM.

Gellius Lib. XIX. Cap. IX.

Aufugit mi animus; credo (ut ſolet) ad Theotimum
Devenit. ſic eſt, perfugium illud habet.
Quid ſi non interdixem, ne illuc fugitivum
Mitteret ad ſe intro, ſed magis ejiceret?
Ibimus quæſitum. verum ne ipſi teneamur,
Formido. quid ago? da Venus conſilium.

EX ALCMÆONE.

Cicero Acad. Quæſt Lib. II.

Unde hæc flamma oritur?
Incende, incende: adſunt, adſunt: me, me expetunt.

Idem ibidem.

Fer mi auxilium, peſtem abige a me,
Flammiferam hanc vim quæ me excruciat.
Cæruleæ incinctæ igni incendunt,
Circumſtant cum ardentibus tædis.

Idem ibidem.

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum Luna innixus,
Diana facem jacit a læva.

Q. ATTÆ
FRAGMENTA

EX MEGALENSIBUS.

Servius ad Virg. Eclog. VII. Verſ. XXXIII.

NEmpe ad menſam ubi ſermo de ſinu ſolet ſuboriri.

EX SATYRIS.

Iſidor. Orig. Lib. XI. Cap. IX.

Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus oſſeo.

PUBLII SYRI
FRAGMENTA

Partim excerpta a Seneca, Aulo Gellio, & ceteris Grammaticis antiquis, partim ex codicibus.

DE AMORE ET FŒMINA.

AMor animi arbitrio ſumitur non ponitur.

Amor extorqueri non poteſt, elabi poteſt.

Amare & ſapere vix Deo conceditur.

Amans quid cupiat ſcit, quid ſapiat non videt.

Amare juveni fructus eſt, crimen ſeni.

Amans quod ſuſpicatur vigilans, ſomniat.

Ab amante lacrimis redimas iracundiam.

Amans iratus multa mentitur ſibi.

In amore ſemper mendax iracundus eſt.

Blanditia, non imperio, fit dulcis Venus.

Amoris vulnus idem qui ſanat, facit.

Formoſa facies, muta commendatio eſt.

Aut amat aut odit mulier, nihil eſt tertium.

Aperte quum eſt mala mulier, tum demum eſt bona.

Mulier quum ſola cogitat, male cogitat.

Malo in conſilio feminæ vincunt viros.

Dediſcere flere feminam, eſt mendacium.

Feminæ naturam regere, deſperare eſt omnium.

Caſta ad virum matrona parendo impetrat.

Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.

Mulier, quæ nubit multis, multis non placet.

Anus quum ludit, morti delicias facit.

De amicitia, & concordia.

Benevoli conjunctio animi, maxima eſt cognatio.

Amicos res opimæ parant, adverſæ probant.

Ita crede amico, ne ſit inimico locus.

Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.

Cum inimico meo in gratiam cito redit.

Diſcordia fit carior concordia.

Nimium altercando veritas amittitur.

Amici vitia ſi feras, facis tua.

Ames parentem, ſi æquus eſt: ſi aliter, feras.

Auxilia humilia firma conſenſus facit.

Comes facundus in via pro vehiculo eſt.

De fortuna & rebus adverſis.

Ex hominum quæſtu facta fortuna eſt Dea.

Fortunam citius reperias quam retineas.

Excelſis multo facilius caſus nocet.

Fortuna quum blanditur captatum venit.

Levis eſt fortuna, cito repoſcit quæ dedit.

Male geritur, quidquid geritur fortunæ fide.

Fortuna vitrea eſt, quæ quum ſplendet frangitur.

Fortuna nimium quem fovet, ſtultum facit.

Facit gratum fortuna, quem nemo videt.

Nulla tam bona eſt fortuna, de qua nihil poſſis queri.

Legem nocens veretur, fortunam innocens.

Fortuna nulli plus quam conſilium valet.

Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.

Neſcis quid optes, aut quid fugias; ita ludit dies.

Bona nemini hora eſt, ut non alicui ſit mala.

Bonorum crimen eſt officioſus miſer.

Felix improbitas optimorum calamitas.

Miſerrima fortuna eſt, quæ inimico caret.

Nil proprium ducas, quod mutari poſſit.

Cito improborum læta in perniciem cadunt.

In miſeri vita nulla contumelia eſt.

Gravius nocet quodcumque inexpertum accidit.

Heu quam pœnitenda incurrunt homines vivendo diu!

Et deeſt & ſuperat miſeris cogitatio.

Cui nuſquam domus eſt, ſine ſepulcro eſt mortuus.

De rerum viciſſitudine.

Quotidie eſt deterior poſterior dies.

Lucrum ſine damno alterius fieri non poteſt.

Jucundum nihil eſt, niſi quod reficit varietas.

De morte & vita.

Dum vita grata eſt, mortis conditio optima eſt.

Homo vitæ commodatus, non donatus eſt.

Lex univerſi eſt, quæ jubet naſci & mori.

Crimen relinquit vitæ qui mortem appetit.

Mori neceſſe eſt, ſed non quoties volueris.

Bis interimitur, qui ſuis armis perit.

Male vivunt, qui ſe ſemper victuros putant.

Mori eſt felicis antequam mortem invocet.

Nuſquam melius morimur homines, quam ubi libente viximus.

O vita miſero longa, felici brevis!

Bona mors eſt, quæ extinguit vitæ mala.

Heu quam eſt timendus, qui mori tutum putat!

Bis emori eſt, alterius arbitrio mori.

Homo toties moritur quoties amittit ſuos.

Hæredem ſcire utilius eſt, quam quærere.

De otio & inertia.

Arcum intenſio frangit, animum remiſſio.

Se denegare patriæ, exilium eſt pati.

Nihil agere, ſemper infelici eſt optimum.

De beneficentia & largitate.

Fruſtra rogatur qui miſereri non poteſt.

Ingenuitatem lædis quum indignum rogas.

Bona comparat præſidia miſericordia.

Homo qui in homine calamitoſo eſt miſericors, meminit ſui

Habet in adverſis auxilia qui in ſecundis commodat.

Benignus etiam dandi cauſam cogitat.

Bis eſt gratum quod opus eſt, ultro ſi offeras.

Inopi beneficium bis dat qui dat celeriter.

Minus decipitur cui negatur celeriter.

Pars beneficii eſt, quod petitur ſi bene neges.

Beneficium dando accepit qui digno dedit.

Beneficium dignis ubi das, omnes obligas.

Bonus animus numquam erranti obſequium accommodat.

Eodem animo beneficium debetur quo datur.

Beneficium dare qui neſcit, injuſte petit.

Fraus eſt accipere quod non poſſis reddere.

Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.

Beneficia plura recipit qui ſcit reddere.

Beneficium ſe dediſſe qui dicit, petit.

Beneficium ſæpe dare, docere eſt reddere.

Dives quod donat timeas: cito raptum venit.

Nihil prodeſt didiciſſe benefacere, ſi ceſſas.

Cui ſemper dederis, ubi neges, rapere imperes.

Damnare eſt objurgare, quum auxilio opus eſt.

Crudelis in re adverſa eſt objurgatio.

Dixeris maledictum, quum ingratum hominem dixeris.

Ingratus unus miſeris omnibus nocet.

Malignos fieri maxime ingrati docent.

De æquitate, fide, & bona conſcientia.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Fidem nemo umquam perdit, niſi qui non habet.

Fidem qui perdit, nihil poteſt ultra perdere.

Fidem qui perdit, quo ſe ſervet in reliquum?

Fides (ut anima) unde abiit numquam redit.

Etiam peccato recte præſtatur fides.

Etiam hoſti eſt æquus qui habet in conſilio fidem.

Magis hæres fidus naſcitur quam ſcribitur.

Mala cauſa eſt, quæ requirit miſericordiam.

Judex damnatur, quum nocens abſolvitur.

In malis ſperare bonum, niſi innocens, nemo ſolet.

De injuria & ſuperbia.

Etiam qui faciunt, odio habent injuriam.

Multis minatur qui uni facit injuriam.

Mutat ſe bonitas, quum irrites injuria.

Malefacere qui vult, nuſquam non cauſam invenit.

Malevolus ſemper ſua natura veſcitur.

Grave crimen, etiam quum dictum eſt leviter, nocet.

Illo nocens ſe damnat quo peccat die.

Aleator quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior.

Mala eſt medicina, ubi aliquid naturæ perit.

Cito ignominia fit ſuperbi gloria.

Grave præjudicium eſt quod judicium non habet.

Heu quam miſerum eſt ab eo lædi de quo non poſſis queri!

Miſerum eſt tacere cogi quod cupias loqui.

Inferior horret quidquid peccat ſuperior.

Male imperando ſummum imperium amittitur.

De diſſimulatione, fictione, & mendacio.

Bonitatis verba imitari, major malitia eſt.

Malus ubi bonum ſe ſimulat, tunc eſt peſſimus.

Timidus vocat ſe cautum, parcum ſordidus.

Falſum maledictum, malevolum mendacium eſt.

Ficta cito ad naturam reciderint ſuam.

Grave eſt malum omne, quod ſub aſpectu latet.

Gravior inimicus, qui latet ſub pectore.

Homo ſemper in ſeſe aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Hæredis fletus, ſub perſona riſus eſt.

Cujus mortem amici expectant, vitam oderant.

Nil peccent oculi, ſi animus oculis imperet.

Aſtute dum celatur, ſe ætas indicat.

Invitat culpam, qui peccatum præterit.

Bis peccas quum peccanti obſequium accommodas.

Bonis nocet quiſquis pepercerit malis.

Maledictum interpretando facies acrius.

De ſuſpicione.

Ad triſtem partem ſtrenua ſuſpicio.

In calamitoſo riſus etiam injuria eſt.

De conſuetudine & experientia.

Diſcipulus eſt prioris poſterior dies.

Hominem experiri multa paupertas jubet.

Miſeriam neſcire eſt ſine periculo vivere.

Mala eſt voluptas, alienis aſſueſcere.

Graviſſimum eſt imperium conſuetudinis.

Bonarum rerum nimia conſuetudo peſſima eſt.

De prudentia & ſagacitate in rebus agendis.

Bonum eſt fugienda aſpicere alieno in malo.

Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.

Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel.

Deliberare utilia, mora eſt tutiſſima.

Diu apparandum eſt bellum, ut vincas celerius.

Ducis in conſilio poſita eſt virtus militum.

Mora omnis odio eſt, ſed facit ſapientiam.

Animus vereri qui ſcit, ſcit tuto aggredi.

Aſpicere oportet quæ poſſis deperdere.

Cavendi nulla eſt dimittenda occaſio.

Honeſte ſervit, qui ſuccumbit tempori.

Quum vitia proſunt, peccat qui recte facit.

Etiam oblivìſci quod ſcis, interdum expedit.

Futura pugnant, ut ſe ſuperare ſinant.

Habet ſuum venenum blanda oratio.

Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

De inimico ne loquare malum, ſed cogites.

De temeritate & ſtultitia.

Gravis animi pœna eſt, quem poſt factum pœnitet.

Ad pœnitendum properat, cito qui judicat.

Bene perdit nummos, judici quum dat nocens.

Ridiculum eſt odio nocentis perdere innocentiam.

Malum conſilium eſt quod mutari non poteſt.

Contemni eſt levius, quam ſtultitia percuti.

Facilitas animi ad partem ſtultitiæ rapit.

Mortuo qui mittit munus, nihil dat illi, adimit ſibi.

Abſentem lædit, qui cum ebrio litigat.

Fruſtra, quum ad ſenectam ventum eſt, repetas adoleſcentiam.

Male ſecum agit æger, medicum qui hæredem facit.

Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.

Invitum quum retineas, exire incitas.

Malæ naturæ numquam doctrina indigent.

De ambitione & cupiditate.

Alienum nobis, noſtrum plus aliis placet.

Alienum eſt quidquid optando evenit.

Etiam celeritas in deſiderio mora eſt.

Cui plus licet quam par eſt, plus vult quam licet.

Inſtructa inopia eſt, in divitiis cupiditas.

Effugere cupiditatem, regnum eſt vincere.

Laſcivia & laus numquam habent concordiam.

De avaritia.

Inopiæ pauca deſunt, avaritiæ omnia.

Luxuriæ deſunt multa, avaritiæ omnia.

Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet.

Avarus damno potius quam ſapiens dolet.

Avaro quid mali optes, ni ut vivat diu?

In

In nullum avarus bonus, in ſe peſſimus.

Avarus niſi quum moritur, nihil recte facit.

Avarus ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ.

Avarum facile capias, ubi non ſis idem.

Negandi cauſa avaro numquam deficit.

Malus eſt vocandus, qui ſua cauſa eſt bonus.

De fortitudine animi.

Eſt honeſta turpitudo pro bona cauſa mori.

Bona turpitudo eſt, quæ periclum vindicat.

In rebus dubiis plurimi eſt audacia.

Gravis animus dubiam non habet ſententiam.

Numquam periculum ſine periculo vincitur.

Contumeliam non fortis poteſt nec ingenuus pati.

Ingenuitas non recipit contumeliam.

Invidiam ferre aut fortis aut felix poteſt.

Aliena homini ingenuo acerba eſt ſervitus.

Veterem ferendo injuriam, invitas novam.

Inimicum ulciſci, vitam accipere eſt alteram.

In vindicando criminoſa eſt celeritas.

De iracundia.

Iracundiam qui vincit, hoſtem ſuperat maximum.

Graviſſima eſt probi hominis iracundia.

Bonum apud virum cito moritur iracundia.

Conſilio melius vincas quam iracundia.

Homo extra corpus eſt ſuum quum iraſcitur.

Iratus etiam facinus conſilium putat.

Iratum breviter vites, inimicum diu.

Furor fit læſa ſæpius patientia.

Fulmen eſt ubi cum poteſtate habilat iracundia.

Eripere telum, non dare irato decet.

Invidia tacite, ſed minute iraſcitur.

De ſeveritate.

Bono juſtitiæ proxima eſt ſeveritas.

Crudelem medicum intemperans æger facit.

De clementia & patientia.

Injuriarum remedium eſt oblivio.

Id agas, ne quis tuo te merito oderit.

Ignoſcere humanum, ubi pudet cui ignoſcitur.

Vide, ſi adhuc malus es, & ſimilibus parce.

Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.

Fer difficilia, ut facilia levius feras.

Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.

Dimiſſum quod neſcitur, non amittitur.

Bonum quod eſt ſupprimitur, nequaquam extinguitur.

Bene cogitata ſi excidunt, non occidunt.

De metu.

Quotidie damnatur, qui ſemper timet.

Minus eſt quam ſervus dominus, qui ſervos timet.

Eheu quam miſerum eſt fieri metuendo ſenem!

Metus quum venit, rarum habet ſomnus locum.

Multos timere debet, quem multi timent.

Stultum eſt timere, quod vitari non poteſt.

Non cito ruina perit vir, qui ruinam timet.

Inimicum quamvis humilem docti eſt metuere.

Etiam capillus unus habet umbram ſuam.

Magno cum periculo cuſtoditur, quod multis placet.

Fatetur facinus is, qui judicium fugit.

De dolore.

Animo dolenti nihil oportet credere.

Cuivis dolori remedium eſt patientia.

Etiam innocentes cogit mentiri dolor.

Heu, dolor quam miſer eſt, qui in tormento vocem non habet!

Homo neſcit, ſi dolore fortunam invenit.

Læſo doloris remedium inimici dolor.

De fama & gloria.

Ad calamitatem quilibet rumor valet.

Damnum appellandum eſt, cum mala fama lucrum.

Frugalitas miſeria eſt rumoris boni.

Laus ubi nova oritur, etiam vetus amittitur.

Loco ignominiæ eſt apud indignum dignitas.

Bona fama in tenebris proprium ſplendorem obtinet.

Bona opinio homini tutior pecunia eſt.

Honeſtus rumor alterum eſt patrimonium.

Heu quam difficile eſt gloriæ cuſtodia!

Ad Laberium.

Quicum contendiſti ſcriptor, hunc ſpectator ſubleva.

C. *JUL. CÆS.*

Favente tibi me, victus es, Laberi, a Syro.

PORCII LICINII
FRAGMENTA.

Gellius Lib. XIX. Cap. IX.

Cuſtodes ovium teneræque propaginis agnum
Quæritis ignem? ite huc. quæritis? ignis homo eſt.
Si digito attigero, incendam ſilvam ſimul omnem,
Omne pecus flamma eſt, omnia quæ video.

ALIO LOCO.

Idem Lib. XVIII. Cap. ult.

Punico bello ſecundo muſa pennato gradu
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Donatus in Vita Terentii.

Dum laſciviam nobilium & fucoſas laudes petit,
Dum Africani voce divinæ inhiat avidis auribus,
Dum ad Furium ſe cœnitare & Lælium pulcrum putat,
Dum ſe amari ab hiſce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem ætatis ſuæ: ipſus ſublatis rebus ad ſummam
Inopiam redactus eſt.
Itaque e conſpectu omnium abit in Græciam, in terram ultimam.
Mortuus eſt in Stymphalo Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam,
Saltem ut eſſet quo referret obitum Domini ſervolus.

VAL. ÆDITUI
FRAGMENTA.

AD PAMPHILAM.

Gellius Lib. XIX. Cap. IX.

Dicere quum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mi abs te quæram? verba labris abeunt.
Per pectus miſerum manat ſubito mihi ſudor.
Si tacitus, ſubidus: duplo ideo pereo.

AD PUERUM PHILEROTA.

Idem ibidem.

Quid faculam præfers Phileros, qua nil opus nobis?
Ibimus. hoc lucet pectore flamma ſatis.
Iſtam non potis eſt vis ſæva extinguere venti,
Aut imber cælo candidus præcipitans
At contra, hunc ignem Veneris, ſi non Venus ipſa,
Nulla eſt quæ poſſit vis alia opprimere.

M. TE-

M. TEREN. VARRONIS *FRAGMENTA.*

ABORIGINIBUS.

Nonius in Canitudo.

SEd neque vetulus cantherius quam novellus melior, nec canitudini comes virtus.

Non. in Pipare.

Mugit bos, ovis balat, equi hinniunt, gallina pipat.

Nonius in Grunnire.

Grunnit lepido lacte ſatur mola mactatus porcus.

Non. in Speribus.

Sublimis ſperibus jactato notio volitantis altos nitens trudito.

Non. in Pupæ.

Itaque brevi tempore magna pars in deſiderium puparum & ſigillorum veniebat.

AGATHONE.

Non. in Cælare, & in Dolitus.

Numnam cælatus in manu dextra ſcyphus,
Cælo dolitus artem oſtentat Mentoris.

Non. in Virgindemia.

Quid triſtiorem video te eſſe, quam 'augit hac Lampadione? quid familiaris filius amat? hæc ſpes eſt argentaria, ideoque ſcapulæ metuunt virgindemiam.

Non. in Redurare.

Pueri obſcœnis verbis novæ nuptæ aures redurant.

Non. in Suſpicere.

Et pueri in ædibus ſæpius pedibus offenſant, 'dum recentes muſteos in carnario fluitare ſuſpiciunt.

Non. in Veſpertilio.

Quid multa? factus ſum veſpertilio, neque in muribus plane, neque in volucribus.

Non. in Sufflatus.

Neque auro aut genere aut multiplici ſcientia ſufflatus quærit Socratis veſtigia.

Non. in Acerbum.

Virgo de convivio abdicatur, ideo quod majores noſtri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui voluerunt.

Non. in Tolutim.

Hæc poſtquam dixit, cædit citus celſus tolutim.

Nonius.

Qui merita hominem & ſervum.

AJACE.

Nonius in Exquiſitim.

Stramentitio acre æger medicos exquiſitim convocabas ut convaleſceret.

ΑΜΟΥΜΕΝΕΙ ΣΕ. ΠΕΡΙ ΜΑΡΤΥΡΙΑΣ.

Non. in Veles.

Quem ſequuntur cum rotundis velites leves parmis anteſignani, quadratis multis inſignibus tecti.

ANDABATIS.

Non. in Partuis.

Candidum lacte papilla quum fluit, ſignum putant partuis,
Quod hic ſequatur mulierem e partu liquor.

Non in Luſcioſi.

Ædepol idem cæcus non luſcioſus eſt.

Non. in Vindicare.

Et me Jupiter, Olympia Minerva Athenis ſuis miſtagotis vindicaſſent.

Nonius in Perſtringere.

Non mirum, ſi cæcutis minus: aurum enim non perſtringit oculos.

Non. in Caſtum.

Nec manus viſco tenaci tinxerat viri caſta.

Non. in Aer.

Anima ut concluſa in veſica, quando eſt arcte ligata, ſi perculeris, aera reddet.

Non.

Non. in Febris.

Aperiendam putat: idque alterum appellamus a calendo calorem, alterum a fervore febrim.

Non. in Animo & Anima.

In reliquo corpore ab hoc fonte diffuſa eſt anima: hinc animus ad intelligentiam tributus.

Priſcianus in Caro.

Sed quid vis potius, o homo, quam caruncula noſtra.

Priſcianus in Geno.

Sed quod hæc loca aliquid genunt.

ΑΝΘΡΩΠΟΤΡΓΙΑ, Η ΠΕΡΙ ΓΕΝΕΘΛΙΩΝ

Nonius in Scriptione.

Vulgoque avarus fœneratur ſpe lucri, rem ſcriptione duplicarat.

Nonius.

Non fit theſaurus non auro pectus ſolutum, non avaris demunt animis curas ac religiones, Perſarum montes non atria divitis Craſſi.

Non. in Lavere.

Et Hymenæus qui primo lavere alvum marſu pio ſolet.

Idem.

Non modo vinum dare, ſed etiam (ut Plautus ait) murrhina, paſſum, defrutum.

Nonius in Seplaſia.

Doti dato inſulam Chium, agrum cæcubum, ſeplaſia Capuæ, macellum Romuli.

ANOPUTIO.

Non. in Polliceres.

Nec dares, ne polliceres quid datum eſt.

ANTIQUOTETTI.

Non. in Rabere.

Quid eſt? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi?

ARMORUM JUDICIO.

Nonius in Rixarent.

Ille viros hortari ut rixarent præclari philoſophi.

Nonius in Primores.

Ut in littore cancri digitis primoribus ſtare.

BAIS.

Nonius in Puellaſcere.

Quod non ſolum innubæ fiunt communes, ſed etiam veteres puellaſcunt, & multi pueri puellaſcunt.

BIMARGO.

Non. in Recipere.

Ebrius es Marce. ὀδύσσειαν enim Homeri ruminari incipis, quum περὶ τρόπου ſcripturum te, ſcio, receperis.

Non. in Celox.

Nautæ remivagam movent celocem.

Non. in Strigilis.

Eſt enim vera cauſa, in candelabro pendet ſtrigilis.

Nonius in Olla.

Vulcanum, nec quum novæ lageaæ ollarum franguntur, ter precatur.

Nonius in Duriſſimum.

Scena quem ſenem Latina vidit duriſſimum.

Nonius in Negativæ particulæ.

Qui non modo ignoraſſe me clamat, ſed omnino omnes heroas negat neſciſſe.

Nonius in Edolem.

Quum tot comœdias ſine ulla fecerimus, ego ullum libellum non edolem, ut ait Ennius?

Non. in Agere.

Non Hercules potes qui agebas, ſed conopron.

Non. in Sumpti.

Quum noviſſime mitteret quantum ſumpti fecerit.

Non. in Tardor.

* Ne me prædatus verſuum tardor, ne pœnet lacte cum prytimon certum.

Non. in Paxillus.

Ut novum cribrum novo paxillo pendeat.

Non. in Toneſcit.

Tunc repente cælitum altum tonitribus templum toneſcit.

Non.

Non. in Cæmenta.

Non te pudet, Mani, quum domi tuæ vides commilitonum tuorum cohortes ſervis tuis miniſtrare cæmenta.

Non. in Hamiotas.

Cohortes cocorum, atque hamiotarum, aucupumque.

Non. in Exequiantur.

Ipſum propter vix liberti ſemiatrati exequiantur.

Non. in Difficul.

Quod utrum ſit magnum an parvum, facul an difficul.

Non. in Tippula.

Levis tippula linifici frigidos tranſit lacus.

Non. in Triſulcus.

Et pater divum triſulcum fulmen igni fervido actutum mittat in tholum Marcelli.

Non. in Cæpe.

Avi & atavi noſtri, quum allium ac cepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant.

Non. in Lux.

Nos ergo nihil egimus quod legem luce claro latam ſcutulans.

Non. in Bellum.

Socius ex hoſtibus, ſocius bellum ita geris, ut bella omnia domum feras.

BIMARGOPOLI.

Non. in Inteſtini.

Senſus, poriæ, verro, hydragogiæ, cloaca, inteſtini.

Non. in Anticipare.

Senſiſtis dicite labdea. & vivos contemnite vivi: anticipate, atque addite calcar, ſtultos contemnite docti.

CAEI LIBRO II.

Non. in Carros.

Gallica porta carros adcurat uſque politos.

CAVE CANEM.

Non. in Albicatur.

Ubi rivus præcipitatur, in nemore deorſum rapitur, atque offenſus aliquo a ſcopulo lapidoſo albicatur.

ΚΕΝΟΔΟΞΙΑ. ΠΕΡΙ ΦΟΝΟΥ.

Non. in Ignoſcere.

Voſque in theatro, qui voluntatem auribus
Huc aucupatum concurriſtis domo,
Adeſte, & a me quæ feram ignoſcite,
Domum ut feratis e theatro literas.

COLUMNA ΗΡΑΚΛΗΣ.

Non. in Conſcribellavit.

Itaque eas in ceram conſcribellavit Herculis ad litem.

COSMOGRAPHIA.

Non. in Caries.

Singulos lectos ſtratos ubi habuimus, amiſimus propter cariem & tineam.

COSMOPHTHORO, vel COSMOPHTHORINE.

Non. in Phrygiones.

Phrygio qui pulvinar poterat pingere, ſoliarde vigebat.

Non. in Pollinctores.

Propter cunam capulum poſitum nutrix tradit pollinctori.

Non. in Sanguis.

Africa terribilis contra concurrere ibis,
Atque Æneæ miſceri ſanguine ſanguen.

Non. in Anima.

Detis habenas animæ leni, dum ventus vos flamine ſudo ſuavem ad patriam perducat.

Non. in Lavit.

Atque Ægeus fluctus, quam lavit ante Aquilo,
Sævus ubi poſuit Neptuni filius urbem.

Non. in Abolla.

Toga fracta eſt, & abolla data eſt ad turbam,
Ubi ſera militia in munera velli ut præſtarem.

Non. in Stola.

Mulieres aliam cerneres cum ſtola holoſerica.

CRAS CREDO, HODIE NIHIL.

Non. in Medullitus.

Atque ut igni fervido medullitus aquiloniam intus ſervat frigedinem.

Non. in Faſtidiliter.

Quibus inſtabilis animus, ardens mutabiliter, non habere faſtidiliter inconſtanti pectore.

CRONO.

Non. in Vulgus.

Quare Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle ſervarent. quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſimus.

ΚΥΚΝΟΣ. ΠΕΡΙ ΤΑΦΗΣ.

Non. in Refert.

Denique ſi veſtimenta ei opus ſunt quæ fers, cur conſcindis? ſi non opus ſunt, cur fers?

Non. in Itere.

Tua templa ad alta fani properans citus itere.

CYNICO.

Priſcianus in Satisfacitur.

Si me hercule purgant, & deorum cura non ſatisfacitur reipublicæ.

DESULTORIO.

Non. in Faſelus.

In aliis domini delicias faſelo nactum tonſili remo vilem flictam ſolvit.

Non. in Fervere.

Fervere piratis vaſtarique omnia circum.

ΕΚΑΤΟΜΒΗ. ΠΕΡΙ ΘΥΣΙΩΝ.

Non in Laveret.

Pater ut cruore laveret terrarum aggerem.

Non. in Imbuere.

At regis enſis ſanguine imbutus nigro.

Non. in Putus.

Mea igitur hecatombe pura & puta.

Non. in Margaritum.

Ubi illa phalera, gemmeaque ephippia, & arma margaritum?

ECCLESIAM.

Non. in Impanerare.

In regiam arcam impanerarunt.

ENDYMIONIBUS.

Non. in Matella.

Divitum aphocaſchias ad communem revocat matellam.

EPHEBO.

Non. in Lux.

Die ſi poſſumus, quod debemus populo in foro medio, luci claro decoquere.

Nonius in Occupare.

Crede mihi, plures dominos ſervi comedere quam canes. Quod ſi Actæon occupaſſet, & ipſe prius ſuos canes comediſſet, & non negaſſet ſaltatoribus in theatro fieret.

EPHEMERIDE.

Non. in Autumnus.

Navali Eteſiæ diutius & uberius fluant, & autumnum ventoſum faciant.

EST MODUS MATULÆ.

Non. in Cupa.

Cupas vinarias ſirpare noli, adde cyathum vini in uxorculæ opicillum.

Non. in Scaturix.

Manías hic theobegenes fluit ſcaturex.

Non. in Obba.

Dolia atque apothecas tricliniares, melicas calenas, obbas & cumanos calices.

Non. in Temetum.

Quis in omni vita helio τιοτο olfacit temetum?

Non. in Silicernium.

Non quo pranſi diſcedentes dicimus alius alii, vale.

Non. in Coagulum.

Cui nihil jucundius quidquam venit, hæc ægritudinem ad medendum invenerunt. hoc hilaritatis dulce ſeminarium, hoc continet coagulum convivia.

ETRATIONE.

Non. in Caduciter.

Aut frigidos nimbos aqua iſta caduciter ruentes pertimuerunt aquatulæ querquetulæ natantes.

EUDÆMONIBUS.

Non. in Vigilium.

Animum mitto ſpeculatum toto orbe, ut quid facerent homines.

mines quum experrecti ſint, me faceret certiorem: ſi quiſquis melius operam ſuperet, ut ejus conſilio potius vigilium adminicularem noſtrum, qui videt alium curvantem extrema noctis tempora.

Nonius in *Aperto*.

Capite aperto eſſe jubet, ante lucem ſuſcitat.

Nonius in *Paxillo*.

Ubi dicatur primus Zeno novam hæreſin novo paxillo ſuſpendiſſe.

Nonius in *Præbitio*.

Quod ea die mea erat præbitio, in januam, Cave canem, inſcribi jubeo.

Nonius in *Infandus*.

Poſtremo nemo ægrotus quidquam ſomniat. an quidquam ſomniat tam infandum quod non aliquis dicat philoſophus?

Non. in Colubra.

Quid dubitatis utrum nunc ſitis cercopitheci, an colubræ, an belluæ, an de albu cibus labus Athenis.

Non. in Hornum.

Quum in eo eſſem occupatus, atque in ſchola curarent, inſcribit Scantius horno per Dionyſia.

Non. in Exporrectus.

Quæ res in ſomnum recideris, & οὐδέποτε eris iterum exporrectus.

Non. in Corius.

Nunc corius ulmum tuus depuvit, pergis hera.

Non. in Propter.

Propter eam porticum ſitum erat dolium.

Non. in Directi.

Apage in directum a domo noſtra iſtam inſanitatem.

Non. in Trichinus.

Quod tunc quæſtus trichinus erat, nunc eſt uber, ut quæſtus ſit magnus.

Idem ibidem.

Et Mercurium Arcadum colonum.

Non. in Arquatus.

Nam ut arquatis & veternoſis quæ lutea non ſunt, æque ut lutea videntur, ſic inſanis ſani, & furioſis videntur eſſe inſani.

Non. in Cædere.

Maximnum cædit ferro, ſed cædere Ulyſſem:
Cum bacca ſilvam cædit, procoſque trucidat.

Non. in Gallare.

Nam quæ vetuſtas hic eſt gallantibus.

Non. in Decernere.

Forenſes decernunt ut exiſtimatio nomen meum in ſanorum numerum referat.

Non. in Canum.

Et ecce de improviſo ad nos accedit cana veritas, Atticæ philoſophiæ alumna.

Non. in Opinio.

Si ad nos citius opinionibus vertilabundus miſer decidi.

Non. in Equuleus.

Neque furentem equuleum damacrinum inſanus equiſo exhibebis maris fluctibus, educat umquam.

Non. in Gallare.

Cum illo vento video gallorum frequentiam in templo, qui dum eſſena hora nam ad latera imponeret ædilis ſignoſiæ, & deam gallantes vario retinebant ſtudio.

Non. in Lurcare.

Contra quum pſaltria & cum flora lurcare adſtrepis.

Non. in Atrum.

Vix vulgus confluit, non furiarum, ſed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantes.

Non. in Tibinos.

Sonitu matris deum tonimus tibinos tibi nunc ſemiviri.

Idem in Tonimus.

Tibi tympana non inani ſonitu matris deum tonimus.

Non. in Dominus.

Diſcumbimus muſſati, dominus mandere nos non committit.

Nonius in Tempeſtas.

Dum ſermone cœnulam variamus, interea tonuit bene tempeſtate ſerena.

Nonius in Crepare.

Propter crepas vocibus volitans aures vulgi.

Nonius in Mereo.

Quia plus, inquit, merere debet, in quo eſt virtus.

Nonius in Merum.

Tu non inſanis, quod tibi vino corpus corrumpis mero?

Nonius in Mereo.

Primum iſte, qui meret ſeſtertios vicenos.

Non. in Jactare.

Tibi nunc ſemiviri teretem comam volantem jactant tibi galli.

Non. in Occupare.

Priuſquam reſponderem, foris neſcio quis occupat res judicare.

Nonius in Occupare.

Quum in eo eſſet occupatus, atque in ſchola curaret, ut ſcribit Scantius homo per Dionyſia.

Nonius in Aura.

Simulac languido corpore ſolis calidior viſa eſt aura.

Nonius in Anima.

Phrygios per oſſa cantus liquida canit anima.

Non. in Opinio.

Qui omnes me bimatrem agitare clamitantes, opinionem mihi inſaniæ meæ confirmant.

Nonius.

Stolam calceoſque muliebres propter poſitos capio.

Non. in Excantare.

Ubi vident ſe cantando ex ara excantare non poſſe, deripere incipiunt.

Non. in Cepam.

In ſomnis venit, jubet me cepam eſſe & ſeſſiminum.

EUMENIDIBUS.

Non. in Ebrios.

Et cæteris ſcholaſticis auribus ſcholica dape, qua ebriis ſeltice ἀπεχυντυλογία conſurgia conſurgimus jejunis oculis.

Nonius in Exterritum.

Videmus populum furiis inſtinctum tribus,
Diverſim ferri exterritum formidine.

Non. in Gallum.

Puditatem an pudorem Gallum cœpit mihi videri.

Nonius in Stet.

. . . . denique avarus
Quis ſanus? cui ſi ſtet terra & traditus orbis,
Furando tamen, ac morbo ſtimulatus eodem,
Et ſeſe ipſe aliquid quærat cogatque peculi.

Non. in Torrere.

Capite operto eſſe jubet, ante lucem ſuſcitat, frigore torret, venatum ejicit jejunis vellicem.

Nonius in Severo.

Tertia pœnarum infamia, ſtans nexa in vulgi pectore, fluctuanti intonſa coma, ſordido veſtitu, ore ſevero.

Nonius in Species.

Quæ caſta ætas, quæ veſtis adoleſcentium, quæ teneris ſpecies.

Gellius in Spurciſſimam.

Nunc de te, inquit, meliuſculam ſpem habeo, qui rem ſpurciſſimam guſtare noluerim.

Nonius in Patella.

Patella eſurienti poſita provocat Neapolitanas piſcinas.

Nonius in Præter.

En domum præter matrem deum ædem exaudio cymbalorum ſonitum.

Non. in Matura.

Qui ut vigilarem matura cœpiſti, in eo retinueris.

Non. in Aſſiti.

Coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit, luce locum afficiens.

Non. in Stolæ.

Partum venuſta muliebri ornat ſtola.

Non. in Blitum.

Empedocles natos homines ex terra ait, ut blitum.

Non.

Non. in Oſtrinus.

* Aurora oſtrinam hic indutus ſupparum.

Non. in Gibbero.

Item tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege ad frontem ſuperficias accedebant.

Non. in Genitivis.

Ego autem qui eſſem plenus vini & Veneris.

Non. in Specula.

Sed nos ſimulatque in ſummam ſpeculam pervenimus,
Videmus populum furiis incinctum tribus.

Non. in Precari.

Ego medicina Seraphi utor, quotidie precantur: intelligo recte ſcriptum eſſe Delphis, Theo hera.

Non. in Miras.

Hoſpes, quid miras animo curare Serapin? quid? quaſi non curat tantidem Ariſtoteles.

Non. in Caperare.

Quin mihi caperatam tuam frontem Strobile omittis?

Aut ambos mira, aut noli mirare de me, de eodem.

Non. in Supparum.

Ex his atque ejuſmodi inſtitutis ac vita, vel ad Herculis athletæ facti erant.

FLEXABULIS.

Non. in Commalaxare.

Nec dolorem adiaphoron eſſe, quod philoſophia commalaxarem ea patrem: neque irato mihi habenas dedi umquam, neque cupiditas non impoſuit fræ nos.

Non. in Stare.

Atque ſi addam quanta miſericordia mea hæredibus meis ſtet, quod miſeros ſublevaverim.

Non. in Pranſi.

Quare, o Marce, pranſum ac paratum eſſet hoc minime oportet.

Non. in Compedes.

Domo exeo intro, & pedes corrigiis compedio.

Nonius in Pala.

Quid? tu non vides in vineis, quod tria pala habeant, tripales dici?

Non. in Stabones.

Multi enim qui limina intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti.

FUNDANIO.

Priſcianus in Mare.

In mare aquam frigidam oriri.

GEMINIS.

Non. in Sugillent.

Contra lex Mænia eſt in pietate, ne filii patribus luci claro ſugillent oculos.

ΓΕΡΟΝΤΙ ΔΙΔΑΣΚΑΛΩ.

Non. in Gravis.

Ubi graves paſcantur atque alantur pavonum greges.

Non. in Caſtum.

Ergo tum ſacræ, religioſæ, caſtæque fuerunt res omnes.

Non. in Fax.

Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia ſolita etiam nunc pinea fax indicat.

Non. in Lautum.

Video quod habeat ſatis, ſi vix putant lautum.

Non. in Faſciæ.

In quibus libis ſacra turri faſciis cingit forem.

Non. in Ramices.

Rapta an neſcio quo mulione rapturis ramicis rumpit.

Non. in Olla.

Sed ſimul manibus trahere lanam, nec non ſimul oculis obſervare ollam pultis, ne aduratur.

Non. in Cæcutire.

Utrum oculi mihi cæcutiunt, an ego vidi ſervos in armis contra dominos?

Nonius in Nundinum.

Quoties priſcus homo ac ruſticus Romanus inter nundinum barbam radebat.

Non. in Tricæ.

Putas eas non citius tricas Attellanas quam id extricaturos.

Non. in Arcera.

Vehebatur enim cum uxore vehiculo ſemel aut bis in anno cum arcera, ſi non vellet, non ſterneret.

Non. in Cultellus.

Noctu cultro coquinari ſe trajecit. nondum enim mihi inventi erant cultelli empeſtatiæ Bithynia.

Non. in Ærarius.

Hoc eſt magnum cenſorem eſſe, ac non ſtudere multos ærarios facere.

Non. in Torculum.

Vineis ubi ampla cella torculum reponant.

Non. in Tenebriones.

Manius Curius conſul in Capitolio, quum delectum haberet, nec citatus in tribu civis reſpondiſſet, vendidit tenebrionem.

Non. in Citrus.

In quibus Libya citrus faſces cingit fores.

Non. in Granaria.

Vel decem menſis, ubi una ſepiant granaria.

GLOBERITON.

Non in Olivitas.

Denique omnes cum lucerna combuſta eſt in lucubrando, olivitaſque conſumpta eſt.

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.

Non. in Suctu.

Ut crementa corpora fierent majora parvo ut ſuctu candida lactis.

Non. in Ducere.

Nihil ſunt muſæ pollicis noſtræ quas eriſice duxti.

Non. in Orbitum.

Ut ſydera cœli divum circum terram atque axem quæ volvuntur motu orbito.

Non. in Mulieravit.

Et rex miſellus ille pauper amat, habetque ignem intus acrem, hic ephebetum mulieravit, hic ad me deca adoleſcentem cubiculum pudoris primus polluit.

Non. in Mirius.

Subſilis ac plaudis, & ab aratro poſcas ſtivam, oro nunquid enim hoc mirum?

Non. in Spectare.

Qui ſunt ſecundum naturam perfecti homines, ut non modo eos ſpectemus, ſed etiam imitemur.

Non. in Feſtus.

Non videtis unus ut parvulus Amor ardi fœta lampade.

Non. in Manſum.

Deinde certe alii fluctu, ut ficum pararet manſum, qu[illegible] venarum ſanguine vivos compleret.

Non. in Cetarii.

Non animadvertis cetarios, quum videre volunt in mari thunnos, aſcendere in malum alte, ut penitus per aquam perſpiciant piſces?

Nonius.

Candens corpore taurus trivio lumine lunæ.

Non. in Silone.

Nonne non unum ſcribunt eſſe grandibus ſuperciliis Silonem quadratum, quod Silenus hirſutis ſuperciliis fingeretur?

Non. in Contende.

Age nunc contende alterum genus philotoreon, nequid ibi viderit melius.

HERCULE SOCRATICO.

Non. in Sutrinas.

Qui ſutrinas facere inſcius, nihil homo agis.

Non. in Chlamys.

Cubo in Sardinia iſta pedibus chlamyda, ſed purpurea amicula.

Idem in Tapete.

In omnibus rebus bonis quotidianis cubo in Sardinianis tapetibus.

Non. in Celox.

Tuam fidem procella frigida arte obruat celocem.

Non. in Vagat.

Tuam fidem per maritimas oras vagat, ſuffragantur.

Idem in Tutanus.

Tuam fidem, noctu Annibalis quum fugavi exercitum Tutanus, hoc Tutanus Romæ nuncupor, hac propter omnes, qui laborant, invocant.

Idem ibidem.

Tuam fidem non Tut[illegible] ego ipſe invoco, quod meæ aures [illegible].

HERCU-

HEURENULO PASTOPONIA.

Non. in Murmurari.

Ita uti ſoliti eramus Romæ in balneis, plodere cœpimus & murmurari.

Non. in Subducere.

Ego unus ſcilicet antiquorum hominum ſubductis ſuperciliis dicam.

LATERENSI.

Priſcianus in Parco.

Parſurus pecuniis bene partis.

LEGE MÆNIA.

Non. in Eunuchare.

Si qui patriam majorem parentem extinguit, in eo culpa quod facit pro ſua parte, is qui ſe eunuchat, aut aliqua liberos producit.

Non. in Equila.

Nemo eſt tam negligens, & quin ſumma diligentia eligat aſinum, qui ſuam ſaliat equilam.

Non. in Sacrum.

Signata ſacra eſſe deſierunt, poſteaquam homines ſunt facti.

Non. in Spica.

Neque in bona ſegete nullum eſt ſpicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.

Non. in Bioiræ.

Ad biviram venio: quum vellem oſtendere quid vellem, μετάμελος inconſtantiæ filius me reprehendit.

Non. in Agens.

Non hos Pactolus aureas undas agens
Eripiet umquam e miſeriis.

Non. in Rimari.

Admirantes quod ſereno lumine conniviſſet oculis, cœli rimari plagas.

Non. in Guttur.

Exercebam ambulando, ut ſiti capacior ad cœnam veniret guttur.

ΛΟΓΟΜΑΧΙΑ.

Non. in Tunicare.

Hæc lanigeras detondere docuit, tunicareque homolum.

LONGE FUGIT QUI SUOS FUGIT.

Non. in Convenire.

Solus rex, ſolus rhetor, ſolus formoſus, fortis. ſecus vel ad ædilicium modius, purus, putis. Si adhuc charactera Cleophatus conveniet, cave attigeris hominem.

Non. in Ervum.

Sed ut is erat, hæc legumina arte parva pauca, cicer, ervillam, ac paregia alia ſpiria cæteris.

MÆONIO AUTUMEDO.

Non. in Bubulcitare.

Mens quod apud Photium rhetorem bubulcitare alteri dolori non defuit.

MAGNO TALENTO.

Priſcianus in Detondere.

Detotonderat forcipibus vitarpiferis.

MANIO.

Non. in Luxuria.

Nec ſumptibus finem lepidus ſtatues finemque modumque.

Non. in Labos.

Sternit juvencus quam labos mollem facit.

Non. in Amphitapæ.

Alterum bene acceptum dormire ſuper amphitapa bene molli.

Non. in Penula.

Et quem corrigia diruptas tenet aridum reliquum pede penula ſcortea pertegere.

Non. in Porcet.

Hunc Cereris tibi miniſtra frugibus ſuis porcet.

Non. in Veget.

Nec natus eſt, nec morietur, viget veget utpote plurimum.

Non. in Libellione.

Tum ad me fuerunt qui libellionem eſſe ſciebant.

Non.

Non. in Squales.

Ager derelinqueretur, ac periret quale, ſcabreque, illuvie & vaſtitudine.

Non. in Obſtrigillat.

Lex neque innocenti propter ſimultatem obſtrigillat, neque nocenti propter amicitiam ignoſcit.

Non. in Patella.

Quocirca oportet bonum civem legibus parere & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.

Non. in Patritum.

Funere familiari commoto, avito ac patrito more precabamur.

Non. in Reſpicere.

Sedens altus alieno ſumptu, neque poſt reſpiciens, neque ante proſpiciens.

Non. in Limum.

Altus alieno ſciens, ſed limus intra milites culinæ.

Non. in Altum.

Habens ante poſitam alimoniam, ſedens altus alieno ſumptu.

Non. in Cepe.

Dulcem aquam bibat, ſalubre & flebile cepe.

Non. in Conducere.

Manius mane ſuſcitat nos; tum in roſtra adſert, populum in forum conducit.

Non. in Confutare.

Harum ædium ſumma atria confutabant architecti omnes.

Non. in Matella.

Lecto ſtrato, matella, lucerna, cæteras res hujus ubique præ ſe portant.

Nonius.

Non maledicere, pedem in focum non imponere, ſacrificari.

Non. in Scrobs.

Qui dum adminiſtrant in ſcrobe fodiendo, inveniunt arcam.

Non. in Dolia.

Hæc adventoribus accedunt, cellæ, claves, clauſtra, carnaria, dolia.

MARCIPORE.

Non. in Rapinatores.

In invidiam veniant in hoc ipſo rapinatores.

Non. in Puellum.

Peliam me, & permiſiſſe, ut ſeu eluvium degloberet dum madore puellum.

Non. in Tudiculare.

Hiccine nobis terne tudiculaſſe.

Non. in Jentare.

Ut eat, ac rempublicam adminiſtret, & quid pulli jentent.

Non. in Pinna.

Pinnas caduci naufragii.

Non. in Bipennis.

Delime, bipennis, ut levis paſſerculus.

Nonius in Evitare.

Spatulæ eviravit omnes venerivaga pueros.

Non. in Meridies.

Repente noctis circiter meridiem,
Quum pictus aer fervidis late ignibus,
Cœli oræ anaſtricæ oſtenderent.

Nonius in Luſus.

Utri ſunt magis pueri, hi puſilli, nigri, qui ſpectant nundinam, ut magiſter dimittat luſus.

Non. in Equiſonis.

Hic in ambivio navem conſcendimus paluſtrem, quam nautici equiſones per viam conducerent loco.

Non. in Rheda.

Regi Medeam advectam per aera in rhedam anguibus.

Nonius in Margarita.

Altera exorat patrem libram ocellatorum, altera virum ſemodium margaritarum.

Nonius in Capere.

Propontis unda, quam liquanti cærulea natantem perfundat cape.

Nonius in Conſcribellarunt.

Aſtrologi non ſunt, qui conſcribellarunt pingentes cælum.

Non. in Syrus.

Ventique frigido ab axe erumpebant phrenetici, ſepte n-

tentrionum filii, ſecum ferentes tegulas, ramos, ſyrus.

Non. in Offendit.

)ein mitti virile veretrum in flumen, offendit buccam bolumnio.

Non. in Hiare.

)uidquid evidenter circumſtant, non rident, credo ridere hiantes.
'ideo hiantes, non audio.

Nonius in Mera.

:odem conjeciſſe mera miracula neſcio quæ.

Nonius in Optare.

:t Diogenes qui amicos, qui ab Alexandro rege juſſus optare quid vellet, ſe facturum.

MARGOPOLI.

Nonius in Scapus.

Iihique divitum ſtylo noſtro papyrino levii ſcapos capitio novo partu poetico.

Nonius in Comeſt.

:am in humanis omnia ſunt paria: qui te plus urget piſces ut ſæpe minutos magnus comeſt, ut aves enecat accipiter.

Non. in Calx.

emini fortuna currum a carcere intimo miſſum levi, inoffenſum per æquor candidum ad calcem ſibit.

Non. in Rutrum.

ui celer die nos lemnatos logos Antipatri ſtoici filius rutro caput diſplanat.

MEDEA.

Non. in Capere.

uid hic venator non cepit?

MELEAGRIS.

Non. in Deſcobinatis.

n autem delectationis cauſa venamini, quanto ſatius eſt ſalvis cruribus in circo expectare, quam his deſcobinatis in ſylva currere?

Non. in Viracium.

non malit vir viracium uxorem habere Atalantam.

Non. in Immanis.

ide hydram Lernæam draconem
:ſperidum, quod beſtiæ fuerunt immanes.

Non. in Dimittere.

Quum etiam Thais Menandri tunicam dimiſſam habeat ad talos.

Nonius. in Capere.

Quem idcirco terra non cepit, & cœlum recepit.

Non. in Fructuis.

Quæro utrum fructuis an delectationis cauſa, fructus ut vendatis.

Non. in Sparus.

Aut ille cervum, qui volabile currus ſparo ſecutus eſt, tragulave trajicit.

Non. in Silicernium.

Funus exequiati laude ad ſepulchrum antiquo more ſilicernium confecimus.

Non. in Aperire.

Non modo ſuris apertis, ſed pene natibus apertis ambulas.

Non. in Finis.

Currere, vigilare, eſurire, quando hæc facere oportet, quam ad finem.

MODIO.

Non. in Gradarius.

An qui gradu tolutili te melius quam tute molliter vectus, cito relinquat.

Non. in Luteus.

Sed Cynicis involucrum & pallium luteum non eſt.

Non. in Saperdæ.

Omnes videmur nobis eſſe belli, feſtivi, ſaperdæ. quum ſimus κάπρος.

Non. in Lapathium.

Hanc eandem voluptatem tacitulus taxim conſequi lapathio & ptiſſana poſſum.

Non. in Comedones.

Putat fore hoc quod hinc comedonibus convenit uſu, quibus nota voluntate comedunt, dumtaxat gula gaudet.

Non. in Aurigatur.

Ad ſe unum eſſe pulmentarium ſecundas, quo natura aurigatur, non neceſſitudo.

Non. in Deletile.

Si diſplicebit, tam tibi latum mare partis, quantum

ſpon-

ſpongiam deletilem.

Non. in Popinones.

Quis poculis argenteum chorum introibit popino.

Non. in Modeſtiſſime.

Non eos optume vixiſſe, qui diutiſſime vixerint, ſed qui modeſtiſſime.

Non. in Tibia.

Quare meas lubidines ac tibias bilingues.

Non. in Tunica.

Quam iſtorum, quorum vitreæ togæ oſtentant tunicæ clavos.

Non. in Cibarium.

In cubiculo dormire mallem, ſcilicet potius vinum meum cibarium, quam ego dominus cubarem.

Non. in Medioximum.

Quid aliud eſt quod Delphica canat columna literis ſuis' ἄγχν μέθλω; viduam vos facere addit mortalem modum medioxime, ut quondam patres noſtri loquebantur.

Non. in Premere.

Capitis coronæ vaccitis linei face ut languore flatidi viridis premit.

Non. in Scenatilis.

Sed o Petrulle, ne meum taxis liberum.
Si te pepigat hæc modo ſcenatili.

Non. in Culina.

Et hoc intereſt inter Epicurum & ganeones noſtros, quibus modulus eſt vitæ culina.

Non. in Promittere.

Qui quum erant in Græcia, coma promiſſa, raſa barba, pallia trahentes.

Nonius.

Tremodiam amphoramque eamdem temeti a carris modium.

MUTUUM MULI SCABUNT.

Non. in Grallatores.

Grallatores qui gradiuntur, perticæ ligneæ, ab homine illo, qui in iſta tangitantur ſicili animi noſtri, ſunt. Galeæ, crura, ac pedes noſtri eſſiare κινητοι ſed ab animo moventur.

Non. in Pollinctores.

Itaque ſi plures dies inter medicos diſceſſum, & adventum pollinctores interfuerunt, & id æſtate videas.

Non. in Tractus.

Ut venalem tuniculam poneret quotidie, ut videret, totum denique etiam ſuis manibus lanea tracta miniſtraſſet inſectori.

Non. in Aptus.

Ubi lucus opacus teneris fruticibus aptus.

MYSTERIIS.

Non. in Spiſſum.

Naſcimur enim ſpiſſius quam emorimur. vix duo homines decem menſibus edolatum unum reddunt puerum: contra una peſtilentia, hoſtica acies puncto temporis immanes acervos facit.

Non. in Portitores.

Æs defraudaſſe cauponem, bonam luto obleviſſe, tum portitores æra induxere.

Non. in Dicere.

Ivit virgo, femina ut auferatur: quæ mihi poſteaquam ad concordiam dicta eſt.

Non. in Crepera.

Priſca horrida ſilent oracla crepera in nemoribus.

Non. in Vulpinari.

Vulpinare modo, & concuſſa qualubet.

Non. in Apricari.

Licet videre multos quotidie hieme in ſole apricari.

Non. in Depſere.

Sed tibi fortaſſe alius molit & depſit.

OCTOGESI.

Non. in Bulga.

In quo nobilius eſt philippeum quod accipimus, quam quod bibimus: quum alterum addamus in bulgam alterum in veſicam.

Non. in Singulum.

Hoc erat incommodi, quod neſciebamus ſemel unum ſingulum eſſe.

Non. in Mutuiter.

Vive, meque ama mutuiter.

Priſ.

Priſcianus in Strabo.

Non hæc res de Venere paeta ſtrabam facit.

Non. in Probiter.

Poſtquam avida libido rapere ac concidere cœpit, ſeque opince non probiter ſtrepere.

OEDIPO THYESTE.

Non. in Conſolaret.

Per idem tempus Œdipus Athenas exul venire dicebatur, qui conſolaret.

ΟΝΟΣ ΠΡΟΣ ΛΥΡΑΝ.

Non. in Maſculus.

Si non plus teſticulorum offenderit quam in caſtrato pecore in Apulia, vincor non eſſe maſculum ad rem.

Non. in Verutum.

Acerbus, qui nihil mali fecit, verutus poſt artem præclaram.

Non. in Suſcitabulum.

Fonicia ſunt vocis ſuſcitabulum, cantantiumque gallus gallinaceus.

Nonius in Veget.

Quam nobilem divum lyram ſol harmoge quadam gubernans motibus diis veget.

Non. in Speribus.

Quibus ſuam ipſe delectet amaſiam, & aviditatem ſperibus lactet ſuis.

Non. in Scenatici.

Ut comici nitidi ſcenatici.

Nonius in Manſuem.

Non vidiſti ſimulacrum leonis ad Idam e loco ubi quondam ſubito eum quum vidiſſent, quadrupedem Galli tympanis adeo ferunt manſuem, ut tractarent manibus.

Non. in Cibarius.

Tuus autem ipſe frater cibarius fuit Ariſtoxenus.

Nonius in Venabulum.

Nempe ſues ſilvaticos in montibus ſectaris venabulo, aut cervos.

Non. in Producere.

Valete, & me palmulis producite.

Non. in Cinædus.

Merentis ut quietus ac demiſſior cinædus adſis.

Non. in Nervia.

Scientia doceat, quemadmodum in pſalterio eſt, tendamus nervias.

Non. ibidem.

Et id dicunt ſuam Briſeidem producere, quæ ejus nervias tractare ſolebat.

Non. in Vulgus.

Jurgare cœpit, dicens, quæ facis atque in vulgum vulgas.

Non. in Infans.

Voces Amphionem tragœdum, jubeas Amphionis agere partes, infantiorem quam meus eſt milio.

Non. in Exordium.

Qui fabularum collocant exordia.

Non. in Diis.

Quam mobile, neque orto pſalticium attulit pſalterium, quibus ſonant in Græcia dicteria.

Non. in Frigere.

Sæpe totius theatri tibiis crebro flectendo commutare mentes, frigi animos eorum.

Non. in Lactare.

Quibus ſuam delectet & ipſe amaſiam, & aviditatem ſperibus lactet ſuis.

Non. in Cluet.

Pacuvius diſcipulus bicorporis ſuit Ennius muſarum, Pompilius clueor tibicidas.

Non. in Sarcinatricis.

Homines ruſticos in vindemia incondita cantare ſarcinatricis in machinis.

Non. in Præſepia.

Si quis melodinis tonos lyras præſepibus ſe retineat forenſibus.

Non. in Baſis.

Primum eam eſſe fidicen, quod ſi item ſitus ut ipſa vox baſis ejus.

Non. in Badius.

Equi colore diſpares, item nati, hic badius, iſte gilvus, ille murmus.

ORTHOGRAPHIA.

Priſc. in Extima.

Ergo inter ſolis ſtationem & ſidera ſeptem
Exporrecta jacet tellus: huic extima fluctu
Oceani interior Neptuno cingitur ora.

ΠΑΠΠΙΑ ΠΑΠΠΩ. ΠΕΡΙ ΕΓΚΩΜΙΩΝ.

Non. in Rictus.

Ante auris modo ex ſobolibus parvuli intorti dimittebantur, ſed cincinni oculis ſubpætulis, nigellis pupillis. quam hilaritatem ſignificantes animi rictus parviſſimus, ut refrenato riſu roſeo.

Non. in Accuſativis.

O mi optanti miniſterio invidum tabes.

Non. in Murmurari.

Hoc Græcis renuntiato, ut facile intelligeres nos ab his amari, commurmurantur.

Non. in Regilla.

Collum procerum fictum lævi marmore
Regillam tunicam diſtingitur purpura.

Nonius in Mollitudinem.

Sigilla in mento impreſſa amoris digitulo veſtigio demonſtrat mollitudinem.

Non. in Chortes.

Dum vixi, promiſcaris meis in chortibus pavit.

Non. in Palpebræ.

Quos calliblepharon naturali palpebræ tinctæ vallato mobilis ſeptos tenent.

Non. in Rabulæ.

Ille ales gallus qui ſuſcitabat, ait, harum muſarum ſcriptores, an hic quia gregem rabularum.

Non. in Juxta.

Qui poteſt laus videri verſa, quum motus ſæpe furaces eſſemus, atque nequiſſimus ibis juxta ac P. Africanus.

Non. in Dominum.

Dominum convivii vinum aliudve quid mi laudato.

Non. in Margarita.

Imperito nonnumquam concha videtur margaritam, ut amiſi margdos.

Nonius in Rapones.

Prætor noſter eripuit mihi pecuniam, de ea queſtum ad annum veniam ad novum magiſtratum, quum hic rapo umbram quoque ſpei devoraſſet.

Non. in Lingulacæ.

Quare reſident, lingulacæ, obtrectatores tui jam nunc murmurantes dicunt, μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.

Non. in Tenebriones.

Si & accuſator & reus erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato.

PARMENONE.

Non. in Pudet.

Pudet me tui, & muſarum agnoſcere: piget currere, & una ſequi.

Non. in Poſcere.

In argumentis Cæcilius poſcit palmam, in ethesin Terentius, in ſermonibus Plautus.

Non. in Bipennis.

Ferens ferream humero bipennem ſecurem.

Non. in Anfractum.

Cavo fonte ut quum irrigavit, cavata aurium anfracta in ſilvam vocans.

Non. in Compedes, & in Viſcus.

Lepuſculi timentes hoc quadrangulum dedit Diana rete, nexile aut viſcum fuge lineamque compedem.

Non. in Cedere.

Cedit velocius juvenis membris levis, nitidus oleo.

Non. in Trabs, & Pronis.

Alia trabs pronis in humum accedens proxime frangit ramos cadens.

Non. in Acer.

Dimittiſque acres pectore curas cantu caſtaque poeſi.

Non. in Micare.

Micandum erit cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur.

Non. in Caballus.

Alius caballum arboris ramo in humili alligatum relinquit.

Nonius in Acre.

Utendum eſt fortaſſe vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore.

Non. in Bount.

Exeunt citi, ſtrepunt, bount.

Non.

Non. in Frons.

Creditur lucos, alta frons decidit, platanus ramis.

Non. in Percellere.

Alius teneram abietem ſolus percellit.

Non. in Melos.

Paci hujus naſcuntur pueri rhythmus & melos.

ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ.

Priſcianus in Dextimus.

Porro inde ab unoquoque compito ternæ viæ oriuntur, ex quibus ſingulæ exitum ac telos habent, proprium a primo compito dextimam viam munit.

Non. in Satullem.

Neque in pulvere mythico coquam carnes, quibus ſatullem corpora ac famem ventris.

ΠΕΡΙ ΑΜΟΥΤΟΥ ΦΙΛΑΡΓΥΡΙΑΣ.

Non. in Gabalum.

Nos barbari, quod innocentes in gabalum ſuffigimus homines: vos non barbari, quod noxios abſolvitis?

Non. in Seges.

Etenim quibus ſeges præbeat domum, eſcam, potionem, quid deſideremus?

ΠΕΡΙ ΕΙΣΑΓΩΓΗΣ.

Non. in Numerus.

Quid puer rogaſſet & petaſatus capite annuiſſet, ac diſcedens numero venire ait adoleſcentem.

Non. in Virgines.

Quam ſympathiam lubiat oculus haberet, quid imaginum intereſſet, puer utrum eſſe devirginatum uſurus, an monuce ῥώταξ purus dum cogito.

Non. in Medicamentum.

Et quærit ibidem ab Annibale, cur biberit medicamentum. quia Romanis, inquit, me Pruſiades tradere volebat.

Non. in Levare.

Quemnam te eſſe dicam feram, qui manu corporis fervidos aperis lacus ſanguinis, teque vita levas ferreo enſe?

Non. in Gangræna.

Non vituperamus, quum ſciamus dictum præcidi oportere: ſi ob eam rem gangræna non ſit ad Bacchium ventura.

Non. in Stupidus.

Andromeda juncta & propoſita cito non debuit pari ſuo homini ſtupidiſſima in os expuere vitam.

ΠΕΡΙ ΕΡΙΤΑΦΙΩΝ.

Non. in Vola.

Pleni libri, inquam, ubi maneant tapeti eorum, quorum in ſepulchris nec vola nec veſtigium extat.

Non. in Evallare.

Donec foras nos intus evallaverunt.

ΠΕΡΙ ΚΕΡΑΥΝΟΥ.

Non. in Fulgura.

Cognitio enim tonitrum fulget, & tonitrum fulguris a fulmine orta.

ΠΕΡΙ ΛΕΞΕΩΝ.

Non. in Dextima.

Porro inde ab unoquoque compito ternæ viæ oriuntur, e quibus ſingulæ extumæ exitum ad cœlos habent proprium. Primo compito dextimam viam munit Epicurus.

Non. in Nobilis.

Tum contremula aquilenta apud alta litora oriris ac nobilis omnibus reluces.

ΠΕΡΙ ΤΕΘΝΗΚΟΤΩΝ.

Non. in Multis annis.

Cujus ibi annis multis maſculi veſtigium inventum eſt.

ΠΕΡΙ ΤΥΧΗΣ.

Non. in Modicum.

Sapiens & bonum ferre poteſt modice, & malum fortiter ac leviter.

Nonius.

Leges ruina ne jacentem ſubdealbet algo danti frigore.

Non. in Torques.

Tela dextra vibrant, ruſſatia emicant, atque inſignibus Martis torques aureas & ſcuta cælata Hibero argento gravi crebra fulgent.

ΠΕΡΙ ΩΡΩΝ.

Non. in Exodium.

Vitæ curſum ut cognoſcere poſſem, & quæ ſervitutis & libertatis ab origine ad exodium ductæ.

Non. in Oſtrea.

Non poſſe oſtrea ſe Romæ præbere & echinos.

ΠΕΡΙΠΛΟΥΣ. ΠΕΡΙ ΦΙΛΟΣΟΦΙΑΣ.

Non. in Roſtrum.

Itaque videas barbato roſtra illum commentari, & unumquodque verbum ſtatera auraria pendere.

Non. in Garrulus.

In hac civitate tum regnabat Dionyſius, homo garrulus & acer.

Non. in Spiſſum.

Erraremus extrophas eſſe multas, omnino totum eſſe ſed ſpiſſum iter.

PRÆLIO CAPRINO.

Non. in Perferre.

Captivos prædones non poſſes jam amplius perferre. tamen ſuadet ut notat.

Non. in Proprium.

Nam virtutem propriam mortalibus fecit, cætera promiſcue voluit communia habere.

Nonius in Cenſeam.

Ne vobis cenſeam, ſi ad me referretis.

PRANSO PARATO.

Non. in Itiner.

Luna expectans Adria ſe itiner longum ſermone levare.

Nonius in Niti.

Contra coactus cervus latratu canum
Fertur biſulcis ungulis nitens humo.

PROMETHEO.

Nonius in Hara.

In tenebris ac ſuilla vivunt, niſi non forum, & hara, atque homines, qui nunc plerique ſues ſunt exiſtimandi.

Nonius in Somnorinas.

Levius menſum quam ſomnorinas imagines afflatur, non umbratur ſomno pupulæ.

Nonius in Vaſtitas.

Mortalis nemo exaudit, ſed late incolens barathrum, inhoſpitalis campis vaſtitas.

Non. in Aritudo.

Humanam quandam gentem ſtirpis inquit frigus calore atque humore aritudinem miſcet.

Non. in Oculis.

Id ut ſcias, audi hoc, quod falſum dicis eſſe, nemini oculos opus eſſe, ſi habet.

Non. in Satias.

Quum ſumere cœpiſſet voluptas retineret, quum ſat haberet, ſatias manum de menſa tollere.

Non. in Poſticum.

Retrimenta cibi quæ exierunt per poſticum vallem feci.

Non. in Putus.

Chryſoſandalos vocat ſibi amiculum de lacte, & ceram Tarentinam; quam apes Mileſiæ coegerint, ex omnibus floribus libantes, ſine oſſe & nervis, ſine pelle, ſine pilis, puram putam, proceram, candidam, teneram, formoſam.

Non. in Compedes.

Ego infelix non queam vim propulſare, atque inimicum unco nequidquam ſæpe æratas manus compedes conor refellere.

Non. in Rica.

Aliæ mitram ricinam, aut mitram melitenſem.

Nonius in Evireſcere.

Atque exanguibus dolore evireſcat colos.

Non. in Cortex.

Tum viſus ſupernus cortex, aut cacumina morientum in quercu & arborum altitudinem.

Nonius in Quæſti.

Æmulum illius artis, atque obſtrigillatorem, quæ propter aliquot annos quæſti nihil fecerit.

Non. in Plaga.

Eburneis lectis, & plagis ſigillatis.

PSEUDOLO APOLLINE.

Nonius in Vago.

Quum ſex puer, & puellæ pariter ſex, aut ſeptem ſinuero, quæ cum choro pari vagarunt.

Nonius in Excalceatur.

Quod in ejus Dei templa calceati introeunt. nam in oppido quæ eſt ædes Apollinis, & quæ ibi ad Herculis introeat, nemo ſe excalceatur.

PSEUDONEA.

Priſc. in Æviternus.

Per æviternam hominum domum tellurem propero gradum.

QUIN-

QUINQUATRIBUS.

Nonius in Turdus.

Tu pleni contra caudes audes dicere, quum in eborato lecto, ac purpurei operis toro cubare videas ægrotum, & ejus prius album quam tympen ſubducere malis?

Non. in Aquilex.

An hoc præſtat hero filius Diogenis, quod ille e ventre aquam mittit? an hoc te jactas? at hoc pacto utilior te Thuſcus aquilex.

Non. in Autumnitas.

Cape hanc caducam Liberi mollem dapem, frondem Bromii autumnitatis.

Non. in Contendere.

Qui Tarentinum tuum ad Heraclidem Ponticum contenderit.

Nonius in Culcita.

Quam in teſtudineo lecto culcita plumea in die dormire.

Non. in Nidus.

Quam lympham melius e lacuna fontium allatam, nidos potili permiſceat.

Non. in Absynthium.

Quid medico mihi eſt opus? nempe tuo, abſynthium uti bibam gravem, & caſtoreum levemque robur.

Non. in Dentarpagæ.

Hic bipenſile forcipem dentarpage.

SATYRIS.

SATYRA QUÆ INSCRIBITUR TESTAMENTUM.

Gellius Lib. III. Cap. XVI.

Siquis mihi filius, unus aut plures in decem menſibus gignuntur, ii ſi erunt ονσι λυρας, exhæredes ſunto. Quod ſi quis undecimo menſe κατὰ Ἀριστοτέλην natus eſt, Accio idem quod Titio jus eſto apud me.

Non. in Puer.

Sic ille puellus Veneris repente vado cecidit cruentus olim.

Non. in Neutrico.

Natis quos Menippe hæreſis nutricata, & tutores do, Qui rem Romanam Latiumque adſciſcere vultis.

Non. in Belliores.

Venio nunc ad alterum genus teſtamenti quod dicitur φυσικὸν. in quo Græci belliores quam Romani noſtri.

ΑΛΛΟΣ ΟΥΤΟΣ ΗΡΑΚΛΗΣ.

Non. in Puellum.

Gravidaque mater peperit Jovi puellum.

ΠΕΡΙ ΕΔΕΣΜΑΤΩΝ.

Gellius Lib. XV. Cap. XVII.

Si quantum operæ ſumpſiſti, ut tuus piſtor bonum faceret panem, ejus duodecimam philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus jam pridem eſſes factus. nunc illum, qui norunt, volunt emere millibus centum: te, qui novit, nemo centuſſi.

HIPPOCYONE.

Non. in Excuriari.

Apollonium ideo excuriant quia nihil habebat.

SATYRA MENIPPÆA.

Gellius Lib. I. Cap. XXI.

Theanna, Peranna, Pranda, Celato, Pales,
Nerienes & Minerva, Fortuna ac Ceres.

Non. in Nefantia.

Ego, inquit, eam ſuppetias, quæ tunc mihi nec res, nec ratio eſt, diſſociat atque omnio nefantia.

SAT. MENIP. DE OFFICIO MARITI.

Gellius Lib. I. Cap. XVII.

Vitium uxoris tollendum eſt, aut ferendum:
Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præſtat:
Qui fert, ſeſe meliorem facit.

NESCIS QUID VESPER SERUS VEHAT.

Nam multos (convivas) eſſe non convenit, quod turba plerumque eſt turbulenta, & Romæ quidem conſtat, ſed & Athenis: nuſquam autem plures cubabant. Ipſum deinde convivium conſtat ex rebus quatuor, & tum denique omnibus ſuis numeris abſolutum eſt: ſi belli homunculi collecti ſint,

ſi

ſi lectus locus, ſi tempus lectum, ſi apparatus non neglectus. Nec loquaces autem convivas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro & apud ſubſellia: ſilentium vero non in convivio, ſed in cubiculo eſſe debet. *Paulo poſt*, Quod profecto eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium. Dominum autem convivii eſſe oportet non tam lautum, quam ſine ſordibus. Et in convivio legi non omnia debent, ſed ea potiſſimum, quæ ſimul ſint *βιωφελῆ*, & delectent potius, ut id quoque videatur non ſuperfuiſſe. Bellaria ea maxime ſunt mellita, quæ mellita non ſunt. *πέμμασιν* enim & *πέψει* ſocietas infida.

Priſcianus.

Capite permulſo.

ΣΚΙΟΜΑΧΙΑ. ΠΕΡΙ ΤΥΦΟΥ.

Non. in Compendium.

Hoc dico compendiaria ſine ulla ſollicitudine ac moleſtia dicundi ad eandem voluptatem poſſe perveniri.

Non. in Exlex.

Poſtremo quæro, parebis legibus annon? anne exlex ſolus vives?

SERA PARECTE.

Non. in Expulſim.

Purgatum ſcito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pila expulſim ludere.

SERANO. ΠΕΡΙ ΑΡΧΑΙΡΕΣΙΩΝ.

Non. in Autumnitas.

Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem quod autumnitas in anni tetrachordo menſem præterierat.

Non. in Roſtrum.

Roſtrum in protrudendum ceſſerent.

Non. in Eliminare.

Occipitium arivo deo oſtendo, ex oraculo elimino me.

Non. in Macor.

Atticus rivalis homo iturus in curiam cum maceſcebat.

Non. in Extiſpices.

Te conſulem mihi pelum cedere ſubſidio & hoſtia, ſed extiſ pici diſputanti relinquo.

Non. in Liquidus.

Hunc vocas, ſed & liquida victa incuriæ veſtræ feram.

Non. in Contendere.

Et petere imperium populi, & contendere honores.

SESQUIULYSSE.

Non. in Ruro.

Dum in agro ſtudioſius ruro, aſpicio Triptolemum ſculpineatum bigas ſequi cornutas.

Non. in Rixant.

Dormit alius, nimirum vigilant, clamant, calent, rixant.

Non. in Invitari.

Ipſum audivi non invitari poculis large atque benigne.

Non. in Gelo.

Pueri dum comeſque tenet cata gelo putri montium laxa.

Non. in Ganeum.

Qui ſe in ganeum accenſum conjecit amicæ.

Nonius in Troſſuli.

Nunc emunt troſſuli nardo nitidi vulgo attico talento equum.

Non. in Cognoſcere.

Vereor, ne me quoque, quum domum ab Ilio cæſus revertero, præter canem cognoſcat nemo.

Non. in Parochus.

Hic enim omnia erat, idem ſacerdos, prætor, parochos. denique idem ſenatus, idem populi caput.

Non. in Derepente.

In Theſpiadum ore derepente.

Non. in Explicare.

Vias ſtelligeras ætheris explicans ære cavo ſonitum hic in cothurnis.

Non. in Meram.

Diogenem poſtea pallium ſolum habuiſſe, & habere Ulyſſem meram tunicam, pileum ideo non habere.

Non.

Non. in Solidum.

Navibus duodecim dum profectum decem annos ſolidos erraſſet.

Nonius in Subigere.

Antiquum initio ſubactum aliquid annis erat.

Non. in Strophium.

Suſpendit laribus marinas molles pilas, reticula ac ſtrophia.

Nonius in Alumnus.

Ubi quod lupam alumni feſellerunt olim.

Non. in Cupa.

Alteram viam deformaſſe Carneadem virtutis e cupis acris aceti.

Non. in Bellus.

Quid enim eſt, quod homo maſculus lubentius videre debeat, quam bellam uxorem?

Nonius in Calcar.

Ventus ſuo caſu vehementius ſufflare, & calcar admovere.

Nonius in Propter.

Quod Minerva propter eſt, & id ſignificare eum propter doctrinam.

Nonius in Deſubulaſſe.

Unam veniam eſſe, non amoviſſe duce virtute hanc eſſe nobilem, alteram Carneadem deſubulaſſe, bona corporis ſequutum.

Non. in Irritans.

Omnes irritans ventos, omneſque procellas.

Non. in Compedes.

Quo quum ire vellemus, obvius flare ubi corpori æreinas compedes impoſitas video.

Nonius.

Ut in ſegetibus poſt meſſem colligebant ſtramenta, qui domicilia colerent.

Non. in Pullus.

Ubi nitide Phœbi veſte pulla candidi modeſte amictus paſcunt pectore.

Non. in Caballus.

In caſtris permanſi, inde caballum reduxi ad cenſorem.

Nonius.

Adverſi venti ceciderunt, quod ſi pergunt diutius mare volvere, vereor, ne me quoque, quum domum ab Ilio cæſus revertero, præter canem cognoſcat nemo.

Non. in Tegillum.

Vigere volitans mulſus aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum paſtor ſibi ſumat.

Non. in Calcitrones.

Itaque tu mecum mordacem calcitronem horridum miles ac vir non vitabat.

SEXAGESI.

Non. in Ericium, & Proboſcis.

Se circumſpexe, atque inveniſſe, quum dormire cœpiſſet, tam glaber quam Socrates Galbam eſſe factum ericium e pilis albis cum proboſcide.

Non. in Rutuba.

Ergo tum Romæ parce pureque pudentis vivere in patriam, nunc ſumus in rutuba.

Non. in Puellus, & in Dormitio.

Ultra intra pectus dormitio vigilabilis, quæ me puellum impuberem cepiſti.

Non. in Spica.

Si canis fit e catello, ſic e tritico ſpicam.

Non. in Tollere.

Nunc quis patrem decem annorum natus, non modo aufert, ſed tollit, niſi veneno?

Non. in Ruminaris.

Erras, inquit, Marce, accuſare nos: ruminaris antiquitates.

Non. in Pecus.

Neque quas agi pennis anates tremipedas buxeis roſtris pecudes paludibus nocte nigra ad lumina lampadis ſequens.

Non. in Subire.

In quarum locum ſubierunt inquilinæ, impietas, perfidia, impudicitia, impudentia.

Non. in Involutum.

Adeſt fax involuta incendii.

Non. in Revocare.

Qui nobis miniſtrarunt pueri diebus feſtis cicer viride, qui

qui nos provocare cum audeant, nos illos revocare timemus.

Nonius in Vulga.

Eo ut viaticum ex arcula adderem in vulgam.

Non. in Offendi.

Romam regreſſus, ibi nihil offendi, quod ante annos quinquaginta, quum primum dormire cœpi, reliqui.

Non. in Fervia.

Quod leges jubent, non faciunt, faciant, doſcelave fervit omnino.

Non. in Ducere.

Avidus judex rerum ducebat eſſe κοινὸν, hoc modo.

Non. in Collus.

Ut nitens pavonis collus nihil extrinſecus humens.

Non. in Mercatus.

Ubi tum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus.

Non. in Proboſcis.

Inveniſſe ſe quum dormire cœpiſſet tam glaber, quam Socrates, calvum eſſe factum, ericium pilis albis cum proboſcide.

Non. in Æquimentum.

An ſi equam emiſſes quadrupedem, ut meo aſino Reatino admitteres, quantum popoſciſſem dediſſes æquimenti.

Non. in Oſtrea.

Tunc nuptiæ videbant oſtreas Lucrinas.

Non. in Craſſum.

Senibus craſſis humuli non vidimus quid faciat.

Non. in Carnales.

Vix effatus erat quum more majorum ultro carnales arripiunt, de fonte in Tiberim deturbant.

SYNEPHEBO.

Non. in Imbutus.

Quid te facere oportet literis imbutum ſolis Minervæ.

Non. in Præcox.

Verere, ne manu non mittat, quum octo medicarios honeſtos audiſſemus, dare poſſis, mittet. quod ſi non mittet, fugies, ſi me audies. quum tempus revocat, ea præcox eſt fuga.

Non. in Seplaſiæ.

Hic narium ſeplaſiæ, hic hedycus Neapolis.

TANAQUILE.

Nonius in Ruminari.

Non modo abſens quidquam de te ſequius cogitavit, ſed etiam ruminabitur humanitatem.

ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ. ΠΕΡΙ ΕΧΟΝΤΟΣ. ΤΑΡΙΧΕΑΙΣ.

Nonius in Mæander.

* Mihi facies mæandrata, & vermiculata, atque etiam adeo ingens orbem terræ.

Nonius in Fingere.

Ut hirundines, figlino oblitas luto tegulas fingebant.

Non in Urnarium.

Sed quæ neceſſitas te juvet aquam effundere domi tuæ, ſi vaſa habet pertuſa, plumbum non habent: ad quam rem nobis eſt confluvium? ad quam rem urnarium?

Non. in Pinſere.

Nec pinſorem ullum noſſet, niſi eum, qui in piſtrino pinſeret farinam.

Nonius in Fructuis.

Aliquot Romæ ſunt, qui cellas vinarias fructuis parant, ut vendant.

Nonius in Cruſtati.

Pavimenta & parietes cruſtati.

Nonius in Liquit.

Illæ nobiles quondam canes, hic liquit homines omnes in terra pila.

Non. in Ricinium.

Nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricinio palliolum ſimplex.

Non. in Humus.

In pavimento non audes facere lacunam, at in humu calceos facis elixos.

Nonius in Habere.

Saltem infernus tenebroſus χίμονχεκακοδ tenet, atque habet homines ſollicitos, quod cum pejus formidant, quam fullo ululat.

Non.

Non. in Putidum.

Inde putidas uvas acinis electis & comeſtis extendit in lectis quondam.

Non. in Vola.

Hæc Numa Pompilius fieri ſi viderit, ſciet ſuorum inſtitutorum nec volam nec veſtigium apparere.

Non. in Sabulum.

Non vides in magnis periſtylis, qui cryptas domi non habent, ſabulum jacere a pariete aut cryptis, ubi ambulare poſſint?

Non. in Domuis.

Perrexit in interiores partes domuis.

Non. in Porcæ.

Non vides in publica nocte te tabernas, qua populus ambulando perinde ut in arato porcas reddit.

Non. in Eſurigo.

Ubi lubet, ire licet accubitum, accedo ſtrenuoſus, ſiliurus, quod eſurigo findebat coſtas.

Non. in Bellus, & Uſio.

Diogenem literas ſciſſe, dum uſioni quod ſatis eſſet, nunc quod etiam acta bellorum hominum.

Non. in Coda.

Sed ut canis ſine coda.

Non. in Nundinum.

Romam ipſam in arcoſice non qui in orbe inter nundinum calumniarentur.

Non. in Bellus.

In carteo ſtadio ἐπιτεχνῶν lego, a quo qui certaſſet animo, bellus homo magis delectatus Stoicorum pancratio quam athletarum.

Non. in Exodium.

Quod cœperas modo in via narrare, ut ad exodium ducas.

Non in Suſundatum.

Antiqui noſtri domibus lateritiis paululum modo lapidibus ſuſundatis, ut humorem effugerent, habitabant.

Non. in Edones.

Edones Romam, ut turba, intendat annona: ſed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, niſi volantem, non video.

TITHONO.

Non. in Ævitas.

Qua voluntatem ævitatis extima attigit mecum ævitan

Non. in Pupi.

Mammam lactis ſugentem pupum paſcere.

Non. in Cortex.

Sic invitatam matura anima corporeum corticem facile relinquit.

Non in Juvenilitas.

Quam dereliquit multicupida juvenilitas.

ΤΟ ΕΠΙ ΤΗ ΦΑΚΗ ΜΥΡΟΝ. ΠΕΡΙ ΕΥΕΓΗΡΙΑΣ.

Non. in Producere.

Legendo & ſcribendo vitam producito.

Non. in Adoleſcentiari.

Ac tu quidem ut jacias cenſeo, quoniam tu quoque adhuc adoleſcentiaris.

Non. in Oſtrea.

Nec multum nummus piſcis ex ſalo captus helops, neque oſtrea illa magna capta quivit palatum ſuſcitare.

ΤΟΥ ΠΑΤΡΟΣ ΤΟ ΠΑΙΔΙΟΝ. ΠΕΡΙ ΠΑΙΔΟΠΟΙΙΑΣ.

Non. in Merum.

Liberos parare cui neceſſe ſit, non eſt merum, nec tu ædepol quid ſimulas tuis.

Non. in Tetrica.

Etiam audiſſet, reddere potuiſſet mulier tetricæ horrentis, ducat ad Appiam moribus bonis.

Non. in Adamuſſim.

Quare ſi diu gens eſt ad amuſſim, per me licet aſſumas teneo.

TRIODITE. ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΗΣ ΚΑΙ ΦΥΣΕΩΣ.

Non. in Grando.

Nec coruſcus imber alto nubilo cadens multus, grandine implicatus albo.

Non. in Ramices.

Priuſquam in orcheſtra Pythaules inflet tibias, domi ſuæ

 rami.

ramices rumpit.

Non. in Equiſo, & in Tolutim.

Nam ut equus, qui ad vehendum eſt natus, tamen hic traditur magiſtro, ut equiſo doceat tolutim.

Non. in Triſtem.

Illud vero quondam meæ, ut ego non metuam fulmen, non haruſpicem triſtem, ſimulac dici non quæro.

TRIPHALO.

Non. in Longurio.

Ego nihil narro, adeo hic ita curat, qui nunc eſt neſcio qui longurio.

VÆ VICTIS.

Non. in Accuſativis.

Libet me epigrammata facere, & quoniam nomina non memini, quod in ſolum mihi venerit ponam.

Non. in Ceſtis.

Dicat pugil, ſpectatores, qui miſerum putatis vinci, quæro a vobis, ſi adverſarius ſupercilia ceſtis diſcobinarit, num quis veſtrum ſuam mihi eſt daturus?

Quis rotundam facere ſerram nequeat?

VINALIBUS. ΠΕΡΙ ΑΦΡΟΔΙΣΙΩΝ.

Non. in Sartores.

Nec enim ſic vide, utrum mercedem accipit is, qui meas venit ſegetes ut ſarriat, an ego ab illo.
Sic ego centuſſim ſartor, ſi tu plus laboras quam ego do.

VIRGULA DIVINA.

Non in Sparagus.

Oleum in lucubrationem ſervavimus, quod in ſparagos totum legitime vertamus.

Non. in Vilis.

Atabos quum volucres venit apud illos uſque ad limina indica vilis. *aliter legitur.* Ad quos cum voluceris ventus eos uſque ad limina nitidabilis.

Non. in Prodius.

Primum venit in urbem, atque intra muros: deinde accedit propius, atque introit domum.

Non. in Legere.

Sed pancarpineo cibo coacto libamenta legens caduca victus.

Non. in Fritiniant.

Et pullos peperit fritinientes.

Non. in Levare.

Quos non jacta novo levata paſcat.

Non. in Penula.

Non quærenda eſt homini, qui habet virtutem, penula in imbri.

Non. in Sagus.

Quum neque aptam mollis humeris fibulam ſagus ferret.

Non. in Murmurari.

Præſertim quum ventrem meum coerceam, nec murmurari patiamur.

EX INCERTIS LIBRIS.

Nonius.

Quum dixiſſet vitulus, ecce caldis pedibus quidam navicularius ſemiuſtulatus irrupit ſe in curiam.

Idem.

Cujus ibi annis multis maſculi veſtigium inventum eſt.

Non. in Tergiverſari.

Itaque illa tergiverſari non ſinent, ſecumque rapient.

Idem in Terta.

Terta nitet galea.

Idem in Fulmentum.

Fulmentum lectum ſcandant.

Idem in Exordium.

Vitæ curſum ut cognoſcere poſſem, & quæ ſervitutis & libertatis ab origine ad exodium ductæ.

Idem in Morſicatim.

Sicut pulli, ſic incedunt, & in labellis morſicatim ludunt.

Idem in Politiones.

Quid mirum, ſi ex agri depolitionibus ejiciuntur, quum hic in cœnaculo polito recipiuntur?

Idem in Temperatura.

Quæro te, utrum hoc adduxerit cœli temperatura, an terræ bonitas.

Idem in Caſtus.

Et religiones & caſtus id poſſunt, ut ex periculo eripiant noſtro.

Idem

Idem in Dormitio.

Quid mihi ſomno, ſi dormitio tollitur?

Priſcianus in Utor.

Utile utamur potius, quam ab rege abutamur.

Priſcianus in Hortari.

Ab amicis hortaretur.

Idem in Adminiculati.

Tribunitio auxilio adminiculati.

Idem in Conſpicatur.

Paupertas enim hæc tum non ita nutricata, ut nunc conſpicatur.

Idem in Conſequuta.

* Veſtales inceſti compertas anſa petuntur, incognita, conſequuta negliguntur.

Diomedes Lib. I.

Pecorina delitæ literæ.

Idem ibidem.

Affectatus eſt regnum.

ALIQUOT FRAGMENTA ADDENDA vel MUTANDA.

Nonius in Comeſt.

Natura humanis omnia ſunt paria.
Qui pote plus, urget: piſces ut ſæpe minutos
Magnu' comeſt, ut aves enecat accipiter.

ΤΑΦΕ ΜΕΝΙΠΠΟΥ.

Non. in Linquere.

Menippus ille nobilis quondam Canis
Hic liquit omnes homines in terræ pila.

DE IMAGINIBUS.

Gellius Lib. III Cap. XI.

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat:
Quod hac Ietae mortuo faciunt ſacra.

HEBDOMADIBUS.

Non. in Luces.

Hic Demetrius aeneas tot aptu' ſt,
Quot luces habet annus abſolutus.

C. CÆSARIS DICTATOR. *FRAGMENTA.*

Suetonius in Vita Terentii.

Tu quoque tu in ſummis. o dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri ſermonis amator.
Lenibus atque utinam verbis conjuncta foret vis
Comica, ut æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac deſpectus parte jaceres.
Unum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe, Terenti.

Scriverius ex Membranis.

Feltria perpetuo nivium damnata rigori,
Forte mihi poſthac non adeunda vale.

Favente tibi me, victus es Laberi a Syro.

TI-

TITINNII FRAGMENTA.

ARATRO, AUT FORTASSE BARATHRO, AUT BARBATO.

Non. in Dativis.

UBi ambitioni virtuti videas antecedere.

Feſtus in Solox.

Lana ſoloci ad purpuram data.

Soſipater in Medio fidio.

Id neceſſe reſpondet edi pro edius fidius.

Idem in Noctu.

Noctu diuque ait.

Idem in Præpoſitionibus.

Priuſquam auro privatæ purpuram quæ abteximus.

BARBATO.

Non. in Uni.

Quod quidem pol mulier dicit. namque uni collegii ſumus.

Idem in Phrygio.

Phrygio fui primo, beneque id opus ſcivi: reliqui acus aciaſque hero atque heræ noſtræ.

Idem.

Ita ſpurius animatur in prælium, veles equis recepit ſe, nec ferit quemquam hoſtem.

CÆCO.

Soſipater in Seminatim.

Ita ſeminatim fugi atque effugi patrem.

DIVORTIO.

Non. in Promiſſa.

Cui exacta ætate ſponſa ſit deſponſa.

FERENTINATI.

Priſc. in Lactis.

Craticula, cerebellum lactis agnina.

FULLONIA.

Non. in Fuam.

Perii hercle vero Tiberi, nunc tectum obſecro ut mihi ſubvenias, ut ego maialis fuam.

Idem in Pernitere.

Jampridem egreſſa ut perniteris.

Idem in Argutari.

Terra hæc eſt nova, qua ubi tu ſolitus argutari pedibus, cretam dum compeſcis, veſtimentaque levas.

Idem in Contempla.

Specta formam, atque os contempla meum.

FULLONIBUS.

Idem in Toga.

Quæ inter decem annos nequ[illegible] togam deterere.

Idem in Comeſt.

Ego me mandatam meo viro male arbitror,
Qui rem diſperdit, & meam dotem comeſt.

Idem in Perſimile.

Formicæ pol perſimile eſt ruſticus homo.

Idem in Diu.

Nec noctu nec diu licet fullonibus quieſcant.

Idem in Putatam.

Da penſam lanam, qui non reddet tempore putatam recte, facite ut multetur malo.

Idem in Ferox.

Videam ego te virginem formoſiſſimam eſſe, ſponſo eſſe ſuperbam, forma ferocem.

Idem in Quæſti.

Ni nos texamus, nihil eſt, fullones nobis quæſti.

Idem in Patibulum.

Si quiſpiam hodie præter hanc, poſticum noſtrum pe-

pule-

pulerit, patibulo hoc ei caput defringam.

Idem in Anima.

Interea fœtida anima naſum oppugnat.

GEMINA.

Idem in Deſuevi.

Paraſitos amovi, lenonem ædibus abſterrui,
Deſuevi, ne quo ad cœnam iret extra conſilium meum.

Idem in Everro.

Everrite ædes, abſtergite araneas.

Idem in Tandem.

Symphonia odioſum tandem ut moribus placeam viro.

Priſc. in Crevi.

Simul ut pueras has nocte ſuſpirare crevi.

Non. in Toga.

Syrus com ſcorto conſtituit ire: claves illico abſtrudi jubeo, ruſticæ togæ ne ſit copia.

Idem in Paucies.

Poſtquam factus maritus, hanc domum abhorres, tuam etiam uxorem paucies video.

Idem ibidem.

Tu autem, inquit, in urbem paucies venire ſoles.

Idem in Faceſſat.

At aliquis veſtrorum nuntiet geminæ ut res ſuas procuret, ædibus faceſſat.

Idem in Spiſſum.

Longus ſermo habetur, revertetur ſpiſſa.

Idem in Comeſt.

Libram agebant ſatis eſſe ambobus farris nutrire: plus comeſt ſola uxor.

Idem in Advorſum.

Mulier credo advorſum illum res ſuas conqueritur.

Idem.

Non execratis paraſitum, nec virum aſpellit domo.

Idem in Ibus.

Euæ Caſtor, ſi moratæ ſitis ambæ ibus ut ego pro majoribus.

Idem in Benigniter.

Nimium te patrocinari cenſeo benigniter.

Idem in Blanditer.

Jucunda primum blanditer comparamus colloquia.

Idem in Functus.

Ædepol hominis ignavi functus officium.

ILARUBRA.

Idem in Oſculavi.

Laudor quod oſculavi privignæ caput.

PRÆLIA.

Soſipater in Biber.

Date illi biber, iracunda hæc eſt.

Non. in Delicem.

Tibine comœdiam quam ſciam, non delicem?

Idem in Deliniti.

Verum enim dotibus deliniti, ultro etiam uxoribus ancillantur.

Idem in Nobilitarent.

Magis quæ ſame objectarent, ne eam malefactis nobilitarent.

Idem in Evallare.

Qua ego hodie extorrem hanc domo faciam expilatricem. pallia evallavit, o pulchre.

Idem in Diligere.

Pernam totam diligit.

Idem in Tuburcinari.

Tuburcinari ſine me vultis reliquias.

Idem in Deſubito.

Sed amabo, quid deſubito tam repente ad me veniſti?

Idem in Pariter.

Næ tu iſtum ædepol inedia extuliſti pariter ut dignus fuit.

Idem in Severiter.

Severiter hodie ſermonem amica mecum contulit.

PRILLA. vel PALLA.

Feſtus in Scraptiæ.

Rectius mecaſtor Piculetæ Poſtumæ lectum hodie ſtratum vidi ſcraptiæ muli.

PSAL-

PSALTRIA.

Priſcianus Lib. II.

Ferentinatis populus Græca ſtudet.

Non. in Grave.

Gravique obſonio convivas.

Idem in Lavite.

Manus lavite mulieris, & capita velate.

Idem in Lactes.

Farticula, cerebellum, lactes agninas.

Idem in Succumbonenm.

Contemplari ancillas quam arbitrer illarum ſuccubone-um eſſe.

Idem in Genitivis.

* Dicis tu quæſo, quo a te avortiſti mei faſtidis, ſi meæ deliciæ.

QUINTO.

Idem in Uti.

Item uti eum oportet libertatem qui ſapit.

Idem in Delicere.

Quod ea paraſitus habeat, qui illum ſciat delicere, & noctem facere poſſit de die.

Idem in Delicare.

Quid iſtuc eſt? aut quid iſtic ſibi vult ſermo? mater delica.

Idem in Feſtinem.

Nunc hoc uror, nunc hæc res me facit feſtinem.

Idem in Facitur.

Quanta ſtultitia cupidinis petunt conſilium, bona gratia ut parvifaciatur.

Feſtus in Oſcum.

Oſce & Volſce fabulantur: nam Latine neſciunt.

SETINA.

Soſipater Lib. II.

An quia Pol ædepol fabulare, edi, medi.

Idem in Publicitus.

Statui ſtatum publicitus.

Idem.

Paula mea amabo, pol tu ad laudem addito: præfiſcini ne puella faſcinetur.

Idem in Architecton.

Infenſus architectoni.

Idem in Quo.

Quo avolavit gallus gallinaceus?

Feſtus in Mullei.

Jam cum mulleis te oſtendiſti, quos tibiatis in calceos.

Nonius in Oreæ.

Etſi tacebit, tamen gaudebit ſibi permitti oreas.

Feſtus in Redivia.

Laſſitudo conſervum rediviæ flagri.

Nonius in Cumatilis.

Et quem cumatilis colos deceat.

Idem in Tale.

Accede ad ſponſum audaciter, virgo nulla eſt, tale etiam eſt.

Non. in Fervit.

Sapientia gubernator navem torquet, non valentia. cocus magnum ahenum, quando fervit, paula confutat trua.

Idem in Itum.

Itum, geſtum, amictum videbant ejus.

Idem in Nevult.

Ipſus quidem hercle ducere ſane nevult.

Idem in Frons.

Quaſi hermaphroditus fibriatum frontem geſtas.

TIBICINA.

Soſipater in Peregra.

Ut hic legatus abit peregre publice.

VARO.

Non. in Dapalis.

Toto fit in foco de lignis mihi dapalis cœna.

Idem in Latiolente.

Latiolente flocci fiet & cuculator.

VE-

VELITERNA.

Idem in Senium.

…uot peſtes ſenio & jurgia ſeſemet diebus emigrarunt?

Idem in Poſtica.

…tque duo poſtica, quæ loco mercede.

Idem in Graſſari.

…nde thenſam atque mulos ſine eam pedibus graſſari, quum fingere ejus ſuperbiam.

Idem in Occupare.

…rgo occupa foras exire, ut præſit linteum.

Idem in Tunica.

…unica & cingula obuncula adimetur, pannos poſſidebit fætidos.

Idem in Leget.

…odie hoſtes fugavit, ſpolia placide poſterius leget.

Idem in Aucupavi.

… ego aucupavi, plenas aures affero.

Idem in Accuſativis.

…mnium vitium expertem, conſilii plenum prohibui.

Idem in Stare.

…tque illud ante pa…tum comedet, fundi ſtabunt ſentibus.

Idem in Condemnare.

…ortaſſe votum fuiſſe quo die liber foret: nunc ejus voti condemnatus eſt, immolavit hoſtiam.

EX INCERTIS LIBRIS.

Soſipater in Os.

…elim ego oſſe arare campum cereum.

Non. in Obſtrudant.

…bſtrudulenti aliquid quod pectam ſedens, ut hic lætaſter, aut formaſter frigidus.

Feſtus in Exvibriſſere.

…erit tibi cantandum, facito uſque exvibriſſes.

Idem in Cannenſem.

Cannenſem curſorem.

Idem in Mirior.

Mirior inquam tibi videor.

Idem in Tentipellium.

Tentipellium inducis, rugæ in ore extenduntur.

Idem in Rictus.

Cave exporge frontem, habeat ſemper ſactos rictus.

Idem in Lens.

Lenti calido duella trapula, romice.

Idem in Oſculana.

Hæc quidem quaſi oſculana pugna eſt ſecus, quia hinc ſugere impulſi, ſpolia colligunt.

Non. in Factio.

Sed jam metuo hercle ne nimis ſtulte fecerim, qui ex tanta factione atque opibus ea ſum auſus aggredi.

Priſcianus in Nemo.

Quod rogas neminem decet bonam.

Feſtus in Pedicoſus.

Rus detrudetur pedicoſus, ſqualidus.

Feſtus in Succrotilla.

Fœminina fabula, ſuccrotilla vocabula.

Idem in Tam.

Bene quum facimus, tam male ſubimus, ut quidam perhibent viri.

Idem ibidem.

Quamquam eſtis nihil, tam eſcator ſimul vobis conſului.

Idem in Pergræcari.

Hominem improbum, nunc ruri pergræcatur.

Idem in Succerda.

Quid habes niſi unam arcam ſine clavi? eo condis ſuccerdas.

Q. CICERONIS

FRAGMENTUM.

Scaliger.

FLumina verna cient obſcuro lumine Piſces,
Curriculumque Aries æquat noctiſque diique;
Cornua quem comunt florum prænuncia Tauri.
Aridaque æſtatis Gemini primordia pandunt.
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificuſque Leo proflat ferus ore calores.
Poſt modicum quatiens Virgo fugat arta vaporem.
Autumni reſerat partes, æquatque diurna
Tempora nocturnis diſpenſo ſidere Libra.
Et fœtos ramos denudat flamma Nepai.
Pigra ſagittipotens jaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians jubare ſpirat Capricorni.
Quem ſequitur nebulas rorans liquor altus Aquarii,
Tanta ſupra citraque vigent ubi flumina. mundi
At dextra, lævaque ciet rota fulgida ſolis
Mobile curriculum: & Lunæ ſimulacra feruntur.
Squama ſub æterno conſpectu torta Draconis
Eminet, hunc inter fulgentem ſidera ſeptem
Magna quatit ſtellans quam ſervans ſerus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootis.

C. CASSII PARMENSIS

ORPHEUS.

Burmannus.

ARgutæ primum cum plectra parentis, & auro
Diſtinctam ſumpſit citharam Rhodopeius Heros,
Ridebant ſegnes pulſus, digitoſque micantes
Serius, & chordis indoctæ diſſona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honeſti
Luſibus avertit puerilibus. omnis & illuc
Perditus incumbens, Muſæ pallebat amore:
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus: hinc illinc diſcens dependet utrimque.
Nulla Venus faciem cepit mentita doloſis
Compedibus. ſomni fuerat, parcuſque Lyaei.
Donec ridiculus dudum modulamine ſilvas,
Evulſoſque ſuis ſcopulos radici bus egit.
Auſus & ire viam viventibus inconceſſam,
Pœnarum oblitos demulſit carmine manes.
Non levis adſcenſus, ſi quis petat ardua. ſudor
Plurimus hunc tollit nocturno exſomnis olivo
Immoritur. jactat, quod mox laudaverat in ſe,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

C. LICINII CALVI

FRAGMENTA.

Gellius Lib. IX. Cap. XII.

DUrum rus fugis & laborioſum.

Macrobius Sat. Lib. III. Cap. VIII.

Pollentemque deum Venerem.

Aſconius.

Et talis Curius pereruditus.

Soſipater Lib. I.

Vaga candida nympha quod ſecet ungui.

Probus.

Mens mea dira ſibi prædicens omnia vecors.

Idem.

Frigida jam celeris vergatur Veſtinis ora.

Priſcianus in Jubar.

Heſperium ante jubar quatiens.

Pithoeus ex inedito Scholiaſte Lucani.

Ad Lib. VII. Verſ. IↃCCXXVI.

Magnus, quem metuunt omnes, digito caput uno
Scalpit. quid credas hunc ſibi velle? Virum.

IN IO.

Servius ad Virgil. Ecl. VI.

Ah virgo infelix herbis paſceris amaris.

Idem ad Ecl. VIII.

Sol quoque perpetuos meminit requieſcere curſus.

Soſipater Lib. I.

Partus gravida portabat in alvo.

Idem ibidem.

Quoniam prædulcem cibum ſtomachus ferre non poteſt.

Idem ibidem.

Cum fulva cinis fuero.

Idem ibidem.

Forſitan hoc etiam gaudeat ipſa cinis.

Suetonius in Cæſare.

Bithynia quidquid
Et pædicator Cæſaris unquam habuit.

C. HELVII CINNÆ
FRAGMENTA.

Soſipater Lib. I.

NEc tam donorum ingentes mirabere acervos,
Innumerabilibus congeſtos undique ſeclis,
Jam inde a Belidis, natalique urbis ab anno
Cecropis, atque alta Tyrii ab origine Cadmi.

Servius in Lib. I. Georgic.

Te matutinus flentem conſpexit eous,
Et flentem paulo vidit poſt heſperus idem.

Iſidorus Lib. I. Cap. XII.

Hæc tibi Arataeis multum invigilata lucernis
Carmina, queis ignes novimus ætherios,
Levis in aridulo malvæ deſcripta libello
Prusiaca vexi munera navicula.

Priſcianus Lib. VI.

At ſcelus inceſto Cinyræ creſcebat in alvo.

Gellius Lib. IX. Cap. XII.

Somniculoſam ut Pœnus aſpidem Pſyllus.

Suetonius de illuſtribus Grammaticis.

Secula permaneat noſtri Diana Catonis.

Iſidorus Lib. XIX. Cap II.

Lucida conſulgent alti carceria mali.

Idem Lib. XIX. Cap. IV.

Atque anquina regit ſtabilem fortiſſima curſum.

Gellius Lib. XIX. Cap. XIII.

At nunc me genii nana per ſalicta
Bigis rheda rapit citata mannis.

Nonius in Galeare.

. . . . Miſeras audet galeare puellas.

Nonius in Cummi.

Alpinaque cummi.

M. FURII BIBACULI
FRAGMENTA.

Suetonius de claris Grammaticis.

SI quis forte mei domum Catonis,
Depictas minio aſſulas, & illos
Cuſtodes videt hortuli Priapos;
Miratur, quibus ille diſciplinis
Tantam ſit ſapientiam aſſequutus,
Quem tres cauliculi & ſelibra farris,
Racemi duo, tegula ſub una,
Ad ſummam prope nutriant ſenectam.

Idem ibidem.

Catonis modo, Galle, Tuſculanum
Tota creditor urbe venditabat.
Mirati ſumus, unicum magiſtrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones.
Unum difficile expedire nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

Idem ibidem.

Orbilius ubinam eſt, literarum oblivio?

Suetonius de claris Grammaticis.

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui ſolos legit, ac facit Poetas.

Macrob. Sat. Lib. VI. Cap. III.

Preſſatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.

Et Bibaculus eram, & vocabar.

PUBLII TERENTII VARRONIS ATACINI
FRAGMENTA.

Servius in Lib. II. Georg.

TUm liceat pelagi volucres tardæque paludis
Cernere inexpleto ſtudio certare lavandi,
Et velut inſolitum pennis infundere rorem.
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et bos ſuſpiciens cælum (mirabile viſu)
Naribus aerium patulis decerpſit odorem:
Nec tenuis formica cavis non evehit ova.

Idem ibidem.

Frigidus & ſilvis Aquilo decuſſit honorem.

Seneca Controverſ. IV.

Deſierant latrare canes, urbeſque ſilebant,
Omnia noctis erant placida compoſta quiete.

Soſipater in Mare.

Cingitur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

Idem in Anguem.

Cujus ut aſpexit torta caput angue revinctum.

Scriverius ex Scholiaſte Perſii, & Burmannus.

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo. credimus eſſe Deos?
Saxa premunt Licinum, levat altum fama Catonem.
Pompeium tituli. credimus eſſe Deos.

Scaliger.

Vidit & ætherio mundum torquerier axe,
Et ſeptem æternis ſonitum dare vocibus orbes
Nitentes aliis alios: quæ maxima Divis
Lætitia ſtat: tum longe gratiſſima Phœbi
Dextera, conſimiles meditatur reddere voces.
At quinque ætheriis zonis accingitur Orbis.
Ac vaſtant imas hyemes, mediamque calores.
Sic terræ extremas inter, mediamque coluntur,
Qua Solis calido nunquam rota ſe vehat igne.
Ergo inter Solis ſtationem, ac ſidera ſeptem
Exporrecta jacet Tellus. Huic extima fluctu
Oceani interior Neptuno cingitur ora.
Qu * Europa *
Clauditur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

C. TI-

C. TICIDÆ

FRAGMENTA.

IN LYDIA.

Suetonius de claris Grammaticis.

LYdia, doctorum maxima cura, liber.

IN HYMENÆO.

Priſcianus Lib. VI.

Felix lectule talibus ſole amoribus.

Cic. Tuſc. Quæſt. Lib IV.

Lena delinita argento nutum obſervabit meum,
Quid velim, quid ſtudeam adveniens digito impellam januam.
Fores patebunt. deimprovisò Chryſis, ubi me adſpexerit,
Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum:
Mihi ſe dedet.
Fortunam ipſam anteibo fortunis meis.

FURII ANTIATIS

FRAGMENTA.

ANNALIBUS.

Macrob. Sat. Lib. VI. Cap. I.

... MUltemque rigat per pectora ſomnum.

Idem ibidem.

Interea Oceani linquens Aurora cubile.

Idem Lib. VI. Cap. IV.

Ille gravi ſubito devinctus vulnere habenas
Miſit equi, lapſuque in humum defluxit, & armis
Reddidit æratis ſonitum.

LIBRO VI.

Idem Lib. VI. Cap. I.

Quod genus hoc hominum Saturno ſancte create?

LIBRO X.

Idem ibidem.

Rumoreſque ſerunt varios, ac multa requirunt.

Idem ibidem.

Nomine quemque ciet, dictorum tempus adeſſe
Commemorat.

Idem ibidem.

Confirmat dictis, ſimul atque exſuſcitat acres
Ad bellandum animos, reficitque ad prælia mentes.

POEMATIS.

Gellius Lib. XVIII. Cap. XI.

Sanguine diluitur tellus, cava terra luteſcit:
Omnia nocteſcunt tenebris caliginis atræ:
Increſcunt animi, vireſcit vulnere virtus.
Ut fulica levis volitat ſuper æquora claſſis,
Spiritus Eurorum virides quum purpurat undas,
Quo magis in patriis poſſint opuleſcere campis.

LAUREÆ TULLII

EPIGRAMMA.

Plinius Nat. Hiſt. Lib. XXXI. Cap. II.

QUod tua, Romanæ vindex clariſſime linguæ,
Silva loco melius ſurgere juſſa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore levant:
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope:
Ut quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

C. CILNII MÆCENATIS

Diomedes Lib. III.

ADes huc, ades Cybebe, Dea montigena Dea,
Age tympano ſonanti quate flexibile caput:
Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.

Iſidorus Etymol. Lib. XI.

LUgent, o mea vita, te Zmaragdus,
Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
Nuper, candida margarita, quæro,
Nec quos Thynica lima perpolivit *
Anellos, nec iaſpios lapillos. * * *

Suetonius in Vita Horatii.

Ni te viſceribus meis, Horati,
Jam plus diligo: tu tuum ſodalem
Ninnio videas ſtrigoſiorem.

Seneca Epiſt. CI.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa,
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes:
Vita dum ſupereſt, bene eſt.
Hac mihi vel acuta
Subdas, ſuſtineo, cruce.

C. CÆS. OCTAVIANI AUGUSTI

EPIGRAMMA.

VIDE MARTIALEM EPIG. XXI. LIB. XI.

Q. VARI.

FRAGMENTUM.

Philargyrius ad Virg. Æneid. II. v. LXX.

Et frondoſam ſemiputatam queritur vitem.

C. RABIRII.

FRAGMENTA.

Seneca.

Hoc habui, quodcumque dedi. . . .

Fulgentius.

Abſtemium temulenta fugit Mecennia nomen.

T. VAL-

T. VALGII

FRAGMENTA.

Servius in Virgilium.

SEd nos ante caſam tepidi mulgaria lactis,
Et ſinum vini ceſſamus fundere Baccho.

Iſidorus Lib. XIX. Cap. IV.

Hic mea me longo ſuccedens prora remulco
Lætantem gratis ſiſtit in hoſpitiis.

Soſipater Lib. I.

Situ rugoſa rotunda margarita.

Donatus in vita Terentii.

Hæ, quæ vocantur, fabulæ huius, nonne eas,
Qui jura populis, leges gentibus dabat
Honore ſummo affectus, fecit fabulas?

CORNELII GALLI.

Nonius in Laborioſum.

Durum rus fugite, & laborioſum.

Vibius Sequeſter de Flum.

- - - - - *Hypanis Scythiæ* - - - -
Ut tellures dividit amne duas.

LUCII VARII

FRAGMENTA.

Macrob. Sat. Lib. VI.

VEndidit hic Latium populis, agroſque Quiritum
Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.

Idem ibidem.

Incubet & Tyriis, atque ex ſolido bibat auro.

Idem ibidem Cap. II.

Quem non ille finit lentæ moderator habenæ
Qua velit ire, ſed anguſto prius ore coercens
Inſultare docet campis, fingitque morando.

Idem ibidem.

Ceu canis umbroſam luſtrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit cervæ comprendere luſtra,
Sævit in abſentem, & circum veſtigia luſtrans
Æthera per nitidum tenues ſectatur odores.
Non amnes illam medii, non ardua tardant,
Perdita nec feræ meminit decedere nocti.

Quintilianus Inſtit. Orat. Lib. III.

Jam fero infandiſſima, jam facere cogor.

DO-

DOMITII MARSI
FRAGMENTA.

Suetonius de claris Grammaticis.

SI quos Orbilius ferula ſcuticaque cecidit.

Idem ibidem.

Epirota tenellorum nutricula vatum.

Soſipater Lib. I.

. . Callum ſibi pectore quemdam.

IN TIBULLUM.

Pithæus ex Membranis.

Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors juvenem campos miſit ad Elyſios.
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

IN CICUTA de BAVIO CURATORE.

Philargyrius ad Virg. Eclog. III. *Verſ.* XC.

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
Unanimi fratres ſicut habere ſolent.
Rura, domum, nummos, atque omnia denique, ut aiunt;
Corporibus geminis ſpiritus unus erat
Sed poſtquam alterius mulier * concubitum *
Novit, depoſuit alter amicitiam.

CÆSII BASSI
FRAGMENTA.

Priſcianus Lib. X.

CAlliope princeps ſapienti pſallerat ore.

Diomedes Lib III.

Romani Gallis devicti ſunt victores.

ÆMILII MACRI
FRAGMENTA.

THEOGONIA.

Nonius in Picumnus.

ET nunc agreſtes inter Picumnus habetur.

THERIACIS.

Soſipater Lib. I.

. . . . Reſonantia ſibila colla.

Ejuſdem Macri loci, ſed ἀνεπίγραφοι.

Idem ibidem.

Inter præteritas numerabitur ocymus herbas.

Idem ibidem.

Quale ſeges intubus herbas.

Idem.

. . . . Fluviorum margine ſumma.

Idem.

. . . . Tum ſacræ veniunt cultoribus ibes.

Idem

Idem.

. . . Altis ex urbibus ibes.

Idem.

Auxilium ſacræ veniunt cultoribus ibes.

Diomedes Lib. I.

Cum laude excellet omnes.

Servius ad Virg. Æneid. Lib. I. *Verſ.* CCCXCVII.

Cycnus in auguriis nautis gratiſſimus augur,
Hunc optant ſemper, quia numquam mergitur undis.

Iſidorus Orig. Lib. XII. *Cap.* VII.

Cycnus in auſpiciis ſemper lætiſſimus ales,
Hunc optant nautæ, quia ſe non mergit in undas.

Idem Lib. XII. *Cap.* IV.

Seu terga expirant ſpumantia venis,
Seu terram fumat, qua teter labitur anguis.

Soſipater Lib. I.

Saucia Navis.

ANNALIUM LIB. XVI.

Priſcianus Lib. X.

Omnium noſtrum neglexerit auctoritatem.

C. ASINII GALLI

EPIGRAMMA.

IN M. POMPONIUM GRAMMATICUM.

Suetonius de claris Grammaticis.

Qui caput ad lævam dejicit, gloſſemata vobis
Præcipit, os nullum, vel potius pugilis.

FL. ALPHII AVITI

FRAGMENTA.

Priſcianus Lib. VIII.

TUm literator creditos
Ludo Faliſcum liberos
Cauſatus in campi patens
Extraque muri ducere,
Spatiando paullatim trahit
Hoſtilis ad valli latus.

Idem Lib. XII.

Seu tute mavis hoſpites,
Seu tute captivos habes.

POMPONII SECUNDI

FRAGMENTA.

Terentianus de Metris.

PEndeat ex humeris dulcis chelys,
Et numeros edat varios, quibus
Adſonet omne virens late nemus,
Et tortis errans qui flexibus.

Soſipater in Humile.

Ex humile rege.

GNEI

CN. GETULICI
FRAGMENTUM.

Probus in Lib. I. Georg.

Non aries illum verno ferat aere cornu.
Gnoſia nec geminos præcedunt cornua tantum,
Sicca Lycaonius reſupinat plauſtra Bootes.

C. DOM. NERONIS IMP.
FRAGMENTA.

EX TROICIS.

Scholiaſtes Lucani ad Lib. III. *v.* CCLXI.

DE TIGRIDE.

Quique pererratam ſubductus Perſida Tigris
Deſerit & longo terrarum tractus hiatu
Reddit quæſitas jam non quærentibus undas.

Perſius Satira I.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,
Evion, ingeminat: reparabilis adſonat Echo.

SEXTILII HÆNÆ
FRAGMENTUM.

Seneca in Controverſiis.

Deflendus Cicero, Latiæque ſilentia linguæ;

VOLCATII SEDIGITI
FRAGMENTA.

DE POETIS COMICIS.

Gellius Lib. XV. Cap. XXIV.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetæ comico quoi deferant.
Eum meo judicio errorem diſſolvam tibi,
Ut contra ſi quis ſentiat, nil ſentiat.
Cæcilio palmam Statio do Comico.
Plautus ſecundus facile exſuperat cæteros.
Dein Nævius, qui fervet, pretio in tertio eſt.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Poſt inſequi Licinio facio Atilium.
In ſexto conſequetur hos Terentius.

Tur-

Turpilius ſeptimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco eſſe facile facio Luſcium.
Decimum addo antiquitatis cauſa Ennium.

Donatus in vita Terentii.

SUmetur Hecyra ſexta ex his Fabula.

Idem ibidem.

Sed ut Afer ſex Populo dedit Comœdias,
Iter hinc in Aſiam fecit: navim cum ſemel
Conſcendit, viſus nuſquam eſt: ſic vita vacat.

C. PLINII SECUNDI
EPIGRAMMATA.

Idem Plinius Lib. VII. *Epiſt.* IV.

QUum libros Galli legerem, quibus ille parenti
De Cicerone dare eſt auſus palmamque decuſque:
Laſcivum inveni luſum Ciceronis, & illo
Spectandum genio, quo ſeria condidit, & quo
Humanis ſalibus multo varioque lepore
Magnorum oſtendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur quod fraude mala fruſtratus amantem
Paucula cœnato ſibi debita ſavia Tyro
Tempore nocturno ſubtraxerit. his ego lectis
Cur poſthac, inquam, noſtros celamus amores?
Nullumque in medium timidi damus? atque fatemur
Tyroniſque dolos, Tyronis noſſe fugaces
Blanditias, & furta novas addentia flammas?

Idem Lib. VII. Epiſt. IX.

Ut laus eſt ceræ, mollis cedenſque ſequatur
Si doctos digitos, juſſaque fiat opus:
Et nunc informet Martem, caſtamque Minervam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum:
Utque ſacri fontes non ſolum incendia ſiſtunt,
Sæpe etiam flores, vernaque prata juvant:
Sic hominum ingenium flecti, ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

Ejuſdem ex Burmanno.

Huc mihi vos largo ſpumantia pocula vino,
Ut calefactus Amor pervigilare velit.
Ardenti Baccho ſuccenditur ignis Amoris,
Nam ſunt unanimi Bacchus Amorque Dei.

SENTII AUGURINI
EPIGRAMMA.

Plinius Lib. IV. *Epiſt.* XXVII.

Canto carmina verſibus minutis
His, olim quibus & meus Catullus
Et Calvus, vetereſque: ſed quid ad me?
Unus Plinius eſt mihi prior: is
Mavult verſiculos foro relicto:
Et quærit quod amet, putatque amari
Ille Plinius, ille: quid Catones?
I nunc, qui ſapias, amare noli.

C. JU-

C. JULII SOLINI
FRAGMENTUM
PONTICON.

Tethya marmoreo fœcundam pandere Ponto,
Et ſalis æquorei ſpirantes molle catervas,
Quæque ſub æſtifluis Thetis humida continet arvis
Ceptantem Venus alma fove: quæ ſemine Cæli
Parturiente Salo, divini germinis æſtu,
Spumea purpureis dum ſanguinat unda profundis,
Naſceris e pelago: placido Dea prosata mundo.
Nam quum prima foret rebus natura profundis
In fœdus connexa ſuum: ne ſtaret inerti
Machina mole vacans, tibi primum candidus Aether
Aſtrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.
Te fœcunda ſinu Tellus amplexa, reſedit
Ponderibus librata ſuis: elementaque viſa
Aetherias ſervare vices. tu fœtibus auges
Cuncta ſuis, totus pariter tibi parturit arbos.
Quare. Diva, precor, quoniam tua munera parvo
Auſus calle ſequor, vitreo de gurgite vultus
Dextera prome pios: & lumine læta ſereno
Pierias, age, pande vias: da Nerea molli
Pacatum gaudere freto. votiſque litata
Fac ſaltem primas pelagi libemus arenas.
Vos quoque qui reſono colitis cara Tempea cætu,
* * *

AULI SEPTIMII SERENI
FRAGMENTA.

Terentianus de Metris.

Quando flagella jugas, ita juga,
Vitis & ulmus uti ſimul eant.
Nam niſi ſint paribus fruticibus,
Vmbra necat teneras amineas.

Nonius.

Ad mercatum eo, villice: ecquid vis inde vehi aut agi?

Idem in Callere.

Callet ſenium arte bibendi.

Idem in Labium.

Labiumque inſigne revellit.

Idem in Rixa.

Aut zonulam, aut acum, aut ricam.

Idem in Occatio.

Occatio occœcatio eſt.

Idem in Sibilum.

Suave ſibilum.

Diomedes Lib. III.

Cede teſtula irrita, ſol occurret tibi per ſpeculum Panope.

Idem ibidem.

Anicula tenera propter iter obiit.

Idem ibidem.

Qui navigium navicula aufers Picenæ marginis acta.

Idem ibidem.

Pingere calumbicum eſt graphidem dare pentenolata.

Idem ibidem.

Quod ſi virgo fervens referet, curat clauſtra puerperii.

Idem ibidem.

Perit abit avipedis animula leporis.

Terentianus de Metris.

Jane pater, Jane tuens, dive, biceps, biformis,
O cate rerum ſator, o principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi,

tibi

Tibi vetus ara caluit Aborigineo ſacello.

Idem.

Inquit amicus ager domino, Sere, plurima reddam.
Si bene mi facias, memini tibi ſolvere grates.
Pinea brachia quum trepidant ſtridentia flabris,
Audio canticulum Zephyri modulante ſuſurro.

Idem.

Geritque intus in oppidum
Anhelos Panope greges.

FLORI
FRAGMENTUM.

Spartianus in vita Hadriani.

Ego nolo Cæſar eſſe:
Ambulare per Britannos:
Scythicas pati pruinas.

HADRIANI IMPERATORIS
FRAGMENTA.

Spartianus in Vita Hadriani.

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Idem ibidem.

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut ſoles dabis jocos.

Pithœus ex Codicibus. De Milite Batavo.

Ille ego Pannoniis quondam notiſſimus oris,
Inter mille viros primus fortiſque Batavus,
Hadriano potui qui judice vaſta profundi
Aequora Danubii cunctis tranſnare ſub armis:
Immiſſumque arcu dum pendet in aere telum,
Et redit, ex alia fixi fregique ſagitta.
Quem neque Romanus potuit, neque Barbarus umquam,
Non jaculo miles, non arcu vincere Parthus,
Hic ſitus, hoc memori ſaxo mea facta ſacravi.
Viderit, anne aliquis poſt me mea geſta ſequatur.
Exemplo mihi ſum, primus qui talia geſſi.

L. APULEII
EPIGRAMMATA.

Tranſlata ex Orpheo.

PRimus cunctorum eſt & Jupiter ultimus idem,
Jupiter & caput & medium eſt. ſunt ex Jove cuncta.
Jupiter eſt terræ baſis & ſtellantis olympi.
Jupiter & mas eſt, eſtque idem nympha perennis.
Spiritus eſt cunctis, validuſque eſt Jupiter ignis.
Jupiter eſt pelagi radix; eſt Lunaque Solque;
Cunctorum Rex eſt, princepſque & originis auctor.
Namque ſinu occultans, dulces in luminis auras
Cuncta tulit, ſacro verſans ſub pectore curas.

Ex Epigr. Græc.

Aſtra vides. utinam fiam, mi ſidus, Olympus,
Ut multis ſic te luminibus videam.
Lucifer ante meus rutilans mortalibus Aſter:
Heſperus a fato Manibus ecce nites.
Dixerit hic tantum quum nil niſi pulcher Alexis
Extitit, & vertunt quilibet in te oculos.
Cur, anime, os canibus monſtras, angiſque dolore
Poſtmodo? non Phædro ſic prius occidimus?

Civibus ingenti in patria laudate jaces nunc,
Qui inſanum me animi reddis amore, Dion.

AT ego tibi ſermone iſto Mileſio
Varias fabellas conſeram, atque aures tuas
Lepido ſuſurro benevolas permulceam;
Modo ſi papyrum Ægyptiam tu argutia
Nilotici calami inſcriptam non ſpreveris
Inſpicere. figuras formaſque hominum, imagines
In alias converſas, & in ſe mutuo
Rurſum nexu refectas ut mireris, hic
Exordior. quis ille, paucis accipe.
Hymettos Attica, atque Iſthmos Ephyreia &
Spartiaca Tænaros glebæ felicis æ-
ternum libris felicioribus conditæ.
Mea vetus eſt proſapia.
Ibi linguam Atthidem primis pueritiæ
Stipendiis merui. Latina in urbe mox
Advena ſtudiorum Quiritium.
Labore ſermonem indigenam ærumnabili
Nullo præeunte magiſtro aggreſſus excolui,
Et ecce profamur veniam, ſi quippiam
Exotici ac forenſis ſermonis rudis
Offendero locutor. ——
—— ipſa jam quidem
Hæc vocis immutatio, deſultoriæ
Stylo reſpondet, quem arceſſimu', ſcientiæ.
Nunc fabulam Græcanicam
Incipiam; intende, Lector, & lætaberis.

Montis in excelſi ſcopulo deſiſte puellam
Ornatam mundo funerei thalami.
Nec ſperes generum mortali ſtirpe creatum,
Sed ſævum atque ferum vipereumque malum:
Qui pennis volitans ſuper æthera, cuncta fatigat,
Flammaque & ferro ſingula debilitat.
Quem tremit ipſe Jovis, quo Numina terrificantur,
Fluminaque horreſcunt & Stygiæ tenebræ.

Et Critias mea delicia & ſol alme Charine,
Par in amore meo vita tibi remanet.
Ne metuas, ne me ignis & ignis torreat, ut vult:
Haſce duas flammas, dum potiar, patiar.
Hoc modo ſim vobis, unus ſibi quiſque quod ipſe;
Hoc mihi vos eritis, quod duo ſunt oculi.

Florea ſerta, meum mel, & hæc tibi carmina dono;
Carmina dono tibi, ſerta tuo Genio:
Carmina, uti Critiæ lux hæc optata canatur,
Quæ bis ſepteno vere tibi remeat:
Serta autem, ut læto tibi tempore tempora vernent;
Ætatis florem floribus ut decores.
Tu mihi da contra pro verno flore tuum ver,
Ut noſtra exſuperes munera muneribus.
Pro implexis ſertis complexum corpore redde,
Proque roſis oris ſavia purpurei.
Quod ſi animum inſpires, dona jam carmina: noſtra
Cedent victa tuo dulciloquo calamo.

Calpurniane, ſalve properis verſibus.
Miſi, ut petiſti, tibi munditias dentium,
Nitelas oris ex Arabicis frugibus.
Tenuem, candificum, nobilem pulviſculum,
Complanatorem tumidulæ gingivulæ,
Converritorem pridianæ reliquiæ,
Ne quæ viſatur tetra labes ſordium,
Reſtrictis forte ſi labellis riſeris.

Ep. CCXXXI. Apuleji Ἀνεχόμενος ex Menandro.
Burmannus.

Amare liceat, ſi potiri non licet.
Fruantur alii: non moror, non ſum invidus:
Nam ſeſe excruciat, qui beatis invidet.
Quos Venus amavit, facit amoris compotes.
Nobis Cupido velle dat, poſſe abnegat.
Olli purpurea delibantes oſcula
Clemente morſu roſea labella vellicent,
Malas odorent ore & ingenuas genas,
Et pupularum nitidas geminas gemmulas,
Quin & quum tenera membra molli lectulo,
Cum pectora ipſa adhærent Veneris glutino;
Libido quum laſcivo inſtinctu ſuſcitat
Sinuare ad Veneris uſum femina, feminæ
Inter gannitus & ſubantis voculas,
Carpant pudilla, atque amplexus intiment,
Arentque ſulcos molles arvo Venerio,
Thyrſumque pangant hortulo in Cupidinis,
Dum crebros ictus connivente lumine,
Trepidante curſu, Venere & anima feſſula,
Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus.
Hæc illi faciant, queis Venus non invidet:
At nobis caſſo ſaltem delectamine
Amare liceat, ſi potiri non licet.

GALIENI IMPERATORIS

FRAGMENTUM.

Trebellius in Vita Galieni.

ITe, agite o iuvenes, & deſudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.
Ludite, ſed vigiles nolite extinguere lychnos:
Omnia nocte vident; nil cras meminere lucernæ.

ABLA-

ABLAVII CONSULIS
FRAGMENTUM.
IN CONSTANTINUM.

Sidonius Apollinaris Lib. V. Epiſt. VIII.

Saturni aurea ſecla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, ſed Neroniana.

Q. AURELII SYMMACHI
EPIGRAMMATA.

Barthius Lib. LVI. Adverſ. Cap. X.

FOrtunæ & virtutis opus, Severine Boethi,
 E patria pulſus non tua per ſcelera;
Tandem ignotus habes qui te colat, ut tua virtus,
 Ut tua Fortuna, promeruitque Sophos.
Poſt obitum dant Fata locum, poſt fata ſuperſtes
 Uxoris propriæ te quoque fama colit.

DE ACYNDINO.

Idem Symmachus Lib. I. Epiſt. I.

Attica palla tegit ſocerum, toga picta parentem,
Præfuit ille ſacris, hic dixit jura Quiriti.
At mihi caſtrenſem quod mordet fibula veſtem,
Auroræ in Populis Regum Prætoria rexi.
Si faſces Prætura tacet, tu reſpice Faſtos.

DE BAULIS ET SE IPSO.

Idem ibidem.

Huc Deus Alcides ſtabulanda armenta coegit,
 Eruta Gerionæ de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta Boalia Baulos
 Nuncupat, occulto nominis indicio.
At divo ad proceres dominos fortuna cucurrit,
 Fama loci obſcuros ne pateretur heros.
Hanc celebravit opum felix Hortenſius aulam,
 Contra Harpinatem qui ſtetit eloquio.
Hic Conſul clarum produxit Acyndinus ævum,
 Quique dedit leges Orfitus Aeneadis.
Hos inter juvenile decus, ſed honore ſenili,
 Biſſeno celſus, Symmache, faſce cluis.
Si te Baulorum necdum lenta otia quærunt,
 Cura habeat juvenem publica pervigilem.

EX AUCTUARIO SYMMACHIANO.

In Aradium Rufinum.

Princeps ingenio, fortunæ munere princeps
Aetatis Rufine tuæ, cui proſpera cuique
Triſtia mirandis æquabat gloria rebus.
Unus amor cunctis, & præſidium trepidorum.
Principibus, quorum viguiſti tempore, doctus
Aut calcaria ferre bonis, aut frena tyrannis.

Ibidem. In Valerium Proculum.

Cum primis, quos non oneravit gloria Patrum,
Ponemus Proculum, vitæ morumque decorem,
Haud umquam indignum magnorum Publicolarum.
Olli ſemper amor veri, & conſtantia, ſimplex
Cœlicolum cultus. non illum ſpernere poſſes,
Et quamquam reverendus erat, non deinde timendus.

Ibidem. In Anicium Julianum.

Cujus opes, aut nobilitas, aut tanta poteſtas,
Cedenti cui non præluxit Anicius unus?
Acer ab ingenio, cunctiſque adcommodus idem.
Hic & carus erat, conferre, juvare paratus:
Nam dives, tum celſus honoribus, attamen illis
Grandior, æternam complebat nomine Romam.

Ibidem. In Petronium Probianum.

Jactet ſe fortuna aliis, quod judice nullo
Lucem ad Romuleam ſua ſola licentia vexit.
Te, Probiane, pudor, te felix gratia, teque
Itala ſimplicitas morum & ſollertia juvit.
Quocirca adſiduus Auguſtis notus & hoſpes
Præmia magnorum retuliſti dignus honorum.

Ibidem. In Verinum.

Virtutem, Verine, tuam plus mirer in armis,
Eoos Dux Armenios cum cæde domares:
An magis eloquium, morum vitæque leporem?
Et (niſi in officiis, quoties tibi publica curæ)
Quod vitam innocuis tenuiſti lætus in arvis.
Nullum ultra eſt virtutis opus. nam ſi eſſet, haberes.

Symmachus Lib. I. Epiſt. VIII. De Baulis.

Ubi corniger Lizus
Operit ſuperna Gauri,
Vulcanus æſtuoſis
Media incoquit cavernis,
Tenet ima piſce multo
Thetis & vagæ ſorores:
Calet unda, friget æthra:
Simul innatat choreis
Amathuſias renidens,
Salis arbitra & leporis,
Flos ſiderum Dione.

ASTERII CONSULIS

De Codice Virgilii a Se Emendato

EPIGRAMMA.

Ex Codice Virgilii Mediceo.

Diſtinxi emendans, gratum mihi munus amici
  Suſcipiens operi ſedulus incubui.
Tempore quo penaces Circo ſubjunximus, atque
  Scenam Euripo extulimus ſubitam.
Ut ludos curruſque ſimul, variumque ferarum
  Certamen junctim Roma teneret ovans.
Ternum quippe Sophos merui, terna agmina vulgi
  Per caveas plauſus concinuere meos.
In quæſtum Famæ cenſus jactura cucurrit;
  Nam laudis fructum talia damna ferunt.
Sic tot conſumptas ſervant ſpectacula gazas,
  Feſtorumque trium permanet una dies.
Aſteriumque ſuum vivax tranſmittit in ævum,
  Qui partas trabeis tam bene donat opes.

ANTHOLOGIA LATINA,

SIVE CARMINA MINIMA AUCTORUM INCERTORUM, AUT INCERTÆ ÆTATIS, TUM EX LAPIDIBUS, TUM EX CODICIBUS CASCIS FERE OMNIBUS CONLECTA.

CLASSIS PRIMA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA AD DEOS DEASQUE PERTINENTIA, CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. I. *Burmannus. Cui rei ſingula numina præſint.*

Mars gravis armorum, Pluto moderator Averni eſt,
Neptunus maris imperio dominatur: in aſtris
Imperium Jovis eſt: regnat vacuo aere Juno.

Ep. II. *Burmannus.*

Jupiter aſtra, fretum Neptunus, Tartara Pluto
Regna paterna tenent, tres tria, quiſque ſuum.

Ep. III. *Auguſtinus Lib. VII. de civitate Dei. De Jove, Q. Valerii Sorani.*

Jupiter omnipotens, rerum, Regumque, Deumque
Progenitor, genetrixque Deum, Deus unus & omnis.

Ep. IV *Burmannus* Calli*machi, imagini inſcriptum Jovis.*

Quænam hæc forma? Dei. Cur verſa eſt? fulgura lucis
Divinæ non fert debilis hæc acies.
Quid vero exiſtit tamquam uno e corpore corpus?
Hic amor eſt. Si amor eſt cur videt? At Jovis eſt.
Cur ita complicitis alis? numquam evolat. At cur
In ſe convertit tela? ſui ille amor eſt.
Cur ferro ſine tela gerit? Quia vulneris expers
Ille eſt. at veſter vulnerat & cruciat.

Ep. V. *Idem. De Jove in pluteo.*

Flexilis obliquo ſinuatur circulus orbe,
Incluſumque gerit machina ſacra Jovem.
Vana ſub adſpectu duxit mendacia pictor,
Orbis rectorem quis probat orbe tegi?

Ep. VI. *Idem. De Ganymede.*

Captus amante puer aquila moderante pependit,
Infamavit aquas captus amante puer.

Ep. VII. *Idem. De Jove in Cygnum converſo.*

Cygneas genitor geſtans poſt fulmina pennas
Dulcia diffundit carmina virginibus.
Quem retinens Leda, prenſo cum gaudet olore,
Amiſſa agnovit virginitate Jovem.

Ep. VIII. *Idem. De Cygno & Leda.*

Carmine dulcis olor dum virginis otia mulcet,
Texit furta Jovis carmine dulcis olor.

Ep. IX. *Idem. De Ovo Ledæ.*

Ledæi partus ovo monſtrantur aperto,
In cygnum verſo a Jove quos tenuit.
Una tribus genetrix, ſed ſors diverſa creatis,
Sidera pars faciet, pars fera bella Phrygum.

Ep. X. *Idem. De Europa a Jove rapta.*

Terga bovis credens Europa adſcendit alumni,
Inſeditque Jovi, non reviſura patrem.
Fraude ſuos genitor celat vel complet amores,
Nam Deus in tauri corpore prædo latet.

Ep. XI. *Idem.*

Europam, taurum mentitus, Jupiter aufert,
Virgineos ardens pandere fraude ſinus.
Humani tandem venia donentur amores.
Si tibi, ſumme Deum, dulcia furta placent.

Ep. XII. *Idem.*

Vulneris impatiens hominum rerumque repertor,
Et faciem tauro propior deſcendit ad undas,
Europam nivei ſolatur amore juvenci:
Dulcibus illa quidem inlecebris in litore ſicco
Luſerat, inſignis facie, candore nivali.
Saucius at quadrupes ſaltus ingreſſus apertos
Forte fuit juxta ſuperi regnator Olympi;
Obtulerat qui ſe ignotum venientibus ultro
Virginibus Tyriis aurata fronte juvencum:
At circum late comites per litora paſſim
Diffugiunt viſu exſangues, taurumque relinquunt.
Sola, novum dictu, contra ſtetit ora juvenci
Ante Jovem, nam te voluit rex magnus Olympi:
Hunc Phœniſſa tenet vaſta ſe mole moventem,
Purpureoſque jacit flores, omnemque pererrat.
Ille autem ſpiſſa jacuit revolutus arena.
Imponit regina manum, patienſque pericli.

Mol-

Mollibus intexens ornabat cornua ſertis;
Hunc ubi contiguum ſummo tenus adtigit ore,
Et ſuperincumbens ſertis & fronde coronat;
Jam jam nulla mora eſt: animum labefactus amore
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis.
Illi, ſenſit enim tuus, o clariſſime, frater,
Subſidunt undæ, ſtraverunt æquora venti,
Nunc pelagi nymphæ crimen de more tenentem,
Suſpenſum & pariter comitique onerique timentem:
Egregia interea ſumma ſublimis ab unda
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto:
Tunc læva taurum cornu tenet inſcia culpæ,
Obliquatque ſinus in ventum auramque patentes:
Ille manu patiens vero properabat amore.
Et ductus cornu Rex omnipotentis Olympi
Inſuetum per iter tacitis ſubremigat undis,
Perfidus alta petens adducta virgine prædo.

Ep. XIII. *Iſidorus in Origin. Cap. de Tropis. Neptuno.*

Te Neptune pater, cui flumina cana ſonanti
Cincta ſalo reſonant: magnus cui præpete nimbo
Perfluit Oceanus, & flumina crinibus errant.

Ep. XIV. *Burmannus. De Neptuno marmoreo, aquas fundente.*

Quam melior, Neptune, tuo ſors iſta tridente?
Poſt pelagus dulces hic tibi dantur aquæ.

Ep. XV. *Idem. De Apolline & Baccho.*

Sic Apollo, deinde Liber, ſic videtur ignifer.
Ambo ſunt flammis creati, profatique ex ignibus.
Ambo de comis calorem & ambo radios conferunt.
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

Ep. XVI. *Idem. Mercurio.*

Sum Deus, alatis qui cruribus æthera carpo,
Quem peperit ſummo lucida Maja Jovi.

Ep. XVII. *Atilius Fortunatianus inter Grammaticos vet. Putſchii. In Bacchum.*

Huc ades, Lyæe, Baſſareu, bicornis,
Nictilie, bimater, crine nitidus apte,
Luteis corymbis hederate coronis,
Haſta viridi armate, placidus ades ad aras.
Bacche, Bacche, Bacche, placidus percipe munus.

Ep. XVIII. *Burmannus. Floridi. Baccho.*

Bacche, vitium repertor, plenus adſis vitibus,
Effluas dulcem liquorem comparandum nectari,
Conditumque fac vetuſtum, ne malignis venulis
Aſperum ducat ſaporem verſum in uſus alteros.

Ep. XIX. *Idem. Laus Liberi.*

Lenæe, vitiſator, Bromie, Semeleie Bacche,
Thirſitenens, bimater, trieterice, Nyſie, Liber,
Flos Ariadnæ, coriatice, læte Thyoneu,
Da reditum nobis. ſic totis dulcia rivis
Muſta fluant, ſpumetque cavis vindemia labris.

Ep. XX. *Idem.*

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum ſub cinere, abluerant:
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa eſt;
Sejunctus quod ſit ignis & urat adhuc.

Ep. XXI. *Idem. De Libero Patre.*

Orgia laſſato quotiens ſolvuntur Iaccho,
Hic Deus uda mero ponere membra ſolet.

Ep XXII. *Idem.*

Non tibi vina placent, o inſanabilis hoſpes,
Nec mens eſt Thebana tibi, licet aggere celſo
Dircææ rupis dicas fluxiſſe parentes
Vertice de Niſæ, per rura & noſtra Lyæus
Tranſiit, implevitque vias nigrantibus uvis.
Multa tibi potuit pater, & non tempore ab illo
Deſierant hæc ſacra coli, vatumque ſonoro
Carmine Mincius, & tremuit circumſita ripa
Fluminis Etruſci, quem non æquabit Orontes.

Ep. XXIII. *Idem. Laus Martis.*

Mars pater armorum, fortiſſime belligerator,
Eſto volens, mitis, facilis Deus, eſto benignus:
Sic tibi poſt pugnas & paſtos ſanguine campos
Amplexus tribuit vinclis ſecura Cythere,
Tu criſta galeaque jubes, tu pulcher in ære
Incutis e vultu radiantia lumina ferro:
Te thorax galeaque tegunt: non quo tibi terror
Hoſtilis ſubeat: ſed quod decor exit ab armis.
Tu cum pullati clypei concuſſeris orbem,
Immugit mundus, tellus tremit, æquora cedunt.

Ep. XXIV. *Idem. Subſcriptum Statuæ Cupidinis.*

Sol calet igne meo: flagrat Neptunus in undis.
Penſa dedi Alcidæ: Bacchum ſervire coegi,
Quamvis Liber erat. *

Ep. XXV. *Idem. De Sigillo Cupidinis aquas fundentis.*

Igne ſalutifero Veneris puer omnia flammans
Pro facibus proprias arte miniſtrat aquas.

Ep. XXVI. *Idem. Cupido amans.*

Quis me fervor agit? nova ſunt ſuſpiria menti,
Anne aliquis Deus eſt noſtro vehementior arcu?
Quem mihi germanum fato fraudante creavit
Diva parens? * an ſpicula fuſa per orbem
Vexavere polum? læſuſque in tempore mundus
Invenit pœnam; ſed ſi mea vulnera novi,
Hic meus eſt ignis, meus eſt qui parcere neſcit.
In furias igneſque trahor, licet orbe ſuperno
Jupiter, ex altis undis, Neptune, tegaris;
Abdita pœnarum eſt * ingum Tartara Pluton.
Impoſitum rumpemus onus, volitabo per axem
Mundigerum, cœlique plagas, pontique procellas,
Umbriferumque Chaos: pateant adamantina regna,
Torva venenatis cedat Bellona flagellis,
Pœnam mundus amet, ſtupeat vis major, anhelat
In

In ſe ſævus amor, fraudemque in vulnere quærit.

Ep. XXVII. *Idem. Modeſtini. De Amore.*

Forte jacebat amor, victus puer alite ſomno,
Myrti inter frutices, pallentis roris in herba:
Hunc procul emiſſæ tenebroſa Ditis ab aula
Circumeunt animæ, ſacra face quas cruciarat:
Ecce meus venator, ait, hunc, Phædra, ligemus;
Crudelis, crinem, clamabat Scylla, metamus;
Colchis & orba Progne, numeroſa cæde necemus;
Dido & Canace, ſævo gladio perimamus;
Myrrha, meis ramis; Evadnes, igne crememus;
Hunc, Arethuſa, in aquis; Byblis, in fonte necemus;
Aſt amor evigilans, dixit, mea penna volemus.

Ep. XXVIII. *Idem. In Imaginem Daphnes.*

Intonſi ſum cura Dei Peneia virgo,
Perpetuæ pulchro frondis honore virens.
Quiſquis amas Phœbum, laurum cole, quidquid amatæ
Deditur, acceptum gratus amator habet.

Ep. XXIX. *Idem. Pani & Apollini.*

Pan, tibi, Phœbe, tibi, lenimen dulce laborum,
Otia dum terimus, carmina mille damus.

Ep. XXX. *Bonada. Sanco Semipatri.*

De decuma victor tibi Luciu' Mummiu' donum
Moribus antiqueis hoc pro uſura dare ſeſe
Viſum animo ſo. perfecit ſa pace rogans te,
Cogendo diſſolvendei ut felicia faxis.
Perficias, decumam ut faciat veræ rationis.
Propter hoc, atque alieis doneis des digna merenti.

Ep. XXXI. *Idem. Hercules.*

Alcmenæ Jovis & magni fortiſſima proles
Tricoſus ſubito poſt mea fata vocor.

Ep. XXXII. *Idem. Herculi Sacr.*

Alcide, ſacri generis decus, hoc tibi Prætor,
Et Jovis antiſtes dedico Perpetuus.

Ep. XXXIII. *Idem.*

Te precor, Alcide, ſacris invicte periclis,
Rite tuis lætus dona ferens meritis.
Hæc tibi dona poteſt tenuis perferre Camena:
Nam grates dignas tu pote perficere.
Sume lubens ſimulacra tui, quæ munera Cilo
Aris Urbanus dedicat ipſe ſacris.

Ep. XXIV. *Burmannus.*

Argive victor Herculis, donum hoc tibi
Urbanus Prætor vel Dumnianius vovit.

Ep. XXXV. *Idem.*

Hercules invicte Cautus hoc tuo donum *lubens*,
Numini ſancto dicavit Prætor urbis *maximæ*,
Cum pia ſollemne mente rite feciſſet *ſacrum*,
Tradidiſti quod Potitiis Evandreo *ſeculo*,
Ad miniſtrandum quod Antiis hic ad *.

Ep. XXXVI. *De Hercule & Junone.*

Viribus Herculeis dum noxia facta requirit,
Juno dedit laudem viribus Herculeis.

Ep. XXXVII. *Idem. Herculis Elogium.*

Tranſivi intrepidus per mille pericula victor.
Non acies ferri, non clauſis mœnia portis,
Conatus tenuere meos: domat omnia virtus.

Ep. XXXVIII. *Idem. Labores Herculis.*

Compreſſit Nemeæ primum virtute Leonem;
Extincta eſt anguis, quæ pullulat, Hydra ſecundo;
Tertius enectus ſus eſt Erymanthius ingens;
Cornibus auratis Cervum necat ordine quarto;
Dejicit horriſono, quinto, Stymphalidas arcu;
Abſtulit Hippolytæ, ſexto, ſua vincula victæ;
Septimus Augeæ ſtabulum labor egerit undis,
Octavo, domuit magno luctamine Taurum;
Tum Diomedis equos, nono, cum Rege peremit;
Geryonem, decimo, triplici cum corpore vicit;
Undecimo abſtractus vidit nova Cerberus aſtra;
Poſtremo Heſperidum victor tulit aurea mala.

Ep. XXIX. *Idem.*

Prima Cleonæi tolerata ærumna Leonis;
Proxima Lernæam ferro & face contudit Hydram;
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum;
Æripedis quarto tulit aurea cornua Cervi;
Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto;
Threiciam ſexto ſpoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augeæ ſtabulis impenſa laboris.
Octava expulſo numeratur adorea Tauro:
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam,
Undecimum mala Heſperidum deſtricta triumphum.
Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

Ep. XL. *Idem. Hercules & Antæus.*

Littus arenoſum Libyæ cæleſtis origo
Alcides aderat, terræ omnipotentis alumnum
Cæde nova quærens & ineluctabile fatum;
Protinus Antæum vaſta ſe mole moventem
Occupat, ille ſuæ contra non immemor artis
Concidit, atque novæ rediere in prælia vires,
Adrepta tellure ſemel vim creſcere victis
Non tulit Alcides, & terra ſublevat ipſum,
Namque manus inter conantem & plurima fruſtra
Corripit in nodum, niſuque immotus eodem
Auxilium ſolitum eripuit, corpuſque per ingens
Non jam mater alit Tellus vireſque miniſtrat.
Verum ubi nulla datur dextra adtrectare poteſtas,
Illum expirantem magnum Jovis incrementum
Excutit effunditque ſolo, ruit ille volutus
Ad terram, non ſponte fluens, vitaque receſſit.

Ep. XLI. *Idem. De Caſtore & Polluce.*

Ordine mortis eunt alternæ munera vitæ,

Inque diem fratres ordine mortis eunt.

Ep. XLII. *Bonada*.

Littoribus noſtris quoniam certamina Letum
Exhibuiſſe juvat, Caſtor venerandeque Pollux,
Munere pro tanto faciem certaminis hujus,
Magna Jovis proles, veſtra pro ſede locavi,
Urbanis Tatius gaudens me faſcibus auctum,
Neptunoque patri ludos feciſſe Sabinos.

Ep. XLIII. *Idem*.

Eſſe putas marmor, latet hic cum Caſtore Pollux,
Munus elorino de Jove Læda dedit.

Ep. XLIV. *Idem. Sylvano*.

Sylvane, ſacra ſemicluſe fraxino,
Et hujus alti ſumme cuſtos hortuli,
Tibi haſce grates dedicamus muſicas,
Quod nos per arva perque montes Alpicos;
Tuique luci ſuaveolentis hoſpites,
Dum jus guberno, remque fungor Cæſarum,
Tuo favore proſperanti ſoſpitas;
Tu me meoſque reduces Romam ſiſtito,
Daque Itala rura te colamus Præſide,
Ego jam dicabo mille magnas arbores.

Ep. XLV. *Idem. Quo curru quæque Dea vehatur*.

Matronam magni vehit ardens pavo Tonantis,
Ad Veneris currum blanda columba cygno eſt.
Pallada bubo vehit, ſed eam rota nulla figurat,
Anguibus alma Ceres, Perſephoneque venit.
Delia cum Luna eſt gemina provecta juvenca,
Venatrix cervas virgo Diana tenet.

Ep. XLVI. *Burmannus*. M. D. *M. Ideæ & Attidi Monotyranno*.

Nobilis in cauſſas, forma celſuſque Sabinus
Hic pater invicti myſtica victor habet.
Sermo duos . . . . . reſervat,
Conſimiles aufert . . . . . .
. . . .
. . . .
Et veneranda movet Cybeles triodeia ſigna,
Augentur meritis ſymbola tauroboli.

Ep. XLVII. *Idem*.

Antiqua generoſe domo, cui regia Veſtæ
Pontifici felix ſacrato militat igne,
Idem augur triplicis cultor venerande Dianæ,
Perſidicique Mithræ antiſtes Babylonie templi,
Taurobolique ſimul magni dux myſtice ſacri.

Ep. XLVIII. *Idem*.

Egregios procéres currum ſervare Cybebæ,
Quem traheret conducta manus Megalenſibus actis,
Arboris exciſæ truncum portare per urbem,
Attin caſtratum ſubito prædicere Solem.

Ep. XLIX. *Idem. Fragmentum, de celebrantibus ſacra Magnæ Matris*.

Animum meum mitto ſpeculatum toto orbe, uti,
Quid facerent homines, quom experrecti ſient,
Me facerent certiorem: ſi quis ſumeret
Me melius operam, ut ejus conſilio ocius
Vigilium adminicularem noſtrum, qui videt
Alium curvantem extrema noctis tempora.
Sed nos, ſimulac ſummam in ſpeculam pervenimus,
Videmus populum Furiis inſtinctum tribus,
Diverſim ferri exterritum formidine.
Auroræ oſtrinum hic indutus ſupparum,
Coronam ex auro & gemmis fulgentem gerit,
Luce locum afficiens. . . . .
. . . .
Nam quæ vetuſtas hic adeſt gallantibus?
Quæ * caſta ætas? quæ veſtis adoleſcentium?

Ep. L. *Idem. Magnæ Matri*.

Sum vagus adſidue, toto circumferor orbe,
Nec me diverſi * cogit diſtantia mundi,
Alterius titulo ſubdere vota reum.
Veri certa fides, Tiburni vexit in arcem
Et jam *
Quare o diva parens *
Auſonia in terra *

Ep. LI. *Idem. Junoni Ardeatinæ*.

Digne digniloqueis pictureis condecoravi
Reginæ Junoni' ſummæ conjugi' templum
Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus:
Quem nunc & poſt ſemper ob artem hanc Ardea laudat.

Ep. LII. *Idem. Dianæ*.

Munere te hoc dono, Latonia, ſancta virago,
Cornigeram cepi virtute & laude potitus,
Exuvieiſque ejus templum tuum decoravi.

Ep. LIII. *Idem. Veneri*.

Hæc tibi diva Venus deponit munera Sylla,
Ut ſomno monitus, Martis armatus in armis,
Pugnantem atque acies armatas inter agentem.

Ep. LIV. *Idem. Veneri & Charit.*

Cœlum, terra, mare, & Deum remota
Mens voſtro colitur favente ductu.
Noſtris ergo Deæ favete votis.

Ep. LV. *Idem. Epicteti de Venere*.

Nuda Venus picta eſt, nudi pinguntur Amores,
Nam quos nuda capit, nudos amittat oportet.

Ep. LVI. *Idem. De Statua Veneris*.

In gremium Veneris quoddam genus herba vireſcit,
Senſit dura ſilex quo * loco exæſtuat ignis.

Ep.

Ep. LVII. *Idem. De Venere.*

Uritur igne ſuo fumantibus Ætna cavernis,
Pendet amore Venus, uritur igne ſuo.

Ep. LVIII. *Idem. De Adone & Venere.*

Pingitur ora Venus, ne vel contemnat Adonis
Aut roget; omnipotens pingitur ora Venus.

Ep. LIX. *Idem.*

Vulnera ſævus aper læſæ ſpectanda Dianæ,
Flenda dedit Veneri vulnera ſævus aper.

Ep. LX. *Idem. De templo Veneris, quod ad muros extruendos dirutum eſt.*

Cæduntur raſtris veteris miracula templi,
Inque uſum belli tecta ſacrata ruunt.
Nam qua dejectis volvuntur ſaxa catervis,
Hæc ſunt murorum mox relocanda minis.
Dilati Mavors compendia cepit amoris,
Per muros quærit jam ſua templa Venus.

Ep. LXI. *Idem. De Muſis.*

Clio ſæcla retro memorat ſermone ſoluto.
Euterpæ geminis loquitur cava tibia ventis.
Voce Thalia cluens ſoccis Dea Comica gaudet.
Melpomene reboans Tragicis ferveſcit iambis,
Aurea Terpſichoræ totam lyra perſonat æthram,
Fila premens digitis Erato modulamina fingit,
Flectitur in faciles varioſque Polymnia motus,
Uranie numeris ſcrutatur munera mundi,
Calliope doctis dat laurea ſerta poetis.

Ep. LXII. *Idem. Muſarum inventa.*

Carmina Calliope libris Heroica mandat,
Clio geſta canens tranſactis tempora reddit,
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urguet,
Melpomene tragico proclamat mœſta boatu,
Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget,
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu;
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu,
Uranie cœli motus ſcrutatur & aſtra,
Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia:
Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas,
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Ep. LXIII. *Auguſtinus Lib. III. Cap. II. De Muſis.*

Cunctæ igitur Camœnæ,
Fonticolæ puellæ,
Quæ canitis ſub antris
Mellifluos ſonores.
Quæ lavitis capillum
Purpureum Hippocrene
Fonte; ubi fuſus olim
Spumea lavit almus
Ora jubis aquoſis
Pegaſus, in nitentem
Pervolaturus æthram.

Ep. LXIV. *Burmannus. De Luna & Muſis.*

Phœba ſedens gremio quem fert germana reclinem,
Languidulos pueri reſpiciens oculos.
Vos Heliconiadæ lentum ſubmittite carmen,
Carmine ſomnus adeſt, carmine ſomnus abeſt.

Ep. LXV. *Idem. Charites.*

Sunt nudæ Charites niveo de marmore, & illas
Diva Columna ſuis ædibus intus habet.
Par tribus eſt facies, qualem decet eſſe ſororum,
Par tribus eſt ætas, par quoque forma tribus.
Grata Thalia tamen geminæ converſa ſorori,
Implicat alterne brachia, blanda ſoror.
Euphroſynam dextra ſtupeo, Aglaiamque ſiniſtra,
Miror & implicitis brachia nexa modis.
Jupiter eſt genitor: peperit de ſemine cœli
Hemonia, & Veneris turba miniſtra fuit.
Inde alitur nudus placida ſub matre Cupido,
Inde voluptates, inde alimenta Dei.

Ep. LXVI. *Bonada. Deæ Nortiæ.*

Feſtus Muſoni ſuboles proleſque Avieni,
Unde tui latices traxerunt Cæſia nomen,
Nortia te veneror, lare cretus Vulſinienſi,
Romam habitans, gemino Proconſulis auctus honore,
Carmina multa ferens, vitam inſons, integer ævom,
Conjugio lætus Placidæ, numeroque frequenti
Natorum exſultans, vivax & ſpiritus ollis:
Cetera compoſita fatorum lege trahentur.

Ep. LXVII. *Burmannus. Votum Fortunæ Præneſtinæ.*

Tu, quæ Tarpejo coleris vicina Tonanti,
Votorum vindex ſemper Fortuna meorum:
Accipe quæ pietas ponit tibi dona merenti,
Effigiem noſtri conſervatura parentis:
Cujus ne taceat memorandum litera nomen,
Cæſius hic, idemque Titus, Primuſque vocatur.
Qui largæ Cereris meſſes fructuſque renatos
Digerit in pretium: cui conſtat fama, fideſque,
Et qui divitias vincit pudor; ire per illos
Conſuetus portus cura ſtudioque laboris,
Litora qui præſtant feſſis tutiſſima nautis.
Notus in urbe ſacra, notus quoque finibus illis,
Quos Umber ſulcare ſolet, quos Tuſcus arator.
Omnibus hic annis votorum more ſuorum
Centenas adicit numero creſcente coronas,
Fortunæ ſimulacra colens, & Apollinis aras,
Arcanumque Jovem, quorum conſentit in illo
Majeſtas, longæ promittens tempora vitæ.
Accipe poſteritas, quod per tua ſecula narres,
Taurinus cari juſſus pietate parentis
Hoc poſuit donum, quod nec ſententia mortis
Vincere, nec poterit fatorum ſumma poteſtas:
Sed populi ſalvo ſemper rumore manebit.

Ep. LXVIII. *Idem. De Nympha ad fontem dormiente.*

Hujus Nympha loci, ſacri cuſtodia fontis,
Dormio, dum blandæ ſentio murmur aquæ.

Parce meum, quiſquis tangis cava marmora, ſomnum
Rumpere. ſive bibas, ſive lavere, tace.

Ep. LXIX. *Idem.*

Sextus Pompejus I. cognomine Pandus,
Quoius & hoc ab avis contigit eſſe ſolum,
Ædiculam hanc Nymphis poſuit, quia ſæpius uſus
Hoc ſum fonte ſenex tam bene quam juvenis.

Ep. LXX. *Idem.*

Undis Cyaneis donum placabile fecit
Gonductus blandas per aquas aram venerandam.
Hinc oritur pergitque fluens, deinde occidit in ſe
Ripas mox viridis renovantibus inclita Nymphis
Numina, fontigero grates ex undique ſolvens
Soſpes cum comite præſtat renovante liquore.

Ep. LXXI. *Idem. Ad Nympham.*

Dat tibi marmoreo cæſam de monte Dianam,
Regina undarum, Nympha, decus nemorum,
Vota damnaſti perfecta quem prece, Baſſus,
Mœnitæ propter mœnia Germilaræ.

Ep. LXXII. *Idem. De Galatea.*

Diffugiens pontum ſilvas Galatea peragrat,
Cuſtodem ut pecorum cernere poſſit Acin.
Nam teneros greſſus infigit ſentibus ardens,
Nec tamen alta pedum vulnera ſentit amor.
Ipſa Cupidineæ cedunt elementa pharetræ,
Cujus & in mediis flamma ſuburit aquis.

Ep. LXXIII. *Idem. De Galatea in vaſe.*

Fulget, & in patinis ludit pulcherrima Nais,
Prandentum inflammans ora decore ſuo.
Congrua non tardus diffundat jura miniſter,
Ut lateat poſitis tecta libido cibis.

Ep. LXXIV. *Idem.*

Ludere ſueta vadis privato Nympha natatu,
Exornat menſas membra venuſta movens.
Comtas nolo dapes, vacuum mihi pone boletar:
Quod placet adſpiciam, tenuo quod ſaturat.

Ep. LXXV. *Idem.*

In medio generata ſalo nunc arte magiſtra
Perveni ad menſam, hic quoque nuda nato.
Si prandere cupis, differ ſpectare figuram,
Ne tibi jejunus lumina tendat amor.
Quæ ſim ne dubites, ludens ſine nomine lympha,
Quod Galatea vocer, lactea maſſa probat.

Ep. LXXVI. *Idem. Mercurio.*

Suſceptum merito votum tibi, Mercuri, ſolvi;
Ut facias, hilares ſemper tua templa colamus.

Ep. LXXVII. *Bonada.*

Alcides hominum victor, domitorque ferarum,
Philotetis amicus ades; tu illi æque amor es.

Ep. LXXVIII. *Idem.*

Plutoni ſacrum munus ne attingite, fures.
Ignotum eſt vobis, hoc quod in orbe latet.
Namque elementa gravi clauſit digeſta labore
Vateſub hoc modico Maximus Olybrius.
Adſit fœcundo cultos tibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.
Abite hinc peſſimi fures,
Vos quid veſtris voltis
Cum oculis e[illegible]ſiciis?
Abite hinc veſtro cum Mercurio
Petalato caduceatoque.
Donum hoc maximum Maximus
Olybrius Plutoni ſacrum fecit.

Ep. LXXIX. *Idem.*

Vota Faventinus bis deni ſuſcipit orbis,
Ut mactet repetens aurata fronte bicornes.

Ep. LXXX. *Idem.*

Flamen, item Duumvir, Quæſtor, pagique Magiſter
Verus ad Auguſtum legato munere functus.
Pro novem obtinuit populis ſe jungere Gallos,
Urbe redux genio pagi hanc dedicat aram.

Ep. LXXXI. *Idem.*

Ægeria eſt, quæ præbet aquas, Dea grata Camœnis,
Illa Numæ conjux, conſiliumque fuit.

Ep. LXXXII. *Idem.*

Fecerat Eufranor Bacchum, quem Gallus honorat
Faſtorum Conſul carmine, ture, ſacris.

Ep. LXXXIII. *Petronii Afranii, ex Catalectis Petronianis.*

Si Phœbi ſoror es, mando tibi, Delia, cauſſam,
Scilicet ut fratri, quæ peto, verba feras:
Marmore Sicanio ſtruxi tibi, Delphice, templum,
Et levibus calamis candida verba dedi.
Nunc ſi nos audis, atque es divinus Apollo,
Dic mihi, qui nummos non habet, unde petat?

CLAS-

CLASSIS SECUNDA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA AD HEROES, HEROIDASQUE PERTINENTIA, CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

EPIGRAMMA I. *De Achille*, *Petronii Antigenidis Piſaurenſis*. *Cl. Oliverius in Marmor. Piſaur. p.* 165.

Cauta quidem genetrix, noceant ne vulnera nato,
Confirmat Stygio fonte puerperium
Sed quia fas nulli eſt humanam vincere ſortem,
In membris tincti dant ſibi fata locum.

Ep. II. *Burmannus*. *De Thetide*.

Pande manum genetrix, totus tingatur Achilles,
Tu facies natum mortis habere locum.

Ep. III. *Idem*. *De Achille*.

Credita virgo parem blande decepit Achilles,
Implevitque piam credita virgo patrem.

Ep. IV. *Idem*. *In Achillem*.

Improbe diſtractor, pretium ſi poſcere noſſes,
Non traheres quod funus erat . . . . .

Ep. V. *Idem*. *De Tractu Hectoris*.

Funere turbat equos nec dum ſatiatus Achilles,
Hector & exanimis funere turbat equos.

Ep. VI. *Idem*. *De Dolone & Achille*.

Præmia magna Dolon, currum dum poſcit Achillis,
Prodidit ipſe cadens munera magna Dolon.

Ep. VII. *Idem*. *De Tumulo Achillis*.

Jurgia conflat Amor, ut blandius urat amantes,
Ad tumulum fidei jurgia conflat amor.

Ep. VIII. *Idem*. *Epitaphium Achillis*.

Hectoris Æacides domitor, clam, incautus, inermis,
Occubui Paridis trajectus arundite plantas.

Ep. IX. *Idem*. *Euſebii*, *Tumulus Achillis*.

Pelides ego ſum, Thetidis notiſſima proles,
Cui virtus clarum nomen habere dedit:
Qui ſtravi toties armis victricibus hoſtes,
Inque fugam ſolus millia multa dedi.
Hectore ſed magno ſumma eſt mihi gloria cæſo,
Qui ſæpe Argolicas debilitavit opes.
Ille interfectus ſubiit me vindice pœnas,
Pergama tunc ferro procubuere meo.
Laudibus immenſis victor ſuper aſtra ferebar,
Hoſtilem preſſi fraude peremptus humum.

Ep. X. *Petronii Antigenidis Piſaurenſis*. *De Telepho*. *Cl. Oliverius in Marmor. Piſaur. p.* 165.

Telephus, excellens Alcidis pignus & Augæ,
Externæ fortis bella inopina tulit.
Nam Graji Trojam peterent cum mille carinis,
Tangeret & claſſis litus adacta ſuum;
Occurrens Danais forti dum pugnat Achilli,
Scyria pugnanti percutit haſta femur.
Pro cujus cura conſultus dixit Apollo,
Hoſtica quod ſalubrem cuſpis haberet opem.
Mox precibus flexi Pelidæ robore ſacro
Injecto membris pulvere plaga fuit.
Monſtrant fata viri vario miracula caſu.
Unde datum eſt vulnus, contigit inde ſalus.

Ep. XI. *Burmannus*. *De Pyrrho*.

Placat buſta patris jugulata virgine Pyrrhus,
Dilectaſque litat manibus inferias.
Sors nova nymphigenæ votum poſt fata meretur,
Quam pepigit thalamis, hanc habet in tumulis.

Ep. XII. *Idem*. *Tumulus Hectoris*. *Pentadii*.

Defenſor patriæ, juvenum fortiſſimus Hector,
Qui murus miſeris civibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus Achillis.
Occubuere ſimul ſpeſque ſaluſque Phrygum.
Hunc ferus Æacides circum ſua mœnia traxit,
Quæ juvenis manibus texerat ante ſuis.
O quantos Priamo lux adtulit illa dolores!
Quos fletus Hecube, quos dedit Andromache!
Sed raptum pater infelix, auroque repenſum
Condidit, & mœrens hac tumulavit humo.

Ep. XIII. *Seneca Suaſor.* II. *De Hectore*, C. *Abronii Silonis*.

Ite agite, o Danai, magnum Pæana canentes.
Ite triumphantes, belli mora concidit Hector.

Ep. XIV. *Burmannus*. *De Troja & Hectore*.

O Aſiæ flos Troja potens, o gloria; quo nunc
In cineres collapſa jaces? ubi regia proles
Ex Hecuba Priami veniens a ſemine Divum?
O Hector, quondam Troum fortiſſime, fruſtra
Conjugis in facie defectorumque parentum
Hoſtiles proprio fœdaſti ſanguine currus:
Hanc adeo patriæ cladem tua, perfide paſtor,
Navibus invexit Dis exſecrata voluptas -

Ep.

Ep. XV. *Idem. De Memnone.*

Filius Auroræ, Phœbi naſcentis alumnus,
Producit gentis millia tetra ſuæ;
Succurrens feſſis fauſto non omine Teucris,
Pergit Pelidæ protinus enſe mori.
Jam nunc monſtratur, maneat qui Pergama, caſus,
Cum nigrum Priamus ſuſcipit auxilium.

Ep. XVI. *Idem. In Æneam patrios penates ex Trojæ incendio cum Patre auferentem.*

Cum patrem & patrios ferret cervice penates,
Atque adeo ingentis fata noverca Aſiæ;
Romanoſque Deos, Europæoſque triumphos,
Tetius & mundi * exſuviis ſpolia,
Tros Anchiſiades; poterat periiſſe per ignes,
Æmonia ut virtus tracta erat ante rota.
At cum flamma furens tetigit ſenis ora parentis,
Diſſiluit nullis noxia turbinibus.
Fata operi reſtent, Pietas ſi ſola favebit.
Invictum in mediis ignibus obſequium eſt.

Ep. XVII. *Idem. De Glauco.*

Squammeus anguis erat, qui reddidit æthera Glauco,
Qui tulit Archemorum, ſquammeus anguis erat.

Ep. XVIII. *Idem. De Laocoonte.*

Laucontem gemini diſtendunt nexibus angues,
Cumque ſuis genitis ſors habet una patrem.
Quod tamen iligni violarit terga caballi,
Hinc toleraſſe ferunt ſæva venena virum.
Quid ſperare datur Superum jam numine læſo,
Cum ſic iraſci ligneus audet equus.

Ep. XIX. *Idem. Antenoris.*

Inclitus Antenor patriam * vox niſa quietem,
Tranſtulit huc Henetum Dardanidumque fugas.
Expulit Euganeos, Patavinam condidit urbem:
Quem tenet hic humili marmore cæſa domus.

Ep. XX. *Idem.*

Eſt via, quæ populum ducit Junonis ad ædem,
Fons ubi nativis aera pulſat aquis.
Quiſquis ad hanc pergis, Periandri tranſage thermas,
Antra, domos, curvis parva theatra locis,
Et ripas Atheſis, Phrygiique palatia Jani,
Regia ſepta, lares, atria, templa, forum.
Inde celer ſubeas magni delubra Tonantis,
Qua fert ſublimes Martia porta gradus.
Hic & Atheſte jacet, qui poſt Antenora nomen
Laudibus & titulis tollit in aſtra ſuum.
Tranſtulit huc Henetos, Patavinam condidit urbem.
Cujus & oſſa ducis nunc brevis urna tegit.

Ep. XXI. *Idem. De Atheſte.*

Vicerat Euganeos Henetorum ductor Atheſte,
Cui Rex Antenor Dardana tela dedit.
Et profugus noſtram fundavit mœnibus Urbem,
Mox obit, & magnum parva ſepulchra tegunt.

Ep. XXII. *De Pallante.*

Filius Evandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, morte ſua jacet hic.

Ep. XXIII. *Idem.*

Quæ dedit, ipſa tulit virtus Pallanta dolendum,
Prima dies bello quæ dedit, ipſa tulit.

Ep. XXIV. *Idem. De Turno & Pallante.*

Turnus honore ruit fuſi Pallantis in hoſtem,
Pallantis fuſi Turnus honore ruit.

Ep. XXV. *Idem. De equis Diomedis.*

Vim Diomedis equi monſtrabant hoſpite cæſo,
Hoſpite fregerunt vim Diomedis equi.

Ep. XXVI. *Idem. De Euryalo.*

Unicus Euryalus meruit ſolatia matris,
Ereptus matri eſt unicus Euryalus.

Ep. XXVII. *Idem. De Niſo & Euryalo.*

Nomen amicitiæ magna pietate colendum eſt,
Maxima pars vitæ eſt nomen amicitiæ.

Ep. XXVIII. *Idem. De Judicio Paridis.*

Judicium Paridis protexit conjuge Trojam,
Decepit Trojam judicium Paridis.

Ep. XXIX. *Idem.*

Connubii bellique Deas ſuperavit amorum,
Cum paſtor pulchram judicat eſſe Cyprin.
Verticis & thalami pignus ſublime Tonantis
Exſuperat Paridis laude probata Venus.
Exſtat cauſſa mali malum ceſſiſſe Dionen,
Cum ruerent Graja Pergama pulſa manu.
Dat Veneri malum formæ pro munere paſtor,
Cum Junone dolens victa Minerva redit.

Ep. XXX. *De Ægypto & Danao.*

Perfida nox Danai dirarum cæde ſororum,
Mitis Hypermneſtræ, perfida nox Danai.

Ep. XXXI. *Idem. De Bellerophonte.*

Bellerophon ſuperans incendia dira Chimeræ,
Victor Gorgoneo nubila tangit equo.

Ep. XXXII. *Idem. De eodem.*

Vectum Pegaſeo volucri pendente caballo,
Compita ſenſerunt Bellerophonta Deum.
Cujus iter vacuos & calcans ungula ventos.
. . . .

Ep. XXXIII. *Idem. De Philocteta.*

'rodentem ducibus Tyrinthia tela Pelaſgis,
Læſa Philoctetam vulnere planta domat.
)octa manus vivos duxit de marmore ſenſus,
Sentit adhuc pœnam triſtis & inde lapis.

Ep. XXXIV. *Idem. Argonautæ.*

'heſſalici Proceres, junctis virtutibus, Argo
Magnificam ædificant fatiloquamque ratem.
lac, ope ventorum, Junone & Pallade fauſtis,
Auratum referunt trans freta longa pecus.
)mnis in hac picta eſt Virtutis imagine forma,
Hanc Labor acer opus grande parare jubet.
'umque opus effectum eſt, ventis piger indiget uſus,
Hi tibi Fortunæ dant rapiuntque rotam.
uno notat nummos, ſapientia Pallade conſtat,
His ducibus tandem gloria parta venit.
)iteris incaſſum, nec te aurea præda ſequetur,
Hic niſi te ternus dux ſuper aſtra vehat.
)uid facias igitur? Fortunæ Gloria ſervit,
Divitiis ſervit, ſervit & illa libris.
)ra igitur Divos, ut ſis felixque bonuſque,
Ut doctus, Muſas irrequietus ama.

Ep. XXXV. *Idem. De Jaſone & Medea.*

'onjugis arte decus patriæ reduxit Iaſon,
Amiſit patriæ conjugis arte decus.

Ep. XXXVI. *Idem. De Medea cum Filiis ſuis.*

)pprimit inſontes infidi cauſſa parentis
Jaſonis, & nati crimina morte luunt;
ed quamvis mater vivo viduata marito
Conjugis in pœnam pignora cara metat;
acra tamen pietas, inſanæ mitigat auſus,
Hunc furiata premit, hunc miſerata levat.

Ep. XXXVII. *Idem. De Creonte & Medea.*

Mens tibi dira, Creon, vel cum Medea fugatur,
Vel cum buſta negas, mens tibi dira, Creon.

Ep. XXXVIII. *Idem. De Jocaſta & Œdipo.*

)irum Iocaſta nefas, vel cum venit effera conjux,
Vel cum fit mater, dirum Iocaſta nefas.

Ep. XXXIX. *Idem. Chiron.*

'at duplex nullo completus corpore Chiron.

Ep. XL. *Idem. De Oreſte & Clytemneſtra.*

ro pietate nefas matris purgavit Oreſtes,
Incurrit magnum pro pietate nefas.

Ep. XLI. *Idem. De Theſeo.*

heſea magnanimum non cepit janua Ditis,
Decepit conjux Theſea magnanimum.

Ep. XLII. *Idem. De Pentheo & Agave.*

'ert miſeranda caput domino quod monſtret Agave,
Solum quod doleat fert miſeranda caput.

Ep XLIII. *Idem. Palladii, Allegoria Orphei.*

Threicius quondam vates fide creditur canora,
Moviſſe ſenſus acrium ferarum,
Atque amnes tenuiſſe vagos, ſed & alites volantes,
Et ſurda cantu concitaſſe ſaxa.
Suaviſonæque modos teſtudinis arbores ſecutæ
Umbram feruntur præbuiſſe vati.
Scilicet haud potuit quæ ſunt ſine, permovere, ſenſu,
(Finxere docti fabulam poetæ)
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit.
Doctaque vitam voce temperavit.
Juſtitiam docuit, cœtu quoque congregavit uno,
Moreſque agreſtes expolivit Orpheus.

Ep. XLIV. *Idem. de Fratribus Thebanis.*

Quos paribus nutrix eadem paviſſe papillis,
Pectore quos uno genetrix geſtaſſe probatur,
Diſſidiis indiſciſſis in mutua ſæpe
Vulnera, non una perituri clade ruerunt.
Quos poſt longævos diſcordia deſerit annos,
Aut poſt commiſſas junxerunt fœdera dextras,
Conſtantis dederunt documenta frequenter amoris,
Thebanum nullo linquit diſcrimine Tydeus,
Tydea nullo umquam Polynices Marte relinquit.

Ep. XLV. *Idem. De Marſya.*

Aerio victus dependet Marſya ramo,
Nativuſque probat pectora tenſa rubor.
Docta manus varios lapidem limavit in artus,
Arboris atque hominis fulget ab arte * figis.

Ep. XLVI. *Idem. Pentadii, de Narciſſo.*

Cui pater amnis erat, fontes puer ille colebat,
Laudabatque undas, cui pater amnis erat.
Se puer ipſe videt, patrem dum quærit in amne,
Perſpicuoque lacu ſe puer ipſe videt.
Quod Dryas igne calet, puer hunc irridet amorem:
Nec putat eſſe decus, quod Dryas igne calet.
Stat, ſtupet, hæret, amat, rogat, innuit, aſpicit, ardet,
Blanditur, queritur, ſtat, ſtupet, hæret, amat.
Quodque amat ipſe facit, vultu, prece, lumine, fletu,
Oſcula dat fonti quodque amat ipſe facit.

Ep. XLVII. *Idem. Eiuſdem, de Eodem.*

Invenit propriis Narciſſus fontibus ignes,
Et ſua deceptum torret imago virum.

Ep. XLVIII. *Idem. Ejusdem de Narciſſo.*

Hic eſt ille, ſuis nimium qui credidit undis,
Narciſſus vero dignus amore puer.
Cernis ab irriguo repetentem gramine ripam,
Ut per quas periit, creſcere poſſit aquas.

Ep. XLVIX. *Idem. Ejusdem de Eodem.*

Se Narciſſus amat captus lenonibus undis.
Cui ſi tollis aquas, non eſt ubi ſæviat ignis.

Ep.

Ep. L. *Idem. De Narciſſo.*

Dum putat eſſe parem vitreis Narciſſus in undis
Solus amore perit, dum putat eſſe parem.

Ep. LI. *Idem. Aliter.*

Ardet amore ſui flagrans Narciſſus in undis,
Cum modo perſpicua ſe ſpeculatur aqua.

Ep. LII. *Idem. Aliter.*

Suſpirat propriæ Narciſſus gaudia formæ,
Quem ſcrutata ſuis vultibus unda domat.

Ep. LIII. *Idem. Narciſſus.*

Candida per ſilvam primævo flore juventus
Aſſidue veniebat: ibi hæc cæleſtia dona,
Et fontes ſacros inſigni laude ferebat
Inſignis facie, longumque bibebat amorem,
Intentos volvens oculos, ſecurus amorum:
Dum ſtupet, atque animum pictura paſcit inani,
Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo
Egregium forma juvenem, quem Nympha crearat,
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.
His amor unus erat, dorſo dum pendet iniquo,
Oblituſve ſui eſt, & membra decora juventæ
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet.
Ilicet ignis edax ſecreti ad fluminis undas,
Ipſius in vultu vana ſpe luſit amantem,
Et præceps animi collo dare brachia circum
Ter conatus erat, nec, quid ſperaret, habebat.

Ep. LIV. *Idem. Mavorti, Judicium Paridis.*

Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum,
Forte recenſebat numerum ſub tegmine fagi,
Horreſcit viſu ſubito, & memorabile numen
Aut videt, aut vidiſſe putat. quo tenditis, inquit,
Cœlicolæ magni, pacemne huc fertis, an arma?
Ad quem tunc Juno ſupplex his vocibus uſa eſt.
O lux Dardaniæ, Trojanæ gloria gentis,
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans;
Et proprio fuerint diſtentæ lacte capellæ
Ubera, nec metas rerum, nec tempora pono;
Hæc tibi ſemper erunt, hic inter flumina nota
Sponte ſua ſandix paſcentes veſtiet agnos;
Præterea ſceptrum dabitur, Trojane, quod optas.
Talibus orabat Juno. Tritonia Pallas
Orſa loqui, nimbo effulgens, & Gorgone ſæva;
Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem,
Militiam & grave Martis opus: ſit pectore in iſto
Vulnera dirigere, & calamos armare veneno.
Has inter voces, media inter talia verba,
Sic contra eſt ingreſſa Venus, numen male amicum,
Nuda genu, nudos cervix cui lactea crines
Corripit in nodum, roſea cervice refulſit,
Et vera inceſſu patuit Dea, illa repente
Obſtupuit, ſubitaque animum dulcedine movit:
Et mentem Venus ipſa dedit, decus enitet ore,
Exſultatque animis, & ſe cupit ante videri.
Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,
Sic citiſo paſtæ diſtendant ubera vaccæ,
Formoſi pecoris cuſtos formoſior ipſe.
Adſpice nos tantum, Lacedæmonioſque hymenæos
Conjugio jungam ſtabili, propriamque dicabo
Reginam thalamis Phrygio ſervire marito.
Ille Deæ donis, ac tanto lætus honore,
Ultro animos tollit dictis, ac talia fatur.
Jam jam nulla mora eſt, neque me ſententia vertit,
Do quodvis, licet arma mihi mortemque minentur,
Me tamen urit amor, veniam, quocumque vocaris,
Tu modo promiſſis maneas. ea verba locutus
Vendidit hic auro patriam, dux femina facti.
Nec mora, continuo penetrat Lacedæmona paſtor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad urbes,
Et ſi fata Deum, ſi mens non læva fuiſſet.

Ep. LV. *Idem. Pentadii, Tumulus Acidis.*

Acidos hæc cernis montana cacumina buſti,
Æquor & ex imis fluminis ire jugis.
Iſta Cyclopei durant monumenta furoris.
Hic amor, hic dolor eſt, candida Nympha, tuus,
Sed bene, ſi periit, jacet hac ſub mole ſepultus,
Nomen & exſultans unda perenne vehit.
Sic manet ille quidem, nec mortuus eſſe feretur.
Vitaque per liquidas cærula manat aquas.

Ep. LVI. *Idem. Pyrami & Thiſbes Epitaphium.*

Quos habet unus amor, quos perdidit enſis & unus,
Una habet extinctos marmoris urna duos.
Sponte manu miſeri ſimul occubuiſtis amantes,
Cauſſa fuit diræ vitta cruenta necis.
Sed quæ purpureo madefacta eſt ſanguine radix,
Nunc atra, quæ dudum candida, mora dabat.

Ep. LVII. *Idem. De Pyramo & Thisbe.*

Pallia nota fovet lacrimis decepta Themiſto,
Pyramus heu! lacrimis pallia nota fovet.

Ep. LVIII. *Idem. De Hyla & Hercule.*

Raptus amator Hylas, Nympharum gaudia creſcunt,
Herculis ira tumet, raptus amator Hylas.

Ep. LIX. *Idem. De Hero & Leandro.*

Fecit amore viam juvenis crudele per æquor,
Prædurae morti fecit amore viam.

Ep. LX. *Idem. De Hyppolito & Phædra.*

Vincere falſa pudor poterat. ſed caſtus & inſons
Erubuit Phædræ vincere falſa pudor.

Ep. LXI. *Idem. Vincentii Phædra.*

Victe pudor, compone preces, ſecreta duorum
Tertius ignoret. ſit tantum litera teſtis,
Immenſum * locutura nefas, metus unicus urget,
Ne ſperet juvenis lacrimas finxiſſe novercam.
Hinc tamen incipiam, Cœli regnator amavit,
Et thalamos tenet una ſoror, nec crimine dignum eſt,
Quod mundus cum lege facit. telluris alumnus
Unus in orbe fuit; nulla eſt cognatio plebis.
Venimus ex uno mixti patre, matre, ſorore,
Ne metuas facinus, non vult hoc ſcire Cupido.
Pignus habet tabulas, rea ſum ſemper, rea ſola;
Sed

Sed ſi virgineum ſuffundunt ora ruborem,
Vel negature veni; liceat ſperare rogantem,
Et faſtus tolerare tuos; ſequar ora ſuperbi.
Oſcula ſuſpenſis defigam ſingula plantis,
Me cruciet captivus amor, nemus omne reſultet
Hippolytum: ſecumque ferat vox ultima nomen.
Teſtor amoris onus, Veneriſque inſignia noſtræ,
Dum volo, dum nolo, dum vincor, ſcribo, repugno,
Suſpenſos collo laqueos rogatura reſolvi.

Ep. LXII. *Idem. De Hyacintho.*

Diſcrimen vitæ, ludit dum forte Hyacinthus,
Incurrit, diſco tempora fiſſa gerens.
Non potuit Phœbus fato ſubducere amatum;
Sed cruor extincti florea rura replet.
Diſperſit remeans ludentis tempora diſcus,
Et dira pulcher morte Hyacinthus obit.
Gratia magna tamen ſolatur morte perempti,
Semper Apollineus flore reſurgit amor.

Ep. LXIII. *Idem.*

Sanguine flos genitus fraudem teſtatur Ulyxis,
Servat ut ante decus ſanguine flos genitus.

Ep. LXIV. *Idem. De Myrrha, Patrem fugiente.*

Cerne Arabem Myrrham, temerati a crimine lecti,
Patria præcipiti linquere regna fuga!
Pone ſequens genitor vi vindicis imminet enſis,
Et premit inceſtæ jam pede pœna pedem.
Donec mutata in fruticem projecta figura eſt,
Sic quoque non certo limpha liquore fugit.

Ep. *LXV. Idem. De Calypſo & Didone.*

Imputat ægra thoris qui * profert deſerta Calypſo,
Vim Dido impenſis imputat ægra thoris.

Ep. LXVI. *Idem. De Daphne.*

Frondibus & membris ſervabit dextera ſollers,
Congruus ut ſculptis poſſet ineſſe color.
Dant mirum junctæ ars & pictura decorem,
Oſtendit varius cum duo ſigna lapis.

Ep. LXVII. *Idem. De Deidamia.*

Deidamia virum qua cœpit nocte mereri,
Perdidit ac dulcem Deidamia virum.

Ep. LXVIII. *Idem. De Hecuba.*

Prole, viro, regnoque carens Priameia conjunx,
Dura ſorte venit ſub juga nunc Ithaci.
Quæ cupiens tantos lacrimis æquare dolores,
Perpetuo planctu tranſit in ora canis.
Quid valeat variis monſtrat Fortuna figuris,
Poſt regnum in vico ſaucia latrat anus.

Ep. LXIX. *Idem. De Lemniadibus.*

Funera Lemniadum neſcit veneranda Thoantis,
Sola tamen ſenſit funera Lemniadum.

Ep. LXX. *Idem. De Pelope.*

Fervidus axe Pelops condemnat jura Tyranni,
Fata ligat ſoceri fervidus axe Pelops.

Ep. LXXI. *Idem. De Caphareo Monte.*

Reliquias Danaum dira premit arte Caphareus,
Albula Tuſcus amat reliquias Danaum.

Ep. LXXII. *Idem. Pentadii.*

Chryſocome gladium fugiens ſtringente marito,
Texit adulterium judice caſta reo.

Ep. LXXIII. *Idem. De Progne & Philomela.*

Da ſenſus mihi, Phœbe, precor, nam pœna puellæ
Non habet exemplum, triſtis poſt funera linguæ
Sanguis ineſt, pingitque cruor tormenta pudoris.

Ep. LXXIV. *Idem. De iiſdem.*

Sanguine muta probat facinus Philomela ſorori,
Vimque, vice linguæ, ſanguine muta probat.

Ep. LXXV. *Idem. De Progne & Philomela.*

Adſpice ut inſignis vacua atria luſtrat hirundo;
Vere novo mœſtis late loca queſtibus implet.
Victum infelicem mœrens Philomela ſub umbras
Adſiduo reſonat cantu miſerabile carmen.
Cauſſa mali tanti conjunx, thalamique cruenti,
Virginis os notumque ferens quid fœmina poſſit.
Hic crudelis amor, crudelis tu quoque mater,
Infelix puer, atque odium crudele tyranni.
Progeniem parvam curæque iræque coquebant,
Threicio regi cum jam ſecurus amorum
Conjugis infandæ inter deſerta ferarum
Fas omne abrumpit, pariterque loquentis ab ore
Occidit exanimis vox ipſa frigida lingua:
Aut impune quidem dementia cepit amantem.
Pectore in adverſo ſævi monumenta doloris
Fertque refertque ſoror crimenque & fata tyranni,
Sanguis ait ſolitæ poſtquam data copia fandi,
Vulnera ſiccabat circum præcordia ſanguis,
Accipe vocem & ſævo ſic pectore fatur:
Heu miſerande puer, nunc te fata impia tangunt;
Regales inter menſas genitoris & ora
Polluit ore dapes quidquid ſolamen humandi eſt,
Dum genitor nati morſu depaſcitur artus,
Et ſoror & conjux petierunt æthera pennis.

Ep. LXXVI. *Idem. Feſti Avieni, aut Juliani Sirenum Allegoria.*

Sirenes varios cantus, Acheloia proles,
Et ſolitæ miros ore ciere modos:
Illarum voces, illarum Muſa movebat
Omnia, quæ Thymele carmina dulcis habet:
Quod tuba, quod litui, quod cornua rauca queruntur,
Quodque foraminibus tibia mille ſonat:
Quodque leves calami, quod ſuavis cantat aedon,
Quod lyra, quod citharæ, quod moribundus olor.
Illectos nautas dulci modulamine vocis
Mergebant avidæ fluctibus Ioniis.

Sanguine Siſyphio generatus magnus Ulyxes
Hac tutos ſola præſtitit arte ſuos;
Illevit cera ſociorum callidus aures,
Atque ſuas vinclis præbuit ipſe manus.
Tranſiluit ſcopulos, & inhospita litora claſſis.
Illæ præcipites deſiluere freto.
Sic blandas voces nocituraque carmina vicit.
Sic tandem exitio monſtra canora dedit.

Ep. LXXVII. *Idem. Fragmentum.*

Ipſe manu patiens immenſa volumina verſat,
Adtollitque globos, ſonuerunt omnia plauſu.
Tunc Cererem corruptam undis emittit ab alto,
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit
Lubrica convolvens. & torrida ſemper ab igni,
At rubicunda Ceres, oleo perfuſa niteſcit.
Scintillæ abſiſtunt. opere omnis ſemita fervet,
Fervet opus redoletque, volat vapor ater ad auras,
Inſtant ardentes, verubuſque trementia figunt,
Conclamant rapiuntque focis, onerantque caniſtris,
Undique conveniunt pueri innuptæque puellæ.

Ep. LXXVIII. Idem. *Thema Virgilianum. Nec tibi Diva parens &c.*

Dedecus o juvenum, turpiſque infamia Teucrum!
Qui ſegnis per bella fores, gens perfida & amens,
Non virtute potens, non belli maximus auctor:
Ignavus tu ſemper eris, ſemperque fuiſti,
Naufragus atque miſer, ſegniſque in prælia ductor.
Nec non eſt aliud quod majus crimen obibit;
Jamque tuo generi quod ſemper perfidus exſtas,
Non equidem miror. non eſt ex tempore natum;
Antiquos imitaris avos, perjuria patrum:
Nec non & Veneris pulchra de ſtirpe crearis,
Nec pater Anchiſes, veſtræque aut Dardanus auctor
Gentis, ſed duræ tigres, lapideſque ſiniſtri,
Te genuere virum, ſilvæ, monteſque profani,
Ubera quæque tibi & potum admovere malignum,
Quæ tibi perfidiam mixto cum lacte dederunt.

Ep. LXXIX. *Idem. Thema Virgilianum. Turne, in te ſuprema ſalus &c.*

Turne, ſpes Italum, cuſtos fortiſſime regni,
Si properes muros, arces, civeſque Latinos,
Non ſolitis urget Trojanus viribus hoſtis,
Sed potiora premunt: quare * nunc ignoſce fugaci;
Nec pugnæ inferior, nec belli cede relictor
Adſerar, armatus * timendo prælia miles
Nec culpam nec crimen habet, nec bella minatus
Dum gerit Æneas, reverendi fragor Olympi
Ex umbone tonat, cæleſtes concita flammas
Hulti jacit. oculis * flatus ingerit enſis
Fulgura, progenieſque Dei teſtata vigorem
Numinis antiqui ſpoliavit fulmine cælum,
Et tulit arma Jovi, quod felix turba Deorum
In ſævos quondam potuit conferre Gigantas,
Æneas nunc ſolus habet; urbiſque ruinam
Sævo Marte parat, Italaſque evertere turres,
Non ariete gravi, non torti turbine ſaxi
Diſponit, ſpernit belli tormenta magiſter,
Et memor exitii Trojam ſic eſſe ſepultam,
Jamque faces, non tela jacit, ſcit quippe Tyrannus
Iliacas ſine * face domos ſtetiſſe per ævum.
Eja age, curre puer, te mater, Rexque Latinus,
Turba ſenum lacrimans, Lavinia virgo requirit.

Ep. LXXX. *Idem. Viri Clariſſ. Coronati.*

Aſpera diverſo laxatur vita dolore,
Et morti vicinus eo, vivitque dolori
Ægra ſalus, noſtras cruciant dum flamina mentes,
Vitæ flatus abit: quantus poſt Pergama caſus!
Vidit enim præclara manus quos ſæpe dolores
Pertulit, atque iterum quas ſenſit Troja ruinas,
Plus cecidit poſt fata Phrygum, nunc ipſa cremata eſt
In natis incenſa ſuis, recidivaque morti
Juncta eſt, & cæſum meruit miſeranda maritum.
Traditur infeſtis ſemper nova nupta procellis,
Et flammas habet ipſa ſuas, tædaſque miniſtrat
Sola ſibi, non lucis eget, non ignibus umquam,
De facibus micat ipſa ſuis, lumenque nigellum
Poſſidet infelix ſemper; quas æquoris iras,
Quas cæli terræque lues miſerabile vulgus
Pertulit errantes ſævis Tritonis in undis.
Atque domus mihi pontus erat, Phrygiique penates,
Et quaſi jam pirata fui, lacrimiſque profuſis
Inter aquas ſiccabat homo, noſtroque profecto
Fluctibus addebant, fluctus creſcebat in aſtris,
Et mihi naufragium noſtri fecere liquores.
Jam mulier ſibi nauta fuit; jam virginis aſtrum
Vidit virgo potens, fortes torquere rudentes,
Et remis aptare manus, curaque vigente
Nocte vigil fuerat, non norat femina ſomnum,
Sideribus jam docta poli, labor ipſe magiſtram
Fecerat aſtrorum, norat venientia fata;
Non ver tranquillum fuerat, non mollior æſtas
Sideribus, tempus requiem non denique norat.

Ep. LXXXI. Idem. *V.C. Coronati.*

Medeam fertur natos Prognemque necaſſe,
En natis ataviſque ſimul, vel cæde ſuorum,
Creſcit plus moriens, ſumſit de prole tumorem.

Ep. LXXXII. *Terentianus Maurus.*

Primus ab oris
Troius heros
Perdita flammis
Pergama linquens,
Exſul in altum
Vela reſolvit.
Sæpe repulſus
A fine terra
Mœnia feſſis
Sera locavit.
Unde Latinum
Poſt genus ortum,
Altaque magnæ
Mœnia Romæ.

CLAS-

CLASSIS TERTIA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA AD VIROS FEMINASQUE ILLUSTRES PERTINENTIA CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

EPIGRAMMA I. *Burmannus. Cyri.*

QUiſquis es mortalium, & undecumque
Advenis, adventurum enim te ſcio.
Cyrus ſum, qui Perſis imperium acquiſivi,
Hoc igitur humi paululum, quo meum corpus
Obtegitur, igitur mihi ne invideas.

Ep. II. *Idem. De Nino.*

Ninus ab Aſſyriis ſum primus regibus auſus
Non modo finitimos populos regeſque potentes
Imperio preſſiſſe meo: ſed viribus omnem
Pæne Aſiam domui terræque marique timendus.

Ep. III. *Idem. De Semiramide.*

Te ſtola te dubium teneat cultusque venuſti
Corporis ambiguus, ſum clara Semiramis, alto
Non minor ipſa viro, belli paciſque probatis
Artibus inſignis, nato miſerabilis uno.

Ep. IV. *Idem. De Cyro.*

Quantum fata valent atque immutabilis ordo
Aſtrorum, docui Cyrus: quem nulla domare
Vis potuit, non Aſtyages, Babylonve ſuperba:
Maſſagetis eadem me fata dedere tremendis.

Ep. V. *Idem. De eodem.*

Quantum ego claruerim Mavortis in agmine, Cyrus
Ipſe ferus novit: qui, dum mea regna profanus,
Sargapiſe inſidiis rapto, popularier audet,
Quam Tomyris turbata valet, cognovit in utre.

Ep. VI. *Idem. De Alexandro Magno.*

Magnus Alexander belliſque horrendus & armis,
Qui terrore mei trepidantem nominis orbem
Uſque ſub Eoum parvo cum milite Gangen
Undique concuſſi: nulli ſum laude ſecundus.

Ep. VII. *Idem. De Myrina.*

Inter Amazonidas, quas inſula celſa Tritonis
Heſpera progenuit, qui me neſcire Myrinam
Dixerit, ignarum ſeſe fateatur oportet
Eximiæ laudis. Libyamque Aſiamque ſubegi.

Ep. VIII. *Idem. De Jul Cæſare.*

Sum genus Æneadum Cajus cognomine Cæſar
Julius, Aſſyrios, Cyrum, Macetumque ferocem
Qui juvenem probitate animi, qui corporis acer
Viribus exſuperans, fueram pater urbis & orbis.

Ep. IX. *Idem. De Pentheſilea.*

Grajugenas acies ſuperans, paſſimque fugatas
Pentheſilea premens, ulciſci nobilis umbram
Hectoris ipſa mei potui, ni dirus Achillis
Ille Neoptolemus me clam miſiſſet ad orcum.

Ep. X. *Idem. De Perdicca.*

Eximius Perdicca fuit, qui corpore eburno
Fulgebat, roſeiſque genis, cui lumina blanda
Fundebant flammas, crocei per colla capilli
Pendebant, varioſque dabant ſibi ſæpe colores:
Fulvus poples erat, nitidus pes, omnia habebat
Quidquid habet juvenis, ſolus vincebat Adonem.

Ep. XI. *Petronii Antigenidis Piſaur. Cl. Oliver. in Notis ad Marm. Piſaur. p. 166.*

Perſes magnus adeſt. totus comitatur euntem
Orbis, quid dubitas, Græcia, ferre jugum?
Tellus juſſa facit. Solem texere ſagittæ.
Abſcondunt clarum Perſica tela diem.
Claſſes foſſus Athos intra ſua viſcera vidit,
Phryxeæ peditem ferre jubentur aquæ.
Qui novus hic hominum terramque diemque fretumque
Permutat? certe ſub Jove mundus erat.

Ep. XII. *Ejuſdem Petronii Antigenidis Piſaurenſis. Idem Cl. Oliverius ibidem.*

Hic, quem cernis, Athos, immiſſis pervius undis,
Flexibus obliquis circumeundus erat.
Accepit magno deductum Nerea fluctu:
Perque latus miſit maxima bella ſuum.
Sub tanto ſubitæ ſonuerunt pondere claſſes.
Cæruleus cana ſub nive Pontus erat.
Idem commiſit longo duo litora ponte
Perſes: & fecit per mare miles iter.
Quale fuit regnum, mundo nova ponere jura?
Hoc terræ fiat: hac mare, dixit, eat.

Ep. XIII. *Burmannus. Miltiades.*

Qui Perſas bello vicit Marathonis in arvis,
Civibus ingratis & patria interiit.
Πάντες, Μιλτιάδη, ταλαρήια ἔργα ἴσασιν
Πέρσαι, καὶ Μαραθὼν σῆς ἀρετῆς τέμενος.

Ep. XIV. *Idem. In Alexandrum.*

Sufficit huic tumulus, cui non ſuffecerat orbis,
Res brevis huic ampla eſt. cui fuit ampla brevis.

Ep.

Ep. XV. *Idem. In Eumdem.*

Quiſquis adhuc nondum Fortunæ mobile regnum;
  Nec Sortem varias credis habere vices:
Adſpice Alexandri poſitum memorabile corpus.
  Abſcondit tantum putris arena virum.

Ep. XVI. *Idem. In Eumdem.*

Mille poſt annos quater, atque * centum,
Græciæ vindex capit arma, mundi,
Et ſuperborum gravis * arma Regum
  Diripit audax.
Ille non * magno genitore Magnus
Indiæ Reges, Mediæque, Parthos,
Bactra cum Poro, Ecbatanoſque parvo
  Milite vicit.
Vincere ingentes animis, & auſis,
Non docens gentes numero, & metallo,
Vi celer, virtute valens, profundo
  Pectore doctus.
Hoc magiſter te docuit miniſtrum,
Nam volens parere, regit deinde,
Pœnitet tempus abiiſſe tantum
  Abſque Camena.
Scribit in pectus bona dicta rector,
Præcipit doctor pietate tota:
Sic Alexander ſimul & magiſter
  Omnia vincunt.
Aſt ubi totum tenuit ſub uno
Orbem habens * ſceptro, ſibi victus * ipſe
Corruit, vicit Babylon triumpho
  Te muliebri.
Sic Clitum ab Bacchi necat * aram,
Sic Deum temnit juvenis protervus,
Ut duos & jam decem habens reliquit
  Sceptra per annos.
Ter decem vixit juvenis per annos,
Additis tantum tribus aut duobus:
Vivus exarſit, * moriens flagravit
  Orbis in illo.
Non ſatis * mundus fuit * unus illi,
Nec ſatis * quiſquam fuit * unus illi,
Maximus princeps ſine fine, Baccho
  Finis in ipſo eſt.

Ep. XVII. *Idem. Reges Romani.*

Romulus adgreditur regnum, qui condidit urbem.
  Prima Remus quoniam mœnia tranſit, obit.
Et Numa divinis implevit cultibus urbem.
  Tullius inventis faſcibus arma ciet.
Ancus Aventinum montem ſuperaddidit urbi.
  Priſce, triumphali primus honore tumes.
Tullius invenit cenſum, Vulcania proles.
  Tarquinius Sexti crimine pulſus abit.

Ep. XVIII. *Idem. De primis Italiæ Regibus.*

Primus in Italia Janus regnavit agreſti.
  Aurea Saturnus jugera falce colit.
Tertius Auſoniis dominatur Picus in oris.
  Faunus & in Latio regna paterna capit.
Filia Laurentum regi fuit una Latino.
  Dos fuit Æneæ terra Latina pio.

Ep. XIX. *Idem. De Scævola.*

Lictorem pro rege necans nunc Mucius ultro
  Sacrifico propriam concremat igne manum.
Miratur Porſenna virum, pœnamque relaxans
  Maxima cum obſeſſis fœdera victor init.
Plus flammis patriæ confert, quam fortibus armis,
  Una domans bellum funere dextra ſuo.

Ep. XX. *Idem. Jugurthæ Epitaphium.*

Fratris cæde madens Numidarum rector iniquus
  Hoſtis item Romæ, pulſus ab arce ruit.

Ep. XXI. *Idem. Aſdrubalis.*

Aſdrubal hic ſitus eſt, hic Africa tota triumphos
  Et ſpes Carthago condidit alta ſuas.
Mars gemit ad tumulum, tumulo decorata ſuperbo
  Italia extincti ſuſpicit oſſa Ducis.
Tu quoque, Roma, doles; nam, dum cadit æmula virtus
  In te converti, quæ geris, arma vides.

Ep. XXII. *Idem. Q. Fabii Dictatoris Nepotum.*

Abdita ſarcophago cum manibus oſſa ſub iſto
Sunt Fabii Dictatoris defleta nepotum.
Sparge roſis tumulum, legis hæc quicumque viator,
Quæque jacent tumulo, dic molliter oſſa quieſcant.

Ep. XXIII. *Idem. In Magnos Duces.*

Junxit Magnorum caſus Fortuna virorum.
  Hic parvo, nullo conditus ille loco eſt.
Ite, novas toto terras conquirite mundo.
  Nempe manet Magnos parvula terra Duces.

Ep. XXIV. *Idem. Epitaphium Pompejorum.*

Magne, premis Libyam, fortes tua pignora nati
  Europam, atque Aſiam: nomina quanta jacent?
Quam late veſtros duxit Fortuna triumphos,
  Tam late ſparſit funera, Magne, tua.

Ep. XXV. *Idem.*

Pompejus totum victor luſtraverat orbem;
  At rurſus toto victor in orbe jacet.

Ep. XXVI. *Idem.*

Membra pater Libyco poſuit male tecta ſepulchro:
  Filius Hiſpana eſt vix adopertus humo:
Sexte, Aſiam ſortite tenes. diviſa ruina eſt.
  Uno non potuit tanta jacere ſolo.

Ep. XXVII. *Idem.*

Aut Aſia, aut Europa tegit, aut Africa Magnum.
  Quanta domus, toto quæ jacet orbe, ruit!

Ep. XXVIII. *Idem.*

Maxima civilis belli jactura ſub ipſo eſt.
  Quantus quam parvo vix tegeris tumulo!

Ep.

Ep XXIX. *Idem. Tumulus Pompejorum.*

Alter Niliaco tumulo jacet, alter Ibero:
Tertius Eois partibus occubuit.
Omnis habet Magnos mundi plaga. Dis ita viſum eſt.
Partem quiſque ſuam nunc quoque victus habet.

Ep. XXX. *Idem.*

Patria diverſo terrarum litore Magnos
Spectas compoſitos, heu! ſine nominibus,
Europaque, Aſiaque ſimul, Libyaque ſepultos.
Victores victa nunc potiuntur humo.

Ep. XXXI. *Idem.*

Diverſos juvenes Aſia, atque Europa ſepulchris
Diſtinet. infida, Magne, jaces Libya.
Diſtribuit Magnos mundo Fortuna ſepultos,
Ne ſine Pompejo terra ſit ulla ſuo.

Ep. XXXII. *Item. De Sacris ad evocandum manes Pompeji.*

Fata per humanas ſolitus pernoſcere fibras
Impius infanda * religionis aper,
Pectoris ingenui ſalientia viſcera flammis
Impoſuit, magico carmine rupit humum,
Auſus ab Elyſiis Pompejum ducere campis:
Pro pudor! hoc ſacrum Magnus ut adſpiceret.
Stulte, quid infernis Pompejum quæris in umbris?
Non potuit terris ſpiritus ille premi.

Ep. XXXIII. *Idem. De inſepultis claris.*

Litore diverſo Libyæ clariſſima longe
Nomina vix ullo condita ſunt tumulo.
Magnus, & humano major Cato, qui procul a te
Adſpicit, heu, cineres, Roma, jacere ſuos.

Ep XXXIV. *Idem.* De *Publio Scipione.*

Deſine Roma tuos poſtes *
Namque tibi monumenta mei peperere labores.
Teſtes ſunt campei magnei.

Ep. XXXV. *Cl. Oliverius in marm. Piſaur. p.* 34. *De Eodem Scipione.*

Luxuriantem animo Pœnum, ferroque ruentem
Urbis in excidium, vix puber ad arma vocatis
Patribus edocui, certa ſuperarier arte
Poſſe olim invictæ per nos Carthaginis arces:
Inſolitum ſubiere jugum. Victoria noſtra eſt
Hannon, Hiberus atrox, invictique arma Syphacis.
Maxima cunctarum victoria, victa Voluptas.

Ep. XXXVI. *Burmannus.*

Ille ego ſum, patriam Pœno qui ex Marte cadentem
Suſtinui, rapuique feris ex hoſtibus urbes
Hiſpanas, * Hannoniſque artes magnumque Syphacem
Perdomui, & fractum totiens armiſque repulſum
Hannibalem, atque etiam * fera mihi regna ſubegi
Punica, & excelſas duræ Carthaginis arces.

Ep. XXXVII. *Idem.*

Honc oino ploirume coſentiont R.
Duonoro optumo fuiſe viro
Luciom Scipione filios Barbati.
Conſol, Cenſor, Aidilis hic fuet.
Hic cepit Corſica Aleriaque urbe.
Dedet Tempeſtatibus aide merito.

Ep. XXXVIII. *Idem.*

Devicto Hannibale, & capta Carthagine, & aucto
Imperio, hoc cineres marmore tectus habes.
Cui non Europe, non obſtitit Africa quondam,
Reſpice res hominum quam brevis urna tegat.

Ep. XXXIX. *Idem. De Catone.*

Invictus victis in partibus omnia Cæſar
Vincere qui potuit: te, Cato, non potuit.

Ep. XL. *Idem.*

Ictu non potuit primo Cato ſolvere vitam:
Defecit tanto vulnere victa manus.
Altius inſeruit digitos. qua ſpiritus ingens
Exiret, magnum dextera fecit iter.
Oppoſuit Fortuna moram, involvitque Catonis,
Scires ut ferro plus valuiſſe, manum.

Ep. XLI. *Idem.*

Juſſa manus ſacri pectus violare Catonis,
Hæſit; & inceptum victa reliquit opus.
Ille ait, infeſto contra ſua vulnera vultu:
Eſtne aliquid, magnus quod Cato non potuit?

Ep. XLII. *Idem.*

Dextera quid dubitas? durum eſt jugulare Catonem.
Sed modo liber erit. jam puto non dubitas.
Fas non eſt, vivo quemquam ſervire Catone,
Nedum ipſum; vincit nunc Cato, ſi moritur.

Ep. XLIII. *Idem. Porcii Catonis.*

Cerne hic oſſa ſacri ſemper veneranda Catonis.
Libertate potens, animoque invictus & armis,
Avius incerto peragravit tramite Syrtes.
Libertatis enim dulcedine captus avitæ,
Ne ſua ſervitio premerentur colla tyranni,
Fortia crudeli penetravit pectora ferro.

Ep. XLIV. *Idem. De ſepulcro Catonis.*

Ne mirere ſacri deformia buſta Catonis.
Viſuntur magni parva ſepulcra Jovis.

Ep. XLV. *Plinius Lib. VI. Epiſt.* X. *& Lib.* IX. *Epiſt XIX. Rufi Virginii.*

Hic ſitus eſt Rufus, pulſo qui Vindice quondam
Imperium adſeruit non ſibi, ſed patriæ.

Ep. XLVI. *Burmannus. In baſe, cui ſtatua inſederat.*

. . . . . Patroni barbara famam
Cujus Roma libris adſerit . . . .
Amiſſos ornat titulis, en adſpice . . . .
Quos habet incolumes fovit amore . . .

Su-

Supremas error ne poſſit rumpere ceras,
Arte ſua cavit, clauſit operta fide.
Excipiet manes ſua qui ſine lite reliquit,
Laudabit ſtudium, cui ſua cura cavet.

Ep. XLVIII. *Suetonius. In C. Cæſarem.*

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem.
Ecce nunc Cæſar triumphat, qui ſubegit Gallias.
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Ep. XLIX. *Suetonius. In Cæſarem.*

Urbani ſervate uxores: mœchum calvum adducimus.
Auro in Gallia ſtuprum emiſti: hic ſumpſiſti mutuum.

Ep. L. *Idem. In C. Cæſarem.*

Gallos Cæſar in triumphum duxit, inde in curiam.
Galli bracas depoſuerunt: latum clavum ſumpſerunt.

Ep. LI. *Idem. Subſcriptum ſtatuæ C. Cæſaris.*

Brutus, quia Reges ejecit, Conſul primo factus eſt.
Hic, quia Conſules ejecit, Rex poſtremo factus eſt.

Ep. LII. *Idem. In M. Bibulum Coſ.*

Conſule non Bibulo quidquam, ſed Cæſare factum eſt,
Nam Bibulo fieri Conſule nil memini.

Ep. LIII. *Burmannus. Julii Cæſaris tumulus.*

Ille hic magnanimus, qui claris arduus actis,
Non timuit generum, nec inertia tela Senatus,
Ne ſibi Gallorum reperetur pompa triumphi,
Intulit immitis per civica viſcera ferrum.
Vis invicta viri reparata claſſe Britannos
Vicit, & hoſtiles Rheni compeſcuit undas.

Ep. LIV. *Idem. Octaviani Auguſti.*

In Macetum campis ultus jam Cæſaris umbras
Sum patris, Auguſtus belloque armiſque ſuperbus.
Namque meos ſenſit fugiens Antonius enſes.
Quantum ingens orbis, quantum Iovis alta poteſtas,
Tantus in orbe fui, mare trans pontumque ſubegi.
Vix cœlum Superis & ſidera ſumma reliqui.

Ep. LV. *Suetonius. In Auguſtum.*

Poſtquam bis claſſe victus naves perdidit:
Aliquando ut vincat, ludit adſidue aleam.

Ep. LVI. *Burmannus. De Cæſ. Oct. Auguſto.*

Jupiter in cœlis: Cæſar regit omnia terris.

Ep. LVII. *Suetonius. In Auguſtum.*

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque Deos vidit Manlia, ſexque Deas:
Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ridet,
Dum nova Divorum cœnat adulteria:
Omnia ſe a terris tunc numina declinarunt,
Fugit & auratos Jupiter ipſe thronos.

Ep. LVIII. *Burmannus. Ponnani. De Pictura Cleopatræ morientis.*

Picta fuit quondam Pharii regina Canopi,
Artifici formata manu, nam vivere ſerpens
Creditur, & morſa gaudens dare fata papilla.
O quam vivit opus! quam pene figura dolorem
Sentit! & ex ipſo moritur pictura veneno!

Ep. LIX. *Idem. Germanici Cæſaris, Caligulæ patris.*

Parce hoſpes tumulo, Cæſar Germanicus hic ſum;
Sæpe etiam ignotis ipſe dedi requiem.
Quod ſi quem tumuli nihil hujus gratia tangit,
Admoneat, patria fraude quod hic jaceo.
Sed jaceo, quamvis non vite, & plenus honoris,
Hoc uno ingratus, quod genui patriæ.
Teſtata eſt mores lacrimis plebeſque patreſque,
Hæc ſunt ſinceri judicia ingenii.

Ep. LX. *Suetonius. In Cl. Tiberium Cæſarem.*

Adſpice felicem ſibi, non tibi, Romule, Sullam,
Et Marium, ſi vis, adſpice, ſed reducem.
Nec non Antoni civilia bella moventis,
Nec ſemel infectas adſpice cæde manus.
Et dic, Roma perit, regnabit ſanguine multo,
Ad regnum quiſquis venit ab exilio.

Ep. LXI. *Idem.*

Non es eques. quare? non ſunt tibi millia centum.
Omnia ſi quæras, & Rhodos exilium eſt.

Ep. LXII. *Idem.*

Aſper, & immitis: breviter vis omnia dicam?
Diſpeream, ſi te mater amare poteſt.

Ep. LXIII. *Idem.*

Aurea mutaſti Saturni ſecula, Cæſar.
Incolumi nam te ferrea ſemper erunt.

Ep. LXIV. *Idem.*

Faſtidit vinum, quia jam ſitit iſte cruorem.
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

Ep. LXV. *Burmannus. De Cl. Tiberio Nerone.*

Ternos vetuſti congios Falerni,
Uno die, conviviis peractis,

Tubos

Tubos per amplos viſcerum refundens
Hauſit, potentum Romuli nepotum
Frenator audax, arbiterque Regum,
Jovis tonantis armiger minando,
Bacchi pluentis cantharus madendo,
Late patentis Imperator orbis,
Late æſtuantis inrigator alvi;
Exinde plebs Quiritium vocavit
Non Claudium Tiberium Neronem,
Sed Caldium Biberium Meronem.

Ep. LXVI. *Suetonius. In Neronem.*

Quis negat Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Ep. LXVII. *Idem.*

Dum tendit citharam noſter, dum cornua Parthus:
Noſter erit Pæan, ille ἑκατηβελέτης

Ep. LXVIII. *Idem. In domum Neronis.*

Roma domus fiet. Vejos migrate Quirites,
Si non & Vejos occupat iſta domus.

Ep. LXIX. *Suetonius. In Caligulam.*

In caſtris natus, patriis nutritus in armis.
Jam deſignati principis omen erat.

Ep. LXX. *Burmannus. Arcui Romæ inſcriptum*

—— ad divortia Rheni
Pervaſi, hoſtiles depopulatus agros.
Dum tibi, Roma, decus, æternaque ſudo tropæa,
Iſter pacatis lenior ibat aquis.

Ep. LXXI. *Idem. Laus Claudii Cæſaris ob captam & ſubactam Britanniam.*

Auſoniis numquam tellus violata triumphis
Icta tuo, Cæſar, fulmine procubuit.
Oceanuſque tuas ultra ſe reſpicit aras.
Qui finis mundo eſt, non erat imperio.

Ep. LXXII. *Idem.*

Victa prius nullo, jamjam ſpectata triumpho,
Inlibata tuos gens jacet in titulos.
Fabula viſa diu, medioque recondita ponto,
Libera victori quam cito colla dedit!
Eufrates ortus, Rhenus recluſerat Arctos.
Oceanus medium venit in imperium.

Ep. LXXIII. *Idem.*

Libera non hoſtem, non paſſa Britannia regem,
Æternum noſtro quæ procul orbe jacet,
Felix adverſis & ſorte oppreſſa ſecunda,
Communis nobis, & tibi, Cæſar, erit.

Ep. LXXIV. *Idem.*

Ultima cingebat Tibris tua, Romule, regna.
Hic tibi finis erat, religioſe Numa.
Et tua, Dive, tuum ſacrata potentia cælo
Extremum citra conſtitit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit orbes.
Pars eſt imperii, terminus ante fuit.

Ep. LXXV. *Idem.*

Mars pater, & noſtræ gentis tutela, Quirine,
Et magno poſitus Cæſar uterque polo:
Cernitis ignotos Latia ſub lege Britannos.
Sol citra noſtrum flectitur imperium.
Ultima ceſſerunt adaperto clauſtra profundo.
Et jam Romano cingimur Oceano.

Ep. LXXVI. *Idem.*

Opponis fruſtra rapidum Germania Rhenum.
Eufrates prodeſt nil tibi, Parthe fugax.
Oceanus jam terga dedit: nec pervius ulli
Cæſareos faſces, imperiumque tulit.

Ep. LXXVII. *Idem.*

Illa procul noſtro ſemota excluſaque cælo,
Alluitur noſtra victa Britannis aqua.

Ep. LXXVIII. *Idem.*

Semota & vaſto disjuncta Britannia ponto,
Cinctaque inacceſſis horrida litoribus:
Quam pater invictis Nereus vallaverat undis:
Quam fallax æſtu circuit Oceanus:
Brumalem ſortita polum, qua frigida ſemper
Præfulget ſtellis Arctos inocciduis.
Conſpectu devicta tuo, Germanice Cæſar,
Subdidit inſueto colla premenda jugo.
Adſpice, confundit populos impervia Tellus.
Conjunctum eſt, quod adhuc orbis, & orbis erat.

Ep. LXXIX. *Suetonius in Othone.*

Cur Otho mentito ſit, quæritis, exſul honore?
Uxoris mœchus cœperat eſſe ſuæ.

Ep. LXXX. *Burmannus. Veſpaſiano & Tito.*

I nunc, & rebus fidas, Romane, ſecundis,
Cuncta brevi cum ſint interitura die.
Orbis delicias, & Titum, & Veſpaſianum,
Terrarum dominos hæc capit urna duos.

Ep. LXXXI. *Idem. Imp. Nervæ Trajano D. Nervæ F. Dacico Germanico C. Julius Lacer.*

Templum in rupe Tagi Superis & Cæſare plenum,
Ars ubi materia vincitur ipſa ſua;
Quis, quali dederit voto, fortaſſe requiret
Cura viatorum, quos nova fama juvat.
Ingentem vaſta pontem qui mole peregit,
Sacra litaturo fecit honore Lacer.
Pontem perpetui manſurum in ſecula mundi
Fecit divina nobilis arte Lacer.
Qui pontem fecit Lacer, & nova templa dicavit.
Scilicet & Superis munera ſola litant.
Idem Romuleis templum cum Cæſare divis
Conſtituit felix: utraque cauſſa ſacri.

Ep.

Ep. LXXXII. *Spartianus in Anton. Diadum.*

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat eſſe bonum,
Expers humani juris & imperii:
Sperans quin etiam clarius eſſe deum,
Quam ſi ſit princeps nominis egregii,
Non erit iſte deus, nec tamen ullus homo.

Ep. LXXXIII. *Spartianus in Peſcennio Nigro.*

Optimus eſt Fuſcus, bonus Afer, peſſimus Albus.

Ep. LXXXIV. *Idem.*

Fundetur ſanguis Albi, Nigrique minantis,
Imperium mundi Pœna reget urbe profectus.

Ep. LXXXV. *Idem.*

Cui dederint Superi nomen habere Pii.

Ep. LXXXVI. *Idem.*

Bis denis Italum conſcendit navibus æquor,
Si tamen una ratis tranſiliet pelagus.

Ep. LXXXVII. *Idem in Alexandro Severo.*

Te manet imperium cœli terræque mariſque.

Ep. LXXXVIII. *Idem.*

Te manet imperium, quod tenet imperium.

Ep. LXXXIX. *Idem.*

Pulchrum quod vides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit, & lepus comeſus,
Ex quo continuum capit leporem.

Ep. XC. *Idem. Reſpondet Severus. verſum e Græco.*

Pulchrum quod putas eſſe veſtrum regem,
Vulgari, miſerande, de fabella:
Si verum putas eſſe, non iraſcor:
Tantum tu comedas velim lepuſclos,
Ut fias, animi malis repulſis,
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Ep. XCI. *Iulius Capitolinus in Maximino.*

Et qui ab uno non poteſt occidi, a multis occiditur.
Elephas grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt, & occiditur:
Tigris fortis eſt, & occiditur:
Cave multos, ſi ſingulos non times.

Ep. XCII. *Spartianus in Peſcennio Nigro Imp.*

Terror Egyptiaci Niger adſtat limitis ingens,
Thebaidos ſocius aurea ſecla volens.
Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma.
Hic Antoninis carus & imperio.
Nigrum nomen habet. Nigrum formavimus ipſi,
Ut conſentirent forma metalla tibi.

Ep. XCIII. *Capit. in Opil Macrin. In Diadumenum.*

Vidimus in ſomnis cives (niſi fallor) & iſtud,
Antoninorum nomen puer ille gerebat,
Qui patre venali genitus, ſed matre pudica:
(Centum nam mœchos paſſa eſt, centumque rogavit)
Ipſe etiam calvus mœcus fuit, inde maritus.
En Pius, en Marcus. Verus nam non fuit ille.

Ep. XCIV. *Idem. In Opilium.*

Hiſtrio jam ſenior turpis, gravis, aſper, iniquus,
Impius, & felix ſic ſimul eſſe cupit:
Ut nolit Pius eſſe, velit tamen eſſe Beatus:
Quod natura negat, nec recipit ratio.
Nam Pius & Felix poterat dici atque videri:
Cui imperium infelix eſt, erit ille ſibi.

Ep. XCV. *Idem. Macrinus reſpondet.*

Si talem Grajum retuliſſent fata poetam,
Qualis Latinus Gabalus iſte fuit,
Nil populus noſſet, nil noſſet curia, magno
Nullus ſcripſiſſet carmina tætra mihi.

Ep. XCVI. *Trebellius Pollio in Aureolo.*

Dona ſepulcrorum victor poſt multa tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum
Munere proſequitur mortali, & jure ſuperſtes.
Vivere quem vellet, ſi pateretur amor.
Militis egregii vitam qui jure negavit
Omnibus indignis, & magis Aureolo,
Ille tamen clemens, qui corporis ultima ſervans,
Et pontem Aureoli dedicat & tumulum.

XCVII. *Burmannus. Supra portam auream Conſtantinopoli.*

Hæc loca Theudoſius decorat poſt fata Tyranni,
Aurea ſecla gerit, qui portam conſtruit auro.

Ep. XCVIII. *Idem. Inſcriptum baſi Obeliſci Conſtantiniani in Circo Maximo Ro.*

Patris opus munuſque *ſuum* tibi, Roma, dicavit
Auguſtus *toto Conſtantius* orbe recepto:
Et quod nulla tulit tellus, nec viderat ætas,
Condidit, ut claris exæquet dona triumphis.
Hoc decus, ornatum genitor cognominis urbis
Eſſe volens, cæſa Thebis de rupe revellit:
Sed gravior Divum tangebat cura vehendi,
Quod nullo ingenio, niſuque, manuque, moveri
Caucaſeam molem diſcurrens fama moneret.
At dominus mundi Conſtantius, omnia fretus
Cedere virtuti, terris incedere juſſit
Haud partem exiguam montis, pontoque tumenti
Credidit, & placido *vecta eſt velocius* Euro
Litus ad Heſperium, *populo* mirante carinam.
Interea, Romam taetro vaſtante tyranno,
Auguſti jacuit donum, ſtudiumque locandi,
Non faſtu ſpreti, ſed quod non crederet ullus
Tantæ molis opus ſuperas conſurgere in auras.
Nunc veluti rurſus *rufis* avulſa metallis
Emicuit, pulſatque polos. hæc gloria dudum

Aucto-

Auctore ſervata ſuo cum cæde tyranni
Redditur, atque aditu *Romæ virtute* reperto
Victor ovans Urbique *locat ſublime* tropæum,
Principis & munus *condignis uſque* triumphis.

Ep. XCIX. *Idem. Inſculptum in latere Obeliſci in Hippodromo Conſtantinopolitano.*

Difficilis quondam dominis parere ſerenis,
Juſſus & extinctis palmam portare tyrannis,
Omnia Theudoſio cedunt, ſobolique perenni:
Terdenis ſic victus ego domituſque diebus,
Judice ſub Proclo ſuperas elatus ad auras.

Ep C. *Idem. Appii Claudii Conſulis.*

Hic ſitus Æneadum faſtis ex ordine Conſul
Inclyta progenies Claudius Appiadum
Structa Sabinillæ dat dulci mœnia natæ
Urbanus genitor de rude cœpta ſolo.
Vivas annoſo mea Claudia lucis in ævo,
Teque refer lepidam pulchra anus in ſubolem.

Ep. CI. *Porphyrio ad Horat.* In *Aſinium Sempronium Rufum Prætorium.*

Ciconiarum Rufus iſte conditor,
Ipſe eſt duobus elegantior Plancis,
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Ep. CII. *Scholiaſtes Juven. ad Sat. V. In Sarmentum Scurram.*

Aliud ſcriptum habet Sarmentus; aliud populus voluerat.
Digna dignis. ſic Sarmentus habeat craſſas compedes.
Ruſtici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.

Ep. CIII. *Gellius Lib. XV. Cap. IV. In Ventidium Baſſum.*

Concurrite omnes augures, aruſpices:
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens.
Nam mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.

Ep. CIV. *Burmannus. De Mævio, qui tempore belli Civilis fratrem ignarus interfecit.*

Venerat Eoum quatiens Antonius orbem,
  Et conjuncta ſuis Parthica bella gerens,
Dotalemque petens Romam Cleopatra Canopo:
  Hinc Capitolino ſiſtra minata Jovi.
Hinc invicta Deo fidebat Cæſare Roma:
  Quæ tunc pæne ſuo pondera lapſa fuit.
Deſerta eſt tellus. claſſis contexerat æquor.
  Omnia permiſti plena furoris erant.
Fratribus heu fratres, patribus concurrere natos,
  Impia ſors belli, fataque ſæva jubent.
Hic generum, ſocerumque petit. minimeque cruentus
  Qui fuit, hic ſparſus ſanguine civis erit.
Mævius a caſtris miles melioribus auſus
  Hoſtilem ſaltu præcipitare ratem,
In damnum felix, & victor, ut impius eſſet
  Neſcius, occiſo fratre ſuperbus erat.
Dum legit exuvias, hoſtiliaque arma revellit,
  Fraternos vultus, oraque mæſta videt.
Quod fuerat virtus, factum eſt ſcelus haeret in hoſte
  Miles: & e manibus mittere tela timet.
Ille ferox; quid lenta manus nunc denique ceſſes?
  Juſtius hoſte tibi qui moriatur adeſt.
Fraternam res nulla poteſt defendere cædem.
  Mors tua ſola poteſt. morte levanda tua eſt.
Scilicet ad patrios referens ſpolia ampla penates,
  Ad patrem victor non potes ire tuum.
Sed potes ad fratrem: nunc fortiter utere telo.
  Impius hoc telo es. hoc potes eſſe pius.
Vivere ſic poteris? potuiſti occidere fratrem.
  Neſciſti. ſed ſcis. hæc mora culpa tua eſt.
Viximus adverſis, jaceamus partibus iisdem.
  Dixit; & in dubio eſt, utrius enſe cadat.
Enſe meo moriar maculatus cæde nefanda?
  Cui moreris, ferrum quo moriare, dabit.
Dixit, & in fratrem fraterno concidit enſe.
  Victorem & victum condidit una manus.

Ep. CV. *Idem.*

Siccine componis populos, fortuna, furentes?
  Ut vinci levius, vincere ſit gravius?
Occiſum credens gaudebat Mævius hoſtem.
  Infelix fratris ſanguine lætus erat.
Nec licuit non noſſe ſcelus, dum membra cruenta
  Nudat, in exuvias incidit ipſe ſuas.
Et ſcelus, & fratrem pariter cognovit: & amens
  Hoc age, ait. majus nunc tibi reſtat opus?
Vincere victorem debes, defendere fratrem.
  Ceſſas? ad facinus quam modo fortis eras?
Terram, jura, deos, bellum jam polluit ipſum.
  Quod civile fuit, ſit quoque culpa gravis.
His manibus patriæ tu jam pia ſigna requiris
  Miles, in Antoni dignior ire rates?
Eripuit virtus pietatem. reddere virtus
  Debet. qua rapuit, hac reparanda via eſt.
Quid moror abſolvi? dixit: gladioque cruento
  Incubuit, jungens fratris ad ora ſua.
Sic, Fortuna, regas ſemper civilia bella,
  Ut victor victo non ſupereſſe velit.

Ep. CVI. *Idem. Senarii, viri Illuſtriſ.*

Ille ego ſum mundi quondam ſine fine viator
Senarius, membris tumulo, non nomine, clauſus,
Principis invicti ſemper ſublimis amore;
Cujus in orbe fui vox regum, lingua ſalutis,
Fœderis orator, pacis via, terminus iræ,
Semen amicitiæ, belli fuga. litibus hoſtis.
Novit & hoc Oriens, hoc ultimus axis Iberi,
Hoc ſcit bruma rigens, ſcit & Africa ſolibus uſta.
Bis denas & quinque ſimul legatio noſtra
Signat in orbe vias, & numquam ſtrata labore.
Curſus erat volucer: namque anno pervigil uno
Bis maris Oceani, bis Pontica litora vidi,
Europamque, Aſiamque; ſequens duo limina mundi.
His etiam meritis ſociavimus agmen honorum.
Aulica quippe Comes rexi patrimonia clarus,
Et mea patricio fulſerunt cingula cultu.
Me pietas, me ſancta fides, me fovit honeſtas.
Secla canant titulos, nam moribus aſtra tenemus.

Ep. CVII. *Idem. M. Petilii Proceſſii, Cauſſidici Romani, ſedis Prætorianæ Togati.*

Poſt mortem ſi vivit amor, ſi gratia priſca
Durat in arcanum mentis adacta bonum;
Quamvis luctificum, fratris tamen accipe carmen;
Ne male ſit tumulis extera lingua tuis.
Te Natura parens omni depinxerat arte.
Moribus, ingenio, corpore, mente, fide.
Purus amicitiæ cultor, ſervator honeſti,
Eloquio miſeros vel pietate fovens.
Hinc eſt quod toto ſemper te flebimus ævo,
Quod fuerit juveni vis tibi multa ſenis.
Te genetrix, fratreſque ſimul, te compare luctu
Perpetuis lacrimis plangit amata domus.

Ep. CVIII. *Idem. Valerio Proculo V. C. Præſidi provinciæ Val. Byzac.*

Hic bis Præfectus patriæ, Præfectus & idem
Hic Libyæ, atque idem Libyæ Proconſul, & ante
Ter vice qui ſacra diſcinxit jurgia judex,
Conſul & æterno decoravit nomine faſtos.
Cetera quid memorem tanto ſua judice geſta,
Cum Proculum videas, totus qui natus honori eſt?

Ep. CIX. *Idem.*

Ille ego ſum Proculus, totus qui natus honori,
Aut dic quis ſit honos, quem mihi ineſſe negaś.

Ep. CX. *Idem. Valeriani, de Cicerone.*

Par ſcelus admiſit Phariis Antonius armis:
Abſcidit vultus enſis uterque ſacros.
Illud, laurigeros ageres cum læta triumphos;
Hoc tibi, Roma, caput, cum loquereris, erat.
Quid proſunt ſacræ præciſa ſilentia linguæ?
Incipiunt omnes pro Cicerone loqui.

Ep. CXI. *Idem. M. Tullii Ciceronis Tumulus per XII. Scholaſticos Poetas. Euphorbus* I.

Hic jacet Arpinas, manibus tumulatus amicis,
Qui fuit orator ſummus & eximius.
Quem nece crudeli mactavit civis, & hoſtis.
Nil agis, Antoni: ſcripta diſerta manent.
Vulnere nempe uno Ciceronem conficis: at te
Tullius æternis vulneribus lacerat.

Ep. CXII. JULIANUS. II.

Corpus in hoc tumulo magni Ciceronis humatum
Contegitur, claro qui fuit ingenio.
Quique malis gravis hoſtis erat, tutorque bonorum,
Quo pæne indigne Conſule Roma perit.
Sed vigili cura detectis hoſtibus, urbem,
Supplicioque datis, præſtitit incolumem.

Ep. CXIII. HILASIUS III.

Unicus orator, lumenque decuſque Senatus,
Servator patriæ, conditor eloquii.
Cujus ab ingenio tandem illuſtrata perenni
Lumine præclaro lingua Latina viget:
Occidit inſane manibus laceratus iniquis
Tullius, ac tumulo ſubditus exiguo eſt.

Ep. CXIV. PALLADIUS IV.

Quicumque in libris nomen Ciceronis adoras,
Adſpice quo jaceat conditus ille loco.
Ille vel orator, vel civis maximus: idem
Clarus erat factis, clarior eloquio.
Ac, ne quid Fortuna viro nocuiſſe putetur,
Vivus in æternum docta per ora volat.

Ep. CXV. ASCLEPIADIUS V.

Marcus eram Cicero, toto notiſſimus orbe,
Cujus relliquias occulit urna brevis.
Dextera me patriæ nuper civilis ademit,
Eripui patriam qui prius exitio.
Si quis in hoc ſaxo Tulli legis advena nomen,
Non dedigneris dicere, Marce vale.

Ep. CXVI. EUSTHENIUS VI.

Tullius Arpinas ex ordine natus equeſtri,
Sed virtute ſua Conſul in urbe fuit.
Quem Catilina malus, conjuratique nocentes
Senſerunt vigilem civibus eſſe ſuis.
Hunc tamen, o pietas, tres occidere tyranni:
At Lamia ille pio ſuppoſuit titulo.

Ep. CXVII. POMPEJANUS. VII.

Qui tenet eloquii faſtigia ſumma Latini:
Qui Conſul patriam cædibus eripuit:
Quique trium ſævo vitam dedit enſe Virorum,
Tullius, en! hac eſt ipſe ſepultus humo.
Sed vitæ brevitas penſatur laude perenni.
Quod mors eripuit, gloria reſtituit.

Ep. CXVIII. MAXIMIANUS VIII.

Tullius hic ſitus eſt, venerabile nomen in ævum:
Clarus honore ſimul, clarus & ingenio.
Quem ſcelerata neci crudeliter arma dederunt,
Quod patriæ vindex ille fidelis erat.
Sed nihil infanda profecit cæde tyrannus.
Ingenium vivit, corpus inane perit.

Ep. CXIX. VITALIS. IX.

Romani princeps populi, decus ordinis ampli,
Maximus orator, civis & egregius:
Conjuratorum vindex, hoſtiſque malorum,
Proſcriptus periit a tribus ille Viris.
Qui cæſus graviter, qui detruncatus acerbe,
Hoc Lamiæ debet, quod jacet in tumulo.

Ep. CXX. VOMANUS. X.

Doctrinæ antiſtes, rerum mirabilis auctor
Tullius, exiſtens nobilis ex humili:
Cui dedit excellens ars oratoria nomen:
Virtute ingenii venit in aſtra ſui.
Sed Fortuna nocens miſerando funere raptum
Carpſit, & hoc voluit membra jacere loco.

Ep. CXXI. ASMENUS. XI.

Eloquii princeps, magnis memorabilis actis,
Tullius, indigna cæde peremtus obit.
Sed terras omnes implevit nomine claro,
Ingenium, cælo corpore, morte caret:
Vivit, & ingenti pollet cum laude per orbem.
Cujus in hoc tumulo membra ſepulta jacent.

Ep. CXXII. BASILIUS. XII.

Inclytus hic Cicero eſt Lamiæ pietate ſepultus,
Quem Fortuna neci tradidit immeritæ:
Maximus eloquio, civis bonus, urbis amator,
Pernicieſque malis, profugiumque bonis.
Qui ſexaginta completis ac tribus annis
Servitio preſſam deſtituit patriam.

Ep. CXXIII. *Idem. Epitaphium Ciceronis.*

Ille Oratorum princeps, & gloria linguæ
Romanæ, jacet hac cum conjuge Tullius urna:
Tullius ille, inquam, de ſe qui ſcripſerat olim,
O fortunatam natam me Conſule Romam!

Ep. CXXIV. *Idem. De Lucretia. Modeſti.*

Roma, tibi ambiguum mea mors ſine teſte dediſſet,
Eſſet utrum, ut corpus, ſic ſcelerata anima.
Proin animam teſtor ſcelus haud tetigiſſe, ſed ecce,
Ut ſolum fœdum eſt corpus, & id fodio:
Qua cruor inflictam labem lavet, & per aperta
Pectora ab inviſa ſit fuga ſede animæ.

Ep. CXXV. *Idem.*

Cum foderet ferro caſtum Lucretia pectus,
Sanguinis & torrens egereretur, ait:
Procedant teſtes, me non faviſſe tyranno,
Ante virum ſanguis, ſpiritus ante Deos.
Quam bene producti pro me poſt fata loquentur,
Alter apud Manes, alter apud Superos.

Ep. CXXVI. *Idem. De Operibus Virgilii.*

Mæonium quiſquis Romanus neſcit Homerum,
Me legat, & lectum credat utrumque ſibi.
Illius immenſos miratur Græcia campos,
Aſt minor eſt nobis, ſed bene cultus ager.
Non paſtor, miles, nec curvus deerit arator.
Hæc Grajis conſtant ſingula, trina mihi.

Ep. CXXVII. *Donatus in Vita Virgilii.* C. *Sulpicii Apollinaris Grammatici, in Æneidem Virgilianam.*

Juſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quæ cecinere ducem.
Tucca vetat Varuſque ſimul, tu maxime Cæſar
Non ſinis, & Latiæ conſulis hiſtoriæ.
Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
Et pæne eſt alio Troja cremata rogo.

Ep. CXXVIII. *Burmannus. Imitatio ejusdem: Phocæ Grammatici, ex fragmento vitæ Virgilii.*

Carmina Virgilius Phrygium prodentia Martem
Secum fatali juſſerat igne mori.
Tucca negat: Varus prohibet: ſuperaddite Cæſar
Nomen, in Ænea non ſinis eſſe nefas.
O quam pæne iterum geminaſti funere funus
Troja bis interitus cauſſa futura tui.

Ep. CXXIX. *Idem. De morte Virgilii & Æneide verſus adtributi Cornelio Gallo, ſed Scholaſtici poetæ: imitati ex Sulpicio Carthaginenſi.*

Temporibus lætis triſtamur, maxime Cæſar,
Hoc uno amiſſo, quem fleo Virgilium.
Sed vetuit relegi, ſi tu patiere, libellos,
In quibus Æneam condidit ore ſacro.
Roma rogat: precibus totus tibi ſupplicat orbis,
Ne pereant flammis tot monumenta ducum.
Atque iterum Trojam, ſed major, flamma cremabit.
Fac laudes Italum, fac tua facta legi.
Æneamque ſuum fac major nuncius ornet.
Plus fatis poſſunt Cæſaris ora Dei.

Ep. CXXX. *Idem. Alcimi de Virgilio & Homero.*

Mæonio vati qui par aut proximus eſſet,
Conſultus Pæan riſit, & hæc cecinit.
Si potuit naſci quem tu ſequereris, Homere,
Naſcetur qui te poſſit, Homere, ſequi.

Ep. CXXXI. *Idem. Alcinoi de Virgilio.*

De numero vatum ſi quis ſeponat Homerum,
Proximus a primo tum Maro primus erit.
Et ſi poſt primum Maro ſeponatur Homerum:
Longe erit a primo, quiſque ſecundus erit.

Ep. CXXXII. *Idem. Laus Virgilii.*

Alter Homerus ero, vel eodem major Homero,
Tot clades numero ſcribere ſi potero.

Ep. CXXXIII. *Idem.*

Virgilium vatem melius ſua carmina laudant.
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabant convexa, polus dum ſidera paſcet,
Semper honos, nomenque tuum laudeſque manebunt.

Ep. CXXXIV. *Idem. De Homero & Virgilio.*

Argumenta, locos, verſus, totumque poema
Virgilius rapuit Grajo Romanus Homero,
Æneaſque locum magni ſibi ſumſit Ulyxis.
Carthagoque fuit captis Phæacia terris.
Barbarus interimit Pallanta hic Turnus, at illic
Dat leto inſignem Patroclum maximus Hector.
At Turnum Æneas Stygias dedit ire ſub umbras.
Hectora magnanimum leto dat magnus Achilles.
Jurgia Drancis enim & Turni, lis illa moleſta
Pelidæ magni & late regnantis Atridæ.
Singula ludorum poſuit certamina uterque;
Nec mutavit enim quidquam, niſi forte, quod alter
Quatuor in currus pandas dat ire carinas.

Ep. CXXXV. *Idem. De Virgilio.*

Vate Syracoſio qui dulcior, Heſiodoque

Major, Homeræo non minor ore fluit.
Illius hæc quoque ſunt divini elementa poetæ,
Et rudit in vario carmine Calliope.

Ep. CXXXVI. I*dem. De Aſino, qui Æneidem dentibus diſcerpſit.*

Carminis Iliaci libros conſumſit aſellus,
Hoc fatum Trojæ eſt, aut equus, aut aſinus.

Ep. CXXXVII. I*dem. De Æneide, veteris Scholaſtici Poetæ verſus, ſub nomine Auguſti Cæſaris.*

Ergone ſupremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Muſa Maronis?
Ah ſcelus indignum! ſolvetur litera dives?
Et poterunt ſpectare oculi? nec parcere honori
Flamma ſuo? dignumque operi ſervare decorem?
Noſter Apollo veta. Muſæ prohibete Latinæ.
Liber, & alma Ceres ſuccurrite. veſter in armis
Miles erat: veſter docilis per rura colonus.
Nam docuit, quid Ver ageret, quid cogeret Æſtas:
Quid daret Autumnus, quid Bruma noviſſima ferret.
Arva reformavit: ſociavit vitibus ulmos:
Curavit pecudes: apibus ſua caſtra dicavit.
Hæc dedit, ut pereant? ipſum ſi dicere fas eſt.
Sed legum eſt ſervanda fides. ſuprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parere neceſſe eſt.
Frangatur potius legum veneranda poteſtas
Quam tot congeſtos noctesque dieſque labores
Hauſerit una dies, ſupremaque juſſa parentis
Amittant vigilaſſe ſuum. ſi forte furenti
Erravit in morte dolor: ſi lingua locuta eſt
Neſcio quid, titubante animo, non ſponte, ſed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Si mens cæca fuit: iterum ſentire ruinas
Troja ſuas, iterum cogetur reddere voces?
Ardebit miſeræ poſt vulnera vulnus Eliſæ?
Hoc opus æternum ruet? & tot bella, tot enſes
[illegible] cineres dabit hora nocens, & perfidus error?
[illegible] ıc Pierides nemorum per luſtra loquaces
[illegible] & ardentes ignes fluvialibus undis
[illegible] e pereat tam clari Muſa poetæ,
In [illegible] neſcat. vivat Maro clarus in orbe,
Huc h[illegible] ſed quod male juſſerat ipſe,
Tendite [illegible] ſacer eſt poſt tempora vitæ.
Mergite: n[illegible] a reſonante Camena
Flammaque va[illegible] ſub nomine vivat.
Ingratuſque ſibi. [illegible] relegatur, ametur.
Sit vetuiſſe meum. [illegible]
Sicque erit æternum to[illegible]
Carmen, & imperii divi[illegible]
Laudetur, vigeat, placeat,

Ep. CXXXVIII. I*dem. Argun*[illegible] *Virgilii.* [illegible] *entum omnium operum* [illegible] nit, [illegible] hat.

[illegible] certamine pro[illegible] ivæ,
Paſtorum Muſam vario carmine mon[illegible] n.
Ruris item docilis culturam [illegible] jungit o[illegible] nſet.
Arboribus vitem, prolem quoque [illegible] equorum
Paſtorumque Palen, & curam [illegible] dona, rect
Tunc apium ſeriem, & quæ mellis [illegible]s.
Æneas intrat profugus Carthaginis or[illegible]
Convivis ſeries narratur Troica belli.
Tertius at complet narrantis in ordine geſta.
Ardet amans Dido, fatum ſortita ſupremum.
Quintus habet varia tumuli ſpectacula patris.
Infernos Ditis Manes, & regna pererrat.
In Latium Æneas, Italis ſimul intrat in oras.
Intonat hinc bellum tecti de culmine Turnus.

Euryalum, & Niſum deflet cum matre juventus.
Mezenti interitus canitur, poſt funera Lauſi.
Ultaque dehinc fertur telo mactata Camilla.
Turni vita fugit infernas mœſta ſub umbras.

Ep. CXXXIX. I*dem. Incerti poetæ Tetraſticha in Georgica. Præfatio.*

Qualis Bucolicis: quantus tellure domanda
Vitibus, arboribuſque, apibus, pecorique, ſatiſque,
Æneadum fuerit vates, Tetraſticha dicent.
Contineat quæ quiſque liber, lege carmina noſtra.

LIBRI PRIMI.

Quid faciat lætas ſegetes: quæ ſidera ſervet
Agricola, ut facilem terram proſcindat aratris,
Semina quo jacienda modo, cultuſque locorum,
Et meſſes docuit magno olim fœnore reddi.

SECUNDI.

Hactenus arvorum cultus, & ſidera cæli:
Pampineas canit inde comas, colleſque virentes,
Deſcriptaſque locis vites, & dona Lyæi,
Atque oleæ ramos pomorum ex ordine lectos.

TERTII.

Teque Pales, & te paſtor memorande per orbem,
Et pecorum cultus, & gramine paſcua læta.
Queis habitent armenta locis, ſtabulentur & agni,
Omnia divino monſtravit carmine vates.

QUARTI.

Protinus aerii mellis redolentia regna,
Hyblæas & apes, alveorum cerea tecta.
Quique apibus flores, exanima quæque legenda,
Indicat, humenteſque favos, cæleſtia dona.

Ep. CXXIX. I*dem. In Æneidem Monoſticha Baſilii.*

Primus habet, Libycam veniunt ut Troes in urbem.
Edocet excidium Trojæ cladem que ſecundus.
Tertius a Troja vectos canit æquore Teucros.
Quartus item miſeræ duo vulnera narrat Eliſæ.
Manibus ad tumulum quinto celebrantur honores.
Æneam memorat viſentem Tartara ſextus.
In Phrygas Italiam bello jam ſeptimus armat.
Dat ſimul Æneæ ſocios octavus, & arma.
Daunius expugnat nono nova mœnia Trojæ.
Exponit decimus Thuſcorum in litore pugnas.
Undecimo Rutuli ſuperantur morte Camillæ.
Ultimus imponit bello Turni nece finem.

Ep. CXXX. I*dem. Alia Monoſticha in XII. libros Æneidos.*

Æneas primo Libyes adpellitur oris.
Fu[illegible] nera Dardaniæ narrat fleruſque ſecundo.
Tertiu[illegible] errores canit, amiſſumque parentem.
Uritur in quarto Dido, flammaſque fatetur.
Quintus habet ludos, & claſſem corripit ignis.
Quæruntur ſexto Manes, & Tartara Ditis.
Sep[illegible]us [illegible] reddit fatalibus arvis.

Præ-

Præparat octavo bellum, quos mittat in hoſtes.
Nonus habet pugnas, nec adeſt Dux ipſe tumultus.
Occidit Æneæ decimo Mezentius ira.
Undecimo victa eſt non æquo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus divinis occidit armis.

Ep. CXXXI. *Idem. Alius cujuſdam Scholaſtici poetæ Argumenta in Æneidem ſub nomine Ovidii.*

PRÆFATIO.

Virgilius magno quantum conceſſit Homero,
  Tantum ego Virgilio Naſo poeta meo.
Nec me prælatum cupio tibi ferre, poeta.
  Ingenio ſi te ſubſequor, hoc ſatis eſt.
Argumenta quidem librorum prima notavi,
  Errorem ignarus ne quis habere queat.
Bis quinos legerent, feci, quos carmine, verſus,
  Æneidos totum corpus ut eſſe putent.
Adfirmo gravitate mea, me carmine nullum
  Livoris titulum præpoſuiſſe tibi.

PRIMI LIRRI.

Vir magnus bello, nulli pietate ſecundus,
Æneas odiis Junonis preſſus iniquæ,
Italiam quærens Siculis erravit in undis.
Jactatus tandem Libyæ pervenit ad oras;
Ignaruſque loci, fido comitatus Achate,
Indicio matris regnum cognovit Eliſæ.
Quin etiam nebula ſeptus pervenit ad urbem,
Abreptoſque undis ſocios cum claſſe recepit.
Hoſpitioque uſus Didus per cuncta benignæ
Excidium Trojæ juſſus narrare parabat.

SECUNDI.

Conticuere omnes. tunc ſic fortiſſimus heros
Fata recenſebat Trojæ, caſuſque ſuorum:
Fallaces Grajos: ſimulataque dona Minervæ:
Laucontis pœnam, & laxantem clauſtra Sinonem:
Somnum, quo monitus acceperat Hectoris, atrum:
Jam flammas cæli, Troum, patriæque ruinas,
Et regis Priami fatum miſerabile ſemper:
Impoſitumque patrem collo, dextraque prehenſum
Aſcanium, fruſtra a tergo comitante Creuſa:
Ereptam hanc fato: ſocios in monte receptos.

TERTII.

Poſt everſa Phrygum regna, ut fuga cœpta moveri;
Utque ſit in Thracem primo devectus ibique
Mœnia condiderit, Polydori cæde piata.
Regis & hoſpitium, ut Phœbi reſponſa canebant.
Cœptum iter in Creten: rurſus nova fata reperta.
Naufragus ut fuerit Strophadas compulſus ad undas.
Inde fugam, & diræ enarrat præcepta Celænus.
Liquerit utque Helenum perceptis ordine fatis:
Supplicem Achemenidem, Polyphemo urguente, recepit:
Amiſſumque patrem Drepani, atque hinc inde quievit.

QUARTI.

At regina gravi Veneris jam carpitur igni.
Conſulitur ſoror Anna: placet ſuccumbere amori:
Fiunt ſacra Deis: onerantur numina donis.
Itur venatum. Veneris clam fœdera jungunt.
Facti fama volat. monitus tunc numine divum
Æneas claſſemque fuge, ſocioſque parari.
Senſit amans Dido, precibus conata morari.
Poſtquam fata jubent, nec jam [illegible] ulla facultas,
Conſcenditque pyram, dixitque noviſſima verba,
Et vitam infelix multo cum ſanguine fudit.

QUINTI.

Navigat Æneas: Siculas defertur ad oras.
Hic manes celebrat patrios: una hoſpes Aceſtes
Ludos ad tumulum faciunt: certamina ponunt.
Prodigium eſt cunctis ardens delapſa ſagitta.
Iris, anum Beroen habitu mentita ſenili,
Incendit naves, ſubitus quas vindicat imber.
In ſomnis pater Anchiſes, quæ bella gerenda,
Quoque duce ad manes poſſit deſcendere, monſtrat.
Tranſcribit matres urbi, populumque volentem.
Et placitum Æneas Palinurum quærit in undis.

SEXTI.

Cumas deinde venit. fert hinc reſponſa Sibyllæ.
Miſenum ſepelit. mons ſervat nomen humati.
Ramum etiam ante Deum, placato numine portat.
Et vates longæva una deſcendit Avernum.
Agnoſcit Palinurum, & ibi ſolatur Eliſam.
Deiphobumque videt lacerum crudeliter ora.
Umbrarum pœnas diſcit, narrante Sibylla.
Convenit Anchiſen: penituſque in valle virenti
Agnoſcitque ſuam prolem monſtrante parente.
Hæc ubi percepit, graditur, ſocioſque reviſit.

SEPTIMI.

Hic quoque Cajetam ſepelit. tum deinde profectus
Laurentum venit. hanc verbis cognovit Iuli
Fatalem terram. menſis en veſcimur, inquit.
Centum oratores veniam, pacemque petentes
Ad regem mittit, lectos tum forte, Latinum:
Qui cum pace etiam natæ connubia pactus.
Hoc forte Alecto Junonis diſſipat ira.
Concurrunt dictis, quamvis pia fata repugnent.
Belli cauſſa fuit violatus vulnere cervus.
Tum gentes ſocia arma parant. fremit arma juventus.

OCTAVI.

Dat belli ſignum Laurenti Turnus ab arce.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, & doceat, quæ cauſſa petendi.
Æneas Divum monitis adit Arcada regem
Evandrum, Arcadia profugum, nova regna petentem.
Accipit auxilium. huic natum, & ſocia agmina jungit
Evander. Pallas fatis comes ibat iniquis.
Jamque habilis bello, & maternis lætus in armis,
Fataque, fortunaſque ducum, caſuſque ſuorum
Sortitus clypeo, divina intentus in arte eſt.

NONI.

Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,
Junonis monitu Turnus feſtinat in hoſtem.
Teucrorum naves, Rutulis jaculantibus ignem,
Nympharum in ſpeciem divino numine verſæ:

Eurya-

Euryali, & Niſi cœptis fuit exitus impar.
Pugnatur. caſtra Æneadæ, vallumque tuentur.
Audacem Rutulum dat leto pulcher Iulus.
Fit via vi. Turnus Bitian. & Pandaron altum
Dejicit, & totis victor dat funera caſtris.
Jamque fatigatus recipit ſe in caſtra ſuorum.

DECIMI.

Concilium Divis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus inſtant.
Advenit Æneas multis cum millibus heros.
Mars vocat, & totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in prælia Turnus.
Cæduntur que duces, cadit & ſine nomine vulgus.
Subtrahitur pugnæ Junonis numine Turnus.
Æneas perſtat Mezenti cæde piata:
Et Lauſum invicta perimit per vulnera dextra.
Mox ultor nati Mezentius occidit ipſe.

UNDECIMI.

Conſtituit Marti ſpoliorum ex hoſte tropæum.
Exanimumque patri natum Pallanta remittit.
Jura ſepulturæ tribuit, tempuſque, Latinis,
Evander patrios affectus edit in urbe.
Corpora cæſa virum paſſim digeſta cremantur.
Legati referunt Diomeden arma negaſſe.
Drances, & Turnus, leges æquante Latino,
Concurrunt dictis. Æneas imminet urbi.
Pugnatur. vincunt Troes. cadit icta Camilla,
Deinde duces caſtris, donec ceſſere, minantur.

DUODECIMI.

Turnus jam fractis adverſo Marte Latinis
Semet in arma parat, pacem cupiente Latino.
Fœdus percutitur paſſuris omnia victis.
Hoc Turni Juturna ſoror confundit: & ambos
In pugnam populos agit, ementita Camertem.
Æneas volucri tardatur membra ſagitta.
Anxia pro nato ſervavit cura parentis.
Urbs capitur. vitam laqueo ſibi finit Amata.
Æneas Turnum, campo congreſſus, utrimque
Circumfuſa acie, vita ſpoliavit, & armis.

Ep. CXXXII. *Idem. Tetraſticha in omnia Virgilii Opera.*

IN BUCOLICA.

Tityrus agreſti modulatus carmen avena.
Formoſum paſtor Corydon dilexit Alexin.
Silenumque ſenem ſertiſque meroque ligavit.
Paſtorumque melos facili deduxit avena.

IN GEORGICA.

Sidera deinde canit, ſegetes, & dona Lyæi,
Et pecorum cultus, Hyblæi mella ſaporis.
Principio breviter ventura volumina dixit,
Intercidit opus, cœpitque referre ſecunda.

IN ÆNEIDEM.

LIBRI PRIMI.

Arma virumque canit mira virtute potentem;
Junonis odio disjectas æquore puppes;
Hoſpitium Didus, claſſem ſocioſque receptos:
Utque epulas inter caſus regina requirat.

SECUNDI.

Conticuere omnes. infandos ille labores,
Deceptamque dolis Trojam, patriæque ruinas,
Et caſus Priami docet, & flagrantia regna;
Ignibus e mediis raptum deque hoſte parentem.

TERTII.

Poſtquam res Aſiæ, deceptaque Pergama, dixit;
Tum, Polidore, tuos tum dos, tum Gnoſia regna,
Andromachen, Helenumque, & vaſta mole Cyclopas,
Amiſſumque patrem Siculis narravit in oris.

QUARTI.

At regina gravi Veneris jam carpitur igni,
Venatuſque petit, capitur venatibus ipſis;
Et tædas, Hymenæe, tuas ad funera vertit,
Poſtquam Anchiſiades fatorum eſt juſſa ſecutus.

QUINTI.

Interea Æneas pelagus jam claſſe tenebat,
Ludorumque patris tumulum celebrabat honore:
Puppibus ambuſtis fundavit mœnia Aceſtæ,
Deſtituitque ratem media Palinurus in unda.

SEXTI.

Sic lacrimans tandem Cumarum adlabitur oris,
Deſcenditque domus Ditis, comitante Sibylla.
Agnoſcit Troas cæſos, agnoſcit Achivos,
Et docet Anchiſes venturam ad ſidera prolem.

SEPTIMI.

Tu quoque litoribus famam, Cajeta, dediſti.
Impetrat Æneas Latium, regnumque Latinis,
Fœdus agens; ſævit Juno, bellumque laceſſit,
Finitimoſque viros, Turnumque in prælia mittit.

OCTAVI.

Ut belli ſignum Turnus, Mezentiaque arma,
Concivitque duces; tum mœnia Pallantea
Æneas adit, Evandri ſocia agmina quærens.
Arma Venus portat proprio Vulcania nato.

NONI.

Atque ea diverſa dum parte; hic diva Cybebe
Puppes eſſe ſuas Nympharum numina juſſit.
Euryali & Niſi cædes & fata canuntur;
Fecerit incluſus caſtris quæ funera Turnus.

DECIMI.

Panditur interea cælum cœtuſque Deorum.
Jam redit Æneas, & Pallas ſternitur acer.
Eripuit Juno Turnum, Lauſique parentem
Adjecit comitem mortis Cythereia proles.

UNDE-

UNDECIMI.

Oceano interea ſurgens Aurora videbat
Mezenti ducis exuvias, cæſoſque ſodales,
Et Latium proceres Diomedis dicta referre,
Tum qualis pugnæ ſuccedat Etruſca Camilla.

DUODECIMI.

Turnus ut infractos vidiſſet undique cæſos,
Ultro Anchiſiaden bello per fœdera poſcit.
Quæ Juturna parat convellere: ſed tamen armis
Occidit, & pactum liquit cum conjuge regnum.

Ep. VIII. *Idem. Argumenta in Æneidem per Hexaſticha.*

PRIMI LIBRI.

Arma virumque canit vates, Junonis ob iram,
Et totum Æoliis turbatum fluctibus æquor.
Disjectas claſſes, ſubmerſaque corpora ponto.
Hoſpitium Didus, caſus quo gentis, & annos,
Æneas Trojæ, fatumque, & bella, referret.
Quorum pars terræ, pelago pars addita famæ eſt.

SECUNDI.

Conticuere omnes, intentique ore loquentis
Ora tenent. ac tum dolus introducitur hoſtis,
Et fallacis equi damnoſum munus in armis,
Perfidia notuſque Sinon, amiſſaque conjunx.
Per medios ignes allatus, ſævaque tela,
Anchiſes, oneri facilis, pietate ferentis.

TERTII.

Poſtquam res Aſiæ, disjectaque mœnia Trojæ:
Dant pelago claſſes; Polydori funera diſcunt,
Atque Heleni præcepta, fidem cui fecerat uſus.
Quæ non acceſſus via ſit tentanda, Cyclopas
Et Scyllæ rabies & ineluctabilis unda,
Errorisque maris labor in contraria verſus.

QUARTI.

At Regina gravi pectus ſuccenſa dolore,
Ardet amore viri. clauſum veneratur amorem,
Dumque capit, capitur. ſentit, quos præbuit ignes.
Æneas altum ſociis & claſſe petivit.
Extructa Regina pyra penetralibus inſtat
Morte fugam præſtare. moræ nec defuit hora.

QUINTI.

Interea medium Æneas tendebat in æquor,
Mœnia reſpiciens cauſſa flagrantia amoris.
Mox Sicula tenet arva, domus, maneſque parentis
Ludorum exſequiis celebrat, quibus additur Iris,
In faciem Beroes claſſem flammare jubentis,
Junonem mentita dolo. namque illa monebat.

SEXTI.

Sic fatur lacrimans, Cumarum adlabitur oris,
Deſcenſuſque parans adiit præcepta Sibyllæ,
Qua duce non fauſtum mortali limen aditur.
Hic primum mæſtos videt inter cetera Troas,
Tum patrem agnoſcit. diſcit reditura ſub ortus
Corpora, Romanoſque duces, ſeriemque nepotum.

SEPTIMI.

Tu quoque litoribus noſtris, Cajeta, manebis,
Servat honos nomen, pietas teſtatur honorem.
Cauſſa opus inſequitur: bellum namque incipit eſſe,
Tyrrhidæ juvenum quod tunc conflaverat ira.
Turnus adeſt; monet, arma ſibi contraria ſumat.
Tum gentes ſocia arma ferunt, fremit arma juventus.

OCTAVI.

Ut belli ſignum cecinit, ſocioſque vocavit
Turnus, & in varias turbatus pectora mentes,
Æneas Evandron adit, facit hoſpitis uſum,
Atque operum cauſſas urbis cognoſcit honores:
Arma rogat, Cytherea rogat, mox accipit heros:
Tumque opere obſtupuit, factis labor addidit artem.

NONI.

Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,
Iris adeſt, monet arma ſibi contraria ſumat:
Cæduntur vigiles, & mutua corpora fratrum.
Niſus & Eurialus morte & pietate fideles.
Dumque petit laudem, vincunt contraria fata.
Audacem Remulum leto dat pulcher Iulus.

DECIMI.

Panditur interea cælum, ſedeſque Tonantis,
Alternos queſtus Venus ac Saturnia promunt.
Illa dolos, hæc bella movet; ſed vincitur ira
Mater. at Æneas bello non ſegnior inſtat.
Vulnere Mezenti Lauſo nam fecerat iram,
Quem tetigit virtus, ſuperat per fata periclum.

UNDECIMI.

Oceanum interea Phœbus ſuperaverat ortu.
Exſtruit Æneas dextra quæſita tropæa,
Condit humi ſocios, fatum quos condidit ante.
Legati reſponſa ferunt. veniamque petitam
Non negat, & contra pugnat ſecura Camilla,
Femina cæde potens, caſu temeraria tanto.

DUODECIMI.

Turnus ut infractos vidit ceſſiſſe Latinos,
Inſtat atrox, pugnæque vices ſibi percipit hoſtis,
Pectore ſecreto violatur vulnere teli,
Æneas cauſſa eſt. illi Juturna neganti
Adfuit obſequio, quum mors finiverat iram:
Sed ſua fata virum traxerunt quærere mortem.

Ep. CXX. *Idem. XII. Scholaſticorum Poetarum Argumenta in Æneidem.*

LIBRI PRIMI.

VOMANUS I.

Æolus immittit ventos, Junone precante,

Tro-

Trojanoſque vagos Libycas expellit in oras.
Solatur Venerem dictis pater ipſe dolentem.
Æneam recipit pulchra Carthagine Dido.
Cui Venus Aſcanii ſub imagine mittit amorem.

SECUNDI.

EUFORBUS. II.

Cogitur Æneas bellorum exponere caſus,
Grajorumque dolos, & equum, fraudemque Sinonis,
Exciſamque urbem, Priamique miſerrima fata;
Utque patrem impoſitum forti cervice per ignes
Extulerit, caramque amiſerit ipſe Creuſam.

TERTII.

JULIANUS. III.

Poſt caſum Trojæ fabricata claſſe ſuperſtes,
Vela dat Æneas, urbemque in litore Thracum,
Mox aliam pulſus Cretæis condidit oris,
Cedit & hinc, Helenumque videt, præceptaque diſcit,
Ætneum Cyclopa fugit, ſepelitque parentem.

QUARTI.

HILASIUS. IV.

Ardet amore gravi Dido, ſoror Annaque ſuadet
Nubere. junguntur, nimbo cogente, ſub antro.
Incuſat precibus patrem contemptus Iarbas.
Navigat Æneas juſſu Jovis. illa dolore
Impatiens, & amore, necem ſibi protinus infert.

QUINTI.

PALLADIUS. V.

In Siculas iterum terras Fortuna reducit
Æneam, tumuloque patris perſolvit honorem.
Tum cogit naves incendere Troadas Iris.
Troes ibi linquunt ſocios. Venus anxia placat
Neptunum. ſomnus Palinurum mergit in undis.

SEXTI.

ASCLEPIADIUS. VI.

Sacratam Phœbo Cumarum fertur in urbem
Rex Phrygius, vatiſque petit reſponſa Sibyllæ.
Miſenum ſepelit. poſt hæc adit infera regna;
Congreſſuſque patri, diſcit genus omne ſuorum.
Quoque modo caſus valeat ſuperare futuros.

SEPTIMI.

EUSTHENIUS. VII.

Tandem deveniunt Laurentia Troes in arva:
Et pace accepta læti nova mœnia condunt
Nocte ſatam Juno Furiam evocat. illa Latinos
Inter, & Æneadas bellum ſerit, & ciet arma.
Protinus auxiliis terra inſtruit Itala Turnum.

OCTAVI.

POMPEJANUS. VIII.

Vidit ut Æneas ſumma vi bella parari:
Arcadas, Evandrumque ſenem ſibi fœdere jungit.
Dardanioque duci ſociatur Hetruria tota.
Arma petit genetrix, dat Mulciber: in clypeoque
Res pingit Latias, & fortia facta nepotum.

NONI.

MAXIMIANUS. IX.

Ad Turnum propere Junonia mittitur Iris,
Inſtigatque animos. acies movet ille, Phrygaſque
Obſidet. in Nymphas verſa eſt Æneia claſſis.
Euryalus, Niſuſque luunt nece prælia noctis.
Vi Turnus potitur caſtris. vi pellitur inde.

DECIMI.

VITALIS. X.

Placat & uxoris dictis, & jurgia natæ
Jupiter. auxiliis inſtructus Troius heros
Advenit. occurrunt Rutuli, atque in litore pugnant.
Occidit a Turno Pallas, victorque ſuperbus
Æneæ eripitur. Mezentius interit acer.

UNDECIMI.

BASILIUS XI.

Occiſis proprium pars utraque reddit honorem.
Supplicibus Calydone ſatus negat arma Latinis.
Cum Drance alterno jurgat certamine Turnus.
Æneas equitem præmittit, & obvia virgo
Excipit. extincta Rutuli dant terga Camilla.

DUODECIMI.

ASMENUS. XII.

Trojanis, Rutuliſque placet conjungere fœdus.
Id Rutili rumpunt. nato Venus alma medetur
Dictamno, Rutulique luunt perjuria victi.
Cogitur Æneæ Dauni concurrere proles.
Pallantea necem miſero dant cingula Turno.

Ep. CXXXV. *Idem. De Æneide Virgilii.*

Diruta quæ flammis olim Maro Pergama dixit,
 In flammas moriens juſſit & igne dari.
Non tulit Auguſtus, rapuitque ex ignibus ignes,
 Et triſti e buſto tot ſacra buſta Ducum.
Quæ veſtra, o Teucri, Vulcanum injuria læſit?
 Neptunus certe dignior ultor erat.

Ep. CXXXVI. *Eorundem XII. Scholaſticorum Epitaphia P. Virgilii Maronis, per Tetraſticha.*

VITALIS. I.

Prima mihi Muſa eſt ſub fagi Tityrus umbra.
 Ad mea navus humum juſſa colonus arat.

Præ-

Præliaque expertos cecini Trojana Latinos.
Fertque meos cineres inclyta Partenope.

BASILIUS. II.

Hoc jacet in tumulo vates imitator Homeri,
Qui canit Auſonio carmine primus oves.
Ad cultos hinc tranſit agros. Æneidos autem
Non emendatum morte reliquit opus.

ASMENUS. III.

Bucolica Auſonio primus qui carmine feci,
Mox præcepta dedi verſibus agricolæ.
Idem cum Phrygibus Rutulorum bella peregi.
Hunc mihi defuncto fata dedere locum.

* VOMANUS. IV.

Tityre, te Latio cecinit mea fiſtula verſu:
Præceptiſque meis ruſticus arva colit.
Ac, ne Muſa carens vitiis Æneidos eſſet,
Perfida me celeri fata tulere nece.

EUPHORBUS V.

Romuleum Sicula qui fingit carmen avena,
Ruricolaſque docet, qua ratione ferant:
Quique Latinorum memorat fera bella, Phrygaſque,
Hic cubat, hic meruit perpetuam requiem.

JULIANUS VI.

Qui paſtorali peragravit Mænala Muſa,
Ruraque, & Æneæ concinit arma Maro;
Ille, decem luſtris geminos poſtquam addidit annos,
Conceſſit fatis, & ſitus hoc tumulo eſt.

HILASIUS VII.

Hæc tibi, Virgilius, domus eſt æterna ſepulto,
Qui mortis tenebras effugis ingenio.
Mænalium carmen qui profers ore Latino,
Et cultus ſegetum, bellaque ſæva ducum.

PALLADIUS VIII.

Primus ego Auſonio paſtorum carmina verſu
Compoſui, & quo ſint rura colenda modo:
Poſt, quibus Æneas Rutulos ſuperaverit armis.
Vatis relliquias hæc pia terra fovet.

ASCLEPIADIUS IX.

Sicanius vates ſilvis, Aſcræus in arvis,
Mæonius bellis ipſe poeta fui.
Mantua ſe vita præclari jactat alumni.
Parthenope famam morte Maronis habet.

EUSTHENIUS X.

Quiſquis es, extremi titulum lege carminis hoſpes,
Hac ego Virgilius ſum tumulatus humo.
Qui pecudum paſtus, qui cultus fertilis agri,
Mox Anchiſiadæ bella ducis cecini.

POMPEJANUS XI.

Virgilio mihi nomen erat, quem Mantua felix
Edidit. hic cineres vatis & oſſa jacent.
Cujus in æternum paſtoria fiſtula vivet
Ruſtica: mox eadem Martia Calliope.

MAXIMIANUS XII.

Carmine bucolico nitui: cultoribus agri
Jura dedi: cecini bella Latina ſimul.
Jamque ad luſtra decem Titan acceſſerat alter,
Cum tibi me rapuit, Mantua, Parthenope.

Ep.CXXXVII. *Idem. Per diſticha, Eorumdem ex argumento Virgiliani diſtichi.*

Mantua me genuit, Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope. cecini paſcua, rura, duces.

ASCLEPIADIUS I.

Tityron, ac ſegetes cecini Maro, & arma, virumque.
Mantua me genuit, Parthenope ſepelit.

EUSTHENIUS II.

Virgilius jacet hic, qui paſcua verſibus edit,
Et ruris cultus, & Phrygis arma viri.

POMPEJANUS III.

Qui pecudes, qui rura canit, qui prælia vates,
In Calabris moriens hac requieſcit humo.

MAXIMIANUS IV.

Carminibus pecudes, & rus, & bella canendo
Nomen inextinctum Virgilius merui.

VITALIS V.

Mantua mi patria eſt: nomen Maro: carmina ſilvæ,
Ruraque, cum bellis: Parthenope tumulus.

BASILIUS VI.

Qui ſilvas, & agros, & prælia verſibus ornat,
Mole ſub hac ſitus eſt ecce poeta Maro.

ASMENUS VII.

Paſtorum vates ego ſum: cui rura, duceſque
Carmina ſunt. hic me preſſit acerba quies.

VOMANUS VIII.

A ſilvis ad agros, ab agris ad prælia venit
Muſa Maronæo nobilis ingenio.

EUPHORBUS IX.

Bucolica expreſſi, & ruris præcepta colendi:
Mox cecini pugnas. mortuus hic habito.

JULIANUS X.

Hic data Virgilio requies, qui carmine dulci
Et Pana, & ſegetes, & fera bella canit.

HILASIUS XI.

Paſtores cecini: docui qui cultus in agris:
Prælia deſcripſi. contegor hoc tumulo.

PALLADIUS XII.

Conditus hic ego ſum, cujus modo ruſtica Muſa
Per ſilvas, per rus, venit ad arma virum.

Ep. CXXXVIII. *Idem. Epitaphium ejuſdem Virgilii.*

Quæ cineris tumulo hoc veſtigia? conditur, olim,
Ille hoc, qui cecinit paſcua, rura, duces.

Ep. CXXXIX. *Idem. Subſcriptum imagini Virgilianæ Hilaſii.*

Subduxit morti vivax pictura Maronem.
Et quem Parca tulit, reddit imago virum.

Ep. CXL. *Idem. Ejuſdem.*

Lucis damna nihil tanto nocuere poetæ,
Quem præſentat honos carminis, & plutei.

Ep. CXLI. *Idem. In Virgilium.*

Triſtia fata tui dum fles in Daphnide Flacci,
Docte Maro, fratrem Dis immortalibus æquas.

Ep. CXLII. *Idem. In eumdem, Pentadii.*

Paſtor, arator, eques, pavi, colui, ſuperavi
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

Ep. CXLIII. *Idem. In eumdem.*

De grege paſto, rure ſato, duce nempe ſubacto
Nec lac, nec ſegetes, nec ſpolia ulla tuli.

Ep. CXLIV. *Idem. Aliud.*

Paſcua ruſque canens peragraram, bella ſequebar,
Nondum finieram Virgilius, perii.

Ep. CXLV. *Idem. Aliud.*

Silvas, rura, acies cecini. mihi Mantua mater,
Nomen Virgilius, Parthenope tumulus.

Ep. CXLVI. *Idem. Steſichori.*

Ops ego Steſichori Aetnæis hic oſſibus oſſa
Clauſa tego vatis, cetera mundus habet.

Ep. CXLVII. *Idem. Euripidis.*

Siſte. quid ipſe velim rogitas? cognoſce viator.
Euripides tragico carmine clarus homo
Hic jaceo: iſtud erat quod te noviſſe volebam.
Ergo diu felix, care viator, abi.

Ep. CXLVIII. *Idem. Sapphus.*

Tantum ego carminibus ſuperavi Sappho puellas,
Mæonides quantum vicerat ante viros.

Ep. CXLIX. *Acron. ad Horat. Lib. I. Epiſt. I. v. 67. Puppii Poetæ Tragœdiographi.*

Flebunt amici, & bene noti morte in mea.
Nam populus etiam vivo me lacrumatus eſt.

Ep. CL. *Gellius Lib. I. Cap. XXIV. M. Attii Plauti Sarſinatis.*

Poſtquam eſt mortem aptus Plautus, Comœdia luget:
Scena eſt deſerta. hinc ludus, riſuſque, jocuſque,
Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumarunt.

Ep. CLI. *Gellius ibidem. M. Pacuvii.*

Adoleſcens, tametſi properas, te hoc ſaxum rogat,
Uti ſe adſpicias: deinde quod ſcriptum eſt, legas.
Heic ſunt poetæ Marcei Pacuviei ſita
Oſſa. hoc volebam, neſcius ne eſſes. vale.

Ep. CLII. *Gellius ibidem. Cn. Naevii.*

Mortales immortales flere ſi foret fas,
Flerent divæ Camenæ Næviom poetam.
Itaque poſtquam eſt Orcino traditus theſauro,
Oblitei ſunt Romæ loquier lingua Latina.

Ep. CLIII. *Burmannus. P. Terentii.*

Natus in excelſis tectis Carthaginis altæ,
Romanis ducibus bellica præda fui.
Deſcripſi mores hominum juvenumque ſenumque,
Qualiter & ſervi decipiant dominos.
Quid meretrix, quid leno doli, quid fingat avarus.
Hæc quicumque legit, ſic, puto, cautus erit.

Ep. CLIV. *Idem. Ovidii Epitaphium.*

Hic ſitus eſt vates, quem divi Cæſaris ira
Auguſti Latia cedere juſſit humo.
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris:
Sed fruſtra. hunc illi fata dedere locum.

Ep.

Ep. CLV. *Idem. M. Annæi Lucani.*

Corduba me genuit, rapuit Nero, prælia dixi,
Quæ geſſere pares, hinc ſocer, inde gener.
Continuo numquam direxi carmina ductu:
Quæ tractim ſerpit, plus mihi comma placet.
Fulminis in morem quæ ſunt miranda citentur.
Hæc vere ſapiat dictio, quæ feriet.

Ep. CLVI. *Idem. Cæſaris de libris Lucani.*

Mantua da veniam, fama ſacrata perenni,
Sit fas Theſſaliam poſt Simoenta legi.

Ep. CLVII. *Idem. De Lucano.*

Grandia qui exiguis deducit facta figuris,
Ad Veneres abeat, nos tuba læva juvat.
Sanguine quæ rubeant, Gradivum carmina placant,
De magnis nolim dicere parva viris.
Quos timeat clypeus, depoſcunt prælia verſus,
Ictus qui nullum vulnerat, hunc repeto:
Sed variis armis nunc ſervio Cæſaris actis,
Nunc Magnum laudo, nunc Cato ſolus adeſt.
Sic volui Patriæ ſervire, domeſtica bella
Qui vincit, laudis deterioris erit.

Ep. CLVIII. *Quintilianus Lib. VIII. Cap. III. De Salluſtio.*

Et verba antiqui multum furate Catonis
Criſpe, Jugurthinæ conditor hiſtoriæ.

Ep. CLIX. *Burmannus. Statii.*

Qui primo cecinit Thebas, mox caſus Achillem
Occidit, hac colitur Statius in ſtatua.
Hunc genuit tali gaviſa Neapolis ortu,
Ipſa Tholoſa licet blateret eſſe ſuum.
Quod ſi vana ſuum contendat Gallia vatem,
Silvarum relegas, candide lector, opus.
Hæc etiam genuit Stellam * paritura poetam,
Ne ſit in hoc uno ſplendida Parthenope.

Ep. CLX. *Bonada. Statii Epitaphium.*

Statius hic ſitus eſt, juvenem quem Cypris ademit,
Præconem Aeneæ carmine quod premeret.

Ep. CLXI. *Burmannus. De Petronio Arbitro.*

Petroni carmen divino pondere currit,
Quo juvenum mores arguit atque ſenum:
Quare ille * præſa gaudet laſciva puella,
At quoque delicias frigida ſentit anus.
Nam * iter diri ſcripſitque Neronis amictu
Arbiter, arbitrio dictus & ipſe ſuo.

Ep. CLXII. *Idem. C. Aurelii Romuli de A. Gellio.*

Cecropias noctes doctorum exempla virorum
Donat habere mihi nobilis Euſtochius.
Vivat, & æternum lætus bona tempora ducat,
Qui ſic dilecto tanta docenda dedit.

Ep. CLXIII. *Maurus Terentianus.*

Adeſto Jambe præceps, & tui tenax
Vigoris, adde concitum celer pedem.
Nec alterius indigens opis veni,
Sed ipſe verus, integerque, geſtiens:
Aduſta felle qualis ante carmina
Dabas amarus, ultor impetus tui.

Ep. CLXIV. *Burmannus. De Serrano, Vegeto, & Herogene.*

Serranum, Vegetumque ſimul, junctumque duobus
Herogenem, caros adſpice Geryonas.
Eſſe putes fratres, tanta pietate fruuntur.
Immo neges, ſic eſt in tribus unus amor.
Triga mihi paucos inter dilecta ſodales.
Triga ſodalitii pars bene magna mei.

Ep. CLXV. *Idem. De Criſpo.*

Ablatus mihi Criſpus eſt, amici.
Pro quo ſi pretium dari liceret,
Noſtros dividerem libenter annos.
Nunc pars optima me mei reliquit.
Criſpus, præſidium meum, voluptas,
Pectus, deliciæ. nihil ſine illo
Lætum mens mea jam putabit eſſe.
Conſumtus male, debiliſque vivam.
Plus quam dimidium mei receſſit.

Ep. CLXVI. *Idem. De Cornelio Celſo.*

Dictantes medici quandoque & Apollinis artes
Muſas Romano juſſimus ore loqui.
Nec minus eſt nobis per pauca volumina famæ,
Quam quos nulla ſatis bibliotheca capit.

Ep. CLXVII. *Idem. In Curii Fortunatiani Rhetoricam.*

Quiſquis Rhetorico feſtinat tramite doctus
Ad leges & jura trahi, bene perlegat artis
Hoc opus, & notum faciet per compita callem.

Ep. CLXVIII. *Idem. Phocæ Grammatici de Arte ſua.*

Ars mea, multorum es, quos ſecula priſca tulerunt:
Sed nova te brevitas adſerit eſſe meam.
Omnia quum veterum ſint explorata libellis,
Multa loqui breviter ſit novitatis opus.
Te relegant juvenes, quos garrula pagina terret:
Aut ſi quem paucis ſeria noſſe juvat.
Te longinqua petens comitem ſibi ferre viator
Ne dubitet, parvo pondere multa vehis.

Te ſi quis ſcripſiſſe volet, non ulla queretur
Damna, nec ingrati triſte laboris onus.
Eſt quod quiſque petat. numquam cenſura diſerti
Hoc contemnet opus, ſi modo livor abeſt.

Ep. CLXIX. *Idem. Citerii Sidonii Syracuſani, de tribus Paſtoribus.*

Almo, Theon, Thyrſis, orti ſub monte Pelori,
Semine diſparili, Laurente, Lacone, Sabino.
Vite Sabine, Lacon ſulco, ſue cognite Laurens.
Thyrſis oves, vitulos Theon egerat, Almo capellas.
Almo puer, pubeſque Theon, at Thyrſis ephebus.
Canna Almo, Thyrſis ſtipula, Theon ore melodus.
Nais amat Thyrſin, Glauce Almona, Niſa Theonem.
Niſa roſas, Glauce violas dat, lilia Nais.

Ep. CLXX. *Idem. In Commentarium L. Craſſitii Grammatici in Smyrnam C. Helvii Cinnæ.*

Uni Craſſitio ſe credere Smyrna probavit.
Deſinite indocti conjugio hanc petere.
Soli Craſſitio ſe dixit nubere velle,
Intima cui ſoli nota ſua extiterint.

Ep. CLXXI. *Idem. De Scaeva, Rufino, Ati.*

Occumbunt fixi jaculo, mucrone, ſagitta,
Ora, latus, jugulum, Scaeva, Rufinus, Atis.
Brutus Atim perimit, Milo Scaevam, Cotta Rufinum,
Græcus Atis, Medus Scaeva, Rufinus Arabs.
Jam vir Atis, ſed Scaeva puer, juveniſque Rufinus,
Dux Atis, armiger at Scaeva, Rufinus eques.
Scaeva nothus, generoſus Atis, de plebe Rufinus,
Magnus eques, medius dux, famuluſque minor.
Flavus Scaeva, niger Atis, inter utrumque Rufinus,
Blandus Atis, patiens Scæva, Rufinus atrox.
Abſque modo largus, laſcivus, parcus, avarus
Laudis Atis, formæ Scæva, Rufinus opum.
Artu Scæva bonus, Atis armis, jure Rufinus,
Voce Rufinus, Atis carmine, Scæva lyra.
Scæva pila, curſuque Rufinus, Atiſque palæſtra,
Ore Rufinus, Atis corpore, Scaeva coma.

Ep. CLXXII. *Idem. Inſcriptum ſtatuæ Viri Illuſtriſs.*

Hic nunc Campanas moderator ſublevat urbes,
Unde ergo & populi ſtatuam tribuere Sueſſæ.

Ep. CLXXIII. *Idem. Scipioni.*

Viribus, ingenio, forma, vel ſanguine, ſi te
Extulero in turba, Scipio, clarus eris.
At ſi quod juvenem formoſam, aurumque marito
Miſeris intactum, dixero, ſolus eris.

Ep. CLXXIV. *Idem. Læti Aviani, in opus Martiani Capellæ de Nuptiis Mercurii.*

Qui dubias artes per myſtica dicta ſubibis,
Mercurii doctos volvere diſce toros.
Ille brevi ductu ſcandet ſublime cathedram,
Qui lychnos diſcet, docte Capella, tuos.
Caniciem auctoris auget gravitaſque magiſtri,
Qui diſcet libris, hinc cito proficiet.

Ep. CLXXV. *Inter Grammaticos Putſchii. Valerius Probus ad Cæleſtinum.*

Accipe noſtra tuis audacius edita juſſis,
Cœleſtine potens, & mentibus inſere dicta.
Quo cumulante, mihi ſemper fortuna favore
Haud invita dedit ſeſe comitante benigno,
Quem Superi voluere virum mihi condere famam.
Auſus enim incipio, (quoniam tua juſſa fatigant)
Tempora, vel numeros verborum & commata, verbis,
Ut poſſum, monſtrare meis: licet alto ſubire
Mens humilis vetet, & lex metri fortius arcet.
Aptius eſſe tamen conantes juſſa fatemur
Arcta ſubire nimis, quam voce animoque ſilere.

Ep. CLXXVI. *Burmannus. Q. Ennii Rudini.*

Adſpicite, o civeis, ſenis Ennii imagini' formam.
Hic voſtrum panxſit maxſuma facta patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, neque funera fletu
Facſit. quur? volito vivu' per ora virum.

Ep. CLXXVII. *Bonada.*

Principis hanc ſtatuam Marciani cerne torumque,
Ter ejus vovit quod Tatianus opus.

Ep. CLXXVIII. *Idem. Regis Mithridatis.*

Uranos es Manili; vive inquam: nam hæc manet in te
Præteritis horis nuda hæc effigies.
Hæc eſt effigies regis magni Mithradatis
Divitis, & ſummi, pauperis, & tenuis.
Hic poſitum horarum rationes reddere cogit;
Poſt obitum nullum tempus habere doces.

Ep. CLXXIX. *Idem. M. Livio Salinatori.*

Livius ecce ſui Romanus conditor urbis
Hujus, & hanc volui terram coluiſſe Quirites
Magnanimos, populiſque dedi cognomina victor.

Ep. CLXXIX. *Idem. Cuidam.*

O Patriæ rector, Cato pectore, viribus Hector,
Heu decus antiquum vir Cynea palma Quiritum,
Ortus Roma tui locus eſt, Papia ſepulchri.

Ep.

Ep. CLXXX. *Idem. Lævino Vicario Inſubriæ.*

Veſter ego, Inſubres, jaceo hic ſub marmore: veſter
Lævinus Lyciæ gloria gentis eram.
Quid mihi honos, quid opes? virtus me ſola beavit,
Qua mortalibus, & Cælitibus placui.
Quæ fuit in terris veſtræ mihi cauſa ſalutis,
In ſuperis eadem nunc quoque cura mihi eſt.

Ep. CLXXXI. *Idem. Pontio Vicario Inſubriæ.*

Pontius hic pariter ſua Convicarius oſſa
Hic cum Lævino juſſit humanda ſuo,
Ut quos viventes animus conjunxerat idem,
Defunctos eadem jungeret urna duos.
Flete virum quicumque illo ſupereſtis adempto,
Gaudete ob civem Diique Deæque novum.

Ep. CLXXXII. *Idem Conſtantio Comiti Patri Valentiniani III. Imperatoris.*

Conſtanti virtus ſtudium victoria nomen,
Dum recipit Gallos, conſtituit Ligures.
Mœnibus ipſe locum dixit, duxitque recenti
Fundamenta ſolo, juraque parta dedit.
Cives, tecta, forum, portus, commercia, portas,
Conditor extructis ædibus inſtituit.
Dumque refert orbem, me primam protulit urbem,
Nec renuit titulos limina noſtra loqui:
Et rabidos contra fluctus, genteſque nefandas
Conſtantis murum nominis oppoſuit.

Ep. CLXXXIII. *Idem. Vettius Agorius Prætextatus Paulinæ Conjugi.*

Paullina noſtri pectoris conſortio
Fomes pudoris, caſtitatis vinculum,
Amorque purus, & fides cælo ſata,
Arcana mentis cui recluſa credidi,
Munus Deorum, qui maritalem torum
Nectunt amicis, & pudicis nexibus,
Pietate matris, conjugali gratia,
Nexu ſororis, filiæ modeſtia,
Et quanta amicis jungimur fiducia,
Aetatis uſu conſecrandi fœdere,
Jugi, fideli, ſimplici concordia
Juvans maritum, diligens, ornans, colens,
Paullina veri, & caſtitatis conſcia,
Dicata templis, atque amica Numinum,
Sibi maritum præferens, Romam viro,
Pudens, fidelis, pura mente & corpore,
Benigna cunctis, utilis Penatibus.

Splendor parentum nil mihi majus dedit,
Quam quod marito digna jam tum viſa ſum;
Sed lumen omne, vel decus, nomen viri
Agorii, ſuperbo qui creatus germine
Patriam, Senatum, conjugem inluminans
Probitate mentis, moribus, ſtudiis ſimul
Virtutis apicem qui ſupremum nactus eſt.
Tu namque quidquid lingua utraque eſt proditum
Cura Sophorum, porta queis Cœli patet,
Vel quæ periti condidere carmina,
Vel quæ ſolutis vocibus ſunt edita,
Meliora reddis, quam legendo ſumpſeras.
Sed iſta parva. tu pius moves te ſacris
Teletis; reperta mentis arcano premis,
Divumque numen multiplex doctus colis,
Sociam benigne conjugem nectens ſacris
Hominum, Deumque conſciam, ac fidam tibi.
Quid nunc honores, aut poteſtates loquar
Hominumque votis adpetita gaudia?
Quæ tu caduca, ac parva ſemper autumans
Divum Sacerdos infulis celſus clues.
Tu me, Marite, diſciplinarum bono
Puram, ac pudicam ſorte mortis eximens
In templa ducis, ac famulam Divis dicas:
Te teſte cunctis imbuor myſteriis,
Tu Dindymenes Atteos qui Antiſtitem
Teletis honoras taureis conſors pius,
Hecates miniſtram trina ſecreta edoces,
Cereriſque Grajæ tu ſacris dignam putas.
Te propter omnis me beatam, me piam
Celebrant, quod ipſe me bonam diſſeminas.
Totum per orbem ignota noſcor omnibus.
Nam te marito cur placere non queam?
Exempla de me Romuleæ matres petunt,
Sobolemque pulcram, ſi tuai ſimilis, putant,
Optant, probantque nunc viri, nunc feminæ.
Quæ tu magiſter indidiſti inſignia,
His nunc ademptis mœſta conjux maceror:
Felix, maritum ſi ſuperſtitem mihi
Divi dediſſent, ſed tamen felix, tua
Quæ ſum, fuique, poſtque mortem mox ero.

Ep. CLXXXIV. *Idem. Telepho.*

Telephus hac ſede jucunda, potiuſque quieſcet,
Debita cum fatis venerit hora tribus.
Hic locus Heredi ne ceſſerit: inviolati
Sint cineres tum, quos cana favilla teget.

Ep. CLXXXV. *Idem. Circitori militari.*

Decimus a prima ſectatus caſtra juventa
Circitor morior, præmia parca, ſenex.
Qui nulli gravis extiteram, dum vita manebat,
Hæc functo æternum ſit mihi terra levis.
Dat Patruo ob meritum feralem Flavius urnam
Ninnius, & cinerem ſpargit odore gemens.

Ep. CLXXXVI. *Idem. Cuidam.*

Hanc ſedem longo placuit ſacrare labori,
Hanc requiem, feſſos tandem qua conderet artus,
Ulpius emeritis longævi muneris annis.
Ipſe ſuo curam titulo dedit, ipſe ſepulchri
Arbiter hoſpitium membris fatoque paravit.

Ep. CLXXXVII. *Idem. Sexto Nævio Signifero.*

Oſſa relata domum: cinis hic adoperta quieſcit.

Ep.

Ep. CLXXXVIII. *Idem. A. Acilio Fontano.*

Eripuit nobis.... undevigeſimus annus
Ingreſſum juvenem militiam cupide.
Parcæ falluntur, Fontanum quæ rapuerunt,
Cum ſit perpetua fama futura viri.

Ep. CLXXXIX. *Idem. Q. Cætronio.*

Vixi quod volui ſemper bene pauper honeſte,
Fraudavi nullum, quod juvat oſſa mea.

Ep. CXCI. *Idem.*

Fluminis in morem quæ ſunt miranda citentur.
Hæc vere ſapiat dictio, quæ feriet.

Ep. CXCII. *Idem. Nicephori cujuſdam Filio.*

Ut te, Palladi, raptum flevere Camœnæ,
Fleverunt populi, quos continet Oſtia dia.

CXCIII. *Idem. Cuidam Medico.*

Accipe ſupremos, queis te donamus, honores,
Care Macre, & longum me cariture, vale.
Felix qui commune malum, nec tanta videbis
Funera, quæ noſtra barbarus in patria
Patrabit felix, tribuit cui Roma ſepulcrum,
Cui tot amicorum juſta dedere manus.
Te Græcæ Latiæque ſimul flevere Camenæ,
Et medicina tuo mœſta ſedet tumulo.

Ep. CXCIV. *Idem. L. Sabino L. Liberto Primigenio Medico.*

Ortus ab Iguvio medicus fora multa ſecutus
Arte feror nota, nobiliore fide.
Me conſurgentem valida fortuna juventa
Deſtituit, rapidis impoſuitque rogis.
Cluſino cineres flammæ ceſſere ſepulcro,
Patronus Patrio condidit oſſa ſolo.

Ep. CXCV. *Idem. Cuidam Servo Lectori.*

Grammaticus, lectorque fui, ſed lector eorum,
More, incorrupto qui placuere ſono.
Conjugis exiguo, natæ pietate ſepultus,
Hoc Marius Fidens contegor a tumulo.

Ep. CXCVI. *Idem. P. Atilio Septiciano Grammatico Latino.*

Morborum vitia, & vitæ mala maxima fugi,
Nunc careo pœnis, pace fruor placida.

Ep. CXCVII. *Idem. Docta erudita omnes artes virgo vixit A. XIII.*

Heus ocule errante quei aſpicis leti domus,
Morare greſſum, & titulum noſtrum perlege;
Amor parentis quem dedit gnatæ ſuæ,
Ubei ſe reliquiæ conlocarent corporis.
Heic viridis ætas cum floreret artubus,
Creſcente & ævo gloriam conſcenderet,
Properavit hora triſtis fatalis mea,
Et denegavit ultra vitæ ſpiritum.
Docta erudita pæne Muſarum manu,
Quæ modo nobilium ludos decoravi choris,
Et Græca in ſcæna prima populo apparui,
En hoc in tumulo cinerem noſtri corporis
Infeſtæ Parcæ depoſierunt carmine.
Studium Patronæ, cura, amor, laudes, decus
Silent ambuſto corpore, & leto tacent.
Reliqui fletum genitori meo,
Et anteceſſi genita poſt leti diem.
Bis hic ſepteni mecum natales dies
Tenebris tenentur Ditis æterna domu.
Rogo, ut diſcedens terram mihi dicas levem.

Ep. CXCVIII. *Idem. M. Lælio Africano Muſico.*

Muſicus in ſcena docte cantare ſolebat,
Acceptuſque nimis multis magnifico ingenio,
Receptus inter vina jocoſque prior,
Celebri favore artem exponens ſuam,
Ut quemvis raperet mirifico ingenio,
Leniretque animum carmine dictiloquo.

Ep. CXCIX. *Cl. Oliverius in Marmor. Piſaur. p. 74. Petronii Antigenidis.*

Tu pede qui ſtricto vadis per ſenta, Viator,
Siſte, rogo, titulumque meum ne ſpreveris, oro.
Bis quinos annos, menſeſque duos, duo ſoles
In ſuperos feci, tenere nutritus, amatus.
Dogmata Pithagoræ ſenſi, ſtudiumque ſophorum,
Et libros legi, legi pia carmina Homeri,
Sive quot Euclides abaco præſcripta tuliſſet.
Delicias habui pariter, luſuſque procaces.
Hæc Hilarus mihi contulerat Pater ipſe Patronus,
Si non infelix contraria fata habuiſſem.
Nunc vero infernas ſedes Acherontis ad undas,
Tetraque Tartarei per funera tendo profundi.
Effugi tumidam vitam. ſpes, forma, valete.
Nil mihi vobiſcum eſt. alios deludite, quæſo.
Hæc domus æterna eſt. hic ſum ſitus. hic ero ſemper.

Ep. CC. *Bonada. Æmiliæ Lepidæ Sponſæ L. Cæſaris.*

Procurator eram, Lepidæ moreſque regebam.
Dum vixi, manſit Cæſaris illa nurus.

Ep. CCI. *Idem.*

Ille ego qui quondam pre.... pauciſque diebus
Prætextatus agri judex finiſque regendi,
Juſtitiam colui matremque æqualiter ambas,
Hic ſum quem cernis nunc Caſſius Agrippinus.

Ep·

Ep. CCII. *Idem*.

Hic jacet Helvidius fatis extinctus iniquis,
Egregius juvenis, cauſarum Orator honeſtus.

Ep. CCIII. *Idem*.

Zoicus hic nomen nudum vanumque reliqui:
In cineres corpus & in æthera vita ſoluta eſt.

Ep. CCIV. *Idem*.

Finitum Euhodiæ fatum qui conſpicis hoſpes,
Deſine mirari. corpus inane jacet.
Euhodus ut valeat pater optumus opto.

Ep. CCVI. *Franciſcus Aligerius in Antiq. Valent.*

Defuncta Chelidone Pomponia eſt hic ſita,
Ætatis quinto decimo anno infeliciter abiit:
Quæ dulcem vitam, & lucem reddere morte mea
Lubet, nec licitum eſt: Miſera ſiccine taces?
Nec lacrumis meis refers lacrumulam? metu
An ceſſas: Conjux verum me mors acerba ſatis
Sit, quod & immatura abſtulit complexu tuo:
Nec te macera: dulciſſima autem, & ſuaviſſima
Uxor tui Pomponi memor æternum vale.

CLASSIS QUARTA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA AD VIROS; UXORESQUE PERTINENTIA, CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. I. *Bonada*.

Qui, dum vita data eſt, ſemper vivebat avarus,
Heredi parcens, invidus ipſe ſibi;
Hic accumbentem ſculpi genialiter arte
Se juſſit docta poſt ſua fata manu;
Ut ſaltem recubans in morte quieſcere poſſet,
Securaque jacens ille quiete frui.
Filius a dextra reſidet, qui caſtra ſecutus
Occidit ante patris funera mœſta ſui.
Sed quid defunctis prodeſt genialis imago?
Hoc potius ritu vivere debuerant.

Ep. II. *Idem*.

Hoſpes, quod deico, paullum eſt. aſta, ac pellege.
Heic eſt ſepulcrum, heu pulcrum pulcrai feminai.
Nomen parentes nominatont Claudiam.
Sovom mareitum corde dilexit ſovo.
Gnatos duos creavit horunc alterum
In terra linquit, alium ſub terra locat:
Domum ſervavit, lanam fecit, dixi, abei.

Ep. III. *Idem*.

Hoſpes ſta, & lacruma, ſi quidquam humanitus in te eſt,
Oſſua dum cernis conſita mœſta mihi;
Quoius laudati mores, & forma probata eſt
Anchialo, quem cura anxia debilitat.
Lesbia ſum, quæ dulces mores ſola reliqui,
Quod vitam vivens patui in officiis.
Sei nomen quæris, ſum Lesbia: ſi duo amantes,
Anchialus dulcis cum ſuave homine ſpurio.
Sed quid ego hoc cerno? mea ſunt hic oſſua in olla
Conſita. vive hoſpes, dum licet, atque vale?

Ep. IV. *Idem*.

Sic pia, ſic felix, ſic quod tibi vita beata
Contigit, & cunctis auxilians bonitas.
Nos tamen hic cruciat dolor intimus, & pia cura,
Quod te feſtinans abſtulit atra dies.
Numina nunc inferna precor, patri date lucos,
Queis eſt purpureus, perpetuuſque dies.
Hic certe, ut meruit, cuncta eſt data cura ſepulcro,
Texeruntque favi de Siculis apibus.

Ep. V. *Idem*.

Functus honorato ſenio, plenuſque dierum
Evocor ad ſuperos. Pignora quid gemitis?

Ep. VI. *Idem*.

Functa jaces hic, ſed vivis, viveſque Secundo
Lelia tuo, debent nec benefacta mori.
Te, Tellus, ſanctoſque precor pro conjuge manes,
Vos ite placidi, tu levis oſſa tegas.

Ep. VII. *Idem*.

Jam datus eſt finis vitæ, jam cauſſa malorum
Vobis, quas habet hoc gnatam, matremque ſepulcrum
Litore Phocaico pelagi vi exanimatas:
Illic unde Tagus, & nobile flumen Hiberus
Ver-

Vorſum ortus vorſum occaſus fluit alter, & alter,
Stagna ſub Oceani Tagus, & Tyrrhenica Iberus.
Sic etenim duxere olim primordia Parcæ,
Et nevere ſuper vobis vitalia fila,
Cum primum Lucina daret lucemque, animaſque,
Ut vitæ diverſa dies foret unaque lethi.
Nobis porro alia eſt trino de numine fati
Dicta dies lethi, quam propagare ſuopti
Viſum ollis tacito arbitrio cum lege perenni,
Siſti quæ cunctos jubet ad vadimonia mortis.

Ep. VIII. *Idem*.

Nam fuit eximia ſpecie miroque decore,
Membraque erant vere pectore digna ſuo.

Ep, IX. *Idem.*

Invida florentem rapuerunt fata juventam,
Nec licuit miſero me ſupereſſe viro.
Flevit præſentem Pater, & flevere ſorores
Et Mater tepido condidit oſſa rogo,
Quæ prius hoc titulo debuit ipſa legi.

Ep. X. *Idem*.

Livia me tellus aluit, geminamque ſororem
Egregio de patre ſatam, ſancta Genitrice.
Kara fuit caſto bene juncta pudica marito,
Invida ſed fati lex reddidit irrita vota,
Et tantum miſeræ ſolatia liquit amanti,
Conjugis in manibus licuit quod reddere vitam.

Ep. XI. *Idem*.

Julia, quæ longa fueras digniſſima vita,
Occidis e noſtro rapta puella ſinu.
Sed comes ardenti nunc degis juncta Coronæ,
Nunc Helicem propius cernis & Andromeden.
Me cruciat, conjux, miſerumque abſumit amantem,
Servus amor nullis ignibus inferior.
Namque ego ſeu rebus fuerim diſtrictus agendis,
Seu dederim vacuo languida membra thoro.
Tu mihi ſemper ades, tua præſens ſemper imago eſt,
Quæ miſero moveat flebile cordolium.
Impia cur teneros o mors disjungis amantes,
Quos bene conveniens conciliavit amor?

Ep. XII. *Idem*.

Meja fuit felix ſeptem circumdata natis,
Dum vixi, adſtabat turba tenella mihi:
Ut mihi grata vicem natorum turba referret,
Hoc mihi de Pario marmore ſtruxit opus.
Manibus atque meis nati pia vota dedere,
Perſolvere meis manibus inferias.
Poſtquam nulla mei, Superi, vos cura fatigat,
Natorum memores eſte precor Superi.

Ep. XIII. *Idem*.

Hoc caſtæ in tumulo jacet pars magna puellæ,
Orbati dolor infelix utriuſque parentis.
Conjugis æternum lacrimoſo crimen amore,
Et cito defectæ ſobolis miſerabile fatum.
Da quicumque legis fletus, & parce ſepulcro.

Ep. XIV. *Idem*.

Per hæc ſepulcra, perque quos colis manes,
His parce tumulis ingredi pedem ſæpe.
Sic numquam doleas, atque triſte ſuſpires,
Quantum doloris titulus iſte teſtatur.

Ep. XV. *Idem*.

Uxor cara viro monumentum fecit amanti,
Optaram in manibus conjugis occidere;
Quem quia fata nimis rapuerunt tempore iniquo,
Oſſibus opto tuis ſit pia terra levis.

Ep. XVI. *Idem*.

Lævitiæ conjux Petronia forma pudoris
His mea diſcedens ſedibus oſſa loco.
Parcite vos lacrymis dulces cum conjuge nati
Viventemque Deo credite flere nefas.

Ep. XVII. *Idem*.

Quiſquis amore volens ſolido tranquillus, & alta
Pace frui, majora fuge, & nimis alta caveto.
Quinetiam vitare parem, licet obſtrepat error
Publicus, admoneo. fidum tibi junge minoris
Pectus, ubi obſequium pernox, humileſque viciſſim
Blanditiæ, dulciſque timor. res cognita paucis.
Alta petunt omnes. utinam mihi tale dediſſem
Conſilium, ſed cogit amor, perque ardua vinclum,
Luctantemque rapit victor. fuit ille Deorum,
Mollia qui Herculeis aptavit penſa lacertis.
Tu, cui libertas ſalva eſt, tibi conſule eorum.

Ep. XVIII. *Idem*.

Hic pietatis honos, hæc ſunt pia dona Mariti.

Ep. XIX. *Idem*.

Apollonia, quæ vocitabar,
Lapide hoc incluſa quieſco:
Ipſo mihi flore juventæ
Ruperunt fila ſorores:
Annos poſt decem & octo
Vetuerunt viſere lumen:
Unum ſortita maritum
Servavi caſta pudorem:
Mater miſera hoc monumentum
Extruxit Olympias amens.
Hæc ſunt bene. vive viator.

Ep.

Ep. XX. *Idem*.

Baſſa vatis quæ Laberi conjuga hoc alto ſinu
Frugi matris quieſcit moribus priſcis nurus.

Ep. XXI. *Idem*. *Laberii Mimi*.

Animus ſanctus cum marito ſi anima cælo reddita eſt,
Parato hoſpitio cura jungunt corpora.
Hæc rurſum noſtræ, ſed perpetuæ nuptiæ
In ſpica & Caſia & bene odora ſtacta, & amomo.
Inde oro gramenve novum, vel flos oriatur,
Unde coronem amens aram, carmenque meum, & me.
Purpureo vatum vitis depicta racemo
Quatuor amplexa eſt ulmos de palmite dulci:
Scenales frondes detexunt hinc geminam umbram
Arboream proceram, & mollis vincla maritæ.
Hic corpus vatis Laberi, nam ſpiritus ivit
Illuc, unde ortus: quærite fontem animæ.
Quod fueram non ſum, ſed rurſus ero quod non ſum:
Ortus & occaſus, vitaque morſque itidem eſt.

Ep. XXII. *Idem*.

Connubii decus egregium, lux alma parentum,
Eximiumque bonum corporis atque animi,
Invidia fati rapitur Vincentia florens,
Et nunc ante patrem conditur Helyonem.
Quin potius corpus, nam mens æterna profecto
Pro meritis potitur ſedibus Elyſiis.

Ep. XXIII. *Idem*.

Debita conjugio Apelles pia carmina ſcribit,
Quam rapuit mœſto mors inimica viro.
Hæc debent memores poſtrema in morte referre
Ob requiem gratam, quam pia cura dicat.
Conjugis officium teſtatur carmine parvo,
Extremumque tibi refero munus.
Dulcis, caſta, viro reverens, pia, cara, fidelis,
Tot damna amiſſa conjuge jure fleo.
Te lapis obteſtor leviter ſuper oſſa quieſcas,
Et mediæ ætati ne gravis eſſe velis.

Ep. XXIV. *Idem*.

Itala me rapuit crudeli funere tellus,
Dum foveo aſſidua ſedulitate virum.

Ep. XXV. *Idem*.

Hic matris cineres ſola ſacravimus ara,
Quæ genuit tellus, oſſa tegat tumulo.

Ep. XXVI. *Idem*.

Immitis ferro ſecuit mea colla maritus,
Dum propero ſtricti ſolvere vincla pedis.
Dirus & ante thorum, nuper quo nupta coivi,
Quo cecidit noſtræ virginitatis honos.
Non culpa merui, præſentia numina teſtor,
Sed jaceo fati ſorte perempta mei.
Diſcite ab exemplo Criſpinæ, diſcite patres,
Ne nubat fatuo filia veſtra viro.

Ep. XXVII. *Idem*.

Ingratæ Veneri ſpondebam munera ſupplex
Erepta, conjux, virginitate tibi.
Perſephone votis invidit pallida noſtris,
Et præmaturo funere te rapuit.
Supremum verſus munus donamus, & aram,
Et gratam ſculpſit docta Pedana chelym.
Me nunc torquet amor, tibi triſtis cura receſſit,
Lethæoque jaces condita ſarcophago.

Ep. XXVIII. *Idem*.

Cernis ut orba meis hoſpes monumenta locavi,
Et triſtis ſenior natos miſeranda requiro:
Exemplis referenda mea eſt deſerta ſenectus,
Ut ſteriles vere poſſint gaudere maritæ.

Ep. XXIX. *Idem*.

Innocuus aper ecce jaces non virginis ira,
Nec Meleager atrox perfodit viſcera ferro:
Mors tacita obrepſit ſubito, fecitque ruinam,
Quæ tibi creſcenti rapuit juvenile figuram.

Ep. XXX. *Idem*.

Si quis forte velit tumuli cognoſcere fatum,
Et quorum mœſtus contegat oſſa lapis,
Accipiat paucis, ne ſit mora longior æquo,
Si tumulus teneat, quem vocat ipſa via.
Hic ſitus eſt annis plenus, vitaque beatus,
Et lætus omni more Rhodanthidion.
Nec ſit mirum, quod comis, quod dulcis, amœnus
In vita fuerit; nomine floris erat.
Hunc conjux talem nimio dilexit amore,
Inque diem vitæ una fide coluit.
Et poſtquam fatis morientia lumina ſolvit,
Supremumque ſuum reddidit obſequium;
Invita hoc munus conjux Victoria fecit,
Quodque virum vicit, ægra dolore fuit.
Sed quoniam fatis nulli eſt obſtare poteſtas,
Quin teneant curſum, quem ſtatuere ſemel,
Quod ſolum licuit, conjux fidiſſima fecit,
Poſt illum nulli fas violare toros.
Servatamque diu vitam habitamque pudice
Poſt mortis caſum pertulit ad tumulum.
Namque ſimul poſita eſt, fatoque tenetur eodem,
Quoque modo potuit morte ſecuta virum.
Hæc eſt ſancta fides, hæc ſunt felicia vota,
Amplexus vitæ ei reddere poſt obitum.
Fortunati ambo, ſi qua eſt ea gloria mortis:
Quos jungit tumulus, junxerat & thalamus.

Ep. XXXI. *Idem*.

Servavi thalamum genio, dulciſſime conjux:
  Servandus nunc eſt pro thalamo tumulus.

Ep. XXXII. *Idem*.

Ornaſti & manes lacrimis miſerabilis uxor,
  Haud optare alias fas erat inferias.

Ep. XXXIII. *Idem*.

Detrahe ſerta comis & amorum oblita tuorum,
  Triſtis, inops pulla veſte Thalia veni.
Non marus Idalia laſciviat improba virga,
  Nec fluat ante tuos lucida palla pedes.
Julius hæc feci Mellitus qui vocor olim
  Cupito Patri, Matri & iuſta meæ.
Depolui conjugemque meam mihi juncta rogatam,
  Ut ſit in æternum condita fama loci.

Ep. XXXIV. *Idem*.

Viximus ad ratum, pietatem implevimus ambo,
Præſtitimus ſobolem femineam duplicem.
Vos quoque qui legitis verſus, & facta probatis,
Diſcite ſic veſtros merito ſancire parentes.
Hos ut ego pius excolerem, tituloſque relinquam,
Vivu' ut ego facerem, fata dedere mihi.
Julius hoc peto nunc a te, dominator Averni,
Cum moriar, jaceant oſſa quieta mihi.

Ep. XXXV. *Idem*.

Hic lapis & tutamen erit poſt morte ſepulcro,
Et dabit indicium obitos hic eſſe ſepultos,
Si tamen ad manes credimus eſſe aliquid.
Vivere quid prodeſt, niſi ſi poſt morte cavemus?
Nomen, fama volat, tantum corpuſque crematur,
Æternamque domum petimus, & fine laborum.
Dum legis hoc, diſce ponere & ipſe tibi.

Ep. XXVVI. *Idem*.

Vibia Phryne vixit ter ſenos annos.
Cara meis vixi: ſubita fatale rapina
Florentem vitam ſuſtulit atra dies.
Hoc tumulo nunc ſum, cineres ſimul namque ſacrati
Per matrem caram ſunt poſitique mei.
Quos pius ſæpe colit fraterque, conjuxque puellæ,
Atque obitum noſtrum fletibus uſque fluunt.
Di Manes me unam retinete, ut vivere poſſint,
Quos ſemper colui viva libente animo.
Ut ſint qui cineres noſtris bene floribus ſertis
Sæpe ornent, dicas, ſit mihi terra levis.

Ep. XXXVII. *Idem*.

Caſta, pudica, decens, ſapiens, generoſa, probata.

Ep. XXXVIII. *Idem*.

Urbis alumna graves caſus huc uſque ſecuta,
Conjugis infelix Atilia cura Philippi,
Hic ſita ſum manibus gratis ſacrata mariti,
Pro cujus vita vitam penſare precanti
Induſſere Dii. ne ceſſet fama, meremur.
Quod credis templum, quod forte viator adoras,
Pomptillæ cineres oſſaque parva tegit.
Sardoa tellure premor comitata maritum,
Proque viro fama eſt me voluiſſe mori.

Ep. XXXIX. *Idem*.

Hic Pomptilla jacet cineri conjuncta Philippi.
Junonis ſedes infernæ cernite cuncti.
Numine mutato fulget Pomptilla per ævum.
Unum & viginti bis juncti viximus annos,
  Una fides nobis gaudia multa dedit.
Et prior ad lectum cum ſim Pomptilla recepta,
  Tempore tu, dixi, vive Philippe meo.
Nunc æterna quies, Ditiſque ſilentia mœſta
  Hanc ſtatuere mihi pro pietate domum.
Languentem triſtis dum flet Pomptilla maritum,
  Pro vita voluit conjugis ipſa mori.
Protinus in placidam delabi viſa quietem
  Occidit. o celeres in mala vota Dei!
Has audite preces vitam ſervare marito,
  Ne pereat vita dulcior ille mihi.

Ep. XL. *Idem*.

Semicapri quicumque ſubis ſacraria Fauni,
  Hæc lege Romana verba notata manu.
Herſilus hic jaceo, mecum Marcella quieſcit:
  Hæc ſoror, hæc genetrix, hæc mihi ſponſa fuit.
Vera negas, frontem trahis, ac ænigmata ſphingis
  Credis? ſunt Pythio vera magis tripode.
Me pater e nata genuit, mihi jungitur illa:
  Sic mihi ſponſa, parens, ſic fuit illa ſoror.

Ep. XLI. *Idem*.

Hic pietatis honos, hæc ſunt pia dona mariti,
  Cui multum dilecta fui ego Marcellina
Pro meritis, cerniſque mihi ſolus conjux Ælius
  Quoque poſt obitum memor amoris dicat.

Ep. XLII. *Idem*.

Invide quid gaudes? illa hic mihi mortua vivet,
  Illa meis oculis aurea ſemper erit.

Ep. XLIV. *Idem*.

Ver tibi contribuat ſua munera florea grata,
  Et tibi grata comis nutet æſtiva voluptas.
Reddat & Autumnus Bacchi tibi munera ſemper,
  Ac leve hiberni tempus tellure dicetur.

Ep.

Ep. XLIV. *Idem*.

Hic ſita, quæ vixit duo de triginta per annos,
Unanimi Calpurniano ſociata marito.
Nomina matura. Tuder eſt mihi nota propago,
Aufidius genitor, genuit me Plania mater.
Quadraginta duos mecum fere flebilis annos
Rapta meis fatis, Superi ſic namque jubebant
Ima penetrali Lucinæ ſacra petenti.

Ep. XLV. *Idem*.

Ille ego, qui varios caſus, varioſque labores
  Suſtinui, ut multas conciliarem opes.
Amiſi moriens rerum quæcumque paravi,
  Et ſatis ad manes ſufficit urna mihi.
At juſta conjux meritos teſtatur honores,
  Æternum retinens conſociata torum.
Nos ætate pares, dulcis dum vita manebat,
  Unus amor junxit, nunc premit una quies.
Diſcite qui legitis factis adquirere famam,
  Ut probat hic tumulus, non perit eſſe bonos.

Ep. XLVI. *Idem*.

Salve care mihi conjunx, dilecta propago,
Condite perpetuis tumulis ſine lucis hiatu,
Defleo te puto, nec ſatis eſt decerpere crines:
Nunc neque te video, nec amor ſatiatur amantis.
Deflent & gemini genitoris imagine capti,
Et conjux miſera finem depoſco dolori.

CLASSIS QUINTA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA AD JUVENES PUELLASQUE INGENUAS PERTINENTIA, CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. I. *Bonada*.

SI non fatorum conſtantia jura fuiſſent,
  Mater in hoc tumulo debuit ante legi.
Quæ rogat, ut dicas motus fatalibus annis,
  Terra ſit hæc Petalo non oneroſa, precor.

Ep. II. *Idem*.

Quiſquis es, huc oculos paulum converte, Viator,
  Et lege, quod nomen hic titulus teneat.
Antonii fratres vivorum plaga parentum
  Perfuncti fato hic tenuere locum.
Ambo per invidiam crudeli funere rapti,
  Ruffinus prior, & Rufinilla dehinc.

Ep. III. *Idem*.

Nil proſunt gemitus: lacrimis corrumpere ocellos
  Deſine, nec duro jam doleas obitu.
Nec tibi, nec nobis æternum vivere juſſit:
  Quod pueri occidimus, fata querenda putas?
Dum ſis in vita, dolor eſt amittere vitam,
  Dum ſemel occidimus, omnia deſpicias.
Orbem ſub legem ſi habeas, num vivis ad Orchum?
  Quid valet? hic nulla eſt divitis ambitio.

Ep. IV. *Idem*.

Me miſerum! fraternus amor perſolvere cogit
  Has, puer, exequias, has, puer, inferias.
Belle puer, formoſe puer, puer unice, dico:
  Quid puer, imo infans: quid puer, imo cinis.
Vix dum natus eras, Lacheſis tua fila recidit,
  Sic lux, quæ fuerat prima, ſuprema fuit.
Nam quaſi momento ſub eodem temporis ad te
  Torva juventa venit, torva ſenecta venit.
Mater abortivum cum te produxit in auras,
  Parturiit puerum, parturiitque ſenem.
Mors & abortivum quæ te produxit in auras,
  Suſtulit & puerum, ſuſtulit atque ſenem.
At puto non rapuit te mors, ſed filia magni
  Cara Jovis Stygio nupta puella Jovi.
Hæc rapuit, paucos ut quum te adoleverit annos,
  Inter delicias te beet illa ſuas.
Creſce puer, tu creſce infans, infantule creſce,
  Creſce puer, creſcas bellule, creſce puer.
Nec deſiderium bellæ remorare puellæ,
  Creſce puelle cito, bella puella rogat.
Creſce cito, interea manibus dabo lilia plenis,
  Miſceboque tuis balſama in oſſiculis.
Tu modo non fratris donum aſpernabere nardum:
  Suſcipe cum nardo, ſuſcipe & has lacrimas.
Suſcipe & hos gemitus fratris, cape & alba liguſtra,
  Albe puer, ſimilant alba liguſtra tibi.
Tu pia verba refer nunc juſta, & juſta ſacerdos:
  Eja age condentur uſtaque, buſtaque humo.

Ep. V. *Idem*.

Di Manes, Manes ſitis, jam morte miſellis

Præpropera ſenibus ſero datum rapitis.
Hic etenim puer eſt Umbri de ſanguine cretus,
Invida quem tenerum Parca tenax rapuit;
Quo matri multos ſcripſit, multos quoque patri
Ingratis annos. vota ſatis miſera.
Nam ſolos ſeptem proles quos duxerit orbes,
Septuaginta forent, ni miſeros cuperet.
Qui pro vinetis, fundis, terraque marique
Hoc ſolum proli, hoc peperere ſolum.

Ep. VI. *Idem*.

Hanc tibi dat tumulum pietatis nomine mater,
Et properat intro ſolvere juſta. vale.

Ep. VII. *Idem*. *In prima columna*.

Quum præmatura raptum mihi morte nepotem
Flerem, Parcarum putria fila querens;
Et gemerem triſti damnatam ſorte juventam,
Verſaretque novus viſcera tota dolor;
Me deſolatum, me deſertum, ac ſpoliatum
Clamans, & largis ſaxa movens lacrimis;
Exacta prope nocte, ſuos cum Lucifer ignes
Spargeret, & volucri roſcidus iret equo;
Vidi ſidereo radiantem lumine formam
Æthere delabi, non fuit illa quies.
Sed verus juveni color, & ſonus, & ſtatus ipſi
Major erat nota corporis effigie.
Ardentes oculorum orbes, humeroſque nitentes
Oſtendens roſeo reddidit ore ſonos.
Adfinis memorande, quid o me ad ſidera Cæli
Ablatum quereris? deſine flere Deum.

Ep. VIII. *Idem*. *In ſecunda columna*.

Ne pietas ignara ſuperna ſede receptum
Lugeat, & lædat lumina triſtitia;
Non ego tartareas penetrabo triſtis ad umbras,
Non Acheronteis tranſvehar umbra vadis.
Non ego cæruleam remo pulſabo carinam,
Nec te terribilem fronte timebo, Charon.
Nec Minos mihi jura dabit grandævus, & atris
Non errabo locis, ne cohibebor aquis.
Surge, refer matri, nec me nocteſque, dieſque
Defleat, ut mærens Attica mater Ityn.
Nam me ſancta Venus ſedes non noſſe ſilentum
Juſſit, & in Cæli lucida templa tulit.
Erigor: & gelidos horror perfuderat artus,
Spirabat ſuavi tinctus odore locus.
Dic nepos, ſeu tu turba ſtipatus amorum,
Lætus Adoneis luſibus intereris;

Ep. IX. *Idem*. *In tertia columna*.

Seu grege Pieridum gaudes, diviſque Camœnis,
Omnis cælicolum te chorus inſequitur.
Si libeat thyrſum gravidis onerare corymbis,
Et velare comam palmite, Liber eris.
Paſcere ſi crines, & lauro redimitus ovanti
Arcum cum pharetra ſumere, Phœbus eris.
Indueris teretes manicas, Phrygiamque tyaram,
Non unus Cybeles pectore vivat Atys.
Si ſpumantis equi libeat quatere ora lupatis,
Cillari formoſus membra vehes equitis.
Sed quicumque Deus, quicumque vocaberis Heros,
Sic ſoror, & mater, ſic puer incolumis.
Hæc dona unguentis, & ſunt potiora corollis,
Quæ non tempus edax, non rapit ira Jovis.

Ep. X. *Idem*.

Bis binos vixit vixdum compleverat annos,
Et nimium fato citius depulſus in antro eſt:
Nec licuit lumen fato ſuperare parentes.
Venit iniqua dies, & acerbæ terminus horæ,
Ut titulum miſeri lacrimis impleret acerbis.
Vivite felices Superi, quorum fortuna beata eſt.

Ep. XI. *Idem*.

Parvulus hic ſitus eſt. vixit tres uſque per annos,
Inque novem menſes, invalidoſque dies.
Nomine Chryſologus amabilis uſque erat infans,
Flebilis & miſere raptus ad inferias.

Ep. XII. *Idem*.

Hoc in ſarcophago genitrix, duo corpora, natos
Condidit infelix, ſemper ſubitura dolore
Quos ſuperat. vivet, vitamque miſerrima ducet
Conjuge prærepto: genitor quibus ipſe miſellis,
Et tibi condiderat vivens commune ſepulcrum.

Ep. XIII. *Idem*.

Funere non æquo puer immaturus obivi,
Marmoreiſque meis hic jaceo tumulis.
Non potui parvus juvenilem implere juventam,
Nec veſtire meam flore novo faciem.
Nec ſenior capiti niveos mutare capillos,
At fati victus ſorte puer perii.
Heu crudele nefas! quæ me generaverat hora,
Hæc eadem vitæ terminus hora fuit.
Non ego quod perii doleo, ſed parvulus infans
Quod, cum plus ſaperem, ſpem merui dubiam.
Si vita incolumis potuiſſet vincere fata,
Creviſſet generis gloria magna mei.
Fortuna inviſa eſt, ſpes eſt fruſtrata jacentem:
Mors cuncta eripuit: dira quies hominum.

Ep. XIV. *Idem*.

Hic Aquilæ cineres miſerabilis urna ſepultos
Contegit, & fatis exproperata nimis.
Occidit infelix cœpto modo flore juventæ,
Quam finiit annus ſeptimus, & decimus.
Formoſus, frugi, doctus, pius a patre mœſto
Accepit tumulos, quos dare debuerat.

Ep.

Ep. XV. *Idem*.

Subductum primæ Pyladen hæc ara juventæ
Indicat exemplum non leve amicitiæ.
Namque ſodalitii ſacravit turba futurum
Nominis indicium, nec minus officii.
Dicite, qui legitis, ſubito de more ſepulto,
Pro meritis, Pylades, ſit tibi terra brevis.

Ep. XVI. *Idem*.

Hunc pater & mater nato fecere ſepulcrum,
Oſſaque funeſtis fluctibus adluerunt.
Sed quoniam multi talem ſentere dolorem,
Nec quiſquam ſeri vincere vim potuit;
Deſinite extinctum dulces me flere parentes,
Deſinite & fati triſtia jura queri.

Ep. XVII. *Idem*.

Hic puer octavo fraudatus clauditur anno,
Impia quem fato ſacra ruina premit.
Nomen erat Clemens minime lædendus & annis.
Spes erat in puero: nunc cinis & gemitus.

Ep. XVIII. *Idem*.

Muſica cum cantu reſonares carmina mire,
Adſtas, parve puer, dulci celebratus amore,
Morte gravi raptus tetra defungeris hora,
Immeritus decimo prægreſſus nobilis anno,
Sed te noſter amor memori pietate reformat.
At quantum te terra tegat miſerabilis ima,
Sic dolor in parvo creſcit referente ſepulcro.

Ep. XIX. *Idem*.

Hoc Epios tumulo Cinira eſt cum Patre ſepultus,
Ante ſuos annos quos tegit atra cinis.
His tumulum parvum Mater cum carmine fecit,
Ingenio quorum terram optate levem.

Ep. XX. *Idem*.

Hic jaceo Optatus pietatis nobilis infans,
Cui precor ut cineres ſint lilia, ſintque roſæ.
Terraque, quæ mater nunc eſt, tibi ſit levis, oro;
Namque gravis nulli vita fuit pueri.
Ergo quod miſeri poſſunt præſtare Parentes,
Hunc tumulum nato conſtituere ſuo.

Ep. XXI. *Idem*.

Quamvis inſcriptum ferali carmine ſaxum
Sæpe legas noſtro non puto flebilius;
Siſte gradum, parvamque moram concede, Viator,
Aſpicies quantas liquerimus lacrimas.
Una forte die duplici nos pondere Mater
Edidit heu ſimiles, heu male diſſimiles.
Invida bis denos Lacheſis conceſſerat annos,
Nondum alio pleno, quod dederat, rapuit.
Nomine Acilianus, quo nomine nunc ſoror orba eſt:
Vivat, & a fatis ſit procul uſque meis.

Ep. XXII. *Idem*.

Debuit hoc patris natus duo corpora humare:
Corpora ſemianimes corpus inane colunt.
Qui quia non poſſunt donis æquare merentem,
Reſpondere queunt, Baſſe, tuis meritis.

Ep. XXIII. *Idem*.

Debuit hoc natus nobis præſtare duobus,
Ut cineres patrios dederet inferiis.
Sed quoniam diræ genuerunt fata volucres,
Te, Baſſe, ereptum flevimus ante rogum.

Ep. XXIV. *Idem*.

Hæc ſunt parvæ tuæ, meæque ſedes,
Hæc certa eſt domus, hæc colenda nobis,
Hæc eſt, quam mihi ſuſcitavi vivus.

Ep. XXV. *Idem*.

Si qua tamen pietas gelidos movet anxia manes,
Rumpe moras, ſpes hæc ſola eſt mihi gratia vitæ.

Ep. XXVI. *Idem*.

Florentem ſpeciem rapuere noviſſima fata,
Forma rudi puerum Priſcum agnomine quondam,
Quem genitor, cives, cuncti flevere propinqui.

Ep. XXVII. *Idem*.

Quod vixi flos eſt. ſervat lapis hic mihi nomen.
Nolo Deos Manes. flos ſatis eſt titulo.

Ep. XXVIII. *Idem*.

Qui legis, has pueri moribundas perlege voces,
Et lacrimam fatis da gemitumque meis.
Murra patris primum referens e nomine patrem
Amborum effigiem matre favente tuli.
Bis mihi ſeptenos ætas oſtenderat annos,
Certaque jam noſtri famæ pudoris erat;
Cum ſubitæ mortis pro fallax cauſa fuiſti
Luſus, & æqualis non inimica manus.
Non temere emiſſus, non ad mea funera clavus
Hæſit, & in tenero vertice delituit.
. . . . . . primum perculſi vulnere manes,
Parcite jam luctus ſollicitare meos.
. . . . . . poſuiſtis funere nati. . . .
Trimus & in decimo menſe ſepulte jaces.
. . . . . . Vocarunt.
Immunes noſtris oſſibus, urna ſat eſt.

Ep. XXIX. *Idem*.

Hic ſitus ille ego Merulator Publius ipſe,
Quod vocitatus eram Bæbius cognomine Patris.
Ro-

Roma mihi patria: nomen meum: primus in ævum:
Hos verſus fraterque, ſoror, tumuloque dicarunt,
Qui pietate ſua merito laudem potuere.

Ep. XXX. *Idem*.

Camillus Aquilejus ſe vivo inſcribi juſſit ſic.
Non fui, deinde fui, modo non ſum.
Aſpice, quam ſubito marcet quod floruit ante,
Aſpice, quam ſubito quod ſtetit ante cadit.
Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.
Illa eadem vitam, quæ inchoat, hora rapit.

Ep. XXXI. *Idem*.

Deſine jam mater lacrimis renovare querelas,
Namque dolor talis non jam tibi contigit uni.

Ep. XXXII. *Idem*.

Florentes annos ſubito nox abſtulit atra.
Vivite felices, moneo. mors omnibus inſtat.

Ep. XXXIII. *Idem*.

Quem quoniam Manes ut alumnum Di rapuerunt,
Ne calcare velis, nec gravis eſſe loco.

Ep. XXXIV. *Idem*.

Heu crudele nimis fatum! duo funera mœrens
Plango, vir & genitor flebile merſa Deo.
Sat fuerat, Portmneu, cymba vexiſſe maritam,
Abreptamque mihi ſede jacere tua.
Adjecit Clotho iteratum rumpere filum,
Ut natum raperet triſtis ut ante mihi.
Me decuit morti prius occubuiſſe ſupremæ,
Teque mihi tales, nate, dare obſequias.
At tu ne propera, ſimili qui ſorte teneris,
Nunc annos titulo, nomina ut ipſa legas.
Illa bis undenos vixit, natus quoque ſenos:
Nomen huic Prorus eſt, huic quidem Athenaidis.
Quas ego, quas genitor pro te dabo, nate, querelas,
Raptum quem Stygio detinet unda lacu.
Quam bene bis ſenos florebas nate per annos,
Credebamque Deis vota placere mea.
Stamina ruperunt ſubito tua candida Parcæ,
Abſtuleruntque ſimul vota preceſque mihi.
Cum te, nate, fleo, planctus dabit Attica Aedo,
Et comes lacrimis veniet pro conjuge Siren:
Semper & Alcyona flebit te voce ſuprema,
Et triſtis mecum reſonabit carmen & Echo,
Oebaliuſque dabit mecum tibi murmura Cycnus.

Ep. XXXV. *Idem*.

Nomine quo genitor mihi dicitur, hoc ego vixi.
Telephus eſt genitor, Telephus ipſe fui.
Auguſtina Parens quatro me flebilis anno,
Ter decimoque die perdidit orba ſatum.
Non igitur lector lacrimes: decepit utroſque
Maxima mendacis fama Mathematici.

Ep. XXXVI. *Idem*.

Quintum annum, & decimum Narciſſus flore juventæ
Hoc jacet abreptus conditus in tumulo.
Quiſquis ades lector, fatum miſerabile cernis,
Parcæ nam impubem quem rapuere mihi.
Mœret caſta ſoror, quæ fratrem luget ademptum;
Mater hebet. natum florem lux candida torquet.

Ep. XXXVII. *Idem*

Vivite felices, moneo. mors omnibus inſtat.
Exemplum a nobis diſcite, qui legitis.

Ep. XXXVIII. *Idem*.

Cajus Rutilius Rufinus nominor ille,
Annos qui vitæ linquo novem atque decem.
Heu ſcelus, heu crudele nefas, facinuſque tremendum!
Cum fateare vides, quam miſer eſt genitor.
Qui me conſpexit moribundum, qui mea clauſit
Lumina diverſis ætatis vicibus.
Quos non ille prius, qua non ego voce rogavi
Infelix Superos, nec valuere preces.
Sed vis major agit mortis jam jamque, parens, aut
Mecum ſemper eris, aut dolor una obiet.

Ep. XXXIX. *Idem*.

Vervex & pueri, puer unus, ſponſa, maritus
Cultello, lympha, fune, dolore cadit.

Ep. XL. *Idem*.

Quod tu debueras frater poſt tempora no...
Majorum ut faceres morte ſuprema mi...
Feci ego cum miſeris miſeros quos den..,
Invida quod pietas lege ſiniſtra tulit.

Ep. XLI. *Idem*.

Hic ſitus Amphion ereptus prima juventa,
Nondum terdenos numerabat temporis annos.
Heus immatura mors properata ſibi.

Ep. XLII. *Idem*.

Hoſpes, diſce novum mortis genus. improba feles
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

Ep. XLIII. *Idem*.

Tu quicumque mei veheris prope limina buſti,
Supprime feſtinum quæſo, Viator, iter.
Perlege ſignum. quam doleas pro funere acerbo,
Invenies titulo nomina fixa meo.
Roma mihi patria eſt, media de plebe parentes,
Vita fuit nullis tunc violata malis.
Gratus eram populo quondam, notuſque favore,
Nunc ſum defleti parva favilla rogi.
Quis bona non hilari vidit convivia vultu,
Atque meos mecum pervigilare jocos?
Quondam ego Pierio vatum monimenta canore
Doctus Cygneis enumerare modis;
Doctus Maronio ſpirantia carmina verſu,
Dicere Cæſareo carmina nota foro.
Nunc amor, & nomen ſupereſt de corpore toto,
Quod ſpargit lacrimis mœſtus uterque parens.
Serta mihi, floreſque novos mea gaudia ponunt:
Fuſus in Elyſia ſic ego valle moror.

Quod

Quot meat in ſtellis, dedit hinc quot Pegaſus ales,
Tot mea natales fata dedere mihi.

Ep. XLIV. *Idem*.

Diſpar damna lege Parcarum, & ſtamina diſpar:
Hæc ridenda mihi eſt, hic lacrimandus erit.
Hæc namque emeritos bis quadraginta per annos
Vixit, at hic tertio conſule natus obit.
Cur modo tam præceps, iterum tam ſera fuiſti
Funeris amborum, dic rea Perſephone.
Vix lucem vidiſſe fatis qui vivere poſſet,
Vivere quæ nollet, vix potuiſſe mori?

Ep. XLV. *Idem*.

Artibus ingenuis cura perdocta ſuarum,
Sortita egregium corporis omne decus.
Nondum bis ſeptenis plenis prærepta ſub annis
Hac Corale caſta condita ſede jacet.
Ludite felices, pariter dum vita, puellæ.
Sæpe & formoſas fata inuſtra ferunt.

Ep. XLVI. *Idem*.

Nome fuit nomen. hæſit naſcenti Cuſuccia,
Utraque hoc titulo nomina ſignifico.
Vixi parum, dulciſque tui, dum vixi, parenti;
Hoc titulo tegeor, debita perſolui.
Quiſque legis titulum ſentis quam vixerim parum:
Hoc peto nunc dicas, ſit tibi terra levis.

Ep. XLVII. *Idem*.

Nata ſed in lacrimis, ſolum dolor omnibus, infans
Hic ſita ſum, vixi tempus inane meis.
Annus erat natæ primus, mox deinde ſecundi
Liminibus rapuit me ſibi Perſephone.

Ep. XLVIII. *Idem*.

Oſſa ſub hac lapidum felicia mole quieſcunt,
Sacra animam innuptæ Virginis aula tenet.

Ep. XLIX. *Idem*.

Umbrarum ſecura quies, animæque piorum
Laudatæ, colitis quæ loca ſancta Erebi:
Sedes inſontem Magnillam ducite veſtras,
Per nemora & campos protinus Elyſios.
Rapta eſt octavo fatis inſtantibus anno,
Carpebat vitæ tempora dum teneræ.
Formoſa, & ſenſu mirabilis, & ſuper annos
Docta, decens, dulcis, grataque blanditiis,
Perpetuo talis gemitu lacrimiſque colenda,
Infelix ævo tam cito quæ caruit.
An felix ægræ potius ſubducta ſenectæ?
Hic Hecuba flevit, Penthesilea minus.

Ep. L. *Idem*.

Heus tu qui tranſis ſecura mente, viator,
Siſte gradum, hoc tumulo verba notata lege.
Antilla hic jaceo nondum trieteride plena,
Bis mihi cum vita carior omnis erat.

Ep. LI. *Idem*.

Fœcundum novies Romæ natam obruit altæ
Poſt duo me natos Arcianenſe ſolum.
Sergia mi nomen fuerat, Volumnius inquam
Conjux, fata cujus fauſta fuere parum.

Ep. LII. *Idem*.

Lucius ingenti Romana ſtirpe Volumnus,
Quo cerne ingentem fata tulere mea.

Ep. LIII. *Idem*.

Decipimur votis, & tempore fallimur, & mors
Deridet curas anxia vota nihil.

Ep. LIV. *Idem*.

Quod decuit natam patri præſtare ſepulto,
Hoc contra natæ præſtitit ipſe pater.

Ep. LV. *Idem*.

Verius hunc tumulum Matri tu nata dicaſſes,
Quem mater miſeræ nunc tibi, nata, facit.
Bis lenos completam annos te, filia, matri
Eripuit miſeræ mortis iniqua dies.
Obteſtor manes meritæ, ſanctæque Patronæ,
Comprecor, ut leni terra tegat tumulo.

Ep. LVI. *Idem*.

Have Septima. ſit tibi terra levis.
Quiſquis hoc tumulo poſuit ardente lucernam,
Illius cineres aurea terra tegat.

Ep. LVII. *Idem*.

Hic ſum Baſſa ſita pia filia,
Virgo pudica, excedens
Cunctas ingenio æquales.
Cum mihi bis quinos annos mea fata dediſſent,
Undecumum me non licuit perducere annum,
Cumque pater materque Deos pro me adularent,
At ſævos Pluto rapuit me ad infera templa:
Opſide me Parcæ finem feciſſe videntur,
Cum ante alios vernas tres rapuere mihi.
Si quis forte mea gaudet de morte iniqua,
Huic ſit iniqua Ceres, perficiatque fame.

Ep. LVIII. *Idem*.

Quod dulces nati, quod cara pignora præſtant,
Continet hic tumulus, membra qui parva retentat.
Dolorem ſine fine dedit Felicitas. iſto
Clauditur infelix falſo cognomine dicta.
Nam cui prima dies in lucem protulit annos
Quatuor, & male cum quintum ſumeret ortum,
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo:
Hæc mater, & genitor conſcribunt carmina buſto,
Quo legenti ſimul redeat ſub corde figura,
Et ſiccato ſæpe madeſcant lumina fletu
Sic medicatur amor, nec curant carmina manes.

Ep. LIX. *Idem*.

Felix hæc viſa eſt naſcendi lege puella,
Quæ non eſt miſeros tum ſortita lares.
Sed legem fatis Parcæ dixere cruentam,
Primus natalis condat ut oſſa ſua.
Cognomen pater huic fuerat natale daturus,
Suſtulit atra dies una cum corpore nomen.

Ep. LX. *Idem*.

Rapta ſinu Matris jacet hic miſerabilis infans,
Ante novem plenos lunæ quam viveret orbes;
Hunc pater & mater mœſti flevere jacentem,
Parvaque marmoreo clauſerunt oſſa ſepulcro.

Ep. LXI. *Idem*.

Cernis, ut orba meis hoſpes monumenta locavi.
Et triſtis ſenior natos miſeranda requiro.
Exemplis referenda mea eſt deſerta ſenectus,
Ut ſteriles vere poſſint gaudere maritæ.

Ep. LXII. *Idem*.

Invida ſors fati rapuiſti utilem
Sanctam puellam bis quinos annos,
Nec patris ac matris es miſerata preces.
Accepta, & cara ſuis mortua hic ſita ſum:
Cinis ſum, cinis terra eſt, Terra Dea eſt:
Ergo ego mortua non ſum.

Ep. LXIII. *Idem*.

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Ep. LXIV. *Idem*.

Tu pater, & mater lacrumis retinete dolorem,
Nam fato raptam non potes eripere.

Ep. LXV. *Idem*.

Sum caſtæ cinerum lapis puellæ
Cuſtos. me relegens pius Viator,
Hujus cognita ſi tibi fuiſſet
Virtus, lacrimulis tuis rigares.

Ep. LXVI. *Idem*.

Quiſquis ades, celeri greſſu precor ito viator,
Ito procul, & linque nefas, tibi dico, viator.
Parce oculis, nec noſtra velis cognoſcere fata,
Sanguinea palla quæ texit prodiga Clotho,
Et pavit rupiſſe ſuas quoque fila ſorores.

Ep. LXVII. *Idem*.

Luctifica properante manu jam ſiſte viator,
Ne tibi ſim penitus quærenti cauſa doloris.
Sede ſub hac parva titulo parvoque tenetur
Parva anima, dolor immenſus, crudeleque funus,
Orbatuſque parens geminus, ſpes dura trienni,
Diraque ſors leti. placet hoc fortuna ſepulcrum.

Ep. LXVIII. *Idem*.

Ummidiæ manes tumulus tegit iſte, ſimulque
Primigeni vernæ, quos tulit una dies.
Nam Capitolinæ compreſſi examine turbæ
Supremum fati competiere diem.

Ep. LXIX. *Idem*.

Hic jacet exanimis tumulis Ælia Sabina
Cum ſua nata ſimul, fœtu quem procreat ipſa.
O fortuna fidem quantam mutaſti maligne!
Quem genuit genitrix, ſecum tenet in Lare Ditis.

Ep. LXX. *Idem*.

Oſſa pia, cinereſque ſacri hic ecce quieſcunt.

Ep. LXXI. *Idem*.

Hoc Anuline mei memorantur carmine manes,
Parvola, quæ vix denos . . . . . . menſes.
Sed mea divina non eſt itura ſub umbras
Cæleſtis anima: mundus me ſumpſit, & aſtra:
Corpus habet tellus, & ſaxum nomine inane.

Ep. LXXII. *Idem*.

Heu poſitæ gnatæ triſtes poſuere parentes.

Ep. LXXIII. *Idem*.

Immatura quies, quos abſtulit, hic ſiti ſunt tres,
Mater cum parvis pignoribus geminis.
Pollia Saturnina parens triginta per annos
Vixit, & enituit docta ſonare melos.
Octo puer Titius proles cito rapta Philippus,
Et fratri tenero carior una ſoror.
Ælia Saturnina obiit uno inſuper anno,
Nec ſaltus vitam protulit, aut choreæ.

Ep. LXXIV. *Ex Tom. I. Spicilegii Biblici ad Gen. II. 17. pag. 35. Can. Mazzocchii*.

Una dies adimit crudeli clade peremptas,
Queis ara hæc poſita eſt, pœna hominis miſeri.
Filia namque perit, periit & mater, eundem
Deſerit illa patrem, deſerit illa virum.

Ep.

Ep. LXXV. *Ex Schedis Cl. V. Mauri Sartii.*

Hic maxima jacet nunc Vidia ſunere acerbo
Rapta patri & matri, raptamque ſorori,
Duo & quaterni vitæ compleverat annos.

Ep. LXXVI. *Muratorius.*

Terminus eſt vitæ noſtræ tertius & viceſimus annus,
Cum me florentem combuſſere parentes.
Vixi ego, dum licuit, ſuperis acceptior una,
Cui nemo potuit verbis maledicere acerbe.
Crudele pater funus nati vidiſſe videris,
Et pia complexu mater ſpoliata ſeneſcens.
At tu dulcis ſoror extincto me ſolare parentes.
Crudelis Pluton nimia ſævite rapina,
Parce precor noſtram jam lacerare domum.
Te lapis obteſtor leviter ſuper oſſa reſidas,
Ne noſtro doleat conditus officio.
Deſine jam fruſtra, mater mea, deſine fletu
Te miſeram totos exagitare dies.
Namque dolor talis non nunc tibi contigit uni:
Hæc eadem & magnis regibus acciderunt.

Ep. LXXVII. *Muratorius.*

Ego lamentale peregi.
Nunc rapior tenebris, & tegit oſſa lapis.
Deſine ſoror me jam flere ſepulcro.
Hoc etiam multis regibus hora tulit.

Ep. LXXVIII. *Catalecta Petroniana.*

Forma, atque illecebris Veneri vixi æmula: livor
Saxo delicias invidus occuluit:
Artificis pietate iterum rediviva placebam,
Ni me vidiſſet Cypris marmoream.
Si fructus proprio ſurgit de germine, tellus
Si reparat ſparſis debita ſeminibus,
Naſcentur tumulo formæ, nova meſſis, honores,
Et lepor, & ſuavis gramina nequitiæ.

CLASSIS SEXTA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA AD LIBERTOS LIBERTASQUE PERTINENTIA, CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. I. *Bonada.*

QUi colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Atin,
Dum vacat, & tacita Dyndima nocte ſilent,
Flete meos cineres. non eſt alienus in illis
Hector, & hoc tumulo Mygdonis umbra tegor.
Ille ego qui magni parvus cognominis heros
Corpore in exiguo res numeroſa fui.
Flectere doctus equos, nitida certare palæſtra,
Ferre jocos aſtu, fallere noſce fidem.
At tibi dent Superi, quantum Domitilla mereris,
Quæ facis, exigua ne jaceamus humo.

Ep. II. *Idem.*

Liberta, & conjux Petronia cara Patrono
Thalluſa hoc tumulo condita luce caret.
Quæ bis vicenos complerat lucibus annos,
Erepta eſt ſubito conjugis e gremio.
Hanc ſic aſſidue deflet Petronius, ut jam
Deficiant oculos lumina cara ſuos.
Deſine per terras infernas tendere ad arces.
Fata eadem dederant, fata eademque negant.

Ep. III. *Idem.*

Hæc quæ me faato præceſſit corpore caſto,
Conjunxs una meo prædita amans animo,
Feido feida viro veixſit ſtudio parili,
Quum nulla inavarities ceſſit ab officio.

Ep. IV. *Idem.*

Viva Philematium ſum Aurelia nominitata,
Caſta, pudens, volgei neſcia, fida viro.
Vir conlibertus fuit eidem, quo careo.
Eheu ree fuit ee vero plus ſuperaque parens.
Septem me naatam annorum gremio ipſe recepit.

Ep. V. *Idem.*

Dextera fama mihi fuit, & fortuna patrona,
Magnifici conjunx Cæſaris illa Dei.
Qua bene tutus eram, carus, nec vilis amicis,
Queis etiam mihi plurima cura fuit.
Athis cauſa meæ vitæ, quæ cara ſepulcro
Condidit oſſa ſuo: nominor Ikadius.

Ep. VI. *Idem.*

Una juveniles domus hos produxit alumnos,
  Libertatis opus contulit una dies.
Naufraga mors pariter rapuit, quos junxerat ante,
  Et duplices luctus ſic periniqua dedit.

Ep. VII. *Idem.*

Hoc mihi noſter Herus ſacravit inane ſepulcrum,
  Villæ tecta ſuæ propter ut aſpicerem:
Utque ſuis manibus flores mihi, vinaque ſæpe
  Funderet, & lacrimam, quod mihi pluris erit.
Noſtros nam cineres Pollentia ſæva ſubegit:
  Eſt & ibi tumulus, nomen & ara mihi.
Nec tamen aut illic ſubter crudelia buſta,
  Aut iſtas ſedes noſtra ſubiit anima:
Sed petat Aſſyrios, petat ille licebit Hiberos,
  Per mare, per terras ſubſequitur dominum.

Ep. VIII. *Idem.*

Quid ſibi vult, quæris, tellus congeſta, Viator?
  Oſſibus hic uxor miſcuit oſſa meis.
Nobilis Euphroſyne, facilis, formoſa puella,
  Docta, opulenta, pia, caſta, pudica, proba.
Fortunam mirere meam, verum exitus hic eſt
  Omnium: mecum uno compoſui tumulo.
I nunc, & quidquid votis melioribus opta:
  Abſumit tecum ſingula Sarcophagus.

Ep. IX. *Idem.*

Si penſare animas ſinerent crudelia fata,
  Et poſſet redimi morte aliena ſalus;
Quantulacumque meæ debentur tempora vitæ,
  Penſarem pro te, o Homonœa libens.
At nunc, quod poſſum, fugiam lucemque, deoſque,
  Ut te matura per Styga morte ſequar.
Parce tuam conjux fletu quaſſare juventam,
  Fataque mœrendo ſollicitare mea.
Nil proſunt lacrimæ, nec poſſunt fata moveri.
  Viximus. hic omnes exitus unus habet.
Parce: ita non unquam ſimilem experiare dolorem,
  Et faveant votis numina cuncta tuis.
Quodque mihi eripuit mors immatura juventæ,
  Id tibi victuro proroget ulterius.

Ep. X. *Idem.*

Tu, qui ſecura procedis mente, parumper
  Siſte gradum quæſo, verbaque pauca lege.
Illa ego, quæ claris fueram prælata puellis,
  Hoc Homonœa brevi condita ſum tumulo.
Cui formam Paphiæ Charites tribuere decoram,
  Quam Pallas cunctis artibus erudiit.
Nondum bis denos ætas mea viderat annos,
  Injecere manus invida fata mihi.
Nec pro me queror. hoc morte eſt mihi triſtior ipſa
  Mœror Atimeti conjugis ille mei.
Sit tibi terra levis, mulier digniſſima vita,
  Quaque tuis olim perfrueare bonis.

Ep. XI. *Idem.*

Quod viva merui, moriens quod & ipſa rogavi,
  Conjugis hoc mœſti reddidit ecce fides.
Sit licet infernæ mortis triſtiſſimus horror,
  Me tamen illius credo jacere toris.
Conjugii memor umbra mei, dum teſtor amores,
  Te, pie poſſeſſor, ſive colone, precor,
Ne patiare meis tumulis increſcere ſilvas:
  Sic tibi dona Ceres larga det, & Bromius.

Ep. XII. *Idem.*

Suetrius Hermes hic ſitus eſt, cui tertia conjux
Aram conſtituit digno meritoque marito,
Cum quo concordem vitam, multoſque per annos
Vixit, & heu tenero caſu ſubtracta marito eſt.
De cujus fama multi cum laude loquuntur,
Quod fuerit cultor domini, rerumque & amator.
Tu, qui tranſis, dic, ſit tibi terra levis.

Ep. XIII. *Idem.*

Cunctorum hæc ſoboli ſedem poſt morte reliquit,
  Ante tamen nato, conjuge & ante ſuo.
Nondum ſecura dum flet mœſtiſſima mente,
  Occidit, & triſtes decepit mæſta fovendi.
Sed nos ſolliciti, memoreſque parentis amore
  Matrem cum nato, conjuge cumque ſuo
Securos colimus memores de nomine noſtro,
Et faciet ſoboles multos memorata per annos,
Sacra Deis, patribuſque ſuis, memoreſque priorum,
Et memores noſtri, noſtrorumque alta propago,
Æterno ſervent ſemper memorabile nomen.
Quiſquis es, aut olim noſtra de ſtirpe futurus,
    Sis memor antiqui nominis, & tituli.
    In quorum titulo hic datur eſſe locus,
    Et domus æternæ tu tueare focos.

Ep. XIV. *Idem.*

Quandocumque levis tellus mea conteget oſſa,
  Inciſum & duro nomen erit lapide;
Quod ſi forte tibi fuerit fatorum cura meorum,
  Ne grave ſit tumulum viſere ſæpe meum.
Et quicumque tuis humor labetur ocellis,
  Protinus inde meos profluat in cineres.

Ep. XV. *Idem.*

Quid lacrimis opus eſt, Ruſticelle cariſſime conjux,
Extinctos cineres ſollicitare meos?
Una domus cunctis neu fugienda viris,
Ut quæ volui tempore tempus habet.
Nondum vicenos annos compleverat annus,
Supremum Parcæ forte dedere mihi.

Ep. XVI. *Idem.*

Murria hoc titulo patronum pietatis honorat,
Quidquid id eſt gratum manibus officium.
Non juſſa tamen, nec voce rogata
Hic aliis obiit, vivit libertæ ſuæ ſuavis patronus.

Ep.

Ep. *XVII.* *Idem.*

Seu mortis miſeret, ſeu te vitæ, perlege.
Nomen Xantippe Jata, idem ludicro
Quod exprimens dolore fugit anima corpore,
Hic conquieſcit cunis terræ mollibus,
Quam trino annorum filo proterentia
Novem poſt menſum fata conficiunt mala.
Lues ignita torret noctes & dies.
Venuſta, amœna, inepiiens & garrula,
Quam, ſi qua pietas inſita 'ſt cæleſtibus,
Viventi ingenio ſoli & luci reddite,
Altoris memorem, quem parentes dixerant,
Cum primum natus 'ſt, Lucilianum Callium.

Ep. XVIII. *Idem.*

Diva precor tellus alvo complectere ſancta
Oſſua, quorum in hoc nomina ſunt lapide.

Ep. XIX. *Idem.*

Tempore ſupremo fauſte eſt tibi cura videndi.
Si perlegiſti, venias licet & requieſcas.
Annuis, an refugis? fruſtra.
Hæc domus, hæc requies omnibus una manet:
Huc veniendum inquam.

Ep. XX. *Idem.*

Ac veluti formoſa roſa cum tempore prodit,
Areſcit certo tempore deinde ſuo;
Sic tu cœpiſti primo formoſa Anna videri
Tempore, ſed ſubito deſinis eſſe mea.
Hoc ſtabilis tuus heu, quo poſſum munere parvo
Proſequar, atque opto, ſit tibi terra levis.

Ep. XXI. *Idem.*

Non æquos Parcæ ſtatuiſtis ſtamina vitæ,
Tam bene compoſitos potuiſtis ſede tenere.
Amiſſa eſt conjunx, cur ego & ipſe moror?
Si felix eſſem, Piſte mea vivere debuit.
Triſtia contigerunt, qui amiſſa conjuge vivo.
Nil eſt tam miſerum, quam totam perdere vitam,
Nec vitæ naſci. dura peregiſtis crudelia penſa ſorores,
Ruptaque deficiunt in primo munere fuſi.
O nimis injuſte! ter denos dare munus in annos
Deceptus, gravius fatum ſic preſſit egeſtas.
Dum vitam tulero, primus Piſtes lugeo conjugium.

Ep. XXII. *Idem.*

Quæ tibi cumque mei potuerunt pignora amoris
Nata dari, populo ſunt lacrumante data.
Et volui majora nimis, ſed cura meorum
Fida mei prohibet me cinerem eſſe rogi.

Ep. *XXIII.* *Idem.*

Raptus ego Superis, patribuſque ablatus inique,
Cum frui debueram ætate florida luce,
Hic requieſco locis, vitam cui fata negarunt,
Præcipitem memet Superi miſere ſub aulas,
Ac tumulo cluſere gravi: uſus & arſque
Mihi fuerat ſtudioſo corde reperta,
Maxima quadrupedum cura, ſtudia quoque plura fuerunt,
Ingenio ſemper plenus, probitate beatus,
Ut quandoque ſimul patribus finito lumine vitæ
Manibus his quieti pariter ſociabimur una.
Quiſque legis, doleas, devites talia fata.

Ep. *XXIV.* *Idem.*

Florus ego hic jaceo bigarius infans,
Qui cito dum cupio currus, cito decido ad umbras.

Ep. XXV. *Idem.*

O utinam vivo potuiſſem præmia morum
Reddere: nunc lacrimas accipe pro meritis.
Nam ſemper, fateor, tacita te mente probavi,
Detexit ſenſus ultima flamma meos.
Tu columen rerum, ſemper tu cura mearum
Nunc eris, & luctus tu quoque cauſa mei.
Oſſibus infundam quæ numquam vina bibiſti.

Ep. XXVI. *Idem.*

Hic dormit Lucas Agathenſis gentis alumnus,
Functus in hac aula cardinis officio.
Juſtitiæ fons, munditiæ vas, lex pietatis,
Lux fidei, at dominis devia ſpes miſeris.
Ut voluit Deus hunc mundi finire laborem,
Suſtulit ipſe animam, & reddidit oſſa mihi.

Ep. XXVII. *Idem.*

Lege æviterna traditus leto puer
Bis octo in annis hocce ſub tumulo jacet,
Quem cuncta flevit turba, multo plus herus.
Specie obnitentem moribus cum vinceret
Hic Phocaenſium civis in patrio ſolo,
Hunc Italorum ditis intra terminos,
Nomen tenebit Iſidis nati puer.

Ep. XXVIII. *Idem.*

Pallados inventum, medicinalemque laborem,
Quod feci ſtudio proximus ipſe meo;
Teſtor nunc ſuperos, non hoc meruiſſe videbar,
In volnus generis quod ſubito occidimus.
I nunc & dubias fatorum neglige clades.
Conjux, quod potuit, tumulum mihi reddidit uni.

Ep. *XXIX.* *Idem.*

Deſine jam fruſtra mater, mater mea, deſine fletu
Te miſeram totos exagitare dies.
Namque dolor talis non nunc tibi contigit uni,
Hæc eadem & magnis regibus acciderunt.

Ep. XXX. *Idem.*

Maximus hic recubo dulciſſimus infans,
Bimulus in tertium eſcendens. ſit mihi terra levis.
Dulcis eram matri, carior uſque Patri.

Ep. XXXI. *Idem*.

Sei qua renaſcentes optant certamina laudis,
Ex noſtra aſpiciant facta priora fide.

Ep. XXXII. *Idem*.

Seu ſtupor huic ſtudio eſt, ſive eſt inſania nomen,
Omnis ab hac cura cura levata mea eſt.

Ep. XXXIII. *Idem*.

Quicumque es, puero lacrimas effunde, Viator:
Bis tulit hic ſenos primævi germinis annos,
Deliciumque fuit Domini, ſpes grata Parentum,
Quos male deſeruit longo poſt fata dolori.
Noverat hic docta fabricare monilia dextra,
Et molle in varias aurum diſponere gemmas:
Nomen erat puero, Pagus: at nunc funus acerbum,
Et cinis in tumulo jacet, & ſine nomine corpus.

Ep. XXXIV. *Idem*.

Hic ſitus eſt quondam Gelli pars maxima Phœbus;
Adſectus omnes poſſidet ipſe lapis.
Vix conſummavit ſeptem quinquennia luſtri,
Oſcula ferventem nec tenuere animam.
Quod ſi mutari potuiſſent fila ſororum,
Gauderet condi Maximus hoc tumulo.

Ep. XXXV. *Idem*.

Te, lapis, obteſtor, leviter ſuper oſſa reſidas,
Ne noſtro doleas condita officio.

Ep. XXXVI. *Idem*.

Hi ſancte coluere Deos, vixere probati,
Pob obitum Elyſios ut poſſent viſere campos.

Ep. XXXVII. *Idem*.

Ereptam viro & matri mater me terra recepit,
Cum ad mortem matris de gremio rapior.
Omnibu' cara fui: vive cariſſuma Matri,
Adverſis quæ me ſuſtulit ominibus.
Deſine jam fruſtra, mater mea, deſine fletu
Te miſeram totos ſollicitare dies.

Ep. XXXVIII. *Idem*.

Hic ſum Peſtejus vitæ modo fine peracto
Conditus, Hiſtriacæ nobilis artis honos.
Ter ſenos annos Aſclepiadorus ad æquam
Matrem abeo terram, qua prius ortus eram.

Ep. XXXIX. *Idem*.

Hoc jacet in tumulo ſecura Glyconis honeſto,
Dulcis nomine erat, anima quoque dulcior ipſa,
Sic numquam tetricos egit ſibi lucis honores,
Sed magi' laſcivos ſuavis Bacchoque madere,
Simplicitate loqui: cantus molleſque choreas
Luſibus ipſa ſuis generabat, ſæpe & amores.
Dulce ſibi natiſque ſuis, quos pube reliquit,
Caſtorea fratres ſub imagine quos generavit.
Digna quidem frui perpetua de luce benigna,
Sed celerat, qua nos fata benigna vocant.

Ep. XL. *Idem*.

Docta lyra, grata & geſtu, formoſa puella,
Hic jacet æterna Sabis amata domu.
Cujus fatales penſare optaverat annos,
Ponticus huic conjux ultima dona dedit.
Hunc tumulum ſocios manes commune ſepulcrum.

Ep. XLI. *Idem*.

Laudatus populo, ſolitus mandata referre,
Adlectus ſcenæ Paraſitus Apollinis idem
Multarum in mimis ſaltantibus utilis auctor.

Ep. XLII. *Idem*.

Tu qui tendis iter properatim, ſiſte parumper,
Si grave non animo 'ſt, fataque acerba lege.

Ep. XLIII. *Idem*.

Servilia Irene reverens, pia, caſta, pudica,
Bis quinos denos & ſex p ovecta per annos.
Sit tibi terra levis, cineres quoque flore tegantur.

Ep. XLIV. *Idem*.

Hic jacet exiguis Dionyſia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Cujus in octava laſcivia ſurgere meſſe
Ceperat, & dulces fingere nequitias.
Quod ſi longa tuæ manſiſſent tempora vitæ,
Doctior in terris nulla puella foret.

Ep. XLV. *Idem*.

Quæ nondum ſeptem vitæ compleverat annos,
Quæ caruit luce, & tenebris ſe miſcuit atris,
Laſcivia nimium fatis crudelibus orta eſt,
Liquit & orbatos miſeros, fidoſque parentes,
Uberibus preſſis nutricem liquit amantem.
Conjux nutricis infelix ille relictus
Mæret, & ad cineres plangit ſua pectora palmis.

Ep. XLVI. *Idem*.

Invide, quid gaudes? illa hic mihi mortua vivet,
Illa meis oculis aurea ſemper erit.

Ep. XLVII. *Idem*.

Si fatum noſtræ patiens vis ſcire viator
Conjugis, & matris titulis quid noſter arator
Scripſerit, ut diſcas, paulum conſiſte, docebo.
Quam miſer heu liqui, quondam cariſſima conjux
Illa mihi fuerat Flavia Nicopolis.
Quæ inſiderit nunc cura mihi, cum vita manebit,
Atque aderit jam nulla quies, niſi mortis imago.
Flavia Nicopolis nomen dulce tuum,
Et tumulo ſpargam ſæpe meas lacrimas.
O mihi ſi ſuperi vellent præſtare roganti
Vel roſeo, vel purpureo, violaque nitore,
Ut aut præteriens greſſu tardante viator

Vi-

Viderit hos flores, titulum legat, & ſibi dicat:
Hoc flos eſt corpus Flaviæ Nicopolis,
Ut tuo de tumulo flos ego cernere novum
Creſcere, vel viridi ramo, vel flore amaranthi.

Ep. XLVIII. *Idem*.

Flet domus, & cari lugent ſine fine parentes
Abreptum fatis. contegor hoc tumulo.
Quis non exempli doleatur mortis acerbæ?
Si me vidiſſes, aut ſi mea funera noſſes,
Fudiſſes lacrimas hoſpes in oſſa mea.

Ep. IL. *Idem*.

Oſſa ſub hoc tumulo pia ſunt, ſed acerba parenti.
Amphio mi frater hoc titulum poſuit.
Parcite fata meis: valeant fratreſque ſorores:
Sit tamen in veſtro pectore cura mei.

Ep. L. *Idem*.

Tu, qui carpis iter greſſu properante, viator,
Siſte gradum quæſo: quod peto, parva mora eſt.
Oro ut præteriens dicas, ſit tibi terra levis.

Ep. LI. *Idem*.

Hunc ego nunc titulum tibi ſtatuo, cariſſima conjux,
Luctuoſumque mihi, qui ſcio quid fueris.
Poſtremum officium quoniam tibi reddere cogor,
Et merito hoc fieri teſtis & ipſe loquor.
Nunc vos conteſtor manes, quibus oſſa relinquo,
Tellus huic titulo ne gravis eſſe velis.

Ep. LII. *Idem*.

Iniice, ſi pietas uſquam eſt, ſuſpiria, & imple
Mecum hoſpes lacrimis marmoris hoc vacuum.
Nam formæ exemplum periit, cum obiit mea Lyda,
Quam periere homines, vel periere Dii.

Ep. LIII. *Idem*.

Verna puer, puer o mi Verna, quis ah quis ab aura
Te in tenebras rapuit? perditus ut morerer,
Ni tecum aſſidue loquerer, ni ſæpe jocando
Fallerer, hinc dum te continuo aſpicio.
Semper ero tecum, & ſi me ſopor occupet umbram,
Te umbra petam. ergo unquam ne metue, abs te abeam.

Ep. LIV. *Idem*.

In quartum ſurgens comprenſus deprimor annum,
Cum poſſim matri dulcis & eſſe patri.
Eripuit me ſaga manus crudelis ubique,
Cum manet in terris, & nocet arte ſua.
Vos veſtros natos concuſtodite Parentes,
Ne dolor in toto pectore fixus eat.

Ep. LV. *Idem*.

Fato crudeli ſi qua eſt erepta puella,
Certe ego, quæ dominæ cara puella fui,
Quæ me omnes artes docuit: doctiſſima cumque
Eſſem, rapta Scope nunc tegor hoc tumulo.

Ep. LVI. *Idem*.

Nata brevi ſpatio, partu ſubjecta nec ante,
Teſtatur buſto triſtia fata Rhanos.
Namque bis octonos nondum compleverat annos,
Et rapta eſt vitæ rapta puerperio.
Praentis tumulus duo funera corpore in uno
Exequias geminas nunc cinis unus habet.

Ep. LVII. *Idem*.

Vita brevis longo melior mortalibus ævo,
Nam parvo ſpatio floruit hæc anima.
Bis denos perfuncta annos ſine crimine morum
Vita beata fuit. ſpiritus hic nituit
Aſt patrum miſeranda ætas anima cruciatur,
Pœnaque de longo tempore longa data eſt.
De ſenio luctus ſenium fletu renovatur,
Utraque res mortis durior exitio.
Dat tamen hæc Parronæ pietas ſolatia fidæ,
Jugera quot terræ dedicat hic tumulus.

Ep. LVIII. *Idem*.

Condita Nebris habes titulum, quem ſola mereris,
Octavi Memoris conjux quæ vera fuiſti.
Elyſios precor ut poſſis invadere campos,
Matronamque colas Ditis, placidamque preceris,
Det ſedes ut amica pias, meritoſque receſſus,
Ac ſinat umbrarum Deus, ut loca ſancta frequentes.

Ep. LIX. *Idem*.

Seic florem ætatis tenuit Veratia caſtæ,
Nulla ut perciperet gaudia dedecoris.
Conjuge namque uno vixit contenta probato,
Cetera digna bonis femina facta tulit.

Ep. LX. *Idem*.

Et te, terra, precor, leviter ſuper oſſa reſidas,
Sentiat ut pietas præmia quæ meruit.
Et quicumque ſuis ſincere præſtat honorem,
Felicem curſum perferat ad Superos.

Ep. LXI. *Idem*.

Sic tibi contingat feliciter ire, viator,
Immatura meo perlege fata loco.
Zelotos jaceo, vixi dum fata ſinebant;
Si tamen hæc vita eſt tam cito poſſe mori.
Bis mihi ſeptenis finis datur ultimus annis,
Nomini me rapuit mors inimica meo.

Ep. LXII. *Idem*.

Quæ mihi jura dedit civis, dedit & mihi vivæ,
Quo inferrer, tum cum parvula facta cinis.

Ep. LXIII. *Idem*.

Tempore ſupremo ſauſte eſt tibi cura videndi:
Si perlegiſti; venias licet, & requieſcas.
Abnuis, & refugis? fruſtra. nam te auferet orcus:
Hæc domus, hæc requies omnibus una manet.
Huc veniendum, inquam, ſeu te cita corripit hora,
Seu tremulum inficiet cana ſenecta caput.

Ep.

Ep. LXIV. *Idem*.

Quærere ceſſavi numquam, nec perdere deſii:
Mors intervenit. nunc ab utroque vaco.

Ep. LXV. *Idem*.

Altorio meritam dicat hanc Octavius aram,
Acri homini, atque alacri, forti, fido, atque venuſto,
Cui domus Aſſyriis, fuerat cui Quinctio nomen,
Hic in flore cubat longum ſecurus in ævum,
Poſt ter vicenos ac tres bene conſitus annos.

Ep. LXVI. *Idem*.

Si fortuna ſuos potuiſſet flectere manes,
Hunc titulum Patri ponere debueram.

Ep. LXVII. *Idem*.

Hic miſer Anteros poſuit duo corpora fratrum.

Ep. LXVIII. *Idem*.

Corporis hic domus eſt, illic pauliſper:
Remoramur at hic, habitamus illud.

Ep. LXIX. *Idem*.

Prius hunc titulum Matri tu nata dicaſſes,
Quem mater miſeræ nunc tibi nata facit.
Bis ſenos completam annos te filia matri
Eripuit miſeræ mortis iniqua dies.
Obteſtor manes meritæ ſanctæque Patronæ,
Et comprecor, ut levi Terra tegat tumulo.

Ep. LXX. *Idem*.

Firma ſatis felix cum me mea vita maneret,
Conjugis obſequio cum pietate fui.
Conjugis illius, quem vix æquare mariti
Adfectu potuerunt, aut bonitate pari.
Conlibertorum vultus, animoſque meorum
Placatos merui ſedulitate mea.
Placatos merui per te magis, omnis ut ætas
Sanguine me junctam crederet eſſe ſibi:
Qui tecum pia caſtra ſequi conſuetus, & ille,
Quem lex ſervitii diſtrahit a domino:
Hos omnes tibi pro meritis, qui ſidera torquent,
Secum placatos ſemper habere velint.

Ep. LXXI. *Idem*.

Hic poſitus ſum, qui ſemper ſine crimine vixi,
Et, quem mi dederat curſum fortuna, peregi,
Cujus oſſua & cineres hic lapis intus habet.

Ep. LXXII. *Idem*.

Parva ſub hoc titulo Feſti ſunt oſſa lapillo,
Quem Atrens fato condidit ipſe Pater.
Qui ſi vixiſſet, Domini jam nomina ferret.

Ep. LXXIII. *Idem*.

Nonum poſt decimum compleras nubilis annum
Vibia crudeli funere rapta viro:
Dum tibi progenies, animo dum fidis in illa,
Heu facinus victrix, me tua vota gravant.
Molliter ad matrem placidi deſcendite manes,
Elyſiis campis floreat umbra tibi.

Ep. LXXIV. *Idem*.

Hic ſita eſt infans patri per ſecula flenda,
Quam raptam aſſidue mater mœrore requirit,
Quales quiſque ſibi cupiat producere natos.
Hanc annus decimus privavit munere lucis,
Caſum quiſque legat, fato maledicat iniquo.

Ep. LXXV. *Idem*.

O quanta pietas fuerat in hac adoleſcentia,
Fides, amor, ſenſus, pudor, & caſtitas.
Noli dolere amica, eventum meum
Properavit ætas, hoc dedit fatum mihi.

Ep. LXXVI. *Idem*.

Qui dolet interitum, mentem ſoletur amore.
Tollere mors vitam potuit. poſt fata ſuperſtes
Fama viget, periit corpus, ſed nomen in ore eſt,
Vivit, laudatur, legitur, celebratur, amatur.
Nuncius Auguſti velox pede curſor, ut aura,
Cui Latiæ gentis nomen patriæque Sabinus.
O crudele nefas! tulit hic ſine crimine mortem,
Damnatus periit, deceptus fraude latronum.
Nil ſcelus egiſti, fama eſt quæ neſcit obire.

Ep. LXXVII. *Idem*.

Hunc puerum . . . . . Neni amiſit lectiſſima Mater
Ut vita inſontem, ſic pietate bonum.
Amiſit, luxit, lugebit & uſque ſepulcrum,
Nec, niſi defuerit, deſinet eſſe dolor.

Ep. LXXVIII. *Idem*.

Pro paupertate hic ſummo tibi tempore, conjux,
Ut potui meritis parvula dona dedi.

Ep. LXXIX. *Idem*.

Hic foribus caræ recubant mihi conjugis oſſa,
Expectantque ſuis ut mea contribuant.
Toſſius iſta tibi permiſit ſæpe petenti.
Praſtabit, manes ſi modo tangit amor.

Ep. LXXX. *Idem*.

Nos tibi digna tuæ monumenta extrema favillæ
Fecimus, at nobis tu gemitum aſſiduum.

Ep. LXXXI. *Idem*.

Debuit hoc natus nobis præſtare duobus,
Ut cineres patrios dederet inferiis.

Ep.

Ep. LXXXII. *Idem.*

Liber nunc curis, fuerim qui, reſpice, lector.
Notus in urbe ſacra vendenda pelle caprina
Exhibui merces popularibus uſibus aptas:
Rara fides cujus laudata eſt ſemper ubique,
Vita beata fuit. ſtruxi mihi marmora, ſeci
Secure ſolus ſemper fiſcalia manceps,
In cunctis ſimplex, contractibus omnibus æquus,
Ut potui, nec non ſubveni ſæpe petenti,
Semper honorificus, ſemper communis amicis.
Major adhuc ſtat laudis honor, potior quoque cunctis,
Ipſe meis quod conſtitui tumulamina membris,
Talia qui feci non tam mihi providus uni,
Heredum quoque cura fuit. tenet omnia ſecum
Re propria quicumque facit. me fama loquetur.
Exemplum laudis vixi, dum vita manebat:
Sollicitus multis, requiem ſeci quoque multis.

Ep. LXXXIII. *Ex Schedis docti viri Petri Antoni Seraſſi Bergomenſis.*

Hic jacet exanimum dilectæ corpus alumnæ,
Quam Parcæ inſontem merſerunt funere acerbo.
Nondum etenim vitæ decimum compleverat annum,
Et mihi crudelem triſtem fecere ſenectam.
Namque ego te ſemper, mea alumna Aſiatica, quæram,
Adſidueque tuos vultus fingam mihi mærens,
Et ſolamen erit, quod te jam jamque videbo,
Cum vita functus jungar tuis umbra figuris.

CLASSIS SEPTIMA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA AD LOCA, ET AEDIFICIA PERTINENTIA CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. I. *Burmannus. In Græciæ ruinam.*

GRæcia bellorum longa ſuccuſſa ruina
  Concidit, immodice viribus uſa ſuis.
Fama manet: fortuna perit. cinis ipſe jacentis
  Viſitur, & tumulo eſt nunc quoque ſacra ſuo.
Exigua ingentis retinet veſtigia famæ;
  Et magnum infelix nil, niſi nomen, habet.

Ep. II. *Idem. In Athenas & alias urbes.*

Quiſquis Cecropias hoſpes cognoſcis Athenas,
  Quæ veteris famæ vix tibi ſigna dabunt:
Haſne Dei, dices, cælo petiere relicto,
  Regnaque partitis hæc fuit una Deis?
Idem, Agamemnonias, dices, quum videris arces:
  Heu victrix victa vaſtior urbe jaces!
Hæ ſunt, quas merito quondam eſt mirata vetuſtas:
  Magnarum rerum magna ſepulcra vides.

Ep. III. *Idem. Urbis Romæ ruina.*

Vix ſcio quæ fueram, vix Romæ Roma recordor,
  Quæ populo, regnis, mœnibus alta fui.
Ceſſerunt arces, cecidere palatia divum,
  Jam ſervit populus, degeneravit eques.
Quæ fueram totum quondam celebrata per orbem,
  Vix ſinor occaſus vel meminiſſe mei.

Ep. IV. *Idem.*

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
  Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis patribus ſucceſſit prava juventus,
  Quorum conſiliis præcipitata ruis.

Ep. V. *Aliud ejuſdem argumenti.*

Par tibi, Roma, nihil, quum ſis prope tota ruina,
  Quam magni fueris integra, fracta doces.
Longa tuos faſtus ætas deſtruxit, & arces:
  Cæſaris & Superum templa palude jacent.
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes
  Et ſtantem tremuit, & cecidiſſe dolet.
Quem magis optavit cum crimine ſolus habere
  Cæſar, quam ſocius & pius eſſe ſocer:
Qui creſcens ſtudiis tribus, hoſtes, crimen, amicos,
  Vi domuit, ſecuit legibus, emit ope.
In quem, dum fieret, vigilavit cura priorum:
  Juvit opus pietas hoſpitis, unda locum.
Materiem, fabros, expenſas axis uterque
  Miſit, ſe muris obtulit ipſe locus.
Expendere duces theſauros: fata favorem,
  Artifices ſtudium, totus & orbis opem.
Proh dolor! urbs cecidit, cujus dum ſpecto ruinas,
  Penſo ſtatum, ſolitus dicere, Roma fuit.
Urbs cecidit, de qua ſi dignum dicere quidquam
  Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Non tamen annorum ſeries, non flamma, nec enſis,
  Æternum potuere hoc abolere decus.
Cura hominum potuit tantam componere Romam,
  Quantam non potuit ſolvere cura Deum.
Confer opes, marmorque novum, Superumque favorem,
  Artificum vigilent in nova facta manus:
Non tamen aut fieri par ſtanti machina muro,
  Aut inſtaurari ſola ruina poteſt.
Tantum reſtat adhuc, tantum ruit, ut neque ſtans pars
  Æquari poſſit, diruta nec refici.

Hic

Hic Superum formas Superi mirantur, & ipſi
Se cupiunt fictis vultibus eſſe pares.
Non potuit Natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deum ſigna creavit homo.
Vultus adeſt his numinibus, potiuſque coluntur
Artificum ſtudio, quam deitate ſua.
Urbs felix, ſi vel dominis urbs illa careret,
Vel dominis eſſet turpe, carere fide.

Ep. VI. *Idem. De ruinis villæ Luculli.*

Hic tibi ſurgebant celebres, Lucullе, penates,
Pro quibus, heu, vaſta mole ruina jacet.
Ipſe tamen paries priſcæ veſtigia formæ
Servat, & everſum grande ſuperbit opus.
Omnia quæ diro confirmant dente, parabant
Exitium ſaxis tempora, fama negat.

Ep. VII. *Idem. De Gentibus Caucaſeis.*

Humanæ quamdam ſtirpis gentem concoquit
Frigus, calore, atque humore aritudinem
Miſcens * * *
Dum iis ſubernus cortex, aut cacumina
Morientum in quercu, & aritudine
Et exſangui calore evireſcat colos.
Mortalis nemo exaudit, ſed late incolens
Scytharum inhoſpitalis campi vaſtitas.
Leviſomna mens ſonorinas imagines
Affatur, non umbrantur ſomno pupulæ.

Ep. VIII. *Idem. De Amphitheatro vicino mari.*

Amphitheatrales mirantur rura triumphos,
Et nemus inſignes cernit adeſſe feras.
Spectat arando novos agreſtis turba labores,
Nautaque de pelago gaudia mixta videt.
Fœcundus nil perdit ager, plus germina creſcunt,
Dum metuunt omnes hic ſua fata feræ.

Ep. IX. *Idem. De Circo.*

Circus imago poli, formam cui docta vetuſtas
Condidit, & numeros limitis ætherei.
Nam duodeannigenas oſtendunt oſtia menſes,
Quæque meat curſim aureus aſtra jubar.
Tempora cornipedes, referant elementa colores,
Auriga ut Phœbus quatuor aptet equos.
Cardinibus propriis includunt ſepta quadrigis,
Janus vexillum qua juvat ire levans.
Aſt ubi panduntur, funduntque repagula curſus,
Unus & ante omnes cogitur ire prior:
Metarum tendunt circumdare curſibus orbes.
Namque axes gemini ortum obitumque docent.
Namque his Euripus quaſi magnum intervenit æquor,
Et medius centri ſumma obeliſcus adit.
Septem etiam gyris condunt certamina palmæ,
Quot cælum ſtringunt cingula ſorte pari.
Lunæ biga datur ſemper, Solique quadriga,
Caſtoribus ſimpli rite dicantur equi.
Divinis conſtant noſtra hæc ſpectacula rebus.
Gratia magna quibus crevit honore Deum.

Ep. X. *Idem. Super muros Aſulæ, Caſtelli ad Fluv. Cleſium.*

Aſula ſum muris circumdata pulchra duobus,
Aſula præſtanti ſplendida facta manu.
Deſine dux belli de me ſperare triumphum,
Frange opus hoc: hominum pectora murus erunt.

Ep. XI. *Idem. De Treveris.*

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima poſſedit, ſed plura prioribus addit,
Non contenta ſuis, nec totis finibus orbis,
Expulit a patrio privignum Trebeta regno,
Inſignem profugus noſtram qui condidit urbem.

Ep. XII. *Idem. Interamnæ, Umbriæ ad Narem.*

Tirenus fecit, Trajanus me reparavit,
Ergo mihi Trauum nomen uterque facit.

Ep. XIII. *Idem. De Urbe Albingauno a Coſtantio Comite inſtaurata.*

Conſtantii virtus, ſtudium, victoria, nomen,
Dum recipit Gallos, reſtituit Ligures.
Mœnibus ipſe locum dixit, duxitque recenti
Fundamenta ſolo, juraque parta dedit.
Cives, tecta, forum, portus, commercia, portas,
Conditor exſtructis ædibus inſtituit.
Dumque refert orbem, me primam protulit urbem,
Nec renuit titulos limina noſtra loqui.
Et rabidos contra fluctus genteſque nefandas
Conſtantii murum nominis oppoſuit.

Ep. XIV. *Idem. De Ponte viæ Salariæ.*

Quam bene curvati directa eſt ſemita pontis,
Atque interruptum continuatur iter!
Calcamus rapidas ſubjecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia veſtra Quirites,
Et Narſin reſonans plauſus ubique canat.
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre jugum.

Ep. XV. *Idem. De Puteo excavato in montis jugo.*

Hunc quis non credat ipſis dare Syrtibus amnes,
Qui dedit ignotas viſcere montis aquas?

Ep. XVI. *Idem. De Fonte.*

Quod blando facilem producit murmure ſomnum,
Quæ cadit, & tremulos efficit unda lacus:
Quod ſumis puros hauſtus, nitideque lavaris,
Inſtauratori gratia habenda Lupo.
Æs animumque ſuum ſpectans dic, Romule, verum,
An minus hic pater eſt, quam Lupa mater erat?

Ep.

Ep. XVII. *Idem. De Balneo Heldrici Regis.*

Hildrici regis fulget mirabile factum
Arte, opere, ingenio, divitiis, pretio.
Hinc radios ſol ipſe capit,, quos huic dare poſſit,
Altera marmoribus creditur eſſe dies.
Hic ſine nube ſolum, nix juncta & ſparſa putatur,
Dum ſteteris, credas mergere poſſe pedes.

Ep. XVIII. *Idem. De Bajis.*

Ante bonam Venerem gelidæ per litora Bajæ,
Illa natare lacus cum lampade juſſit Amorem.
Dum natat, algentes cecidit ſcintilla per undas.
Hinc vapor uſſit aquas: quicumque natavit, amavit.

Ep. XIX. *Idem. Urſi Togati Pilicrepi.*

Urſus Togatus, vitrea qui primus pila
Luſi decenter cum meis luſoribus,
Laudante populo maximis clamoribus,
Thermis Trajani, thermis Agrippæ, & Titi,
Multum & Neronis, ſi tamen mihi creditis,
Ego ſum, ovantes convenite pilicrepi,
Statuamque amici floribus, violis, roſis,
Folioque multo, atque unguento marcido
Onerate amantes, & merum profundite,
Nigrum Falernum, aut Setinum, aut Cæcubum,
Vivo ac volenti, de apotheca dominica:
Urſumque canite voce concordi ſenem,
Hilarem, jocoſum, pilicrepum, ſcholaſticum,
Qui vicit omnes anteceſſores ſuos
Senſu, decore, atque arte ſubtiliſſima.
Nunc vera verſu verba dicamus ſenes,
Sum victus ipſe, fateor, a ter Conſule
Vero patrono, nec ſemel, ſed ſæpius,
Cujus libenter dicor exodiarius.

Ep. XX. *Idem. De Balneis.*

Exſultent Apono Veneti, Campania Bajis,
Græcia Thermopylis, his ego Balneolis.

Ep. XXI. *Idem. De Balneis.*

Hic ubi Bajarum ſurrexit grata voluptas,
Et rudibus ſplendens molibus exſtat opus.
Pura prius nullum domino præſtantia quæſtum,
Nullaque tecta tulit glebula frugis inops.
Hæc nunc Bellator, multo ſublimis honore,
Veſtivit cameris balnea pulchra locans.
Proſpera fata viri naturæ munera mutant,
Cum ſalſum ſalubri litus abundat aqua.
Alpheum fama eſt dulcem per Thetidos arva
Currere, nec lædi gurgitibus pelagi.
Dant ſimile exemplum noſtri miracula fontis,
Vicinum patitur nec ſapit unda ſalum.

Ep. XXII. *Idem. De Aquis calidis Cernenſibus.*

Ardua montanos inter ſplendentia lucos
Culmina, & indigenis nunc metuenda feris,
Qua deſerta prius ſolum nemus antra tenebant,
Tetraque inacceſſam fecerat umbra viam.
Qua vos laude canam, quantoque in carmine tollam?
In quibus extructa eſt, atque locata ſalus.
Hic etiam ignotas ſtuper ad prætoria fervor
Plenior, & calidas terra miniſtrat aquas.
Quis ſterilem non credat humum? fumantia vernant
Paſcua. luxuriat gramine cocta ſilex.
Innocuos fœtus membris parit intima tellus,
Naturamque pio temperat igne calor.
Et quum ſic rigidæ cautes fervore liqueſcant,
Contemptis audax ignibus herba viret.

Ep. XXIII. *Idem. De Thermis Alianarum. Felicis V.C.*

Tranquillo Nymphæ decurrite fluminis ortu
Hic Proba flagranti ſuccedit vimine * flebo
Rupibus excelſis, ubi nunc faſtigia ſurgunt,
Æquanturque polo totis præcelſa lavacra
Sedibus, hic magnis exardent marmora ſignis,
Ardua ſublimes prævincunt culmina thermæ,
Muneraque eximius tanti dat luminis auctor
Unica continuæ prænoſcens præmia famæ.
Non hic flamma nocebo * tandem diſcite carmen,
Diſcite vel quanto vivat ſub gurgite lympha.
Vandalicum hic renovat clarum de ſemine nomen,
Sub cujus titulo meritis ſtat gratia factis.

Ep. XXIV. *Idem. De Thermis Alianarum. Ejusdem.*

Hic ubi conſpicuis radiant nunc ſigna metallis,
Et nitidum claro marmore fulget opus;
Arida pulvereo ſquallebat ceſpite tellus,
Lituræque ſoli vilis arena fuit.
Pulchra ſed immenſo qui duxit culmina cælo,
Oſtendens pronis currere ſaxa jugis.
Publica vox populis Thraſamundus gaudia vovit,
Proſpera continuans nomina ſecla ſuis.
Paruit imperiis mutato lympha ſapore,
Et dulcis fontes proluit unda novos.
Expavit ſubitas Vulcanus ſurgere Thermas,
Et trepida flammas ſubdidit ipſe manu.

Ep. XXV. *Idem. Aliter Ejuſdem.*

Nobilis inſultat Bajarum fabrica Thermis,
Et duplicat radios fontibus aucta dies.
Hoc uno rex fecit opus Thraſamundus in anno,
Inclita dans paucis munera temporibus.
Hic ſenibus florens virtus renovatur anhelis,
Hic feſſos artus viva lavacra fovent.
Miſcentur pariter ſociis incendia lymphis,
Et gelidos imbres proximus ignis habet.
Utilis hic flamma eſt, & nullos paſcitur artus,
Optaturque magis per nova vota calor.
Longior hic ægros morborum cura relinquit,
Nec cubat in vitreis hic moriturus aquis.

Ep. XXVI. *Idem. Aliter Ejuſdem.*

Regia præclaras erexit juſſio moles,
Sentit & imperium calx, lapis, unda, focus.
Incluſus Vulcanus aquis algentibus hic eſt,
Et pacem liquidis fontibus ignis habet.
Cum lymphis gelidis geſtant concordia flammæ,
Hac ſtupet ardentes frigida Nympha lacus.
Uritur hic ſemper gaudens neque læditur hoſpes,
Et vegetat tepidus pectora tota vapor.
Maxima ſed quisquis patitur faſtidia Solis,
Aut gravibus madido corpore torpet aquis.
Hic Thraſamundiacis properet ſe tinguere Thermis,
Protinus effugiet triſtis uterque labor.

Ep. XXVII. *Idem. Aliter Ejuſdem.*

Publica qui celſis educit mœnia tectis,
Hic pia rex populis Thraſamundus vota dicavit:
Per quem cuncta ſuis conſurgunt pulchra ruinis,
Et nova tranſcendunt priſcas faſtigia ſedes.
Hic quoque poſt ſacram meritis altaribus ædem,
Egregiaſque aulas, quas grato erexit amore,
Condidit ingentes proprio ſub nomine Thermas;
Hic bonus irriguis decertat fontibus ignis.
Hic etiam ardentis ..... timet ora camini,
Plurimus hic imber gelidas adcommodat undas,
Hic æſtus levis eſt, hic nullum frigora terrent,
Hic geminata dies per candida marmora fulget.

Ep. XXVIII. *Idem. De Thermis.*

Quis Deus has incendit aquas? quis fontibus ignes
Miſcuit, & madidas fecit diſcurrere flammas?
In regnis, Neptune, tuis Vulcanus anhelat.

Ep. XXIX. *Idem. De Thermis.*

Delectat variis infundere corpora lymphis,
Ut mutare magis ſæpe fluenta libet.
Nam ne conſuetæ pariant faſtidia Thermæ,
Hinc juvat alterno tinguere membra lacu.

Ep. XXX. *Idem.*

Tecta novem Phœbi nuper dicata Camenis
Nunc retinet Bacchus, & ſua tecta vocat.
Namque ubi tot veterum manſerunt ſcripta virorum,
Hic potat læta dulcia vina Cypris.
Cognato ſemper luſtrantur numine ſedes,
Quas coluit Phœbus, has colit & Bromius.

Ep. XXXI. *Idem. Verſus Balneorum.*

In parvo magnas fecit manus ardua Bajas,
Culmina diſtendit niveis ſuſpenſa columnis,
Curvavit cameris vario pro ſchemate conchas,
Marmora reſplendent ſolida compage decora
Unitum mentita decus ſarſura magiſtri
Murmure raucifono fornacibus æſtuat ardor
In flammis dominantur aquæ, furit ignis amœnus.
Statutus lautor multo circumdatus igne
Innocuas inter flammas, mirabile dictu,
Ignibus ut poſſit fervores vincere ſolis,
Inde petit latices glaciali fonte fluentes:
Hinc calor, inde nives reparant per membra ſalutem,
Diſcurrunt Nymphæ, piſcinas flumina complent,
Vitrea criſpatur labris refluentibus umbra:
Hæc tibi * monumenta tibi nariſque manebunt,
Et decoratam * ac claros per ſecla nepotes.
Tu tamen excelſus per tempora longa fruaris.

Ep. XXXII. *Idem. De Balneis.*

Adſpice fulgentes tectis & gurgite Bajas,
Dant quibus haud parvum pictor & unda decus.
Namque gerunt pulchras ſplendentia culmina formas,
Blandaque perſpicuo fonte fluenta cadunt:
Gaudia qui gemino geſtit decerpere fructu,
Et vita novit prætereunte frui.
Hic lavet, hic corpus reparans, mentemque relaxans,
Lumina picturis, membra fovebit aquis.

Ep. XXXIII. *Idem.*

Fauſta novum domini condens Fortuna lavacrum
Invitat feſſos huc properare viros.
Laude operis fundi capiet ſua gaudia præſul,
Hoſpes dulciflua dum recreatur aqua.
Condentis monſtrant verſus primordia nomen,
Auctoremque facit litera prima legi.
Luſtrent pontivagi Cumani litoris antra,
Indigenæ placeant plus mihi deliciæ.

Ep. XXXIV. *Idem.*

Quisquis Cumani luſtravit litoris antra,
Atque hoſpes calidis ſæpe nataverit aquis.
Hic lavet, inſani vitans diſcrimina ponti,
Bajarum ſuperant balnea noſtra decus.

Ep. XXXV. *Idem.*

Flammea perſpicuis coeunt hic lumina lymphis,
Dantque novum mixti Phœbus & unda diem.
Denique ſuccedit noſtris lux tanta lavacris,
Ut cernas nudos erubuiſſe ſibi.

Ep. XXXVI. *Idem.*

Infundit noſtris Titan ſua lumina Bajis,
Incluſumque tenet ſplendida cella jubar.
Subjectis caleant aliorum Balnea flammis,
Hæc reddi poterunt, Phœbe, vapore tuo.

Ep. XXXVII. *Idem. De Balneis cujuſdam Pauperis.*

Vir opibus tenuis, ſed parvo in ceſpite ſollers
Fundavit gemino munere delicias.
Nam nova in anguſto erexit balnea campo,

Edu-

Edulibuſque virens fœtibus hortus olet.
Quæ natura negat, confert induſtria paucis,
Vix ſunt divitibus, quæ bona pauper habet.

Ep. XXXVIII. *Idem*.

Parvula ſejunctis ornavit jugera Bajis
Urbanus callens fundere vita locos.
Hic quoque pomiferum conjunxit ſedulus hortum,
Qui vario auctorem gramine dives alat.
Rus gratum domino duplici jam munere conſtat,
Hinc capitur victus, ſumitur inde ſalus.

Ep. XXXIX. *Idem*.

Una ſalus homini eſt, calidum captare lavacrum,
Ne tepidus reddat morbida membra vapor.

Ep. LX. *Idem. De Lavacro*.

Qui ſplendere cupis claro tenuique lavacro,
Pontica ſuccedas in balnea nobilis undæ,
Quam nec Alexandri mater ſub ſole cadenti
Emeruit: non ſi varia ſe adſpergine Caji
Effundat per aperta latex è ſedibus imis,
Cum Syrio unguento, cui ſemper roſcidus humor
Hic femora & ſuras & brachia molliter ambit,
Et rigat in pluviam, ſenſimque ad colla reſultans
Tangit odore levi, & grato ſpiramine nares
Lenis, & externas admittere neſcius artes.
Huc ades, o Florens, & feſta luce relaxa
Mentis onus, nebulaſque fuga, quæ frontis honorem *
* * * * *

Ep. XLI. *Idem. De Laudibus Hortuli*.

Adeſte Muſæ, maximi proles Jovis,
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus ſalubres corpori præbet cibos:
Varioſque fructus ſæpe cultori refert;
Olus ſuave, multiplex herbæ genus:
Uvas nitentes, atque fœtus arborum.
Non deſit hortis & voluptas maxima:
Multiſque miſta commodis jucunditas.
Aquæ ſtrepentis vitreus lambit liquor:
Sulcoque ductus irrigat rivus ſata:
Flores niteſcunt diſcolore gramine,
Pinguntque terras gemmeis honoribus.
Apes ſuſurro murmurant gratæ levi,
Cum ſumma florum, vel novos rores legunt,
Fœcunda vitis conjuges ulmos gravat,
Textaſve inumbrant pampinis arundines.
Opaca præbent arbores umbracula,
Prohibentque denſis fervidum ſolem comis.
Aves canoros garrulæ fundunt ſonos:
Et ſemper aures cantibus mulcent ſuis.
Oblectat hortus, avocat, paſcit, tenet,
Animoque mæſto demit angores graves.
Membris vigorem reddit, & viſum capit.
Refert labori pleniorem gratiam,
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Ep. XLII. *Idem. De Luco Amœno*.

Hic, Cytherea, tuo poteras cum Marte jacere:
Vulcanus prohibetur aquis, Sol pellitur umbris.

Ep. XLIII. *Idem*.

Bellipotens Mavors, Veneri gratiſſime, furtum
Hic ſecurus ama, locus hic amplexibus aptus.
Vulcanus prohibetur aquis, Sol pellitur umbra.

Ep. LXIV. *Idem. De villæ Ruffinæ fonte*.

Rupe ſub hac vaga lympha fui ſine nomine, ſed nunc
Ruffina e domini nomine lympha vocor.
Ille etenim ſparſos latices collegit, & undas
Auxit, & extructo fornice clauſit aquas.

CLASSIS OCTAVA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA MORALIA, ET DIDASCALICA CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. I. *Burmannus. De Literarum Æternitate.*

HÆc, urbem circa, ſtulti monumenta laboris,
Quaſque vides moles, Appia, marmoreas;
Pyramidaſque auſas vicinum adtingere Cælum,
Pyramidas, medio quas fugit umbra die;
Et Mauſoleum miſeræ ſolatia mortis,
Intulit externum quo Cleopatra virum;
Concutiet, ſternetque dies: quoque altius exſtat
Quodque opus, hoc illud carpet, edetque magis.
Carmina ſola carent fato, mortemque repellunt,
Carminibus vives ſemper, Homere, tuis.

Ep. II. *Idem. Item eodem Argumento.*

Nullum opus exſurgit, quod non annoſa vetuſtas
Expugnet, quod non vertat iniqua dies:
Tu licet extollas magnos ad ſidera montes,
Et calidas æques marmore Pyramidas.
Ingenio mors nulla nocet. vacat undique tutum:
Inlæſum ſemper carmina nomen habent.

Ep. III. I*dem. De Muſarum perennitate.*

Ut Venus in terris, in aquis dat jura Cupido,
Sic Muſæ memores ſervant per ſecula libros.
Sic comes armorum creſcit per carmina Fama,
Nec ſinit æternis occumbere ſcripta coronis.
Pallas amat Muſas, atque armat laude Camenas,
Bellorum vivit placatis gloria Muſis,
Et Veneris conſtant juncta cum Pallade Muſæ
Imperio, ſic cuncta regit divina voluptas.

Ep. IV. *Idem · De inventione Literarum.*

Moyſes primus Hebræas exaravit literas.
Abraham Syras, & idem reperit Chaldaicas.
Iſis arte non minore protulit Ægyptias.
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata.
Gulfila prompſit Getarum, quas videmus, ultimas.

Ep. V. I*dem.*

Litera rem geſtam loquitur: res ipſa medullam
Verbi, quam vivax mens videt, intus habet.

Ep. VI. *Idem. De Ludi Magiſtro.*

Indoctus teneram ſuſcepit Calculo pubem,
Quam cogat primas diſcere literulas.
Sed quum diſcipulos nullo terrore coercet,
Et ferulis culpas tollere ceſſat iners:
Projectis pueri tabulis Floraria ludunt.
Jam nomen ludi rite magiſter habet.

Ep. VII. I*dem. Rufi Feſti Avieni.*

Qua venit Auſonias Auſtro duce Pœnus ad oras;
Si jam forte tuus, Libyca rate, miſit agellus
Punica mala tibi Tyrrhenum vecta per æquor,
Quæſo aliquid noſtris guſtatibus inde relaxes.
Sic tua cuncta ratis plenis ſecet æquora velis,
Spumanti dum longa trahit veſtigia ſulco,
Romuleæque Phari fauces illæſa relinquat.
Sit licet illa ratis, quam miſerit alta Corinthos,
Adria conſurgente notus qua proſpicit æſtus,
Quamve ſuis opibus cumularit Hiberia dives,
Solverit aut Libyco quam lætus navita portu.
Sed forſan, quæ ſint, quæ poſcam mala, requiras;
Illa precor mittas, ſpiſſo quibus arta cohæret
Granorum fœtura ſitu, caſtriſque ſedentes,
Ut quædam turmæ, ſocio latus agmine quadrant,
Multiplicemque trahunt per mutua vellera pallam:
Unde ligant teneros ex agmine flammea calles.
Tunc ne preſſa gravi ſub pondere grana liqueſcant,
Diviſere domos, & pondera partibus æquant.
Hæc ut, amice, petam, cogunt faſtidia longis
Nata malis, & quod penitus fellitus amarans
Ora ſapor nil dulce meo ſinit eſſe palato.
Horum igitur ſucco forſan faſtidia ſolvens
Ad ſolitas revocer menſis redeuntibus eſcas.
Nec tantum miſeri videar poſſeſſor agelli,
Ut genus hoc arbos nullo mihi floreat horto:
Naſcitur, & multis onerat ſua brachia pomis:
Sed gravis auſterum fert ſuccus ad ora ſaporem.
Illa autem Libycas quæ ſe ſuſtollit ad auras,
Miteſcit meliore ſolo, cœlique tepentis
Nutrimenta trahens ſucco ſe nectaris implet.

Ep. Ep. VIII. *Idem. Ad Amicos de Agro. Ejuſdem.*

Rure morans quid agam, reſpondi pauca, rogatus.
Mane Deum exoro, famulos poſt arvaque viſo,
Partituſque meis juſtos indico labores.
Inde lego, Phœbumque cio, Muſamque laceſſo.
Tunc oleo corpus fingo, mollique palæſtra
Stringo libens, animo gaudens, ac fœnore liber.
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quieſco.
Dum parvus lychnus modicum conſumat olivi,
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camenis.

Ep.

Ep. IX. *Idem. De Vita tranquilla.*

Eſt mihi rus parvum, fœnus ſine crimine parvum.
Sed facit hæc nobis utraque magna quies.
Pacem animus nulla trepidus formidine ſervans
Non timet ignavæ crimina deſidiæ.
Caſtra alios operoſa vocent, ſellæque curules,
Et quidquid vana gaudia mente movet.
Pars ego ſim plebis, nullo conſpectus honore,
Dum vivam dominus temporis ipſe mei.

Ep. X. *Idem.*

Parvula ſecuro tegitur mihi culmine ſedes.
Uvaque plena mero fœcunda pendet ab ulmo.
Dant rami ceraſos: dant mala rubentia ſilvæ:
Palladiumque nemus pingui ſe vertice frangit.
Jam qua deductos potat levis area fontes,
Corycium mihi ſurgit olus, malvæque ſupinæ,
Et non ſollicitos miſſura papavera ſomnos.
Si vero alitibus fraudem contexere * præterea,
Seu magis imbelles libuit circumdare cervos,
Aut tereti lino pavidum ſubducere piſcem:
Hos tantum novere dolos mea ſordida rura.
I nunc, & vitæ fugientis tempora vende
Divitibus cœnis. me, ſi manet exitus idem,
Hic precor inveniar, conſumptaque tempora poſcar.

Ep. XI. *Idem. De Navigatione.*

O litus vita mihi dulcius! o mare! felix,
Cui licet ad terras ire ſubinde meas.
O formoſa dies! hoc quondam rure ſolebam
* Iliadas armatas ſollicitare manus.
Hic fontis lacus eſt: illic ſinus egerit algas.
Hic ſtatio eſt tacitis victa Cupidinibus.
Pervixi. neque enim fortuna malignior umquam
Eripiet nobis, quod prior hora dedit.
Illic alternis depugnat pontus, & aer:
Hic rivo tenui pervia ridet humus.
Illic diviſas complorat navita puppes:
Hic paſtor miti perluit amne pecus.
Illic immanes mors obſita ſolvit hiatus:
Hic gaudet curva falce reciſa Ceres.
Illic inter aquas urit ſitis arida fauces:
Hic dat perjuro baſia multa viro.
Naviget. & fluctus laſſet mendicus Ulixes:
In terris vivet candida Penelope.

Ep. XII. *Idem. Eodem Argumento.*

Qui mavult pro parte mori, nec cogere Fata
Mollia præcipiti rumpere fila manu:
Hactenus iratum mare noverit. ecce refuſo
Gurgite ſecuros abluit unda pedes.
Ecce inter virides jactatur Mitylus algas:
Et rauco trahitur lubrica concha ſinu.
Ecce recurrentes qua verſat fluctus arenas,
Diſcolor adtrita calculus exit humo.
Hæc quiſquis calcare poteſt, in litore tuto
Ludat: & hoc ſolum judicet eſſe mare.

Ep. XIII. *De Vita humiliori.*

Quiſquis amore volens ſolido tranquillus & alta
Pace frui, majora fuge, & nimis alta caveto,
Quin etiam vitare parem, licet obſtrepat error
Publicus, admoneo: fidum tibi junge minoris
Pectus, ubi obſequium pernox, humileſque viciſſim
Blanditiæ, dulciſque timor, res cognita paucis.
Alta petunt omnes. utinam mihi tale dediſſem
Conſilium, ſed cogit Amor, perque ardua vinctum
Luctantemque rapit. victor fuit ille Deorum,
Molliaque Herculeis aptavit penſa lacertis.
Tu cui Libertas ſalva eſt, tibi conſule eorum.

Ep. XIV. *De Vitæ privatæ commodis.*

Ante rate e Siculo diſcurrent æquore piſces,
Et deerit Libycis putris arena vadis
Ante nives calidis demittent fontibus amnes,
Et Rhodanus nullas in mare ducet aquas:
Ante mari gemino ſemper pulſata Corinthos
Confundet fluctus pervia facta duos:
Ante feri cervis ſubmittent corda leones,
Sævaque dediſcet prælia torvus aper:
Medus pila geret, pharetras Romana juventus:
Fulgebit nitidis India nigra crocis:
Quam mihi diſpliceat vitæ fortuna quietæ,
Aut credat dubiis ſe mea puppis aquis.

Ep. XV. *Idem.*

Vive, & amicitias Regum fuge. pauca monebas.
Maximus hic ſcopulus, non tamen unus erat.
Vive, & amicitias nimio ſplendore nitentes,
Et quidquid colitur perſpicuum, fugito.

Ep. XVI. *Idem.*

Ingentes dominos, & famæ nomina claræ,
Illuſtrique graves nobilitate domos
Devita, & longe vivus cole. contrahe vela:
Et te litoribus cymba propinqua vehat.

Ep. XVII. *Idem.*

In plano tua ſit ſemper fortuna, pareſque
Noveris. ex alto magna ruina venit.
Non bene cum parvis junguntur grandia rebus.
Stantia namque premunt: præcipitata ruunt.

Ep. XVIII. *Idem.*

Vive, & amicitias omnes cole: verius hoc eſt,
Quam, Regum ſolas effuge amicitias.
Eſt mea mors teſtis. major me adflixit amicus,
Deſeruitque minor: turba cavenda ſimul.
Nam quicumque pares fuerant, fugere fragorem:
Nec dum collapſam deſeruere domum.
Nunc & non Reges tantum fuge. vivere doctus
Uni vive tibi. nam moriere tibi.

Ep. XIX. *Idem.*

Quod tua mille domus ſolidas habet alta columnas,
Quod tua marmoreo janua poſte nitet,
Aurea quod ſummo ſplendent laquearia tecto,

Imum cruſta tegit quod pretioſa ſolum,
Atria quod circa dives tegit omnia cultus:
Hoc animos tollit nempe, beate, tuos.
Aedibus in totis gemmæ licet omnia claudant,
Turpe eſt, nil domino turpius eſſe tuo.

Ep. XX. *Idem.*

Nil artes, nil pura fides, nil gloria linguæ,
Nil fons ingenii, nil probitas ſine re.
Nullus inops ſapiens; ubi res, ibi copia ſenſus.
Res ſapiunt, pauper nil, ubi pauper erit.
Nec jam divitibus tollunt ſua crimina nomen,
Sed quos lex damnat, gratia ſolvit opum.
Hinc eſt quod populus, aurum quaſi numen adorans,
Audet in ignotum ſponte venire nefas:
Speque lucri toties excedere jus & honeſtum
Suſtinet, ut gratis nunc juvet eſſe reum.
Jus ruit, ordo perit, ſceleri placet ora manuſque
Vendere; quamque inopem, tam pudet eſſe probum.
Non ergo mirum, ſi quiſquam pravus & excors
Divinos vates nullius eſſe putat.

Ep. XXI. *Idem. De Cupiditate.*

Heu miſera in nimios hominum petulantia cenſus,
Cæcus inutilium quo ruit ardor opum?
Auri dira fames & non expleta libido
Ferali pretio vendat ut omne nefas.
Sic latebras Eriphyla viri patefecit, ubi aurum
Accepit turpis materiam ſceleris.
Sic quondam Acriſiæ in gremium per clauſtra puellæ
Corruptore auro fluxit adulterium.
O quam mendoſe votum inſaturabile habendi
Imbuit infami pectora noſtra malo:
Quamlibet immenſo dives vigil incubet auro:
Aeſtuat augendæ dira cupido rei.
Heu mala paupertas numquam locupletis avari!
Dum ſtruere immodice, quod tenet, optat; eget.
Quis metus hic legum, quæve eſt reverentia veri,
Creſcenti nummo ſi mage cura ſubeſt?
Cognatorum animas promtum eſt, patrumque cruorem
Fundier. affectus vincit avara fames.
Divitis eſt ſemper fragiles male quærere gazas.
Nulla huic in lucro cura pudoris erit.
Iſtud templorum damno exitioque requirit,
Hoc cælo jubeas ut petat, inde petet.
Mirum ni pulchras artes Romana juventus
Diſcat, & egregio ſudet in eloquio:
Ut poſt juriſonæ famoſa ſtipendia linguæ,
Barbaricæ ingeniis anteferantur opes.
Atqui ſunt, quos propter honeſtum rumpere fœdus
Audeat inlicite pallida avaritia.
Romani ſermonis egens, ridendaque verba
Frangit ad horrificos turbida lingua ſonos.
Sed tamen ex vultu adpetitur ſpes grata nepotum,
Saltem iſtud noſtri forſan honoris habent.
Ambuſti torris ſpecies, exeſaque ſeclo
Abduntur priſcis corpora de tumulis.
Perplexi crines, frons improba, tempora preſſa,
Extantes mala deficiente genæ.
Simatæque jacent pando ſinuamine nares.
Territat os nudum, cæſaque labra tument.
Defoſſum in ventrem procullo pondere tergum
Frangitur, & vacuo crure tument genua.

Diſcolor in manibus ſpecies, ac turpius illud,
Quod cutis obſcure pallet in invidiam.

Ep. XXII. *Idem. De Ratione Tabulæ. Verſus ſenis verbis & literis.*

XII. SCHOLASTICORUM POETARUM.

PALLADIUS I.

Sperne lucrum: verſat mentes veſana libido.

ASCLEPIADIUS II.

Fraude carete graves: ignari cedite doctis.

EUSTHENIUS III.

Luſuri nummos, animos quoque ponere debent.

POMPEJANUS.

Iraſci victos minime placet, optime frater.

MAXIMIANUS V.

Ludite ſecuri, quibus aes eſt ſemper in arca.

VITALIS VI.

Si quis habens nummos venies, exibis inanis.

BASILIUS VII.

Luſori cupido ſemper gravis exitus inſtat.

ASMENUS VIII.

Sancta probis pax eſt: iraſci deſine victus.

VOMANUS IX.

Nullus ubique poteſt felici ludere dextra.

EUPHORBUS X.

Irrito Furias, ego ſum tribus addita quarta.

JULIANUS XI.

Flecte truces animos, ut vere ludere poſſis.

HILARIUS XII.

Ponite mature bellum, precor, iraque ceſſet.

Ep. XXIII. *Idem. De Tabula.*

Diſcolor ancipiti ſub jactu calculus adſtat,
Decertantque ſimul candidus atque rubens.
Qui quamvis parili ſcriptorum tramite currant,
Is capiat palmam, quem bona fata juvant.

Ep.

Ep. XXIV. Idem. *De Tabula.*

In parte alveoli pyrgus velut urna reſedit,
  Qui vomit internis teſſerulas gradibus.
Sub quarum jactu diſcordans calculus exit,
  Certanteſque fovet ſors variata duos.
Hic proprium faciunt ars & fortuna periclum,
  Hæc cavet adverſis caſibus, illa favet.
Compoſita eſt tabulæ nunc talis formula belli,
  Cujus miſſa facit teſſera principium.
Ludentes vario tum exercent prælia fato,
  Ruſſeus an nitidus præmia ſorte ferat.
Paſcitur a multis avide damnoſa voluptas,
  Ne fœdet gliſcens otia ſegnities.
Hoc opus inventor nimium Palamedes amavit,
  Et parili excellens Mucius ingenio.

Ep. XXV. *Aliud. De Tabula.*

Indica materies blandum certamen amicis
  Oſtendit ſe, belli fert ſimulacra tamen.
Namque acie æquali concurrit ruſſeus albo;
  Ut gravibus damnis ſe domet alteruter.
Contorquet varios alternans teſſera miſſus,
  Fataque ludentum collis & ima probant.
Pax & pugna ſimul ludo junguntur in unum,
  Cum victi ſpoliis victor amicus ovat.

Ep. *XXVI. Aliud. De Tabula.*

Has acies bello ſimiles cano, quas Palamedes
Conſtituit caſu vario, paribuſque periclis,
Inſcius hac ſollers ſiſtentes namque ſuperbis
Vana ſupervacue creſcunt mendacia buxis,
Et ſe ſollertes punctis labentibus inflant.
En proceres Fridas ſecte tauruſque magiſter
Hac * ſiduit ſimiles mittuntur ſemper in imo.
Adque deus dedit ſe præfert inſcius artis
Quid labor ingeniumque juvat; cur pallidus exſtat?
Atque iners dubitat? ſecurus ludat amator,
Nummos quiſquis habet: diſcedat lividus hoſpes,
Sed doctum jactans, quod ſi reppertor adeſſet,
Princeps hac ſollers victum ſe ſæpe vocaſſet:
Adverſis punctis doctum ſe nemo fatetur,
Vulnera plus creſcunt punctis, quam bella ſagittis.

Ep. XXVII. *Idem. De Tabula Picta.*

Hunc quem nigra gerens tabella vultu
Clarum linea quæ more * vis notavit,
Mox pictor varios dumans colores,
Callenti nimium peritus arte,
Formavit ſimilem, probante vero,
Ludentem propriis fidem figuris.
Ut quoſcumque manu repingat artus,
Credas corporeos habere ſenſus.

Ep. XXVIII. *Idem. De Vino & Lætitia.*

Vince mero curas, & quidquid forte remordet,
  Comprime, deque animo nubila pelle tuo.
Nox, curam ſi prendit, alit. male creditur illi
  Cura, niſi a multo marcida facta mero.

Ep. XXIX. *Idem. De Venere & Vino.*

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore.
  Uno namque modo vina Venuſque nocent.
Ut Venus enervat vires, ſic copia vini
  Et tentat greſſus, debilitatque pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri:
  Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe parit ferus exitiale Cupido:
  Sæpe manus itidem Bacchus ad arma movet.
Perdidit horrendo Trojam Venus improba bello:
  At Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.
Denique cum mentes hominum furiavit uterque:
  Et pudor, & probitas, & metus omnis abeſt.
Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum:
  Ne te muneribus lædat uterque ſuis.
Vina ſitim ſedent; natis Venus alma creandis
  Serviat. hos fines tranſiluiſſe nocet.

Ep. XXX. *Idem. De Venere, Vino, & Balneis.*

Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora noſtra.
  Sed vitam faciunt balnea, vina, Venus.

Ep. XXXI. *Idem. De Vino.*

Vindicat ipſa ſuos, quos pertulit, uva labores,
  Quæ pede quod premitur, ſubtrahit ipſa pedem.

Ep. XXXII. *Idem. De Amore Feminarum.*

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis.
  Namque eſt feminea tutior unda fide.
Femina nulla bona eſt: vel, ſi bona contigit ulla,
  Neſcio quo fato res mala facta bona eſt.

Ep. *XXXIII.* Idem. *Verſus Anacyclici, de Amore.*

Blanditias fera mors Veneris perſenſit amando
  Permiſit ſolitæ nec Striga triſtitiæ.
Triſtitiæ Striga nec ſolitæ permiſit amando,
  Perſenſit Veneris mors fera blanditias.
Omnipotens pater huic ſemper conceſſit amori,
  Fecit nec requiem tot ſibi fulminibus.
Fulminibus ſibi tot requiem nec fecit amori,
  Conceſſit ſemper huic pater omnipotens.
Purpureos ſibi flos vultus non pingit Iacchum,
  Monſtrat nec mitem frons nova lætitiam.
Lætitiam nova frons mitem nec monſtrat Iacchum,
  Pingit non vultus flos ſibi purpureos.
Occubuit minor hic fractis & viribus, aſtu
  Torpuit oppreſſus Amphitryoniades.
Amphitryoniades oppreſſus torpuit aſtu,
  Viribus & fractis hic minor occubuit.
Incaluit jubar hoc externis ignibus ardens,
  Fortius ardorem ſol ſibi congeminat.
Congeminat ſibi ſol ardorem fortius, ardens
  Ignibus externis hoc jubar incaluit.
Depoſita face nox quæſivit lumina Phœbes,
  Vulnere ſed blandus hæc tenet Endymion.
Endymion tenet hæc blandus ſed vulnere Phœbes,
  Lumina quæſivit nox face depoſita.
Armipotens deus hoc ſuſpirat pondere vulnus,
  Ferrea nec rabies aut furor exſuperat.

Ex-

Exſuperat furor aut rabies nec ferrea vulnus,
Pondere ſuſpirat hoc deus armipotens.
Impatiens Venus eſt, ſilvas dum luſtrat Adonis,
Carpit ſi matrem jam cui conveniat.
Conveniat cui jam, matrem ſi carpit Adonis,
Luſtrat dum ſilvas, eſt Venus impatiens.

Ep. XXXIV. *Idem. De Temperantia.*

Ne te guloſæ Scylla voraginis
Mergat profunda nocte libidinum;
Præbe palato frena modeſtiæ.
Libes modeſte Bacchica pocula.
Frangat Lyæi lympha ſuperbiam.
Vini furorem flumina temperent.
Plebeia, ſimplex, rara comeſtio,
Carnis ſuperbæ murmura conterat.
Lentus Cupido ſic aget otia.
Frenentur in te frena Cupidinis.
Largire viſus peſſula januis.
Frenans ocellos ne nimis improbos
Venenent extra luminis impetus.
Si quos habendi fervor inebriat,
Exire cogant mente pecuniam.
Cuſtos honoris, divitis uſibus
Si tempus adſit, ſi locus exigat,
Surgat ſepultæ maſſa pecuniæ,
Nummos crumenæ funditus evomant.
Quævis honori munera militent.
Calcare ſi vis colla ſuperbiæ,
Penſa caducæ pondus originis.

Ep. XXXV. *Idem. De Ira.*

Iratus recolas, quod nobilis ira Leonis
In ſibi proſtratos ſe negat eſſe feram.

Ep. XXXVI. *Idem. De Livore.*

Livor, tabificum malis venenum,
Intactis vorat oſſibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.
Quod quiſquis furit, invidetque forti,
Ut debet, ſibi pœna ſemper ipſe eſt.
Teſtatur gemitu graves dolores:
Suſpirat, fremit, incutitque dentes.
Sudat frigidus, intuens quod odit.
Effundit mala lingua virus atrum.
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat oſſa.
Non lux, non cibus eſt ſuavis illi:
Nec potus juvat, aut ſapor Lyæi.
Nec ſi pocula Jupiter propinet:
Aut hæc porrigat, & miniſtret Hebe,
Aut tradat Catamitus ipſe nectar.
Non ſomnum capit, aut quieſcit umquam.
Veſanos tacite movet furores,
Intentans animo faces Erinnys
Letalis, Tityique vultur intus,
Qui ſemper lacerat, comeſtque mentem.
Vivit pectore ſub dolente vulnus:
Quod Chironia nec manus levarit,
Nec Phœbus, ſoboleſve clara Phœbi.

Ep. XXXVII. *Idem. De Vita Beata.*

Non eſt, falleris, hæc beata, non eſt:
Quod vos creditis eſſe, vita non eſt:
Fulgentes manibus videre gemmas,
Aut teſtudineo jacere lecto,
Aut pluma latus abdidiſſe molli,
Aut auro bibere, & cubare cocco,
Regales dapibus gravare menſas,
Et quidquid Libyco ſecatur arvo,
Non una poſitum tenere cella:
Sed nullos trepidum timere caſus,
Nec vano populi favore tangi,
Et ſtricto nihil æſtuare ferro.
Hoc quiſquis poterit, licebit illi,
Fortunam moveat loco ſuperbus.

Ep. XXXVIII. *Idem. De Aetate.*

Vitam vivere ſi cupis beatam,
Et votis Lacheſis dabit ſenectam;
Annos ludere te decem decebit,
Viginti ſtudiis dabis ſeveris,
Triginta pete litium tribunal,
Quadraginta ſtylo polita dicas,
Quinquaginta velim diſerta ſcribas,
Sexaginta tuo ſatis fruaris,
Septuaginta velis venire mortem,
Octoginta ſenes caveto morbos,
Nonaginta time labente ſenſu,
Centum nec puer unus adloquatur.

Ep. XXXIX. *Idem. De qualitate temporis.*

Omnia tempus edax depaſcitur, omnia carpit:
Omnia ſede movet, nil ſinit eſſe diu.
Flumina deficiunt, profugum mare litora ſiccat,
Subſidunt montes, & juga celſa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima cœli
Ardebit flammis tota repente ſuis.
Omnia mors poſcit. lex eſt, non pœna, perire.
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

Ep. XL. *Idem. Epicteti.*

Poma ut in arboribus pendentia, corpora noſtra
Aut matura cadunt, aut cito acerba ruunt.

Ep. XLI. *Idem. De Vetuſtate. Sulpicii Servaſti Iunioris.*

Omne quod natura parens creavit,
Quamlibet firmum videas, labaſcit
Tempore, ac longo fragile ac caducum
Solvitur uſu.
Amnis inſueta ſolet ire valle,
Mutat & rectos via certa curſus,
Rupta cum cedit male pertinaci
Ripa fluento.
Decidens ſcabrum cavat unda toſum,
Ferreus vomis tenuatur agris
Splendet, ac trito digitos honorans
Annulus auro.

Ep.

Ep. XLII. *Idem. De Deſidia & Labore.*

Deſidiam nolis, ſed non labor improbus omni
Adridet, dulce eſt inter utrumque nihil.
Ignavum ſcabies, luctantem injuria perdit,
Ille ſui, alterius perdidit iſte decus.

Ep. XLIII. *Fulgent. de Continent. Virgil. Porphyrii Poetæ.*

Pauxillo Fortuna tibi, res perfida, Quinte,
Extulit in frontem grande ſupercilium.
Nam, ne aliud credam, puteum puto te quoque, Quinte.
Quanto altus magis es, tam mage deſpiceris.

Ep. XLIV. *Burmannus. de Fortuna.*

O Fortuna potens, ac nimium levis,
Tantum juris atrox quæ tibi vindicas,
Evertiſque bonos, erigis improbos.
Nec ſervare potes muneribus fidem.
Fortuna immeritos auget honoribus.
Fortuna innocuos cladibus adficit.
Juſtos illa viros pauperie gravat.
Indignos eadem divitiis beat.
Hæc aufert juvenes, & retinet ſenes,
Injuſto arbitrio tempora dividens.
Quod dignis adimit, tranſit ad impios.
Nec diſcrimen habet, rectave judicat.
Inconſtans, fragilis, perfida, lubrica.
Nec quos clarificat, perpetuo fovet:
Nec quos deſeruit, perpetuo premit.

Ep. XLV. *Idem. Pentadii. De Fortuna.*

Res eadem adſidue momento volvitur uno,
Atque redit diſpar res eadem adſidue.
Vindice facta manu Progne pia dicta ſorori,
Impia ſed nato vindice facta manu.
Carmine viſa ſuo Colchis fuit ulta maritum,
Sed ſcelerata fuit carmine viſa ſuo.
Conjugis Eurydice precibus remeabat ad auras,
Rurſus abeſt vitio conjugis Eurydice.
Sanguine poma rubent triſti nece tincta repente,
Candida quæ fuerant, ſanguine poma rubent.
Dædalus arte ſua fugit Minoia regna,
Amiſit natum Dædalus arte ſua.
Munere Palladio læti qua nocte fuere,
Hac periere Phryges munere Palladio.
Nate, quod alter ades cœlo, das gaudia Ledæ:
Sed mœret mater, nate quod alter abes.
Hoſtia ſæpe fuit diri Buſiridis hoſpes,
Buſiriſque aris hoſtia & ipſe fuit.
Theſeus Hippolyto vitam per vota rogavit,
Optavit mortem Theſeus Hippolyto.
Stipite fatifero juſte quæ fratribus auſa,
Mater ſæva fuit ſtipite fatifero.
Sola relicta toris fleviſti in litore Gnoſis,
Lætaris cœlo ſola relicta toris.
Aurea lana fuit, Phryxum quæ per mare vexit,
Helle qua lapſa eſt, aurea lana fuit.
Tantalis eſt numero natorum facta ſuperba,
Natorum adflicta Tantalis eſt numero.
Pelias haſta fuit, vulnus grave quæ dedit hoſti,
Et quæ ſanavit, Pelias haſta fuit.
Per mare jacta ratis pleno ſubit oſtia velo,
In portu verſa eſt per mare jacta ratis.
Lux cito ſumma datur, natuſque extinguitur infans,
Atque animæ æternum lux cito ſumma datur.
Sunt mala lætitiæ diverſa lege creata,
Et juncta adſidue ſunt mala lætitiæ.

Ep. XLVI. *Hyginus Fab. 221. Septem Sapientum Sententiæ.*

Optimus eſt, Cleobulus ait, modus, incola Lindi.
Ex Ephyra Periandre doces, cuncta & meditanda.
Tempus noſce, inquit Mitylenis Pittacus ortus.
Plures eſſe malos, Bias autumat ille Prieneus.
Mileſiuſque Thales ſponſori damna minatur.
Noſce, inquit, tete, Chilon Lacedæmone cretus.
Cecropiuſque Solon, ne quid nimis, induperabit.

Ep. XLVII. *Burmannus. Monoſticha de Moribus.*

Utilibus monitis prudens accommodet aurem.
Non læta extollant animum, non triſtia frangant.
Diſpar vivendi ratio eſt, mors omnibus una.
Grande aliquid caveas timido committere cordi.
Numquam ſanantur deformis vulnera famæ.
Naufragium rerum eſt mulier malefida marito.
Tu ſi animo regeris, rex es, ſi corpore, ſervus.
Proximus eſto bonis, ſi non potes optimus eſſe.
Nullus tam parcus, quin prodigus ex alieno.
Audit quod non vult, qui pergit dicere quod vult.
Non placet ille mihi, quiſquis placuit ſibi multum.
Juri ſervitium defer, ſi liber haberis.
Vel bona contemni docet uſus, vel mala ferri.
Ex igne ut fumus, ſic fama ex crimine ſurgit.
Improbus officium ſcit poſcere, reddere neſcit.
Irridens miſerum, dubium ſciat omne futurum.
Mortis imago juvat ſomnus, mors ipſa timetur.
Quanto major eris, tanto moderatior eſto.
Alta cadunt odiis, parva extolluntur amore.
Criminis indultu ſecura audacia creſcit.
Quemlibet ignavum facit indignatio fortem.
Divitiæ trepidant, paupertas libera res eſt.
Haud homo culpandus, quando eſt in crimine caſus.
Fac quæ te par ſit, non alter quod mereatur.
Diſſimilis cunctis eſt vultus, vita, voluntas.
Ipſum ſe cruciat, deſævitque invidus in ſe.
Semper pauperies quæſtum prædivitis auget.
Magno conficitur diſcrimine res memoranda.
Terra omnis patria eſt, qua naſcimur & tumulamur.
Aſpera perpeſſu, fiunt jucunda relatu.
Acrius adpetimus nova, quam jam parta tenemus.
Labitur ex animo benefactum, injuria durat.
Tolle mali teſtes, levius mala noſtra feremus.

Ep. XLVIII. *Idem. Floridi.*

Sperne mores transmarinos, mille habent offucias,
Cive Romano per orbem nemo vivit rectius,
Quippe malim unum Batonem, quam trecentos Socratas.

Ep. XLIX. *Idem.*

Tam malum eſt habere nummos, non habere quam malum eſt.
Tam malum eſt audere ſemper, quam malum eſt ſemper pavere
Tam malum eſt tacere multum, quam malum eſt multum loqui.

Tam malum eſt foris amica, quam malum eſt uxor domi.
Nemo non hæc vera dicit, nemo non contra facit.

Ep. L. *Idem*.

Qui mali ſunt, non fuere matris ab alvo mali:
Sed malos faciunt malorum falſa contubernia.

Ep. LI. *Idem*.

Omnis mulier intra pectus celat virus peſtilens,
Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.

Ep. LII. *Idem*.

Conſules fiunt quotannis & novi Proconſules,
Solus aut Rex aut Poeta non quotannis naſcitur.

Ep. LIII. *Idem. De Ratione vitæ inſtituendæ*.

Formula vivendi præſto eſt tibi. pauca loquaris,
Plurima fac, ſi utrique comes modus, utile, pulchrum.
Sobrius a menſis, a lecto ſurge pudicus.
Obſequiis inſtes, ea pro te præmia poſcant,
Ut decet ac prodeſt, & amabis & oderis idem.
Stans caſum metuas, ſperes proſtratus, & illum,
Quem colis in titulis, miſerum abjectumque tuere.

Ep. LIV. *Idem. De Univerſo*.

Quod cernunt oculi, Deus eſt; fons nempe Deorum eſt,
Majeſtas cæli vertitur orbe ſuo.
Terra gerit gremio ſeſe cælique ſuoque,
Et finem ingentis monſtrat uterque globi.
At quæ ſe pelago tradit natura videndam,
Luminibus dicit; non ego finem habeo.
Omnia me circum, ſuper omnia, fundit aquæ lex',
Sic nuſquam immenſi terminus Oceani eſt.
Hic oculos igitur rerum in primordia mittis;
Exſpirant omnes hic numeri atque notæ.
Naſcitur hinc quidquid moritur, retroque recedit;
Huc redit æterno quidquid in orbe perit.
Hoc perimit flammas elementum, alit, evocat, auget,
Omnis abeſt ſapiens atque Thalete procul.

Ep. LV. *Idem. De Deo*.

Auro quid melius? jaſpis. quid jaſpide? ſenſus.
Quid ſenſu? ratio. quid ratione? Deus.

Ep. LVI. *Idem. Menſæ inſcriptum*.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

Ep. LVII. *Idem. In Garrulitatem*.

Lingua brevis, brevitate levis, levitate movetur,
Mobilitate loquax, garrulitate nocens.

Ep. LVIII. *Idem. Epicuri*.

Cum te mortalem noris, præſentibus exple
Deliciis animum. poſt mortem nulla voluptas.

Ep. LIX. *Scaliger. Duodecim Scholaſticorum deſcriptio quatuor tempeſtatum anni. Argumentum eſt ex his Ovidianis*.

Verque novum ſtabat cinctum florente corona.
Stabat nuda Aeſtas, & ſpicea ſerta gerebat.
Stabat & Autumnus calcatis ſordidus uvis.
Et glacialis Hyems, canos hirſuta capillos.

BASILIUS I.

Vere ſinum Tellus aperit, floreſque miniſtrat.
Tempore ſolis ager meſſes fert pinguis opimas.
Fœcundos Autumne lacus de vitibus imples.
Vis Hiemis glacie currentes alligat undas.

ASMENUS II.

Frigoribus pulſis nitidum ver æthera mulcet.
Scindit agros Aeſtas Phœbeis ignibus ardens.
Autumno dat hiems miſtum vicina teporem.
* Albentes hæc durat aquas, & flumina nectit.

VOMANUS III.

Ver pingit vario gemmantia prata colore.
Ignea veſtit agros culmis Cerealibus Aeſtas.
Vitibus Autumnns turgentes detrahit uvas.
* Frigore at hiberno eſt gravidus nive nubilus æther.

EUPHORBUS IV.

Vere Venus gaudet florentibus aurea ſertis.
Flava Ceres Aeſtatis habet ſua tempore regna.
Vinifero Autumno ſumma eſt tibi, Bacche, poteſtas.
Imperium ſævis hiberno tempore ventis.

JULIANUS V.

Vere gravis fundit Tellus cum floribus herbas.
Frugiferas arvis fert Aeſtas torrida meſſes.
Pomifer Autumnus tenero dat palmite fructum.
Mox humus hibernis albeſcit operta pruinis.

HILASIUS VI.

Vere novo lætis decorantur floribus arva.
Ac riget æſtivis hirſutus campus ariſtis.
Labra per Autumnum muſto ſpumantia fervent.
Deponunt frondes hiemali frigore ſilvæ.

PALLADIUS VII.

Ver placidum vario nectit de flore corollas.
Spicea ſerta gerit caldiſſima ſolibus Aeſtas.
Temporaque * Autumni cingunt tua, Bacche, racemi.
Triſtis hiems montes niveo velamine veſtit.

ASCLEPIADIUS VIII.

* Ver agrum gemmis nitidum ſtellantibus ornat.
At fervens Aeſtas pinguiſſima frugibus arva.
Mox Autumnali redolet vindemia fœtu.
Fronde nemus male nudat hiems, amneſque rigeſcunt.

EUSTHE-

EUSTHENIUS IX.

Purpureos flores humus effert vere comanti.
Ac Cereris donis horreſcunt arva per æſtum.
Bacche, tuo tempus fluit autumnale liquore.
Obtegitur tellus per frigora veſte nivali.

POMPEJANUS X.

Vere tepet picto Zephyris ſpirantibus aer,
Decreſcunt celeres æſtivis ignibus amnes.
Temperies, Autumne, fluit tua nectare dulci.
Perque hiemem lentus cælo nivis advolat imber.

MAXIMIANUS XI.

Veris honos tepidi floret, vere omnia rident.
Arva ſub æſtivis undant horrentia flabris.
Vite coronatas Autumnus degravat ulmos.
Decutit ipſe rigor ſilvis hiemalis honorem.

VITALIS XII.

Flore ſolum vario depingit odoriferum ver.
Falciferamque Deam falces remorantur in æſtu.
Dat muſto gravidas Autumnus pomifer uvas.
Sithonia glacialis hiems nive cana ſeneſcit.

Ep. LX. *Idem. Eorumdem de ſignis Cæleſtibus.*

JULIANUS I.

Primus adeſt Aries, Taurusque inſignibus auro
Cornibus, & Fratres, & Cancer aquatile ſignum.
Tum Leo terribilis Nemees, atque innuba Virgo.
Libra ſubit, caudaque animal quod dirigit ictum.
Armatuſque arcu Chiron, & corniger Hircus.
Fuſor aquæ ſimul, & fulgenti lumine Piſces.

HILASIUS II.

Proditor eſt Helles, & proditor Europæus.
Et Gemini juvenes, & preſſus ab Hercule Cancer.
Horrenduſque Leo ſequitur cum Virgine ſancta.
Libraque lance pari, & violentus acumine caudæ.
Inde Sagittiferi facies ſenis, & Capricornus,
Et qui portat aquam puer urniger, & duo Piſces.

PALLADIUS III.

Signorum princeps Aries, & Taurus, & una
Tyndaridæ Juvenes, & fervida brachia Cancri.
Herculeuſque Leo Nemeæ pavor: almaque Virgo.
Libra jugo æquali pendens, & Scorpius acer,
Centauruſque ſenex Chiron, & cornua Capri.
Et Juvenis geſtator aquæ, Piſceſque ſupremi.

ASCLEPIADIUS IV.

Corniger aſtrorum ductor, Tauruſque ſecundus.
Tum ſidus Geminum, & Cancri gemmantis imago.
Truxque Leo, & Virgo, quæ ſpicea munera geſtat,
Et Libram, quam Cæſar habet: Chelæque minaces,
Atque arcu pollens, & falſi gurgitis Hircus.
Urnaque Nimbiferi, Piſceſque noviſſima forma.

EUSTHENIUS V.

Dux Aries, & frons Tauri metuenda minacis,
Et Ledæ ſoboles, & Cancri torridus ignis.
Terribiliſque Leo, ſpecies quoque Virginis almæ,
Momentumque ſequens, caudaque timendus adunca:
Hinc tendens arcum: liquidi Caper æquoris inde.
Trojanuſque puer, geminique ſub æthere Piſces.

MAXIMILIANUS VI.

Nubigenæ juvenis vector, Taurique trucis frons,
Et proles duplex Jovis, & Nepa torrida flammis.
Aeſtifer inde Leo juſta cum Virgine fulgens.
Quam ſequitur Libra, & violenta cuſpide ſævus.
Semifer Arcipotens ſubit, & Capricornus aquoſus,
Et cui nomen aquæ faciunt, Piſceſque gemelli.

VITALIS VII.

Corniger imprimis Aries, & Corniger alter
Taurus, item Gemini, ſequitur quos Cancer aduſtus,
Terribiliſque feræ ſpecies, & juſta puella.
Libra ſimul, nigrumque gerens in acumine virus.
Centauruſque biformis adeſt, pelagique procella.
Atque amnem fundens, & Piſces ſidus aquoſum.

BASILIUS VIII.

Cornigeri ductor gregis, Europæ quoque vector,
Et duo Tyndaridæ: tum Cancer ſole peruſtus:
Herculeaque manu preſſus Leo, & optima Virgo.
Hinc Trutinæ ſpecies venit, armatuſque veneno
Scorpius, atque Sagittifer, æquoreique Capri frons,
Quique urnam gerit, & Piſces duo ſigna ſub uno.

ASMENUS IX.

Principium ſignis ovium ſator. inde Juvencus,
Progenies duplex, & aquarum Cancer alumnus,
Preſſa ſub Herculeis manibus fera, juſtaque Virgo.
Libra ſubeſt, caudaque ferens lethale venenum
Tum geminus Chiron, & corniger æquoris alti,
Dilectuſque Jovi puer, & duo ſidera Piſces.

VOMANUS X.

Dux gregis, & placidum pandens ſubit æthera Taurus,
Germanique pares, & Cancro jam comes æſtus,
Atque Leo primus labor Herculis, & pia Virgo.
Libra comes ſequitur, minitans & Scorpius ictu.
Et qui tela gerit Centaurus, & æquoris Hircus.
Deucalionis aquæ, & Piſces poſtrema figura.

EVPHORBUS XI.

Velleris aurati fulget pecus * aurea cælo.
Zethus & * Amphion, Cancrique figura calentis.
Inſequitur Leo ſævus, & almæ Virginis * aſtrum.
Hinc æquale jugum, caudaque venenifer unca.
Centauruſque minax arcu, & Neptunia proles.
Quique refundit aquas, & Piſces ultimus ordo.

POMPEJANUS.

* * * * *

Deerant in exemplari.

EORUMDEM IRIS.

MAXIMIANUS I.

Thaumantis proles varianti veſte * figuras,
Multicolor picto per nubila devolat arcu:
* Cum Sol ardentes radios per nubila jecit.

VITALIS II.

* Cum Sol horrifico nimbos fulgore replevit,
Apparet * varii radiis diſtincta coloris
Iris, & inſigni decorat curvamine cælum.

BASILIUS III.

Clara ſub ætheriis fulgens Thaumantia proles
Nubibus, ut radiis pluvium Sol attigit imbrem,
Et picturato cælum velamine cingit.

ASMENUS IV.

Diſcolor ætheriis apparet nubibus Iris,
Poſtquam flammiferi rubuerunt lumina Solis,
Et cælum variis miranda coloribus ornat.

VOMANUS V.

Imbriferas nubes radiis ubi contigerit Sol:
Luce ſub adverſa varios jacit unda colores.
Dicitur hæc Iris picto * ſpectantibus arcu.

EUPHORBUS VI.

Cum tetigit nubes radiis fulgentibus atras
Phœbus, & adverſo lumen reſplenduit imbri,
Tunc Iris vario circumdat nubila cinctu.

IULIANUS VII.

Mirifico nubes ambit * Thaumante creata:
Quas cum ex adverſo tetigit rota fulgida Solis,
Tum jacit inſignes per nubila denſa colores.

HILASIUS VIII.

Nuncia Iunonis vario decorata colore,
Æthera nubificum complectitur orbe decoro:
Cum Phœbus radios in nubem jecit aquoſam.

PALLADIUS IX.

Nubila cum Phœbus perfudit lumine claro:
Tum fit, ut humor aquæ ſuffulgeat, atque colores
Sub varia ſpecie jaciat mutabilis arcus.

ASCLEPIADIUS X.

Cum radiis imbres, & aquarum pendulus humor
Frangitur, * apparet, quam Græcia nominat, Iris,
Multorum inſignis vario ſplendore colorum.

EVSTENIUS XI.

Iris habet varios ſubjecta luce colores.
Quam Sol imbrifera fulgens de luce creavit,
Cum pepulit radiis obſtantia nubila claris.

POMPEJANUS XII.

Luce repentina cum Sol implevit aquoſas
Adverſus nubes: effulget protinus Iris
Picta veſte decens, & multicoloribus alis.

Ep. LXVIII. *Idem*.

EORUMDEM, IMAGO IN UNDA.

HILASIUS I.

Redditur effigies liquida ſpectantis in unda:
Qualis in adverſo ſpeculorum cernitur orbe.

POMPEIANUS II.

Formas pura refert oculis ſpectantibus unda,
Objecto quales ſpeculi fulgore videntur.

MAXIMIANUS III.

Fontis aquæ reddunt ſimulacra imitantia verum,
Qualia læve refert ſpeculi, cum cernimus, æquor.

VITALIS IV.

Exprimit oppoſitas immobilis unda figuras:
Lævati quales ſpeculi nitor ipſe remittit.

BASILIUS V.

Apparet mendax illimi fonte figura,
Qualem rejectat ſpeculi nitidiſſimus orbis.

ASCLEPIADIUS VI.

Unda quieta refert alto de gurgite formas:
Ac veluti ſpeculum nitido ſplendore coruſcat.

EUPHORBUS VII.

Forma repercuſſus liquidarum fingit aquarum,
Quales purifico ſpeculorum ex orbe reducit.

VO-

VOMANUS VIII.

Spectantis faciem mundiſſimus aſſimilat fons,
Sicut in oppoſito ſpeculi ſolet æquore cerni.

IULIANUS IX.

Fontibus in liquidis ſimplex generatur imago,
Ut ſolet a ſpeculo facies ſplendente referri.

PALLADIUS X.

Effigies liquido reſpondet ab æquore fontis,
Qualis & a ſpeculo ſimulatrix unda reſultat.

EVSTHENIUS XI.

Effingit ſpecies puriſſimus humor aquarum,
Plana velut ſpeculi vivas imitantia formas.

ASMENUS XII.

Fonte repulſatur depicta tuentis imago,
Ceu lævi in ſpeculo ſolet apparere figura.

Ep. LXI. *Idem. Eorumdem, amnis glacie concretus.*

POMPEIANUS I.

Qua ratis egit iter, juncto bove plauſtra trahuntur:
Poſtquam triſtis hyems frigore junxit aquas.

MAXIMIANUS II.

Suſtinet unda rotam patulæ modo pervia puppi:
Et concreta gelu marmoris inſtar habet.

VITALIS III.

Quas modo plauſtra premunt undas, ratis ante ſecabat,
Poſtquam brumali diriguere gelu.

BASILIUS IV.

Unda rotam patitur celerem modo paſſa carinam,
In glaciem ſolidam verſus ut amnis abit.

ASMENUS V.

Quæ ſolita eſt ferre unda rates, fit pervia plauſtris,
Ut ſtetit in glaciem marmore verſa novo.

VOMANUS VI.

Semita fit plauſtro, qua puppis adunca cucurrit,
Poſtquam frigoribus bruma coegit aquas.

EVSTENIUS VII.

Orbita ſignat iter, modo qua cavus alveus exiit,
Strinxit aquas tenues ut glacialis hyems.

HILASIUS VIII.

Amnis iter plauſtro dat, qui dedit ante carinæ:
Duruit ut ventis unda, fit apta rotis.

PALLADIUS IX.

Plauſtra boves ducunt, qua remis acta carina eſt,
Poſtquam diriguit craſſus in amne liquor.

ASCLEPIADIUS X.

Unda capax ratium, plauſtris iter algida præbet,
Frigoribus ſævis ut ſtetit amnis iners.

EVPHORBUS XI.

Plauſtra viam carpunt, qua puppes ire ſolebant:
Frigidus ut Boreas obſtupefecit aquas.

JULIANUS XII.

Qua puppes ibant, adducunt plauſtra juvenci,
Pigrior ut cano conſtitit unda gelu.

Ep. LXII. *Idem. Eorundem, de ortu Solis.*

ASMENUS I.

Aurora Oceanum croceo velamine fulgens
Liquerat, & bijugis vecta rubebat equis.
Luce polum nitida perfudit candidus orbis,
Et clarum emicuit Sole oriente jubar.

VOMANUS II.

Roſcida puniceo Pallantias exit amictu,
Aſtriferum inficiens luce oriente polum.
Sol inſigne caput radiorum ardente corona
Promit ab æquoreis Tethyos ortus aquis.

EUPHORBUS III.

Extulit Oceano caput aureus igniferum Sol.
Fugerunt toto protinus aſtra polo.
Conceſſere Deo tenebræ, rebuſque colores
Lux iterum cunctis reddidit alma ſuos.

JULIANUS IV.

Tithoni conjux roſeo ſub limine terras
Inficit, & cælum lutea ſidereum.
Cum Sol igniferos currus e gurgite magno
Suſtulit, & claris aſtra fugavit equis.

HILASIUS V.

Nox abit aſtrifero velamine cincta micanti,
Et redigit ſtellas, exoriturque dies.
Emicat Oceano Phœbi rota clara relicto.
Illuſtrata nitent lumine cuncta ſuo.

PAL-

PALLADIUS VI.

Aurea fulgebat roſeis Aurora capillis,
Et matutino rore madebat humus.
Tethyos undivagæ cum proſilit æquore Titan,
Flammiferos vultus ore micante ferens.

ASCLEPIADIUS VII.

Exoritur Phœbus perfundens luce nitenti
Et maria & terras, ſtelliferumque polum.
Aſtraque ceſſerunt fulgentia crinibus aureis.
Et nox ſidereas occulit atra faces.

EUSTHENIUS VIII.

Sol oriens, curruſque ſuos e gurgite tollens
Oceano, claro reddidit orbe diem.
Flammiferumque jubar terræque poloque reduxit,
Et pepulit radiis aſtra repente ſuis.

POMPEJANUS IX.

Memnonis ut genitrix infecerat humida cælum,
Et roſeis manibus ſidera diſpulerat:
Phœbus Atlanteis e fluctibus aureus orbem
Suſtulit igniferum: luxque repente rediit.

MAXIMIANUS X.

Prævia flammiferi curſus Aurora ſedebat:
Extuleratque alto gurgite Phœbus equos.
Noctivagoſque ſimul radiis flagrantibus ignes
Depulerat cælo, reddideratque diem.

VITALIS XI.

Vix Aurora ſuo rubefecerat æthera curru,
Summaque canebat roribus herba novis:
Proſilit e mediis candens rota Tethyos undis,
Et vaga ceſſerunt ſidera Solis equis.

BASILIUS XII.

Surgit ab Oceano Tithoni fulgida conjux,
Et veſte ab roſea ſubruit ipſa pedes.
Tum Phœbus radiis rutilum fulgentibus orbem
Depulit e tenebris: noxque peracta fuit.

Ep. LXIII. *De Die Natali Aſmeni.*

Clarus in offenſo procedat lumine Titan,
Lætitiæque dies eat omnibus æthere puro.
Voſque ſimul juvenes animis, & voce faventes
Concelebrate diem votis felicibus almum.
Proſper ut is ſemper redeat, variique quotannis
Aſmenidæ referant alacres ſua munera nati.

Ep. LXIV. *Mors trium.*

Sus, juvenis, ſerpens caſum venere ſub unum.
Sus jacet ex ictu, pede ſerpens, ille veneno.

Ep. LXV. *Item.*

Anguis, aper, juvenis pereunt vi, vulnere, morſu.
Hic fremit, ille gemit, ſibilat hic moriens.

Ep. LXVI. *Item.*

Sus, ſerpens, juvenis pariter periere viciſſim.
Dente perit juvenis, pede ſerpens, porcus ab ictu.

Ep. LXVII. *Item.*

Non bene cum parvis junguntur grandia rebus.
Stantia namque premunt: præcipitata ruunt.

Ep. LXVIII. *Idem.*

Tu forte in luco lentus vaga carmina gignis:
Argutoſque inter latices, & muſica flabra
Pierio liquidam perfundis nectare mentem.
At nos congeries obnubit turbida rerum,
Ferratæque premunt milleno milite curæ.
Legicrepi tundunt. latrant fora, claſſica turbant.
Et trans Oceanum ferimur porro uſque, nivoſus
Quum teneat Vaſco, nec parcat Cantaber horrens.
En quibus indicas, ut crinem frondea Phœbi
Succingant, hederæve comas auguſtius umbrent.
En quos flammantem jubeas volitare per æthram.
Quin mage præveniens Aquilas vis pigra Elefantum
Præcurret, volucremque pigens teſtudo Moloſſum:
Quam nos rorifluam ſectemur carmine Lunam.
Sed tamen, incurvus per pondera terrea nitens,
Dicam quur feſſo liveſcat circulus orbe:
Purpureumque jubar nivei quur tabeat oris.
Non illam, ut populi credunt, nigrantibus antris
Infernas ululans mulier prædira ſub umbras
Detrahit altivago e ſpeculo: nec carmine victa
Vel rore Stygias * *
Vincibilemque petit clamorem. quippe per æthram,
Qua citimus limes diſpeſcit turbida puris,
Inviolata meat. ſed vaſto corpore Tellus,
Quæ medium tenet ima polum, dum lumina Fratris
Detinet umbriferis metis: tum ſidere craſſo
Palleſcit teres umbra rotæ, dum tranſeat axem
Aggerei velox tumuli, ſpeculoque roſanti
Fraternas reparet per cælum libera flammas.
Sed quia mira putas, quur, quum vis maxima Solis
Bis novies major clueat, quam terreus orbis,
Nunc circumcingat terreſtres lumine metas:
Sume ratum rationis opus. namque aſpice Phœbum,
Quam ſublimis eat convexa per aurea Mundi,
Quamque humilem terram colluſtret curribus altis:
Hic ingens utcumque libet vel deſuper ignes
Sparſerit, obliquo vel quum radiaverit axe,
In terram radii franguntur. cætera Solis
Lumina, qua major jaculis radiantibus exit,
Nil obſtante globo, tendunt per inania vaſta:
Donec Pyramidis peragat victa umbra cacumen.
Per quam quum Phœbe validos agit uda jugales,
Infima vicinis nonnumquam decolor umbris
Fratre caret, vacuoque exanguis deficit ore.
Quur autem ſola ſpolietur lumine Luna,
Nil vero mirum eſt. quippe illam lucis egentem
Lux aliena fovet: quam quum pars proxima metæ
Invidet, expectat radios male cærula Fratris.
At chorus aſtrorum reliquus non tangitur umbris.

Et

Et proprium cunctis jubar eſt, nec Sole rubeſcunt.
Sed ſudum * * *
Porro ultra Solem rapitur cum vertice Cæli.
Jam quur ſemenſtri non ſemper palleat orbe,
Inflexi præſtant obliquo tramite curſus.
Namque vagans errore rato quum devia tortos
Colligit anfractus, metam Sol eminus exit,
Intorquetque peplum noctis, radiatque ſororem.
Hæc eadem ratio eſt, ſubitis quur tangitur umbris
Auguſti Solis rutilum jubar: indiga lucis
Quando inter terram, & Solem rota corporis almæ
Luna meat, fratrem rectis obiectibus arcens. * * *

Ep. LXIX. *Menſium Deſcriptio.*

Dira patet Jani Romanis janua bellis.
Vota Deo Diti februa menſis habet.
Incipe Mars: anni felicia fata reduce.
Tunc Aries Veneri lintea ſerta legit.
Dulcia, Maia, tuis dulcia exagona Nonis.
Arce poli Geminos Iulius ecce locat.
Julius ardenti divertit lumina ſolis
Aere: flammigero cuncta Leone calent.
Poma legit Virgo maturi mitia Solis.
Fundit & October vina Falerna lacu.
Aret tota ſoli ſpecies vi dura Nepai.
Munde December, amat te genialis hyems.

Ep. LXX. *Eorundem Menſium Pictura.*

IANUARIUS.

Hic jam menſis ſacer eſt. en aſpice, ut aris
Tura micent: fumant ut pia tura Lares.
Annorum, ſeclique caput: natalis honorum;
Purpureos faſtis qui numerat proceres.

FEBRUARIUS.

At quem cæruleus nodo conſtringit amictus,
Quique paludicolam prendere gaudet avem,
Dædala quem jactu pluvio circumvenit Iris,
Romuleo ritu februa menſis habet.

MARTIUS.

Cinctum pelle Lupæ promptum eſt cognoſcere menſem.
Mars olli nomen, Mars dedit exuvias.
Tempus ver hœdus petulans, & garrula hirundo
Indicat, & ſinus lactis, & herba virens.

APRILIS.

Contectam myrto Venerem veneratur Aprilis.
Lumen ruris habet, quo nitet alma Ceres.
Cereus & dextra flammas diffundit odoras.
Balſama nec deſunt, queis redolet Paphie.

MAJUS.

Cunctas veris opes, & picta roſaria gemmis
Liniger in calathis, aſpice, Majus habet:
Menſis Atlantigenæ dictus cognomine Majæ.
Quem merito multum diligit Uranie.

JUNIUS.

Nudus membra dehinc ſolares reſpicit horas
Junius: ac Phœbum flectere monſtrat iter.
Lampas maturas Cereris deſignat ariſtas.
Floraleſque fugas lilia fuſa docent.

JULIUS.

Ecce coloratos oſtentat Julius artus,
Crines cui rutilos ſpicea ſerta ligat.
Morus ſanguineos præbet gravidata racemos:
Quæ medio Cancri ſidere læta viret.

AUGUSTUS.

Fontanos latices, & lucida pocula vitro
Cerne ut demerſo torridus ore bibat,
Æterno Regni ſignatus nomine menſis,
Latona genitam quo perhibent Hecaten.

SEPTEMBER.

Surgentes acinos, varias & præſecat uvas
September, ſub quo mitia poma jacent:
Captivam filo gaudens religaſſe lacertam,
Quæ ſuſpenſa manu mobile ludit opus.

OCTOBER.

Dat prenſum leporem, cumque ipſo palmite fœtus
October: pingues dat tibi ruris aves.
Jam Bromios ſpumare lacus, & muſta ſonare
Apparet. vino vas calet ecce novo.

NOVEMBER.

Carbaſeo poſt hunc artus inductus amictu
Memphidos antiquæ ſacra, Deamque colit.
A quo vix avidus ſiſtro compeſcitur anſer,
Devotuſque ſatis incola Memphidiis.

DECEMBER.

Annua ſulcatæ conjectaque ſemina terræ
Paſcit hyems, pluvio de Jove cuncta madent.
Annua nunc revocet Saturno feſta December.
Nunc tibi cum domino ludere, verna, licet.

Ep. LXXIX. *Eorundem Pictura.*

Fulget honorificos inductus Menſis amictus
Signans Romuleis tempora Conſulibus.
Ruſtica Bacchigenis intentans arma novellis
Hic meruit Februi nomen habere Dei.
Martius in campis ludens ſimulacra duelli
Ducit Cinyphii lactea dona gregis.
Sacra Dioneæ referens ſolemnia matri
Laſcivus crotalis plaudit Aprilis ovans.
Majus Atlantiados gnatæ dignatus honore
Expoliat pulchris florea ſerta roſis.
Sanguineis ornans æſtiva prandia moris
Junius: huic nomen fauſta juventa dedit.
Quintilis menſis Cereali germine gaudens
Julius a magno Cæſare nomen habet.
Auguſtum penitus torret Phaetontius ardor,

Quem

Quem recreat feſſum gillo, faula, melo.
Æquales Libræ September digerit horas:
Cum botruis captum rete terens leporem.
Conterit October laſcivis calcibus uvas.
Et ſpumant pleno dulcia muſta lacu.
Arva November arans, * fœcundo nomine beſtiæ
Cum terit, & ſentit pinguis oliva molas.
Pigra ſuum cunctis commendat Bruma Decembrem,
Cum ſolers famulis teſſera jungit heros.

Ep. LXXX. *Quatuor Temporum Pictura.*

Carpit blanda ſuis Ver almum dona roſetis.
Torrida collectis exultat frugibus Æſtas.
Indicat Autumnum redimito palmite vertex.
Frigore pallet Hyems deſignans alite tempus.

Verſus in laudem Solis. Pithoeus.

DUm mundum natura potens terramque dicaret,
Sol dedit ipſe diem, hic horrentia nubila cælo
Diſpulit, & faciem roſeo diduxit in orbe:
Pulchra ſerenigero fulſerunt ſidera motu.
Nam chaos eſt ſine Sole dies. tunc diſcere lucem
Cœpimus, & croceum cæli ſentire teporem.
Gurgite de croceo ſurgunt ex more jugales,
Naribus elatis efflant e pectore lucem.
Sol rumpit tenebras rutilo qui fulget ab ortu,
Spargit in æthereos flammantia lumina campos:
Aliris hinc pecudes, vivit genus omne natantum,
Quod cælum, quod terra tenet, quod ſuſtinet æquor.
Hinc calor infuſus totum qui continet orbem.
Cuncta patent quæcumque tamen nox clauſerit atra.
Mox ſilvæ, campique virent, & florea rura.
Tunc placidum jacet omne mare & vernantibus undis
lumina, per tremulos currit lux aurea fluctus.
Hic regit imperium mundi, hic tempora ſancit,
Fluctibus hic nitidum tollit caput æthera in altum.
Mox tamen alipedum gemini nania lora rigeſcunt.
Aureus * æquis ineſt currus, ardeſcit ab Euro
S * ptio fulgens imitatur lumine Phœbi
* c Solus vicit orbe Deus, quem cernere nobis
* per florea rura
* opus quod flamma gubernat
* igne ſuo proſtat cum lumine ſenſus
* hinc vita redit, hinc cuncta reguntur.
* q; docet phœnix, iſtis reparata favillis.
Omnia Phœbeo vivefce e corpora tactu.
Hæc vitam de morte petit, poſt fata vigorem:
Naſcitur, ut pereat, perit ut naſcatur ab igni,
Una cadit totiens, ſurgitque, ac deficit una:
Rupe ſedet, capitur radiis. & lumine Phœbi
Suſcipit immenſum recidiva morte calorem.
Sol qui purpureo diffundit lumine terras.
Sol cui * vernantur tellus reſpirat odorem.
Sol cui picta virent fœcundo gramine prata.
Sol ſpeculum Cæli divini numinis inſtar.
Sol ſemper juvenis rapidum qui dividis axem.
Sol facies mundi, cælique volubile templum.
Sol Liber, ſol alma Ceres, ſol Juppiter ipſe,
Sol labor & * ribice, inſunt cui nomina mille.
Sol qui quadrijugo diffundit lumina curſu.
Sol & Hyperboreo fulget matutinus in ortu.
Sol reddit cum luce diem, cum pingit olympum.
Sol æſtas, autumnus, hiems, ſol ver quoque gratum.
Sol cui merenti * ſervit maris unda teporem.
Sol ſeclum, menſiſque, dies, ſol annus, & hora.
Sol globus æthereis hæc eſt lux aurea mundi.
Sol bonus agricolis, nautis quoque proſper in undis.
Sol repetit quæcumque poteſt tranſcendere ſemper.
Sol cui ſereno palleſcunt ſidera motu.
Sol cui tranquillo ſplendeſcit lumine pontus.
Sol cui cuncta licet rapido luſtrare calore.
Sol mundi, lucique decus, ſol omnibus unus.
Sol cui ſurgente reſonat * liba blanda canorem,
Sol noctis, luciſque decus, ſol finis, & ortus.

VESPRICII SPURINNÆ

Poetæ Veteris Odæ Quatuor

Ex Membranis in lucem editæ a Caſpare Barthio.

Ode I.

DUlceis Veſpricii jocos
Seras Socraticæ relliquias domus,
Ne laudes nimium * Marti.
Contemnit placitas * bilibus Viris
Soli, qui Sapientiæ
Poſt florem tepidum, nec ſtabilem gradum
Ætatis, ſenium dicat.
Mentis compoſitæ, qualis ab arduis
Ad ſe verſa Laboribus
Quos non dat Pa * * ac ſepoſuit ſibi
Annos, orba lucro gravi
* * * Ambitio tegmine candida
Illudat gravidæ ſpei.
Nos ſero pelagus vicimus invium:
Quidquid viximus, interit;
Æſtas, quam decies ſeptima dividit,
An leveis memoret jocos?
Atque aptos citharæ conciliet modos
Surdis auriculis ſtrepens?
Quiſquis decrepiti corporis eſt reus
Sat ſe ſe Eloquii probat.
Si ſer * placidi jura ſilentii,
Et patrocinium otii.
Hoc cani gravitas verticis abſtitit,
Non ut ſponte ſua fugax,
Sed * multi numeris carminis * * *

I I.

*
Fave Sancta Deum ſata
Nullis, Pauperies, Numinibus minor.
Tecum ſi ſapias tibi.
Ulta magnificis hoſpes honoribus
Abſolvens numerum tuæ
* *
In te lætitiæ; ſordida cum quies
Lautis nuda tumultibus
Ambit ſe patria fertilis in domo.
* *
Nullis vendibilis plauſibus.

Con-

Contemtrix queruli magnanima fori.
Nil non ſola potens, ubi
 Furtivis procerum ſuppliciis procul
Regnas in proprio ſinu.
 Felix, quem teneris Mater ab unguibus,
Et Regina rapis ſimul.
 Non illum * * * faſcibus arduum
Verſat nobilitas mala
 Curarum facilem fluctibus, ut ſuis
Orbum ſideribus rotet
 Illum ſplendida nox, & decor improbe
Cœcus præcipitant *
* * * * * *

III.

Poſtquam fixa ſolo ſemel
 Spernit fluctivagos anchora navitas
In ſævum pelagus ſequi,
 Quam vitat gravido perniciem mari
In ſuo reperit ſinu.
 Hærentem tumidis * * * dentibus
Ærugo propria exedit.
 Ni te deſidia ſancta quies levet,
Turbas dum populi fugis,
 Privatis quaties fata tumultibus
In te ludere pervicax.
 Nos * vigilans ſomnis * furor
Tortis liberat anguibus,
 At preſſo gracilis Cura manet pede.
* * * *

IIII.

* * * * * * * *

Ingrati nebulæ deſidii caput
 Circumſtant trepidum: Sors nimia in probos
Inceſtis facilis annuit auſibus,
 Stat contra aſſiduo pede.
Multum turba tenax * * fidei
 Ultra fata furit non docilis fugæ
* Deſider * * * præmio.
* * * *

CLASSIS NONA.

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA LÆTIORA ET SCOMMATICA, CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. I. *Burmannus. Idem. In Malevolum.*

INviſus tibi ſum: peream, ſi, Maxime, miror.
 Audi rem, & ſi vis, accipe cur faciam.
Famam tentaſti noſtram ſermone maligno
 Lædere fellitis, invidioſe, jocis.
Contra rem nuper pugnaſti, livide, parvam,
 Tu tamen in magnis te nocuiſſe putas.
Hei peream, niſi ſunt animi tam maxima cauſa.
 Odi, nec mentem res magis ulla juvet.
Inque vicem ut facias curo, pereoque timore,
 Ne minus inviſus ſim tibi, quam videor.

Ep. II. *Idem. In partes humani Corporis.*

Cor non laudo hominis: nam perfidum & exitiale.
 Non laudo os: namque eſt vaniloquum & fatuum.
Non oculos: etenim ſunt luſci oculi atque patrantes.
 Non barbam: rufa eſt. non cilia: haud cilia.
Non mihi laudanturque manus: hæ namque rapaces.
 Et non laudatur mentula: merdacea eſt.
Non nates: patulæ. genua non laudo: maligna.
 Et non laudo pedes: pes geminuſque fugax.
Non frontem: effrons eſt. non ventrem, gurgulionis:
 Lumbos, elumbos: renem, ubicumque malus.
Non nomen calvitoris: nam eſt omine nomen
 Tetrum, ut cor multis exitiale bonis.
Ecquid laudo igitur de hoc corpore? laudo capillos,
 Tam fœda a calva qui modo profugerint.

Ep. III. *Idem. De Ægyptio.*

* Feæxaramantarum noſtrum proceſſit ad axem,
 Et piceo gaudet corpore verna niger.
Quem niſi vox hominem labris emiſſa ſonaret,
 Terrerent viſos horrida labra viros.
Dira Adrumenta tuum rapiant ſibi Tartara monſtrum,
 Cuſtodem hunc Ditis debet habere domus.

Ep. IV. *Idem. Aliter. De Ægyptio.*

Exoriente die noctis proceſſit alumnus,
 Sub radiis Phœbi ſolus habet tenebras.
Corvus, carbo, cinis, concordant multa colori.
 Quod legitis nomen convenit Æthiopis.

Ep. V. *Idem. In clamoſum Pygmæum & furioſum.*

Corpore par querulis es, par clamore cicadis.
 Hinc differs, quod te tempora nulla vetant.
Dum loqueris, quærunt cuncti, vox cujus ab ore,
 Atque ſonum alterius corporis eſſe putant.
Miramur, tantum accipiant quæ membra furorem,
 Ut tam forma levis, clamor & ita gravis.

Ep. VI. *Idem. In Græculum a cane interfectum.*

Græculus Argolicis lætus veniebat ab oris
Italiam: canis hunc forte momordit, obit.
A cane non mirum eſt ſubito periiſſe Pelaſgum:
Nam rabies Hecubæ durat in Argolicos.

Ep. VII. *Idem. Tullii Marci.*

Callidus Afer eris ſemper, Romane diſertus,
Semper Galle piger, ſemper Ibere celer.

Ep. VIII. *Idem. De Arzugitano Poeta.*

Præſciſſæ ſilicis cautibus edite,
Silveſtri juvenis durior arbuto,
Trunco cum ſtupeas horridius, cupis
Formare e propriis carmina verſibus,
Et metri variis ludere legibus.
Sed quis te docilem judicet artium,
Quas natura dedit cordis * auctior?
Solis ligna dolans fortibus aſciis,
Et duri reſecans robora pectoris,
Vatem te poterat reddere ligneum,
Qui vaccam trabibus luſit adulteris,
Vel qui ſtruxit equum fraudis Achaicæ.

Ep. IX. *Idem. De Lenone uxoris ſuæ.*

Græcule, conſueta lenandi callidus arte,
Cœpiſti adductor conjugis eſſe tuæ.
Et quem forte procax penitus conroſerat uxor,
Conſueras propria præcipitare domo.
Sed prætenſa catus deriſit retia quidam,
Teque tuis miſerum depulit e laribus.
Solus vera probas jucundi verba poetæ,
Cum jugulas hircum, factus es ipſe caper.

Ep. X. *Idem. Ad Lenonem Comitiacum.*

Militiæ cultus & nigri tegmina panni
Cur magis exoptes, diſſere, leno, mihi.
Exiguone tibi creſcebat cellula quæſtu,
Quum gravis adducta virgine ſaccus erat?
An neſcis populi paſtum ſibi tollere paucos,
Unde miſer fiſco paupere miles eget.
Effuge vitandos, ſi qua potes arte, labores,
Ut valeas tenſo vivere, leno, pede.
Nam ſi formoſas redeas lenare puellas,
Et dederit quæſtus quotidiana Venus;
Non jam miles eris humilis, ſed divite nummo
Fies militiæ mox utriuſque comes.

Ep. XI. *Idem. In Martium Cinædum.*

Quid prodeſt Martis te vel de nomine dictum,
Pruriat infami cum tibi clune Venus.
Fors fuerat potius, Cypridos ut nomen haberes,
Et natura daret Martia membra tibi.
Nunc utroque carens, ignoti fabula ſexus;
Femina cum non ſis, vir tamen eſſe nequis.

Ep. XII. *Idem. In Caballinam Meretricem.*

Caballina furens, amanda nulli,
Excuſſis modo calcibus fremebat:
Quæ quamvis facie micet rubenti,
Et vibret Parium nitens colorem,
Hirſutis tamen eſt petenda mullis,
Qui poſſint pariles citare junctas.

Ep. XIII. *Idem. De duabus Sororibus, meretriculis ex Illyrico, Gentia & Chloe, quæ Romana caſtra cum matre lena ſequebantur.*

* * * * * *
* * Matris amor deliciumque meum.
Ne vero inter vos odio certate ſorores,
Utrius alba magis vel minus atra cutis:
Hoc unum certate, ſuos magis urat amores,
Altera nonne oculis, altera nonne comis.
Anne coma ex auro flava eſt tibi, Gentia? an auri
Ex ipſa magis eſt brattea flava coma?
E Beronicæo detonſam vertice crinem
Rettulit eſuriens Græcus in aſtra Conon:
Gentia rapta tibi fiat coma protinus aſtrum.
Et regat Illyricas certior Urſa rates.
Cum quatit, & caudam Junonius explicat ales,
Mille oculos, gemmas mille decenter habet:
. . . . huc illuc flectat ocellos,
Hinc illinc videas currere mille faces.

Ep. XIV. *De Viro, quem mulier cædebat.*

Cum te Barbati referas de ſanguine cretum,
Ut tibi cognatus ſit Varitina ferox;
Cur tua fæmineo cæduntur pectora ſocco,
Infamique manu barbula vulſa cadit?
Deſine jam tibimet auctores fingere fortes,
Vimque tuis membris ſtirpis ineſſe feræ.
Illa Salautenſis magis eſt de ſtirpe creata,
Audet quæ proprium ſternere calce virum.

Ep. XV. *Idem. De Eunucho.*

Quem natura marem dederat, ſit femina ferro,
Nam tener impubes viribus exuitur.
Hinc juvenem cernis tanto ſub robore mollem,
Et dubii pulcher corporis errat homo.
Conjugibus cautis placita eſt monſtroſa voluptas.
Fidus enim eſt cuſtos, qui ſine teſte datur.

Ep. XVI. *Idem. Aliter. De Eodem.*

Incertum ex certo ſexum fert pube reciſa,
Quem tenerum ſecuit mercis avara manus.
Namque ita femineo Eunuchus crure movetur,
Ut dubites quid ſit, vir magis, an mulier.
Omnem Grammaticam caſtrator ſuſtulit artem,
Qui docuit neutri eſſe hominem generis.

Ep. XVII. *Idem. De Hermaphrodito.*

Quum mea me genetrix gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret, fertur conſuluiſſe Deos.
Mas eſt, Phœbus ait: Mars, femina: Junoque, neutrum.
Quumque forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti letum? Dea ſic ait; Occidet armis:

Mars,

Mars, cruce: Phœbus, aquis. ſors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas: adſcendo, decidit enſis,
Quem tuleram, caſu labor & ipſe ſuper;
Pes hæſit ramis, caput incidit amne. tulique
Femina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Ep. XVIII. *Idem. De Pantomimo.*

Maſcula femineo derivans pectora flexu,
Atque aptans lentum ſexum ad utrumque latus,
Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat,
Sollerti pendet prodere verba manu.
Nam cum grata chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ reſonat cantor, motibus ipſe probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adſtat,
Inluſtrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro. mirabilis ars eſt,
Quæ facit articulos ore ſilente loqui.

Ep. XIX. *Idem. De Funambulo.*

Stuppea ſuppoſitis tenduntur vincula lignis,
Quæ fido adſcendit docta juventa gradu:
Quæ ſuper aerius prætendit crura viator,
Vixque avibus facili tramite currit homo.
Brachia diſtendens greſſum per inane gubernat:
Ne lapſa e gracili planta rudente cadat.
Dædalus adſtruitur terras mutaſſe volatu,
Et medium pennis proſecuiſſe diem:
Præſenti exemplo firmatur fabula mendax.
Ecce hominis curſus funis & aura ferunt.

Ep. XX. *Idem. De Funambulo.*

* Vidi hominem pendere cum via, cui latior erat
Planta quam ſemita.

Ep. XXI. *Idem. De Citharœdo.*

Muſica contingens ſubtili ſtamina pulſu
Ingreditur, vulgi auribus ut placeat.
Stat tactu cantuque potens, cui brachia linguæ
Concordant ſenſu conciliata pari.
Nam jura æquali amborum moderamine librat,
Atque oris ſocias temperat arte manus:
Ut dubium tibi ſit gemina dulcedine capto,
Vox utrumne canat, an lyra ſola ſonet.

Ep. XXII. *Idem. De Eodem.*

Doctus Apollineo diſponere carmina plectro,
Gaudet multifidam pectore ferre chelyn.
Quam mox linguato decurrens pollice cogit,
Humanum ut poſſet chorda canora loqui.
Amphion cithara Thebarum mœnia ſepſit,
Aurita ad muros currere ſaxa docens.
Nec minus hac valuit reparator conjugis Orpheus,
Impia cum flexit Tartara dulcis amor.
Ars laudanda nimis, cujus moderamine ſacro
Unum ex diverſis vox digitique canunt.

Ep. XXIII. *Idem. De Baſterna.*

Aurea matronas claudit Baſterna pudicas,
Quæ radians patulum geſtat utrimque latus.
Hanc geminus portat duplici ſub robore burdo,
Provehit & modico pendula ſepta gradu.
Proviſum eſt caute, ne per loca publica pergens
Fuſcetur viſis caſta matrona viris.

Ep. XXIV. *Idem. De Pyrricha.*

In ſpatio Veneris ſimulantur prælia Martis,
Cum ſeſe adverſum ſexus uterque venit.
Femineam maribus nam confert Pyrricha claſſem,
Et velut in morem militis arma movet.
Quæ tamen haud ullo chalybis ſunt tecta rigore,
Sed ſolum reddunt buxea tela ſonum.
Sic alterna petunt jaculis, clypeiſque teguntur;
Nec ſibi congreſſu vir nocet aut mulier.
Luſus habet pugnam, ſed habent certamina pacem:
Nam remeare jubent organa blanda pares.

Ep. XXV. *Idem. De Eo qui molat.*

Cum poſſis parvo ſumtu conducere aſellum,
Qui ſoleat teretes volvere rite molas
Cur nummi cupidus ſic te contemnis, amice,
Ut cupias duro ſubdere colla jugo?
Linque precor gyros, poteris, piſtore miniſtro,
Candentis quadræ munus habere ſedens.
Per te namque terens, Cereris patiere labores,
Quos quærens natam pertulit ipſa Ceres.

Ep. XXVI. *Idem.* De *equa Philagri Advocati, inſultatio pro Concubitu.*

Cauſſidicus pauper media ſub nocte lucubrans
Cornipedis voluit terga fricare ſuæ.
Sed cum corpus equæ dextra famulante titillet,
Invaſit juvenem prodigioſa Venus.
Nam qua longa ſolet * quadrupia carpere feſſor,
Subducens duræ pendula crura viæ:
Hanc fovet amplexu molitor, caudamque caballæ
Adterit adſiduo pene ſututor hebes.
Concubitus Creſſa legitur quæſiſſe juvenci,
Quam gravis ira Deæ juſſit amare pecus.
Par crimen flammis noſtris ſors intulit annis,
Paſiphae tauro, Philager arſit equa.

Ep. XXVII. *Idem. Aliter. De eodem.*

Defenſor probe triſtium reorum,
Cujus voce ſacrum tonat tribunal,
Et palmas capiunt lares nitentes.
Cur poſt atla fori, togæque pompam,
Gaudens monſtrifero calere luxu,
Vectricis propriæ furens in uſus,
Feſſæ cornipedis fricas meatum,
Verſo & munere dignitatis, optas
Admiſſarius eſſe, quam patronus?
Expellas animo nimis, rogamus,
Mores inlicite libidinantes.
Horrendum vitium eſt in advocato,
Orando ſolitum movere cauſas,
Subantis pecudis tenere gambas.

Ep. XXVIII. *Idem. De Diſcipulo Medici.*

Diſcipulum medicus quidam ſuſcepit adultum,
Traderet ut juveni dogma ſalutiferum:
Qui primo ut juſſum noſſet tolerare magiſtri,
Publica felliferum per loca duxit equum.
Artis prolixæ breviavit tempora doctor,
Incepto puerum reddidit Hippocratem.

Ep. XXIX. *Idem. De Electione Conjugii. Imitatio Scholaſtica.*

Moribus & vultu mulier quæratur habenda.
Horrida nam facies multo celatur ab auro.
Si quis erit ſponſus, talem qui ducat avarus,
Ipſe ſuam horrebit; feritas diſſolvet amorem.
Illa calens veniet, dorſum dabit iſte calenti,
Cogeturque ſuo furas ſubmittere aſello,
Concubitu turpi monſtrum paritura biforme,
Quemque ſuum mulier timeat pertingere natum.
Diſcite, formoſas aurum ſuperare puellas.

Ep. XXX. *Idem. Votum. de Amore.*

Sic tua ſit, quamcumque tuam vis eſſe puellam,
Sic, quamcumque voles, mutuus ignis edat:
Sic numquam dulci careant tua pectora flamma:
Et ſic læſuro ſemper amore vacent.

Ep. XXXI. *Idem. Quod non ſevera carmina ſcribat.*

Jam libet ad luſus, laſcivaque furta reverti.
Ludere, Muſa, juvat. Muſa ſevera vale.
Nunc mihi narretur timidis Arethuſa capillis,
Nunc adſtricta comas, nunc reſoluta comas:
Et modo nocturno pulſans mea limina ſigno,
Intrepidos tenebris ponere docta pedes.
Nunc collo molles circum diffuſa lacertos,
Et flectat niveum ſemiſupina latus.
Inque modos omnes dulces imitata tabellas
Tranſeat, & lecto pendeat illa meo.
Nec pudeat quidquam. ſed me quoque nequior ipſo,
Exſultet toto non requieta toro.
Non deerit. Priamum qui defleat, Hectora narret.
Ludere, Muſa, juvat. Muſa ſevera vale.

Ep. XXXII. *Idem. Excuſatio ſeverioris materiæ.*

Eſſe tibi videor demens, quod carmina nolim
Scribere, patricio digna ſupercilio:
Quod Telamoniaden non æquo judice victum
Prætercam, & pugnas, Pentheſilea, tuas.
Quod non aut magni ſcribam primordia mundi,
Aut Pelopis currus, aut Diomedis equos.
Aut ut Achilleis infelix Troja lacertis
Quaſſata, Hectoreo vulnere conciderit.
Vos mare tentetis. vos detis lintea ventis.
Me vehat in tutos parva carina lacus.

Ep. XXXIII. *Idem.*

Inſanus vobis videor, nec deprecor ipſe,
Quo minus hoc videar. cur tamen hoc videor,
Dicite nunc: quod ſemper amas, quod ſemper amaſti:
Hic furor, hic, Superi, ſit mihi perpetuus!

Ep. XXXIV. *Idem. de Ea, quam amat.*

Quædam me, ſi credis, amat. ſed diſſilit, ardet,
Non ſic, non leviter: ſed perit, & moritur.
Dum fugiet, gratis quædam ſimul atque rogabit.
Oſtendam, quam non ſemper amatus amem.

Ep. XXXV. *Idem. Ad Gallam.*

Juratum tibi me cogis promittere, Galla,
Ne narrem. jura rurſus & ipſa mihi.
Ne cui tu dicas, (nimium eſt lex dura) remittam,
Præterquam, ſi vis dicere, Galla, viro.

Ep. XXXVI. *Idem. De Diſſidio, ad Deliam.*

Neſcio quo ſtimulante malo pia fœdera rupi:
Non capiunt vires crimina tanta meæ.
Inſtitit, & ſtimulis ardentibus impulit actum,
Sive fuit Fatum, ſeu fuit ille Deus.
Arguimus quid vana Deos? vis, Delia, verum?
Qui tibi me dederat, idem & ademit Amor.

Ep. XXXVII. *Idem. Luſus Amatorius.*

Sic me cuſtodi, Coſconia: neve ligata
Vincula ſint nimium, neve ſoluta nimis.
Effugiam laxata nimis: nimis aſpera rumpam.
Sed neutrum faciam, commoda ſi fueris.

Ep. XXXVIII. *Idem in Munditias.*

Semper munditias, ſemper, Baſiliſſa, decores,
Semper compoſitas arte decente comas;
Et comtos ſemper cultus, unguentaque ſemper,
Omnia ſollicita comta videre manu,
Non amo. neglectim mihi ſe quæ comit amica,
Hæc & inornata ſimplicitate valet.
Vincula nec cures capitis diſcuſſa ſoluti:
Et coram faciem mel habet illa ſuum.
Fingere ſe ſemper, non eſt confidere amori.
Quid, quod ſæpe decor, cum prohibetur, adeſt?

Eb. XXXIX. *Idem. In Recuſantem.*

Ante dies multos, niſi te, Baſiliſſa, rogavi:
Et niſi præmonui, te dare poſſe negas.
Ut ſubito crevere, ſolent ex tempore multæ,
Quam ſcriptæ, melius cedere deliciæ.

Ep. XL. *Idem.*

Cur differs, mea lux, rogata, ſemper?
Cur longam petis advocationem?
Primum hoc artificis ſcelus puellæ eſt.
Deinde eſt difficile & laborioſum
In tentigine tam diu morari.
Nil eſt præterea puella, nil eſt.

De-

Deprenſa mel * * *.

Ep. XLI *Idem. De Tinnitu auris, ad Deliam.*

Garrula quid totis reſonas mihi noctibus auris?
Neſcio quem dicis nunc meminiſſe mei.
Hic quis ſit, quæris? reſonant tibi noctibus aures,
Et reſonant totis: Delia te loquitur.
Non dubie loquitur me Delia: mollior aura
Venit, & exili murmure dulce fremit.
Delia non aliter ſecreta ſilentia noctis
Submiſſa ac tenui rumpere voce ſolet:
Non aliter teneris collum complexa lacertis
Auribus admotis condita verba dare.
Agnovi: veræ venit mihi vocis imago,
Blandior arguta tinnit in aure ſonus.
Ne ceſſate, precor, longos geſtare ſuſurros.
Dum loquor hæc, jam vos obticuiſſe queror.

Ep. XLII. *Idem. Ad Nealcen.*

Sit nox illa diu nobis dilecta, Nealce,
Quæ te prima meo pectore compoſuit.
Sit torus, & lecti genius, ſecretaque ſponda,
Queis tenera in noſtrum veneris arbitrium.
Ergo age, duremus, quamvis adoleverit ætas,
Utamurque annis, quos mora parva tenet.
Fas & jura ſinunt veteres extendere amores,
Fac, cito quod cœptum eſt, non cito deſinere.

Ep XLIII. *Idem. De divite formoſa, generoſa, impudica.*

Formoſa es, fateor, dives, generoſa, vetuſta.
Confitear, ſi vis, omnia. redde vicem.
Nempe parum caſta es. nempe es deprenſa. negabis?
Res venit ad lites. rurſus & illa nega.
Dic potius, ſed nempe ſemel, ſed nempe puella.
Et cum deprenſa quis, niſi frater, erat?
Frater erat? nihil eſt: fecit. quod Jupiter, illud:
Sed quod non fecit Jupiter, hoc facitis.

Ep. XLIV. *Idem. ad Cupidinem.*

Lecto compoſitus vix prima ſilentia noctis
Carpebam, & ſomno lumina victa dabam.
Cum me ſævus amor prenſum ſurſumque capillis
Excitat, & lacerum pervigilare jubet.
Tu famulus meus, inquit, ames cum mille puellas,
Solus, io ſolus, dure, jacere potes?
Exſilio, & pedibus nudis, tunicaque ſoluta
Omne iter impedio, nullum iter expedio.
Nunc propero, nunc ire piget, rurſumque redire
Pœnitet, & pudor eſt ſtare via media.
Ecce tacent voces hominum, ſtrepituſque viarum,
Et volucrum cantus, turbaque fida canum.
Solus ego ex cunctis paveo ſomnumque torumque,
Et ſequor imperium, magne Cupido, tuum.

Ep. XLV. *Idem. Ad Deliam.*

Te vigilans oculis, animo te nocte requiro,
Victa jacent ſolo quum mea membra toro.
Vidi ego me tecum falſa ſub imagine ſomni.
Somnia tu vinces, ſi mihi vera venis.

Ep. XLVI. *Idem. Donum ab Amica miſſum.*

Aurea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
Mittis & hirſutæ munera caſtaneæ.
Omnia grata putem; ſed, ſi magis ipſa venires,
Ornares donum, pulchra puella, tuum:
Tu licet adportes ſtringentia mala palatum:
Triſtia mandenti eſt melleus ore ſapor.
At ſi diſſimulas multum mihi cara venire,
Oſcula cum pomis mitte, vorabo libens.

Ep. XLVII. *Idem. De Malis Matianis.*

Hæc poterant celeres pretio tardare puellas,
Hæc fuerant Veneri judice danda Phryge.
Nam ſic ingenuo flaveſcunt mala colore:
Ut ſuperent auro vera metalla ſuo.

Ep. XLVIII. *Idem. De Malis Matiànis. Laus.*

His conſtat Veneri prælatæ gratia formæ,
Hæc moriente ſacrum perdidit angue nemus.

Ep. XLIX. *Idem. Vituperatio.*

His contemta Deum genuit diſcordia menſa,
Prodidit atque urbem his Briſeida ſuam.

Ep. L. *Idem. Alcimi, de Donis a Lesbia miſſis.*

Lux mea Puniceum miſit mihi Lesbia malum,
Jam ſordent animo cetera poma meo.
Sordent velleribus hirſuta Cydonia canis,
Sordent hirſutæ munera caſtaneæ.
Nolo nuces, Amarylli, tuas, nec cerea pruna:
Ruſticus hæc Corydon munera magna putet.
Horreo ſanguineo male mora rubentia ſucco,
Heu grave funeſti crimen amoris habent!
Miſit dente levi paullum libata placentæ
Munera, de labris dulcia mella ſuis.
Neſcio quid plus melle ſapit, quod contigit ipſa,
Spirans Cecropium dulcis odore thymum.

Ep. LI. *Idem.*

O blandos oculos & inquietos,
Et quadam propria nota loquaces!
Illic & Venus, & leves amores,
Atque ipſa in medio ſedet Voluptas.

Ep.

Ep. LII. *Idem. Ad Deliam.*

Si Phœbi ſoror es, mando tibi, Delia, cauſſam,
 Scilicet ut fratri, quæ peto, verba feras:
Marmore Sicanio ſtruxi tibi, Delphice, templum.
 Et levibus calamis candida verba dedi.
Nunc ſi nos audis, atque es divinus Apollo,
 Dic mihi, qui nummos non habet, unde petat?

Ep. LIII. *Idem. De Heſperiæ Faſcia.*

Hoc ſibi luſit opus de ſtamine floricolore
 Heſperie teneras otkioſa manus.
Et pulchro pulchras ſtrophio producta papillas,
 Gaudet utrumque ſui pectoris eſſe decus.

Ep. LIV. *Idem.*

Heſperie lateri redimicula nectit eburno,
 Facta ſuis manibus, pectore digna ſuo.
Jam veteres iras Venus & Tritonia ponit:
 Pectora nam Veneris Palladis ambit opus.

Ep. LV. *Idem.*

Intertexta roſa Tyrii ſubtemine fuci
 Involvet quoties mobile zona latus:
Ambroſium gemino potabit ab ubere rorem,
 Et vere roſeo fiet odore roſa.

Ep. LVI. *Idem. Ad Laidem.*

Formoſiſſima, Lai, feminarum,
Dum noctis pretium tuæ requiro,
Magnum continuo petis talentum:
Tanti non emo, Lai, pœnitere.

Ep. LVII. *Idem. Ad Juliam.*

Me nive candenti petiit modo Julia: rebar
 Igne carere nivem, nix tamen ignis erat.
Quid nive frigidius? noſtrum tamen urere pectus
 Nix potuit manibus, Julia, miſſa tuis.
Quis locus inſidiis dabitur mihi tutus amoris,
 Frigore concreta ſi latet ignis aqua?
Julia, ſola potes noſtras extinguere flammas,
 Non nive, non glacie; ſed potes igne pari.

Ep. LVIII. *Idem. Ad Lydiam.*

Lydia, bella puella, candida,
Quæ bene ſuperas lac & lilium,
Albamque ſimul roſam rubidam,
Aut expolitum ebur Indicum.
Pande, puella, pande capillulos
Flavos, lucentes ut aurum nitidum.
Pande puella collum candidum,
Productum bene candidis humeris.
Pande puella ſtellatos oculos,
Flexaque ſuper nigra cilia.
Pande puella genas roſeas,
Perfuſas rubro purpuræ Tyriæ.
Porrige labra, labra corallina,
Da columbatim mitia baſia.
Quid mihi fugis vivum ſanguinem?
Conde papillas, conde gemipomas,
Compreſſo lacte quæ modo pullulant.
Sinus expanſa profert cinnama:
Undique ſurgunt ex te deliciæ.
Conde papillas, quæ me ſauciant
Candore, & luxu nivei pectoris.
Sæva, non cernis, quod ego langueo?
Sic me deſtituis jam ſemimortuum?

Ep. LIX. *Idem. Ad quamdam virifugam.*

Pulchrior & nivei quum ſit tibi forma coloris,
 Cuncta pudicitiæ jura tenere cupis.
Mirandum eſt, quali naturam lege gubernes:
 Moribus ut Pallas, corpore Cypris eas.
Te neque conjugii libet excepiſſe levamen,
 Sæpius exoptans nolle videre mares.
Hæc tamen eſt animo quamvis odioſa voluptas,
 Numquid non mulier, quam paris, eſſe potes?

Ep. LX. *Idem. De cretata Sertoriæ facie.*

Dum ſumit cretam in faciem Sertoria, cretam
 Perdidit illa ſimul, perdidit & faciem.

Ep. LXI. *Idem. De Pueri Amore.*

Quid ſævis, Sybari? domiti modo terga juvenci
 Quid premis, & tenerum currere cogis equum?
Dum ſtupet, ac novus eſt, & adhuc non novit amorem,
 Parce: premendus erit, cum veteranus erit.

Ep. LXII. *Idem. De Puero amato.*

O ſacros vultus, Baccho vel Apolline dignos!
 Quos vir, quos tuto femina nulla videt.
O digitos, quales pueri vel virginis eſſe,
 Vel potius credas virginis eſſe Deæ.
Felix, ſi qua tuum corrodit femina collum.
 Felix, quæ labris livida labra facit.
Quæque puella tuo cum pectore pectora ponit:
 Et linguam tenero laſſat in ore ſuam.

Ep. LXIII. *Idem. Paſiphae Fabula ex omnibus metris Horatianis.*

Filia Solis
Æſtuat igne novo,
Et per prata juvencum,
Mentem perdita, quæritat.
Non illam thalami pudor arcet,
Non regalis honos, non magni cura mariti.
Optat in formam bovis
Convertier vultus ſuos:
Et Prætides dicit beatas;
Ioque laudat; non quod Iſis alta eſt,
Sed quod juvenca cornua in frontem levat.
Si quando miſeræ copia ſuppetit,
Brachiis ambit fera colla tauri,
Floreſque vernos floribus illigat,
Oraque iungere quærit ori.
Audaces animos efficiunt tela Cupidinis:
Inlicitiſque gaudet

Cor-

Corpus includi ſtabulis, ſe faciens juvencam.
Et amoris pudibundi maleſuadis
Obſequitur votis, & procreat (heu nefas!) bimembrem,
Cecropidæ juvenis quem perculit tractum manus,
Filo reſolvens Gnoſiæ triſtia tecta domus.

Ep. LXIV. *Idem. De Marco filium amante.*

Marcus amans puerum, natum mentitur amare,
Vultque pater dici, neſcius eſſe pater.
Et pietate nefas, & amorem velat amore;
Se pietas umbram criminis eſſe dolet.
Nate, dies audit: nox & torus audit, Amice;
Et pro temporibus nomina mutat amor.
Stulte, quid ignaro non dicit Cintia fratri?
Ne credas noctis digna latere diem.
Qui pater eſt, huic filius eſt. a lumine primo
Filius, a thalamis incipit eſſe puer.

Ep. LXV. *De Venere Praxitelis.*

Praxitelis Venerem lapidoſa per oſcula multi
Stuprarunt: quin ſub marmore viva fuit.
At mirum hos gelido e ſaxo prodiſſe calores?
Mirare exuſtos lampade Solis agros.

Ep. LXVI. *Idem. Ad Aquilam.*

Mitte, aquila, hunc puerum: mitte, inquam, ſi ſapis; inquam,
Aut tibi per medium miſſile corpus agam.
Non mittis? ſed non moveor ſtridoribus ullis.
Quid gemis? at culpæ eſt, ingemis? auctor Amor.
Mirus Amor ſi credibilis volucriſque hominiſque;
Sed quantum, oro, homini convenit & volucri?
Et ſi remigio alarum roſtroque ſuperba es,
O aquila, aſt omni eſt alite major homo.
Naturam accuſa, quæ corpus pectore diſpar;
At qui dat diſpar corpore pectus Amor.
Quidquid formoſum eſt, penetrat, trahit, adripit ad ſe.
Nempe eſt de Veneris ſanguine natus Amor.

Ep. LXVII. *Idem. De Columbarum nido in galea.*

Militis in galea nidum fecere columbæ,
Adparet, Marti quam ſit amica Venus.

Ep. LXVIII. *Idem. In Imaginem puellæ formoſæ.*

Cernitur hic, quidquid potuit Natura, Deuſque,
Delicias cæli parva puella gerit.

Ep. LXIX. *Idem. In Imaginem puellæ.*

Subrides ſi Virgo, faces jacularis ocellis,
Et tua neſcio quo murmure labra ſonant:
Cur non ora mihi jamdudum in verba reſolvis?
* * *

Ep. LXX. *Gellius Lib. XIX. Cap. XI. Ex Platone.*

Dum ſemihulco ſavio
Meum puellum ſavior:
Dulcemque florem ſpiritus
Duco ex aperto tramite:
Anima tunc ægra, & ſaucia,
Oriſque rictum pervium,
Et labra pueri mollia,
Rimata itineri tranſitus,
Ut tranſiliret, nititur.
Tum ſi moræ quid pluſculæ
Fuiſſet in coitu oſculi:
Amoris igni percita
Tranſiſſet, & me linqueret.
Et mira prorſum res foret,
Ut ad me fierem mortuus:
Ad puerum ut intus viverem.

Ep. LXXI. *Burmannus. In Eumdem.*

Caſcom Caſcam duxiſſe, non mirabile eſt.
Quoniam Charon eas faciebat nuptias.

Ep. LXXII. *Idem. Sulpiciæ.*

* * *
Ne me cadurcis deſtitutam faſciis,
Nudam Caleno concubantem proferat.
* * *

Ep. LXXIII. *Idem. Epithalamium.*

Ite, verecundo conjungite fœdera lecto,
Atque Cupidineos diſcite ferre jocos.
Concordeſque tegat cum majeſtate benigna,
Quæ regit Idalium, quæ Cnidon alma regit.
Adliget amplexus tenerorum mater amorum,
Conſtituat patres, & cito reddat avos.

Ep. LXXIV. *Idem. De Urſidio.*

Cogitat Urſidius ſibi dote jugare puellam,
Ut placeat domino, cogitat Urſidius.
Cogitat Urſidius heredem tollere parvum,
Ut placeat domino, cogitat Urſidius.
Cogitat Urſidius domino quacumque placere,
Virgine vel puero. quam ſapit Urſidius!

Ep. LXXV. *Idem. In Flaviam Rufillam, puellam formoſam.*

Quid natum cædit Venus? arcum perdidit. Arcum
Quis rapuit? Thuſco Flavia nata ſolo.
Qui factum? Petit hæc, dedit hic. nam lumine formæ
Deceptus, Matri ſe dare crediderat.

Ep. LXXVI. *Idem. Ad Sabellum.*

Hortis Heſperidum, Sabelle, cultis
Noſtræ cultior hortus eſt puellæ:
Mirari, o bone, deſinas, Sabelle,
Hortorum Deus ipſe nam Priapus
Cunctis hunc fodit & rigat diebus.

Ep. LXXVII. *Idem. Floridi.*

Quando ponebam novellas arbores mali & piri,
Cortici ſummæ notavi nomen ardoris mei.
Nulli ſit exinde finis vel quies cupidinis.

Cre-

Creſcit arbor, gliſcit ardor, ramus implet literas.

Ep. LXXVIII. *Idem. De Theide & Mela.*

Me mihi ſubripuit contraria flamma ſororum,
  Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Ore Melas, oculiſque Theis, placuere ſubinde:
  Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.
Sed dum nigra Melas ridet ſine voce ſororem,
  Deſpectam Theidis forma facitque Melam.
Me mihi reſtituit contraria flamma ſororum,
  Pulchra Theis oculis, ore nigella Melas.

Ep. LXXIX. *Idem. In Statuam Satyri & Pueri.*

Blanditur puero Satyrus vultuque manuque,
  Nolenti ſimilis retrahit ora puer.
Quem non commoveant quamvis de marmore? fundit
  Pæne preces Satyrus, pæne puer lacrimas.

Ep. LXXX. *Idem. In puerum formoſum. adtribuitur Virgilio, item Auſonio.*

Dum dubitat Natura, marem faceretne puellam,
  Factus es, o pulcher pæne puella puer.

Ep. LXXXI. *Idem. Ejuſdem Argumenti.*

Seu puerum vidi formoſum, ſive puellam
  Formoſam, ſit uter ſexus enim dubito.
Inter utrumque decus formæ dubitare coactus,
  Contra Grammaticos ne faciam, vereor.
Sin pulcher, ſeu pulchra mihi dicatur, & errem,
  Muſa ſoloeciſmi noſtra futura rea eſt.

Ep. LXXXII. *Idem. In Niſum.*

Pars tibi, Niſe, datur Bacchi, pars deinde negatur,
  Eſſe potes liber, non potes eſſe pater.

Ep. LXXXIII. *Idem. In Julianum caſtratum.*

Virginis inſano Julianus captus amore
  Femina fit cultu, diſſimulatque virum:
Et ſic indutus muliebriter, intrat ad illam.
  Res patet: abſcindit membra pudenda pater.
Femina virque prius, nec vir nec femina nunc eſt:
  Fit neutrum, credi femina dum voluit.

Ep. LXXXIII. *Idem. Senis Poetæ ad Puellam.*

Candida jam noſtris aptentur crura lacertis,
  Suſpenſo maneat poplite noſter amor.
Luſibus optatis noctis luctemur in umbris,
  Pervigiles laudet jam rubicunda dies.
Fulgidus ardenti jungatur ſaphyrus auro,
  Floribus in thalamos cincta cupreſſus eat.
Exſultent noſtro magnæ certamine Nymphæ,
  Tactibus exſultes tuque puella meis.

Ep. LXXXIV. Idem. *Puellæ reſponſio.*

Conſpicuam primum ſpeciem quam fata bearunt,
  Deſine pompifero tu violare thoro:
Abiit ut albiplumem valeat calcare columbam
  inter tot niveas ruſtica milvus aves:

Nec rubeis cardus ſuccreſcat jure roſetis,
  Lilia nec campis vana cicuta premat:
Nec miſer eximiæ cervæ jungatur aſellus,
  Quem ſtimulis crebris ſarcina ſæva domat.

Ep. LXXXV. *Idem. In Senectutem Amori inertem.*

Utilis es nulli, cunctis ingrata, ſenectus,
  Te Stygio peperit cana Megæra Deo.
Nil adeo firmum eſt, quod non tua robora frangant,
  Arma, ſtilos, chartas, ſaxa, metalla, deos.
Carmina vivaci membranis illita ſucco
  Armorum ſerie debilitata cadunt.
Ipſa, mihi pugnas quæ nectere mille ſolebat,
  Æquales inter maxima dicta ſuas;
Numquam ſueta niſi jugulato cedere ab hoſte,
  Inque imis mortes quærere viſceribus;
Virgineis ambita choris, adamata puellis,
  Quamque hoſtes etiam caram habuere ſui;
Illa caput roſeum florenti ſandice cincta,
  Languida cæruleo mentula victa ſitu eſt.

Ep. LXXXVI. *Idem. De Cythera.*

Forte erat Auroræ tempus, Soliſque quadriga
Fecerat & ventum & ſonitum per nobile marmor
Adſtantis putei; cum te, mea bella Cythere,
Agnoſco venientem, & tu mea limina grato
Introitu dignata, roſas & lenis amomi
Delicias miras tecum adlicis, unde ſecutæ
Palladis & frondes, nulliuſque inſcia laurus.
Atria noſtra virent, & agunt in limine primo
Radicem platani, ad portam venit arbutus ipſam:
Felix multa arbos, imitans miracula Pindi,
Quam non delebit livor, nec ſera vetuſtas.
O jucunda nimis, tenui quæ viſa poetæ,
Dum credis vitium non auſcultare Camœnis.

Ep. LXXXVII. *Idem. De Die frigido.*

Sint tibi deliciæ, ſint vilis prandia menſæ,
  Munera poſt Bacchi ſit tibi pulcra Venus.
Vincere nec libeat villoſa veſte rigorem,
  Sed jungat calidum fervida virgo latus.

Ep. LXXXVIII. *Idem. Verba Amatoris ad Pictorem.*

Pinge, precor, pictor, tali candore puellam,
Qualem pinxit amor, qualem meus ignis anhelat.
Nil pingendo neges, tegat omnia ſerica veſtis,
Quæ totum prodat tenui velamine corpus.
Te quoque pulſat amor, cruciant pigmenta medullas,
Si bonus es pictor, miſeri ſuſpiria pinge.

Ep. LXXXIX. *Idem. Amans Amanti.*

Dic, quid agis, formoſa Venus, ſi neſcis amanti
Ferre vicem, perit omne decus, dum deperit ætas.
Marcent poſt rorem violæ, roſa perdit odorem,
Lilia poſt vernum poſito candore liqueſcunt.
Hæc metuas exempla, precor, tu ſemper amanti
Redde vicem, quia ſemper amat, qui ſemper amatur.

Ep.

Ep. XC. *Idem. Reſcriptum.*

Non redit in florem, ſed munus perdit amantis,
Quidquid vile jacet. dulce eſt quodcunque negatur,
Nam ſi formoſa facili penetratur amore,
Fecit adulterium, & munus perdit amantis.

Ep. XCI. *Idem. De Amatoriis Cantilenis.*

Cantica gignit amor, & amorem cantica gignunt,
Cantandum eſt, ut ametur, & ut cantetur, amandum eſt.

Ep. XCII. *Idem.*

Pallas tota Jovis patrio de vertice nata
In cælum cecidit . . .

Ep. XCIII. *Idem. Etemundis.*

Mens ubi amaris ama, rarum eſt agnoſcere amicos,
Rarum invenire eſt, mens ubi amaris ama.

Ep. XCIV. *Idem. Arbor de Se & Nympha.*

Frondibus his ſpectanda meis hæc forma vireſcit,
Frontibus; hæc lacrimis gaudet amantis amans.
Si pictas volucres, miſeros hæc captat amantes,
Tanta eſt his oculis Gratia, tanta Venus.

Ep. XCV. *Idem.*

Hos habitat lucos: errantem quisquis Amorem
Quæris, in hoc matris nunc cubat ille ſinu.

Ep. XCVI. *Idem.*

Hos domino flores Amor educat almus amanti,
Perpetuaſque dedit carpere delicias.

Ep. XCVII. *Idem.*

Gaudia quiſquis amas, vernantes collige flores,
Dum licet, & verno munere diſce frui.

Ep. XCVIII. *Idem. De Roſis.*

O quales ego mane roſas procedere vidi!
Naſcebantur adhuc, neque erat par omnibus ætas.
Prima papillatos ducebat . . . . corymbos;
Altera puniceos apices umbone levabat;
Tertia non totum calathi patefecerat orbem,
Quarta ſimul nituit, mutato tegmine floris.
Dum levat una caput, dumque explicat altera nodum,
Huic dum virgineus pudor extenuatur amictu,
Ne pereant, lege mane roſas; cito virgo ſeneſcit.

Ep. XCIX. *Idem. De Roſa.*

Aut hoc riſit Amor, aut hoc de pectine traxit
Purpureis Aurora comis, aut ſentibus haſit
Cypris, & hic ſpinis inſedit ſanguis acutis.

Ep. C. *Idem de Roſis.*

Hortus erat Veneris, roſeis circumdatus herbis,
Gratus ager dominæ: quem, qui vidiſſet, amaret.
Dum Puer hic paſſim properat decerpere flores,
Et velare comas, ſpina libavit acuta
Marmoreos digitos. mox, ut dolor adtigit artus,
Sanguineamque manum, tinxit ſua lumina gutta:
Proruit ad Matrem frendens, defertque querelas.
Unde Roſæ, Mater, cœperunt eſſe nocentes?
Unde tui flores pungunt latitantibus armis?
Bella gerunt mecum Floris calor & cruor una.

Ep. CI. *Idem. de Roſis.*

Venerunt aliquando Roſæ. proh veris amœni
Ingenium! una dies oſtendit ſpicula florum,
Altera pyramidas nodo majore tumentes;
Tertia jam calathos: totum lux quarta peregit
Floris opus. pereunt hodie, niſi mane legantur.

Ep. CII. *Idem. Copa.*

Copa Syriſca caput Graja redimita mitella,
Criſpum ſub crotalo docta movere latus,
Ebria famoſa ſaltat laſciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat æſtivo defeſſum pulvere abeſſe,
Quam potius bibulo decubuiſſe toro?
Sunt cuppæ, calices, cyathi, roſa, tibia, chordæ,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus.
Eſt & Mænalio quæ garrit dulce ſub antro,
Ruſtica paſtoris fiſtula more ſonans.
Eſt &, vappa cado nuper diffuſa picato,
Eſt ſtrepitans rauco murmure rivus aquæ.
Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ,
Sertaque purpurea lutea mixta roſa:
Et quæ virgineo libata Acheloïs ab amne
Lilia vimineis adtulit in calathis.
Sunt & caſeoli, quos juncea fiſcina ſiccat:
Sunt autumnali cerea pruna die:
Caſtaneæque nuces, & ſuave rubentia mala.
Eſt hic munda Ceres, eſt Amor, eſt Bromius.
Sunt & mora cruenta, & lentis uva racemis:
Eſt pendens junco cæruleus cucumis.
Eſt tuguri cuſtos armatus falce ſaligna,
Sed non & vaſto eſt inguine terribilis.
Huc Alibida veni: feſſus jam ſudat aſellus:
Parce illi, veſtrum delicium eſt aſinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbuſta cicadæ,
Nunc etiam in gelida ſede lacerta latet.
Si ſapis, æſtivo recubans te prolue vitro,
Seu vis cryſtallo ferre novos calices.
Eia age, pampinea feſſus requieſce ſub umbra:
Et gravidum roſeo necte caput ſtrophio.
Candida formoſæ decerpes ora puellæ.
Ah pereat, cui ſunt priſca ſupercilia!
Quid cineri ingrato ſervas bene olentia ſerta?
Anne coronato vis lapide iſta tegi?
Pone merum & talos: pereant, qui craſtina curant.
Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.

Ep. CIII. *Scaliger. Regiani.*

Ante bonam Venerem gelidæ per litora [illegible]
Illa natare lacus cum [illegible]
Dum natat, algentes ce[illegible]
Hinc vapor uſſit a[illegible]

Ep. CIV. *Idem*.

Agnovi. veræ venit mihi vocis imago.
Blandior arguta tinnit in aure ſonus.
* * * *

Ne ceſſate, precor, longos geſtare ſuſurros.
Dum loquor, hæc jam vos obticuiſſe * ſi curas.

Ep. CV. *Idem*. *Poſtulatio muneris*.

Sic tibi florentes æquævo germine nati
Indolis æternæ ſidere, celſa petant:
Sic priſcos vincant atavos, claroſque parentes
Exſuperent meritis, ſeclaque longa gerant:
Sic ſobolis numerum tranſcendat turba nepotum,
Nobilibuſque riges gaudia tanta toris:
Ne ſterilem præſtes indigno munere muſam,
Utque ſoles, largus carmina noſtra fove:
Imperiis ut noſtra tuis ſervire Thalia
Poſſit, & in melius perſonet icta chelys.

Ep. CVI. *Burmannus*. *De Ludi Magiſtro*.

Indoctus teneram ſuſcepit Calculo pubem,
Quam cogat primas diſcere litterulas.
Sed quum diſcipulos nullo terrore coercet,
Et ferulis culpas tollere ceſſat iners:
Projectis pueri tabulis Floralia ludunt.
Jam nomen ludi rite magiſter habet.

Ep. CVII. *Idem*.

Uni Craſſitio ſe credere Smyrna probavit.
Definite indocti conjugio hanc petere.
Soli Craſſitio ſe dixit nubere velle,
Intima cui ſoli nota ſua extiterint.

Ep. CVIII. *Scaliger*.

Tarpeio quondam ſedit quæ vertice cornix,
Eſt bene, non potuit dicere: dixit, erit.

Ep. CIX. *Bonuda*.

Tibur mihi patria, Agricola ſum vocitatus,
Flavius idem ego ſum diſcumbens, ut me videtis,
Sic & apud ſuperos ann s quibus fata dedere
Animulam colui, nec defuit umquam Lyæus,
Præceſſitque prior primitiva gratiſſima conjux
Flavia, & ipſa cultrix Deæ Phariæ, caſta,
Sedulaque, & forma decore repleta,
Cum qua ter denos dulciſſimos egerim annos.
Solatiumque ſui generis Aurelium primitivum
Tradidit, qui pietate ſua coleret faſtigia noſtra,
Hoſpitiumque mihi ſecure ſervavit in ævum.
Amici, qui legitis, moneo, miſcete Lyæum,
Et potate procul redimiti tempora flore.
Cetera poſt obitum terra conſumit & ignis.

Ep. CX. *Idem*.

Doctibibus jacet hic is, qui, dum vita manebat,
Non meruit dici Vivulus, at Bibulus.
Namque videns tumidos per tot vineta racemos,
Omnia potipotens vina vetuſta bibit.
Grandine plus ſolito grandi vindemia ſiccis
Exhauſtiſque cadis tota & ubique cadit.
Vivulus exclamans: Miſero ſpes ergo bibendi
Omnis adempta mihi? ſit mea vita mori.
Et vere moriens hæc verba noviſſima dixit,
Malo mori nunc, quam vivere, nec bibere.

Ep. CXI. *Idem*.

Vixi, edi, atque bibis lurco merus atque popino.
Hæc mihi quot curis vita peracta fuit!
Qui legis hæc, divæ bona verba precare Vacunæ,
Nunc ſaltem vacuo donet ut eſſe mihi.

Ep. CXII. *Idem*.

Hoſpes, ad hunc tumulum ne meias, oſſa precantur
Tecta hominis. ſed ſi gratus homo es,
Miſce, bibe, da mi.

OLAS.

CLASSIS DECIMA

CONTINENS EPIGRAMMATA ET FRAGMENTA MISCELLANEA CUM INDICIIS AUCTORUM REFERENTIUM.

Ep. *I. Bonada.*

Parva quidem monumenta tibi pro munere vitæ
Fecimus, & tumulo teximus oſſa levi.
Sed quoniam tacitis adſunt ſua præmia votis,
Teſtatur titulus pignus amicitiæ.
Si datur extinctis mentem retinere priorem.
Reſpice, Birroni, munus amicitiæ.

Ep. *II. Idem.*

Monumentum abſolvi ſumptu & impenſa mea,
Amica tellus ut det hoſpitium oſſibus:
Quod omnes optant, ſed felices impetrant.
Namque quid egregium, quidve cupiendum eſt magis,
Quam, libertatis ubi tu lucem acceperis,
Feſſæ ſenectæ ſpiritum ibi deponere.
Quod innocentis argumentum eſt maximum.

Ep. *III. Idem.*

Sic tibi præterito redeat felicior annus,
Longæva & facili vita regatur ope:
Nec duræ mortis ſacratos lædere manes,
Ecce monent leges & levis umbra rogi.

Ep. *IV. Idem.*

Cæſius Æquidicus jam centum clauſerat annos,
Felices annos tot tulit hora brevis.

Ep. V. *Idem.*

Siſte gradum, fugiat quamvis brevis hora, viator:
Sic fati nullus te dolor exanimet.
Leſbia, quam tulerat tellus pulcherrima Tarſis,
Indicio ſit amor totius Heſperiæ.
Quam ereptam terris pia numina ſubtraxerunt,
Hanc ſibi ſola domum corpore conſtituit.

Ep. VI. *Idem.*

Sint licet exiguæ fugientia tempora vitæ,
Parvaque raptorum cito tranſeat hora dierum;
Mergat & Elyſiis mortalia corpora terris
Aſſidue rapto Lacheſis male conſcia penſo.

Ep. VII. *Idem.*

Ut perferantur, ſi qua ſunt, ad inferos,
Date terræ fructum, ut terra poſſit reddere.
Ab alio ſperes, alteri quod feceris.

Ep. VIII. *Idem.*

Manlius hic ſitus eſt Montanus raptus iniqua,
Femineaque manu. inſperans incidit Ætas.
Fas erat, ut potius natus pia funera nobis
Penderet, & dignos coleret maneſque patreſque;
Si fortuna pie ſervaſſet vota parentum.

Ep. IX. *Idem.*

Hoc, qui ſcire cupis, jaceant quæ membra ſepulcro,
Diſces, dum relegas hos modo verſiculos.

Ep. X. *Idem.*

Sponte fui pauper, tam re quam nomine Felix:
Quæſivi nomen, quærat avarus opes.

Ep. XI. *Idem.*

Molliter oſſa cubent, dicat, rogo, quiſque viator:
Sic tibi defuncto dicere Dii jubeant.

Ep. XII. *Idem.*

De Genitore mihi domus Umbria, de Genitrice
Oſtia: Tybris ibi vitreus, Nar hic cluit albus.
Ille ego, qui vixi bis deno Circile Solis
Flore genas tenero vernans, & robore pollens,
Miles eram, ſum deinde cinis de milite factus.
Nec ſolum hoc, quia me rapuit, Fatum male fecit,
Quod pater & mater plangunt, hoc plus male fecit,
Hac luce ſi exceſſi, ſpes & fortuna valete,
Nil amplius in me vobis per ſecla licebit.
Quod fuerat veſtrum, amiſi: quod erat meum, hic eſt.

Ep. XIII. *Idem.*

O tu, qui multas hoſpes luſtraveris urbes,
Dic, quo vidiſti ſtemmata plura loco.

Ep. XIV. *Idem.*

Infelix annoſa viro nataque ſuperſtes.

Ep. XV. *Idem*.

Seductos olim latices Patriæque negatos
Reſtituit populis Tiro Flaviolus amore.

Ep. XVI. *Idem*.

Hic Lapis eſt unus, dic nunc, qua eſt arte locatus,
Si nunc ſunt bini, dic, ubi contigui?

Ep. XVII. *Idem*.

Stallius Gajus has ſedes Hauranus tuetur
Ex Epicurejo gaudivigente Choro.

Ep. XVIII. *Idem. Canis*.

Gallia me genuit. nomen mihi divitis undæ
Concha dedit, formæ nominis aptus honos.
Docta per incertas audax diſcurrere ſilvas,
Collibus hirſutas atque agitare feras.
Non gravibus vinclis unquam conſueta teneri,
Verbera nec niveo corpore ſæva pati.
Molli namque ſinu Domini Dominæque jacebam,
Et noram in ſtrato laſſa cubare toro.
Et plus quam licuit muto canis ore loquebar,
Nulli latratus pertimuere meos.
Sed jam fata ſubii partu jactata ſiniſtro,
Quam nunc ſub parvo marmore terra tegit.

Ep. XIX. *Idem. Canis*.

Quod potui, poſui tibi, fida catella, ſepulcrum,
Digna magis cæli munere quam tumuli.
Candenti e lapide hæc tibi convenit urna, fuiſti
Candida tota pilo, candida tota fide.
Si cælum, ut quondam, canibus patet, haud tua terras
Incendet, ſed ver ſtella perenne dabit.

Ep. XX. *Idem. Avis*.

Hic ſita ſum varios avium perfingere cantus,
Docta avis e Siculo præda petita ſinu.
Nuper herum ſtudiis feſſum curiſque lavabam,
Nunc manes blandis mulceo rapta ſonis.

Ep. XXI. *Idem. Dis avibus. Luſciniæ Philumenæ ex Aviario Domitiorum*.

Selectæ verſicolori pulcerrimæ cantrici,
Suaviſſimæ omnibus gratiis ad digitum pipillanti,
In poculo murrhino caput abluenti,
Infeliciter ſubmerſæ. Heu miſella,
Avicula. Hinc inde volitabas tota
Garrula. tota feſtiva. Latitas modo
Inter pulla Leptynis loculamenta
Implumis, frigidula, clauſis ocellis.
Licinia Filumena deliciæ ſuæ,
Quam in ſinu paſtillis alebat
In proprio cubiculo, alumnæ cariſſimæ.

Ep. XXII. *Idem*.

Ave avis jucundiſſima, quæ mihi volans
Obvia perſonans roſtello Salve
Toties ceciniſti, cave avis avia averna.

Ep. XXIII. *Idem*.

In cavea picta ſaltans quæ dulce canebat,
Muta tenebroſa nunc jacet in cavea.

Ep. XXIV. *Idem*.

Papilio volitans texto religatus araneæ eſt.
Illei præda repens, huic data mors ſubita eſt.

Ep. XXV. *Inedita apud Franciſcum Xaverium Zeladam, Parisium Marcianum, Præſulem Romanum, XII. Virum ſtlitibus judicandis*.

Quamdiu vixi, queſivi, nec ceſſavi perdere ſemper,
Mors ſupervenit, quæ faciet, ut ab utroque vacem.

Ep. XXV. *In Diſſ. Epiſt. Paſchalis Caryophili de Thermis Herculanis nuper in Dacia detectis*.

Hanc. Sedem. Longo. Placuit. Sacrare. Labori.
Hanc. Requiem. Feſſis. Tandem. Qua. Conderet. Artus.
Ulpius. Emeritis. Longævi Muneris Annis.
Ipſe. Suo. Curam. Titulo Dedit. Ipſe. Sepulcro.
Arbiter. Hoſpitium. Membris. Fatoque. Paravit.

Ep. XXVI. *Ex Syntagmate* III. *Cap.* IV. *pag.* 84. *Paulli Erneſti Jablonskii, de Memnone Græcorum & Ægyptiorum*.

Horam cum primam, cumque
Horam Solis ſecundam
Plorato Oceano luminat,
Alma dies,
Vox audita mihi eſt
Bene Memnonia.

Ep. XXVII. *Ex Gabrielis Mariæ Guaſtutii Camaldulenſis Monachi Opere: Conferma e Difeſa del Parere ſopra il Rubicone degli Antichi, T. I. della nuova Raccolta Calogeriana*.

Si meritis poſſem dare munera tantum,
Quantum tibi debentur præmia laudis,
Aureus hic titulus & littera nominis auro
Condecorata legi deberet, nam ſimplice vita,
Quæ Superis ſemper tam grata fuiſti,
Inter ſecuras ſine crimine vitæ
Sit pro . . . .
Et ſuper H. C. ſit tibi terra levis.

Ep.

Ep XXVIII. *Catalecta Petroniana. De Gallo gallinaceo.*

Candida Phœbæo perfulgent ora rubore.
Criſta riget radiis, ignea barba micat:
Alæ, colla, comæ, pectus, femur, ungula, cauda,
Peſtanis lucent floridiora roſis:
Flammea ſic rutilum diſtinguit pinna colorem,
Ut vibrare putes ignea membra faces.

Ep. XXIX. *Idem. De cato.*

Mordaces morſu ſolitus conſumere mures,
Inviſum & domibus perdere dente genus,
Catus in obſcuro cepit pro ſorice picam,
Multiloquumque vorax ſorbuit ore caput.
Pœna tamen præſens prædonem plectit edacem,
Nam claudunt rabidam cornea labra gulam.
Faucibus obſeſſis vitalis ſemita ceſſit,
Et ſatur eſcali vulnere captor obit.
Non habet exemplum volucris vindicta perenne:
Hoſtem pica ſuum mortua diſcruciat.

Ep. XXX. *Idem. De elephante.*

Monſtrorum princeps elephas proboſcidis armis
Horret mole nigra, dente micat niveo.
Sed vario fugienda malo quum bellua gliſcat,
Eſt tamen ex certis mors pretioſa feræ.
Nam quæ conſpicimus montani roboris oſſa,
Humanis veniunt uſibus apta ſuis.
Conſulibus ſceptrum, menſis decus, arma tabliſtis:
Diſcolor & tabulæ calculus inde datur.
Hæc eſt humanæ ſemper mutatio mortis,
Fit moriens ludus, qui fuit ante pavor.

Ep. XXXI. *Barthius in Adverſariis.*

Cæſaris ad valvas ſedeo, ſto nocte dieque,
Nec datur ingreſſus, quo mea fata loquar.
Ite Deæ faciles, & veſtro numine ſaltem
Dicite divini Cæſaris ante pedes.
Si nequeo placidas affari Cæſaris aures,
Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat: Abi.

Ep. XXXII. *Ineditum apud Cl. Equitem noſtrum Annibalem de Abbatibus Oliverium, in latere Aræ Sepulcralis Tulliæ Sympheruſæ.*

Olim non fuimus, nati ſumus: unde quieti
Nunc ſumus, ut fuimus. Cura relicta vale.

FRAGMENTA POETARUM ÆTATIS INCERTÆ.

S U E V I I.

Macrobius Sat. Lib. III. Cap. XXVIII.

Admiſce tu Acca baſilicis hæc: nux partim,
Partim Perſica. quod nomen ſic denique fertur,
Propterea quod qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera prælia bello
In Perſas tetulere ſuo: poſt inde revectum
Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis
Diſſeruere, novos fructus mortalibus dantes.
Molluſca hæc nux eſt: ne quis forte inſcius erret.

E X M I D O.

Chariſ. Lib. I.

Inter ſe degularunt omnia.

Idem Lib. VI. Cap. I.

. . redeunt referuntque petita rumore ſecundo.

Idem Lib. VI. Cap. V.

. . . . . volucrumque volatile telum.

A L B I N I.

Priſcianus Lib. VII.

Ille, cui ternis Capitolia celſa triumphis
Sponte Deum patuere, cui freta nulla repoſtos
Abſcondere ſinus, non tutæ mœnibus urbes.

MUMMII EX ATELLANA

Soſipater Lib. I.

Junius ad ſpectacula eſt videre in teſtu, quantum ſit caput.

MARINI LUPERCALIORUM POETÆ.

Servius ad v. XX. Ecl. I. Virgilii. Roma ante Romulum fuit, & ab ea nomen Romulus adquiſivit.

Sed Dea flava & candida,
Roma Æſculapii filia
Novum nomen Latio facit,
Quod Conditricis nomine
Ab ipſo omnes Romam vocant.

Æ L I I S A T U R N I N I.

Servius ad Virg. Georg. Lib. I. v. LXXV.

Alæ ex lupino, ſurculi ſine foliis,

COR-

CORNIFICII EX GLAUCO.

Macrob. Sat. Lib. VI. Cap. V.

Centauros fœdare bibembres,
Caprigenumque pecus nullo cultode per herbas.

EX LOCO INCERTO.

Macrobius Sat. Lib. VI. Cap. IV.

Deducta mihi voce garrienti.

Servius ad Virgil. Georgic. Lib. I. V. v. LV.

Ut folia quæ frugibus arboreis tegmina gignuntur.

CORNUTI EX SATYRA.

Fulgentius de Priſco Sermone, in Titivillitium.

Titivillitii ſat cedo tibi.

HOSTII DE BELLO HISTRICO LIB. I.

Servius ad Virg. Æneid. XII. V. CXXII.

Percutit, atque haſtam pilans præ pondere frangit.

Sententia præſto pecore pilata.

LÆVII, ſeu LÆLII.

Apul. Apolog.

Philtra omnia undique eruunt,
Antipathes illud quæritur,
Trochiſcili, ungues, teniæ,
Radiculæ, herbæ, ſurculi,
Aureæ ilices, bichordilæ,
Hinnientium dulcedines.

ILII.

Theutrante.

Flammeam per æthram alte fervidam ferri facem.

C. GRANII.

Peliadibus.

Sonat impulſa regia cardo.

MEMORIS, al. MEMMII.

Hercule.

Ferte ſuppetias optimi comites.

C. JULII CÆSARIS STRABONIS.

Adraſto.

Cum capita viridi lauro velare imperant
Prophetæ, ſancta caſte qui purant ſacra.

SEMPRONII GRACCHI.

Thyeſte.

Merſit ſequentis humidam plantis humum.

Atalanta.

O grata cardo regium egreſſum indicans.

RUTILII GEMINI.

Aſtyanacte.

Melius ſuggrundarium miſero quæreres, quam ſepulchrum.

INCERTORUM TRAGICORUM FRAGMENTA.

Cicer. de Offic. Lib. III.

Cuju' ipſe princeps juris jurandi fuit,
Quod omnes ſcitis, ſolus neglexit fidem.
Furere aſſimulavit: ne coiret, inſtitit.
Quod ni Palamedis perſpicax prudentia
Iſtiu' percepſet malitioſam audaciam,
Fide ſacratum jus perpetuo falleret.

Idem

Idem de Divinat. Lib. I.

Quia mater gravida parere ſe ardentem facem
Viſa eſt in ſomnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipſe Priamus, ſomnio mentis metu
Perculſus, curis ſumptus ſuſpirantibus,
Exſacrificabat hoſtiis balantibus.

Idem ibidem.

Tum conjectorem poſtulat, pacem petens,
Ut ſe edoceret obſecrans Apollinem,
Quo ſeſe vortant tantæ ſortes ſomnium.
Ibi ex oraculo voce divina edidit
Apollo: puerum, primus qui Priamo foret
Poſt-illa natus, temperaret tollere:
Eum eſſe exitium Trojæ, peſtem Pergamo.

Idem ibidem.

Præſagibat animus fruſtra me ire, cum exirem domo.

Idem ibidem.

Sed quid oculis rabere viſa es derepente ardentibus?
Ubi paulo ante ſapiens illa & virginali modeſtia?
Mater optuma, tum multo mulier melior mulierum,
Miſſa ſum ſuperſtitioſis hariolantibus;
Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines vero æquales patris mei meum factum pudet.
Optimi viri, mea mater, tui me miſeret, mei piget:
Optumam progeniem Priamo peperiſti extra me: hoc dolet,
Me obeſſe, illos prodeſſe: me obſtare, illos obſequi.

Idem ibidem.

Adeſt, adeſt fax obvoluta ſanguine atque incendio:
Multos annos latuit: vos cives ferte opem, & reſtinguite.

Idem ibidem Lib. II.

Jamque mari magno claſſis cita
Texitur: exitium examen rapit;
Advenit, & fera velivolantibus
Navibu' complevit manu' littora.

Idem ibidem.

Eheu, videte: judicavit inclutum
Judicium inter deas tres aliquis, quo judicio
Lacedæmonia mulier, Furiarum una, adveniet.

Nam ſapiens virtuti honorem, præmium, haud prædam petit.

Ecquid video? ferro ſeptus poſſidet ſedes ſacras.

Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne? anne ad Peliæ filias?

Video, video te: vive, Ulyſſes, dum licet,
Oculis poſtremum lumen radiatum rape.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. III.

. . . Nolite hoſpites adire ad me
illico iſthic, ne contagio mea bonis umbrave obſit.
Tanta vis ſceleris in corpore hæret.
N. Quidnam eſt, obſecro, quid te adire abnutas?

Idem ibidem Lib. I.

Heu relliquias ſemiaſſi regis, denudatis oſſibus,
Per terram ſanie delibutam fœde divexarier.

Nemo pius eſt, qui pietatem cavet.
Probæ etsi in ſegetem ſunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipſæ ſuapte natura enitent.

Cicero de Divinat. Lib. II.

O Patrocle, ad vos adveniens auxilium & veſtras manus peto,
Priuſquam oppeto malam peſtem, mandatam hoſtili manu.
Neque ſanguis ullo potis eſt pacto profluens conſiſtere.
Si qua ſapientia magis veſtra devitari mors poteſt:
Namque Æſculapii liberorum ſaucii opplent porticus:
Non poteſt accedi. . . .

Idem ibidem.

. . . . . Qui alteri exitium parat,
Eum ſcire oportet, ſibi paratam peſtem, ut participet, parem.

Idem ibidem.

Eloquere, res Argivum prælio ut ſe ſuſtinet?

. . . Quieſce igitur, & vulnus alliga.

Idem ibidem.

. . . . Ubi fortuna Hectoris
Noſtram acrem aciem inclinatam. . . .

Idem ibidem.

Ob ſcelera, animique impotentiam & ſuperbiloquentiam.

Idem ibidem.

Iterum Thyeſtes Atreum attractum advenit,
Iterum jam aggreditur me, & quietum exſuſcitat.
Major mihi moles, majus miſcendum eſt malum,
Qui illius acerbum cor contundam & comprimam.

Idem

Idem ibidem.

parent ſe, in vita ut vinci neſciant.

Cic. de Nat. Deor. Lib. III.

Nequaquam iſtuc iſtac ibit. magna ineſt certatio,
Nam ut illis ſupplicarem tanta blandiloquentia.

Idem ibidem.

Qui volt, quod volt; ita dat ſe res, ut operam dabit.

Ille tranſverſa mente mihi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo:
Mihi mœrores, illi luctum: exitium illi, exilium mihi.

Idem ibidem.

. . . . Poſtquam pater
Appropinquat, jamque pene ut comprehendatur parat,
Puerum interea obtruncat, membraque articulatim divid[i]t,
Perque agros paſſim diſpargit corpus. id ea gratia,
Ut dum nati diſſupatos artus captaret parens;
Ipſa interea effugeret: illum ut mœror tardaret ſequi:
Sibi ſalutem ut familiari pareret parricidio.

Idem ibidem.

Addo huc, quod mihi portento cæleſtum pater
Prodigium miſit, regni ſtabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma,
Quondam Thyeſten clepere auſum eſſe e regia:
Qua in re adjutricem conjugem cepit ſibi.

Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis,
Eviſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabo,
Sanie & ſanguine atro . . . . .

Cic. de Oratore Lib. III.

. . . . Neque me patiar iterum
Ad unum ſcopulum & telum claſſem Achivum offendere.

Idem ibidem.

Erras, erras: nam exſultantem te & præfidentem tibi
Repriment validæ legum habenæ, atque imperii inſiſtent jugo.

Segregare abs te auſus.

Ecquis hoc animadvertit? vincite.

Cicero Tuſc. Quæſt. Lib. III.

Refugere oculi, corpus macie extabuit,
Lacrumæ peredere humore exſangues genas,
Situ nidoris, barba pœdore horrida,
Atque intonſa, infuſcat pectus inluvie ſcabrum.

Cicero ibidem Lib I.

Cælum mireſcere, arbores frondeſcere,
Vites læteſcere, pampinis pubeſcere,
Rami baccarum ubertate incurveſcere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes ſcatere, herbis prata conveſtirier.

Idem ibidem Lib. II.

Audiſne hæc, Amphiarae, ſub terram abdite?

Idem de Divinat. Lib. I.

Inter ſe ſtrepere, aperteque artem obterere extiſpicum,
Solvere imperat ſecundo rumore, adverſaque avi.

Quod eſt ante pedes, nemo ſpectat: cœli ſcrutantur plagas.

Nihil horum ſimile apud Lacænas virgines;
Queis magi' palæſtra, Eurota, Sol, polvis, labos,
Militia in ſtudio eſt, quam fertilitas barbara.

. . . . Si telum manu fugit.

Cic. de Divinat. Lib. I.

O Apollo, qui umbelicum certum terrarum obſides,
Unde ſuperſtitioſi primum ſæva evaſit vox fera.

Idem ibidem.

Anguens ingentes alites, juncti jugo.

Cicero de Juvent.

Cum te expetebant omnes florentiſſimo
Regno, reliqui: nunc deſertum ab omnibus,
Summo periclo, ſola ut reſtituam, paro.

Qua pontus Helles. . . .

Auratus aries Colchorum.

Frugifera & ferta arva Aſiæ tenet.

Cic. de Oratore Lib. III.

Qua tempeſtate Paris Helenam innuptis *ſibi* junxit nuptiis,
Ego tum gravida *fui*, expletis jam fere ad pariendum menſibus,
Per idem *prope* tempus Polydorum Hecuba partu poſtremo parit.

Habeo ego iſtam perterricrepam. . . .

Nam non vis hujus me verſutiloquas malitias.

Seneca Epiſt. LXXXI. Lib. XI.

Impero Argis, regna mihi liquit Pelops,

Qua

Qua ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Urgetur iſthmos. . . .

Idem ibidem.

Quod niſi quieris, Menelae, hac dextra occides.

Quintilianus Lib. IX. *Cap.* III.

Jove propagatus eſt (ut perhibent) Tantalus,
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem ſatus
Atreus; qui noſtrum porro propagat genus.
Si quidem ſit quiſquam Deus, cui ego ſum curæ.

Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. I.

Heu me infelicem!
Sanuine es, qui temere lamentare?

Idem ibidem.

Te, Apollo ſancte, fer opem, teque omnipotens Neptune invoco,
Voſque adeo venite. Nam quid ego te appellem, Venus?

Cic. de Orat. Lib. III.

Sed mihi cum retulit coronam, ob collocandas nuptias,
Tibi ferebat; cum ſimulabat ſeſe eam alteri dare,
Tum ad te ludibunda docte & delicate detulit.

Idem Tuſc. de Finibus Lib. II.

Omnes Danai aut Mycenenſes, Attica pubes.

Vigilandum eſt ſemper: multæ inſidiæ ſunt bonis.

Nam te id, quod multi invideant, multique expetant,
Inſcitia'ſt poſtulare, ſi tu laborem ſumma cum cura efferas
Nullum. . . .

Quid enim? qui rempublicam certo animo adjuverit,
Statuerit, ſteterit cum Achivis?

Re dubia nec dubitarit vitam offerre, nec capiti pepercerit.

Summum amicum ſummo in bello. . . .

. . . . Summo ingenio præditum.

O ingratifici Argivi, inanes Graii, immemores benefici!
Exſulare ſinitis: ſiviſtis pelli. pulſum patimini.

Ignoverunt Medeæ, quæ Corinthum arcem altam habebant matronæ opulentæ, optimates: quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi vitio illæ verterent. quod abeſſet a patria: nam multi ſuam rem bene geſſere & publicam, patria procul: multi, qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.

Acheruntia templa, alta orci, pallida
Leti, obnubila, obſita tenebris loca.

Cic. Tuſc. Quæſt. I.

Horrifer Aquilonis ſtridor gelidas molitur nives.

Nam nos decebat cœtus celebrantis domum
Lugere, ubi eſſet aliquis in lucem editus,
Humanæ vitæ varia reputantes mala:
At qui labores morte finiſſet graves,
Hunc omnes amicos laude & lætitia exequi.

Ex opibus ſummis opis egens, Hector, tuæ.

Nam facinus fecit maximum, cum, Danais inclinantibus,
Summam rem perfecit manus, prælium reſtituit inſaniens.

Neque tam terribilis ulla fando oratio eſt,
Nec ſors, nec ira cælitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo efferat.

Tu me amoris magis quam honoris ſervaſti gratia.

Nec vero tanta præditus ſapientia
Quiſquam eſt, qui aliorum ærumnam dictis allevans,
Non idem, cum fortuna mutata impetum
Convertat, clade ſubita frangatur ſua
Ut illa ad alios dicta & præcepta excidant.

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quænam umquam ob mortem Myrtili
Pœnis luendis dabitur ſatias ſupplicii?

Quandoquidem iſte circumveſtit dictis, ſepit ſedulo.

Sublatus eſt, atque inſanus qua conſtitit,
Ictu fulmini' deflagravit. . . .

Ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.

. . . Animadverte, & dicto pare. . . .

Præter rogitatum ſi quærare.

Si te ſecundo lumine hic offendero,
Moriere. . . .

Ita me deſtituit nudum.

Ænea, quis eſt, qui meum nomen nuncupat?

. . . Cornuat aurum,
Umbram jacit: icere paret.

In altiſono cœli clypeo.

Liber, qui auguſta hæc loca Cithæronis colis.

Feſtus in Erebum.

Erebo creata, fuſcis crinibus, Nox, te invoco.

Feſtus in Obſtinet.

Perſuaſit animo vinum, deus qui multo eſt maximus.

Sed jam de cœlo candens aurora obſtinet ſuum patrem.

Chariſius de Tranſmutatione Perſonarum.

Theſprote, ſi quis ſanguine exortum tuo
Prolem inter aras ſacras ſacram immolet:
Quid meritus hic ſit, dubium an quoiquam fiat?

Idem in Sarcaſmo.

Rite Theſprotum pudeat rei, quod ipſe a Tantalo ducat genus.

Non memero, quod draconis ſævi ſopivi impetum;
Non, quod viros domavi & ſegetis armatæ manus.

Matrem fatigat prodigus vitæ furor.

Struunt ſorores Atticæ dirum nefas.

Tela, famuli, tela propere, ſequitur me Thoas.

Axena Ponti per freta Colchos denique delatus adhæſi.

Ore beato lumine volitans, qui cœlum candidus equitas.

Quædam terribilis tua pectora turbat, terrifico ſonitu intulit.
Proinde & abs te regimen Argos, dum eſt poteſtas conſulendi.

Qui repens ſemipulſus onere gravi fores ſtrepitu terret.

Hæc bellicoſus cui mater paterve Minerva.

Quis meum nominans nomen exciet,
Quamvis tumultu invocans incolarum fidem?

Nunc ego te ab ſummo jam detexam exordio.

Unde hæc flamma oritur?

Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. V.

Patria eſt, ubicumque eſt bene.

Cic. de Nat. Deor. Lib. I.

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.

Cic. Tuſc. Quæſt. Lib. I.

Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum.

Idem ibidem Lib. IV.

Si quidem ſit quiſquam deus, cui ego ſum curæ.

Idem de Orat. Lib. III.

Num non vis hujus me verſutiloquas malitias?

Idem ibidem.

Quemnam te eſſe dicam, qui tarda in ſenectute?

Chariſius Lib. I.

Tune Clytemneſtræ fœdaſti viſcera ferro?
Cyclops Ætnæus cultor, Neptunia proles.

Idem Lib. IV.

Tiphyn aurigam celeres fecere carinæ.

Idem de Aporia Schemate.

Luna, deum quæ ſola vides perjuria vulgi,
Seu Cretæa magis, ſeu tu Dictynna vocaris,
Huc deſcende . . . .

Feſtus in Camillio.

Hyberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metes.

Idem in Zeuxide.

Nam quid modi facturus riſu denique?
Niſi pictor fieri vult, qui riſu mortuus eſt.

Non. in Cernuus.

Sibi paſtores ludos faciunt cernui Conſualia.

F I N I S.

BINDING SECT. DEC 7 1979

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA 6121 A7A56 t.4
Amati, Pasquale
Collectio pisaurensis omnium poematum